





ACTA ET DECRETA

SACRORUM CONCILIORUM RECENTIORUM.



COLLECTIO LACENSIS.

AUCTORIBUS

PRESBYTERIS S. J. E DOMO B. V. M. SINE LABE CONCEPTAE AD LACUM.

Collectio Lacensis omnia et sola Concilia recentioris aetatis continebit indeque incipiet, ubi magnae Labbei et Harduini collectiones desierunt, ut, his completis et usque ad nostram aetatem perductis, facilis ad cognoscendas cujusvis temporis Synodos pateat aditus.

Quod vero ad operis dispositionem attinet, non modo temporum, sed locorum etiam rationem habendam esse rati, hunc ordinem statuimus:

Universum tempus, cujus Concilia edituri sumus, in duas partes dividimus, quarum alteram computamus usque ad Gallicam, quam vocant, revolutionem, alteram inde ad nostram usque memoriam. Paucas illius aetatis Synodos in duas, frequentes hujus in quatuor classes dispertimur.

Totum vero opus, quantum conjicimus, sex tomis absolvetur, quorum duo priores continebunt Concilia ab an. 1682. usque ad 1789. sive

(I. tom.) ab Episcopis Ritus Latini, sive

(II. tom.) ab Episcopis Rit. Oriental. habita.

Ceteri tomi Concilia, quae propiore tempore sunt celebrata, complectentur, et quidem

III. tom. Concilia Americae septentrionalis et Imperii Britannici,

IV. tom. Concilia Galliae,

V. tom. Concilia Germaniae, Hungariae, Hollandiae,

VI. tom. Concilia Italiae, quibus accedent Synodi hoc ordine non comprehensae, denique, uti speramus, veluti supremum totius collectionis decus atque complementum, Concilium oecumenicum Vaticanum primum.

Caeterum, ut omnes non solum plene, sed etiam secure et facile e fontibus sacrorum canonum haurire queant, curabimus in primis, ut opus nostrum, quam emendatissime fieri poterit, typis describatur, atque singulis voluminibus locupletissimi indices et alphabeticus theologiae jurisque canonici, prout in Conciliis traduntur, conspectus adjiciantur. Denique nullam operam recusavimus, ut nihil collectionis nostrae integritati deesset; neque solum Concilia nostrae aetatis quaecumque sunt edita, verum *inedita* quoque exhibebimus.

Pretia voluminum pro singulorum magnitudine erunt varia, ita tamen, ut denae plagulae (80 paginae sive 160 columnae) veneant 2 fr. 70 cts, volumen vero, quod 50 plagulas sive 400 paginas contineat, 13 fr. 35 cts, sive 10 shillings.

B. HERDER, bibliopola-redemtor, FRIBURGI BRISGOVIAE in Magno Ducatu Badensi;

ARGENTORATI: Agence de B. HERDER, 18, place du Dôme.

AVIS IMPORTANT POUR LE CLERGÉ FRANÇAIS.

Après le premier volume de notre collection, nous avons résolu de donner immédiatement le quatrième, qui renfermera tous les Conciles français. Voici ce qui nous a engagés à intervertir un peu l'ordre de notre publication. Le deuxième et le troisième volumes doivent, d'après notre plan, contenir des Conciles soumis à la révision romaine, mais qui n'ont pu être encore révisés jusqu'ici. Si donc nous n'avions pas pris le parti de les faire passer après le quatrième, il ne nous restait que le choix ou de les donner incomplets ou de suspendre l'impression. Du reste nous nous félicitons de l'heureuse nécessité où nous sommes de publier dès maintenant la collection des Conciles français. Ils forment en effet l'une des plus belles pages de l'histoire de l'Église de France. Un mot tombé de la bouche de Pie IX. exilé a plus fait pour la restauration de ces saintes assemblées que les prescriptions du Concile de Trente et tous les efforts des Pontifes les plus zélés. Depuis ce moment, presque toutes les Provinces ecclésiastiques de France ont eu leurs Conciles, et, dans l'espace de dix ans, elles en ont compté plus que pendant les trois siècles qui avaient précédé. Mais, plus encore que leur nombre, le contenu de ces Conciles est un juste sujet de joie. La puissance civile n'eut pas plus tôt cessé de peser sur l'Église, que celle-ci, rentrée en possession de sa pleine liberté, se hâta de protester, dans ses Synodes, contre le système gallican, que lui avait imposé l'ancien régime, et proclama, avec un ensemble et un éclat qu'on avait rarement vus dans les Conciles, les divines prérogatives de la primauté du successeur de saint Pierre. Ces récents Conciles de France renferment de plus tant de sages dispositions concernant la discipline ecclésiastique, la formation du clergé, la direction des œuvres de charité, le règlement des rapports nouveaux et si divers créés à l'Église par nos temps modernes, qu'ils offrent encore à ce point de vue un haut intérêt. Quant à notre édition, nous nous efforcerons, non seulement de lui donner le mérite de la correction, mais encore de la rendre pratique et d'un usage facile, en l'accompagnant de tables détaillées, où sera condensé tout ce qu'il y a dans les Conciles de beau, de grand et d'instructif : nous voudrions faire ainsi de ce code des nouveaux Conciles français le livre du clergé.

CATALOGUS LIBRORUM IN LINGUA LATINA ET GALLICA

QUI

FRIBURGI BRISGOVIAE SUMTIBUS HERDER

PRODIERUNT:

Acta et decreta concilii Viennensis anno Domini MDCCCLVIII. pontificatus Pii Papae IX. decimo tertio celebrati. 4⁰. 1864. Pretium: Thlr. 1. — fl. 1. 48 kr. — fr. 4. 5.

Leonis P. VIII **privilegium de investituris** Ottoni I imperatori concessum nec non Ludovici Germanorum regis summorum pontificum archiepiscoporum Coloniensium aliorum saeculi IX. X. XI. epistolae. Ex codice Treverensi nunc primum edidit et recensuit *Dr. H. J. Floss.* Praemittitur de ecclesiae periculis imperatore Ottone I. disputatio. 8⁰. 1858. Pretium: Thlr. 1. 10 sgr. — fl. 2. 15 kr. — fr. 5. 5.

Sancti patris nostri **Gregorii Theologi** vulgo Nazianzeni **oratio apologetica de fuga sua**. Textum cum selectis annotationibus ad editionem Monachorum ord. St. Benedicti e congr. St. Mauri edidit *Dr. J. B. Alzog.* Editio altera. 8⁰. 1868. Pretium: 10 sgr. — 36 kr. — fr. 1. 35.

Sancti Gregorii episcopi Nysseni **doctrina de angelis** exposita a *Ludgero Kleinheidt.* 8⁰. 1860. Pretium: 8 sgr. — 24 kr. — 90 cts.

Hymni latini medii aevi. E codd. mss. edidit et annotationibus illustravit *Franc. Jos. Mone.* Hymni ad Deum et Angelos; ad B. V. Mariam; ad Angelos. III voll. 8⁰. 1853—55. Pretium: Thlr. 5. 24 sgr. — fl. 9. 36 kr. — fr. 21. 60.

Monumenta Vaticana historiam ecclesiasticam saeculi XVI. illustrantia. Ex tabulariis sanctae Sedis apostolicae secretis excerpsit, digessit, recensuit, prolegomenisque et indicibus instruxit *Dr. Hugo Laemmer.* Una cum fragmentis Neapolitanis ac Florentinis. 8⁰. 1861. Pretium: Thlr. 3. — fl. 5. 15 kr. — fr. 11. 80.

Laemmer, Dr. H., Scriptorum Graeciae orthodoxae bibliotheca selecta. Ex codicibus manuscriptis partim novis curis recensuit, partim nunc primum eruit. Vol. I. 8⁰. 1865. Pretium: Thlr. 2. 24 sgr. — fl. 4. 36 kr. — fr. 10. 35.
Sect. I—II. 22 sgr. — fl. 1. 12 kr. — fr. 2. 70. — Sect. III—V. Thlr. 1. 6 sgr. — fl. 2. — fr. 4. 50. — Sect. VI. 26 sgr. — fl. 1. 24 kr. — fr. 3. 15.

——— in decreta concilii Ruthenorum Zamosciensis animadversiones theologica-canonicae. 4⁰. 1865. Pretium: 28 sgr. — fl. 1. 36 kr. — fr. 3. 60.

Lessii, Leonardi, opusculum asceticum quinquaginta considerationum de L. nominibus Dei. In tres libellos: viae purgativae, illuminativae, unitivae distributum. 12⁰. 1862. Pretium: 16 sgr. — 54 kr. — fr. 2.

——— de summo bono et aeterna beatitudine hominis libri quatuor. Novam editionem curavit *H. Hurter S. J.* 12⁰. 1869. Pretium: Thlr. 1. 6 sgr. — fl. 2. — fr. 4. 50.

Manna quotidianum sacerdotum sive preces ante et post missae celebrationem cum brevibus meditationum punctis pro singulis anni diebus. Cum approbatione Rev. archiep. Friburg. 3 voll. 12⁰. 1863—64. Pretium: Thlr. 2. 24 sgr. — fl. 4. 48 kr. — fr. 10. 30.

Manuale precum ad usum seminariorum e breviario, missali et pontificali Romano decerptam. Cum approb. ordinarii Friburgensis. 12⁰. 1866. Pretium: 12 sgr. — 42 kr. — fr. 1. 60.

Neugart, P., Episcopatus Constantiensis Alemannicus sub metropoli Moguntina chronologice et diplomatice illustratus. Partis I tom. II. Continens Annales tam profanos quam ecclesiasticos cum statu litterarum ab anno MCI ad a. MCCCVIII. 4⁰. 1862. Pretium: Thlr. 6. — fl. 10. 30 kr. — fr. 23. 65.

Novum Testamentum vulgatae editionis Sixti V. et Clementis VIII. Pontt. maxx. jussu recognitum. Editum secundum exemplar Romae impressum cura *R. P. Vercellone.* 12⁰. 1867. Pretium: 26 sgr. — fl. 1. 30 kr. — fr. 3. 40.

Liber Sapientiae graece secundum exemplar Vaticanum cum variis lectionibus, latine secundum editionem Vulgatam in usum scholarum academicarum editus a *Fr. Henrico Reusch.* 8⁰. 1858. Pretium: 9 sgr. — 30 kr. — fr. 1. 15.

Reusch, Fr. Henricus, SS. Theologiae doctor, **Observationes criticae in librum sapientiae.** 4⁰. 1861. Pretium: 10 sgr. — 30 kr. — fr. 1. 15.

Schrader, Clemens, P., S. J., **Theses theologicae** quas in Vindobonensi academia synopsis instar auditoribus tradidit. Series I et II. 4⁰. 1862—1863. Pretium: Thlr. 1. 2 sgr. — fl. 1. 48 kr. — fr. 4.

——— **de unitate Romana** commentarius. Liber I. διδακτικός. 4⁰. 1862. Pretium: Thlr. 1. 10 sgr. — fl. 2. 15 kr. — fr. 5. 5.

Vosen, Dr. C. H., **Rudimenta Linguae Hebraicae** scholis publicis et domesticae disciplinae brevissime accommodata. Tertia editio emendata. 8⁰. 1867. Pretium: 15 sgr. — 48 kr. — fr. 1. 80.

**

Publications de la maison Herder à Fribourg en Brisgau (Bade).

Il vient de paraître:

HISTOIRE SAINTE EN TABLEAUX.

QUARANTE PLANCHES

DES PLUS MÉMORABLES ÉVÉNEMENTS

DE L'ANCIEN ET DU NOUVEAU TESTAMENT.

PICTORIAL BIBLE.

FORTY PRINTS

REPRESENTING THE MOST MEMORABLES EVENTS

OF THE

OLD AND NEW TESTAMENT.

TABLE DES PLANCHES.

1. Création du monde.
2. Adam chassé du Paradis.
3. Caïn tue son frère.
4. Le déluge.
5. Noé offre des holocaustes.
6. Joseph vendu par ses frères.
7. Joseph maître de toute l'Egypte.
8. Joseph et ses frères.
9. Jacob vient en Egypte.
10. Moïse sauvé miraculeusement.
11. Apparition de Dieu.
12. Les tables de la loi.
13. Zacharie et l'ange.
14. L'annonciation.
15. Marie visite Elisabeth.
16. Les bergers près de la crèche.
17. Jésus porté au temple.
18. Les mages devant le Messie.
19. La fuite en Egypte.
20. Jésus dans le temple.
21. Baptême de Jésus.
22. Les noces de Cana.
23. Sermon de Jésus sur la montagne.
24. Seigneur, sauvez-nous, nous périssons.
25. La multiplication des cinq pains.
26. Les enfants bénis par Jésus.
27. Le bon Samaritain.
28. L'enfant prodigue.
29. Résurrection de Lazare.
30. Institution de l'Eucharistie.
31. Jésus au jardin des Oliviers.
32. Flagellation de Jésus-Christ.
33. Couronnement de Jésus-Christ.
34. Jésus porte sa croix.
35. Le Christ mort sur la croix.
36. Sépulture de Jésus-Christ.
37. Résurrection de Jésus.
38. St. Pierre est nommé premier pasteur.
39. L'ascension de Jésus-Christ.
40. Descente du Saint-Esprit.

Largeur des planches 40 sur 45 centimètres.

Prix de chaque planche coloriée: 3½ sgr. — 12 kr. — 45 Cts. = 4 Pence;

Prix de l'ouvrage complet: Thlr. 4. 20 sgr. — fl. 8. — Frs. 18 = 13 Sh. 4 P.

Portfolio 8 sgr. — 24 kr. — 90 cts. — 8 d. de plus.

„J'ai examiné les *quarante planches de l'Ancien et du Nouveau Testament* qui viennent de paraître dans la librairie Herder, et j'estime que cet ouvrage pourra rendre de réels services dans les écoles. Les sujets sont choisis avec discrétion, traités avec dignité et composés généralement d'après de bons modèles. L'enluminure, du moment qu'elle ne sera pas trop vive, ajoutera sensiblement à la valeur de ces tableaux, en attirant plus vite les regards et en captivant mieux l'attention pendant les explications du maître. Aussi je suis sûr que le public leur fera bon accueil."

Strasbourg, Avril 1868. **André**, év. de Strasbourg.

. . . „Parmi vos ouvrages j'ai pu apprécier de plus près *l'Histoire sainte en tableaux* et les *Vies des Saints* par Alban Stolz, traduites en français. J'estime le premier de ces ouvrages très-propre à faciliter l'instruction religieuse des enfants, l'autre très-propre à édifier les lecteurs, et je les recommande tous deux volontiers."

† **Félix**, év. d'Orléans, dans une lettre à l'éditeur d. d. 10 Août 1868.

Publications de la maison Herder à Fribourg en Brisgau (Bade).

HISTOIRE BIBLIQUE

DE L'ANCIEN ET DU NOUVEAU TESTAMENT

ornée de 113 gravures sur bois et d'une carte de la Terre Sainte

par le

Dr. I. SCHUSTER.

Ouvrage approuvé par

l'éminentissime cardinal prince-évêque de Prague, primat de Bohême, l'éminentissime cardinal prince-évêque de Gran, primat de Hongrie, l'éminentissime cardinal archevêque d'Agram, le révérendissime prince-évêque de Salzbourg, primat d'Allemagne, les révérendissimes archevêques, princes-évêques et évêques d'Augsbourg, de Bamberg, de Bâle et Soleure, Brixen, Brunn, Budweis, Coire, Eichstætt, Fribourg en Brisgau, Fulde, St-Gall, Gratz, Gurk, Kœniggrætz, Leitmeritz, Leontopolis, Limburg, Linz, Marseille, Mayence, Munich, Paderborn, Passau, St-Pœlten, Ratisbonne, Rottenbourg, Spire, Strasbourg, Trèves, Wurzbourg

et traduit sur la 48e édition allemande par l'Abbé **M.-B. Couissinier.**

12°. X et 256 p. Deux éditions: l'une à 10 sgr. — 30 kr. — fr. 1. 15; en reliure anglaise 15 sgr. — 48 kr. — fr. 1. 80; l'autre à $7\frac{1}{2}$ sgr. — 24 kr. — 90 cts.; cartonnée, couverture imprimée, dos en toile $8\frac{1}{2}$ sgr. — 27 kr. — fr. 1.

Perillustris Domine Observandissime!

Acceptissimum habuit Sanctissimus Dominus Pius IX., te in Italorum etiam usum traduxisse germanicum sacrae historiae summarium a doctore Schuster concinnatum; cuius utilitatem complurium Episcoporum consensus, et in varias linguas conversiones commendarunt. Quamquam vero idem Sanctissimus Dominus gravissimis distentus Pastoralis sui muneris curis oblatum libellum legere nequiverit; scitissime tamen a te adiectas ei fuisse censuit crebras imagines, quae menti puerorum facilius et altius singula facta defigere valeant, iunctaque subsidio tabularum chronologicae et geographicae, unumquodque revocare ad proprium tempus et locum. Quamobrem me tibi gratulari iussit, ac paternam testari benevolentiam suam per nuncium Apostolicae Benedictionis, quam tibi peramanter impertitur.

Quo munere ultro libenterque functus, peculiaris quoque gratulationis meae, atque aestimationis testimonium tibi exhibeo, cui adprecor a Deo fausta omnia et salutaria.

Tui, Perillustris Domine Observandissime,

Romae, die 16. Mai 1868.

Addictissimus famulus
Franciscus Mercurelli,
Sanctissimi Domini Nostri ab Epistolis latinis.

Perillustri Domino Observandissimo
Domino Beniamino Herder
bibliopolae editori Friburgum.

Approbation de Mgr l'évêque de Marseille.

Nous, Charles-Philippe Place, par la grâce de Dieu et du Siège apostolique évêque de Marseille, honoré du sacré pallium, assistant au trône pontifical.

Vu le rapport favorable qui nous a été fait par l'examinateur commis par nous sur la traduction française de *l'Histoire biblique* du Dr. Schuster par M. l'abbé Couissinier, prêtre de notre diocèse, joignons bien volontiers notre suffrage à ceux des éminents Prélats qui ont déjà approuvé le dit ouvrage. On ne peut qu'applaudir à l'idée de donner la suite de l'Histoire sacrée au moyen du texte même de la Bible, accompagné de notes explicatives. Ce livre nous paraît appelé à produire le plus grand bien.

Donné à Marseille, en notre palais épiscopal, sous notre seing, le sceau de nos armes et le contre-seing de notre secrétaire, le 26 novembre 1867.

† **Charles-Philippe**, évêque de Marseille.

Par mandement de Mgr l'évêque:
J. A. Gross, chan. secr. gén.

Jugements de la presse sur l'Histoire biblique par le Dr. Schuster.

Si maintenant nous jetons un regard sur l'ensemble de l'ouvrage, nous pouvons en toute conscience répéter ici le jugement qu'on en a déjà porté ailleurs: „Cette Histoire biblique n'est pas seulement comparativement la meilleure, mais en elle-même elle est si parfaite qu'elle répond pleinement à ce que les plus difficiles peuvent exiger. On peut affirmer, sans exagération, que c'est là un livre classique qui fera époque." (Journal littéraire catholique de Vienne.)

Ce petit livre est le mieux réussi de tous ceux qui, dans ce genre, m'aient jamais passé sous les yeux; puisse-t-il bientôt ne manquer plus dans aucune école! (Sion. Une voix dans l'Eglise, etc.)

Cet excellent livre, vrai phare pour l'enseignement de l'histoire biblique, répond entièrement à tout ce qu'on peut exiger sous ce rapport. Il fera certainement époque dans la littérature pédagogique. (Répertoire de la presse pédagogique.)

VIES DES SAINTS

PAR

ALBAN STOLZ,

DOCTEUR EN THÉOLOGIE, PROFESSEUR A L'UNIVERSITÉ DE FRIBOURG ET CONSEILLER ECCLÉSIASTIQUE.

TRADUITES DE L'ALLEMAND

ET ORNÉES DE CENT GRAVURES SUR BOIS.

OUVRAGE APPROUVÉ PAR MGR. L'ÉVÊQUE DE STRASBOURG.



Un volume in-4°. (978 p.) Prix : Thlr. 3. 10 sgr. — fl. 5. 15 kr. — 13 fr. 15 cts.; richement relié en basane gaufrée, Thlr. 5. 4 sgr. — fl. 8. 50 kr. — fr. 20.

Nous avons fait examiner l'ouvrage qui a pour titre : Vies des Saints, par M. Alban Stolz. Ce livre ne renferme rien de contraire à la doctrine de l'Eglise; Nous le croyons même très-propre à édifier tous ceux qui le liront.

Strasbourg, le 13 Août 1867.

† André, Év. de Strasbourg.

De toutes les Vies des Saints, que nous connaissions, il n'en est pas de meilleure, nous pourrions dire d'aussi bonne que celle que nous annonçons. L'auteur, Alban Stolz, professeur à l'Université de Fribourg en Brisgau, est sans contredit l'écrivain le plus populaire que possède de nos jours l'Allemagne. Ses ouvrages, tels que ses almanachs, son Pater, ses voyages, ses écrits polémiques sont arrivés rapidement à un nombre prodigieux d'éditions. Ils sont, sans

exagération, entre les mains de tout le monde. M. Stolz a consacré une longue carrière et un immense talent à la défense de l'Eglise; il a pris part à toutes les polémiques religieuses de notre temps et il a repoussé, sans se fatiguer jamais, toutes les attaques de l'impiété. Né en Allemagne et Allemand par l'idiome, M. Stolz est Français par les qualités du style. Il est clair, net, incisif parfois; il va droit au but. Aussi comme il sait intéresser! Quel charmant causeur! Malgré vous, il vous entraîne et vous ne déposez le livre que quand vous l'avez complètement achevé. Toutes ces qualités, l'auteur les a condensées, pour ainsi dire, dans une Vie des Saints qu'il a publiée il y a quelques années. C'est son chef d'œuvre, tout le monde en convient. On sait combien il est difficile d'écrire la Vie des Saints, et combien cette difficulté augmente quand il s'agit d'écrire pour le peuple. Que d'écueils à éviter! Que d'efforts pour intéresser! Quels soins pour le choix des détails! Voyez les Vies que nous possédons. Nous n'en voulons pas médire; nous sommes prêt à reconnaître leur mérite. Mais enfin sont-elles intéressantes? Possèdent-elles cette qualité précieuse entre toutes, qualité sans laquelle toutes les autres ne sont rien — celle de ne pas ennuyer? Or ce défaut, ce formidable écueil, M. Stolz vient de l'éviter, il en a triomphé totalement. Ses Vies sont pleines de verve, d'entrain, *d'humour* français; on dévore rapidement ces pages consacrées à la vie d'un Saint ou d'une Sainte. Une autre qualité, non moins précieuse, s'y trouve encore : ces Vies sont pratiques. Quand l'auteur, avec une verve incomparable, a exposé la vie du Saint, ses vertus, ses travaux, ses bienfaits, ses miracles, il s'arrête; puis, s'adressant au lecteur, il lui dit avec un charme, une bonhomie touchante: « Déposez maintenant votre livre, et demandez-vous ce que vous êtes disposé à faire pour imiter ce Saint, cette Sainte. Voyons un peu : n'y a-t-il pas telle bonne œuvre à faire, telle vertu à implanter, à développer dans votre cœur; tel défaut, tel vice à éviter ou à faire éviter? » C'est là un langage qui va droit au cœur; le lecteur est saisi, et rarement il fermera le livre sans avoir pris une résolution énergique de s'amender. Il n'est donc pas étonnant que ce livre ait obtenu un grand succès en Allemagne. On vient d'en donner une traduction dans notre langue. Aussi les encouragements n'ont-ils pas manqué : nous nous contenterons de citer les approbations de Nosseigneurs les Évêques de Strasbourg et d'Orléans, juges si compétents en pareille matière. Nous osons prédire un grand succès à ce livre; il sera non moins avidement lu de ce côté-ci du Rhin, et à bon droit il prendra place dans les bibliothèques chrétiennes, à côté de *l'Imitation,* du *Combat spirituel,* et de *l'Introduction à la vie dévote.*

Fribourg en Brisgau (grand-duché de Bade), 1870.

B. Herder, Éditeur.
Agence à *Strasbourg :* 18, place du Dôme.

Toutes ces publications se vendent chez les principaux libraires de Rome, Paris, Londres et New-York.

ACTA ET DECRETA

SACRORUM CONCILIORUM RECENTIORUM.

COLLECTIO LACENSIS.

ACTA ET DECRETA

SACRORUM CONCILIORUM RECENTIORUM.

COLLECTIO LACENSIS.

AUCTORIBUS

PRESBYTERIS S. J. E DOMO B. V. M. SINE LABE CONCEPTAE AD LACUM.





TOMUS PRIMUS.

ACTA ET DECRETA S. CONCILIORUM, QUAE AB EPISCOPIS RITUS LATINI AB A. 1682. USQUE AD A. 1789. SUNT CELEBRATA.

FRIBURGI BRISGOVIAE.
SUMTIBUS HERDER.
MDCCCLXX.

Imprimatur.

Friburgi Brisgoviae die XIV m. Februarii 1870.

† **Dr. Lotharius Kübel**
Episcopus Leucensis i. p. i. et Vicarius Capitularis.

Typis Herderianis Friburgi Brisgoviae.

PRAEFATIO.

Felicibus Sanctissimi Domini Nostri Pii IX. auspiciis Concilia jam in omnibus fere Ecclesiae partibus sunt celebrata maximumque religioni attulerunt decus ac fructum, quum et fidem catholicam mirabili consensu profiterentur, et disciplinam Summorum Pontificum decretis sacrisque canonibus congruentem stabilirent, et ingentibus nostri temporis malis remedia saluberrima opponerent. Quodsi viri docti antiquarum Synodorum canones tam pretiosum thesaurum putant, ut ad eum e bibliothecarum pulvere eruendum nullum laborem recusent: haud sane minoris aestimari debet coelestis illorum Conciliorum sapientia, quae nostra tempora, nostras necessitates, nostram vitam proxime attingunt. Unde id multorum desiderium exstitit, ut eorum acta decretaque colligerentur et collecta in universae Ecclesiae utilitatem ederentur.

Harum quidem Synodorum fere omnium canones typis sunt mandati, attamen exemplaria aut nulla jam veneunt, aut si quae in diversis terrae regionibus venalia habentur, vix et ne vix quidem conquiri et coëmi possunt: ut idcirco earum collectio nemini non opportuna videri queat. Accedit peculiaris nostrorum temporum ratio. Illas enim sapientissimas leges de habendis Conciliis ab Ecclesia sancitas, quae a compluribus saeculis videbantur jacere, nunc tandem rursus vigere ac florere conspicimus, nec dubitari potest, quin oecumenica, quam Summus Pontifex convocavit, Synodus morem hunc saluberrimum vehementer sit confirmatura. Quod si usu venerit, nihil certe Reverendissimis Episcopis, nihil eorum theologis accidere poterit optatius, quam ut in tot tamque praeclaris nostrae aetatis Conciliis, quorum acta et decreta haec collectio exhibebit, formam exemplarque intueantur, quod tute ac secure imitentur.

Neque ecclesiastici juris prudentiae minor ex hoc labore efflorescet utilitas: quae quum in sacris canonibus cognoscendis explicandisque proprie versetur, tamen ad recentiorum canonum fontes, quibus disciplina continetur nostro tempore vigens et a S. Sede Apostolica approbata, nondum potuit sine magna multisque insuperabili difficultate accedere, quia nemo adhuc repertus est, qui pretiosa haec documenta colligeret et ad publicum usum accommodaret. Idcirco in spem bonam adducimur fore, ut, quemadmodum historiae mirifice profuit fontium monumentorumque editio, ita ex recentiorum Conciliorum collectione juri canonico atque universae, quam illustrant, theologiae maximus utilitatis fructus exsistat.

Quid, quod et parochi et omnino sacerdotes in hisce Synodis permulta procul dubio invenient difficillimo muneri suo bene gerendo profutura, gravissimas dico sententias in decretorum

corpore velut succum et sanguinem fusas, saluberrima ad informandam clericorum vitam actionesque praecepta, denique altissimam divinarum rerum doctrinam atque sapientiam?

Et movebat nos quidem vehementer haec spes atque utilitas, ut opus tam difficile aggrederemur; verum diffisos nostris viribus sola fortasse nunquam perpulisset, nisi alia plura accessissent incitamenta. Provocabant enim multorum e Societate Jesu velut domestica exempla; hortabantur ii, quorum voluntati resistere nefas ducimus; impellebant, quos consuluimus, amici; spondebant et vero omni ratione praestabant operam suam ejusdem instituti socii fratresque, e quibus Josephus Esseiva, Gebhardus Raedler et Julius Huggle plurimum laboris ad hoc opus perficiendum contulerunt. Neque insignem plane caritatem fas est silentio praeterire, qua Rev. Dom. Pius Bonifacius Gams O. S. B., vir rerum Hispanicarum peritissimus, et Tarraconensium Synodorum decreta, et quaecumque ad eas cognoscendas pertinebant, amicissime nobiscum communicavit. Itaque non solum plurimorum studiis atque opera magnopere sumus excitati, edocti, sublevati, sed etiam divinae gratiae fiducia roborati atque adjuti. Ubi enim amica fraternaque concordia, *illuc misit Deus benedictionem suam.* Illud verissime dixerim, si quid boni in collectione nostra reperietur, id huic potissimum fratrum caritati, diligentiae atque subsidio esse tribuendum.

His igitur rationibus ducti et auxiliis adjuti, quum editionem recentiorum Conciliorum moliremur, mox perspeximus, iis paucas superioris saeculi Synodos esse addendas, ut, magnis Labbei et Harduini collectionibus completis et ad nostram usque aetatem perductis, facilis ad cognoscendas cujusvis temporis Synodos pateret aditus.

Ratio autem, quam, multis doctisque viris consultis, in nostro opere instituendo perficiendoque sequendam censuimus, si quaeratur, haec est. Collectio Lacensis omnia et sola Concilia recentioris aetatis continebit. Quare in ea neque illi erunt requirendi Episcoporum conventus, qui Concilia vere ac proprie dici non possunt, nec Synodi dioecesanae, praesertim quum horum coetuum et ingens sit numerus et minor auctoritas. Caeterum istam legem non ita nobis statuimus, ut nunquam ab ea idoneam ob causam recedendum putemus.

Nec ipsas literas et constitutiones Apostolicas referemus, nisi ad acta Conciliorum aliqua ratione spectent. Illis enim colligendis bullaria abunde sufficiunt, et qui paucas, caeteris omissis, referunt, non satis sibi videntur constare.

„Notarum et observationum parciores esse“ Labbeus, Cossartius et Harduinus voluerunt, id quod nobis certe multo magis concedendum existimamus, quum acta recentiorum Conciliorum omnia, quae ad eorum historiam illustrandam sunt necessaria, complectantur, decreta vero vix quidquam difficile intellectu aut variantem lectionem habeant. Sane Conciliorum editoris est, non privatorum lucubrationes, sed sacros canones lectoribus offerre.

Integritatem nostri operis in eo maxime ponendam esse ducimus, ut omnium Conciliorum omnia, quae quidem vim legis obtinuerint, decreta exhibeantur. Caeterum quod clarissimus Mansi non uno loco fecit, ut lectorem admoneret, in hujusmodi opere exspectandam non esse integritatem numeris omnibus absolutam: idem nobis faciendum esse intelligimus, ne plus promittere videamur, quam praestare possimus, etsi, ut supra diximus, ex Conciliis rite promulgatis nullum a nobis consulto praetermittetur. Scimus quidem, complura inter se similia esse, eademque saepe

in diversis argumenta tractari; sed haec similitudo et repetitio nos in eorum sententiam minime adduxit, qui idcirco quaedam Concilia omittenda esse censuerunt. Tantum enim abest, utilitate ut careat, ut et fidei unitatem et disciplinae, quae toties inculcatur, gravitatem ostendat. Quod vero potissimum est, omissis veris et justis Conciliis, non jam perstat collectionis integritas. Denique si historici in edendis monumentis nulla chronica, quamvis inter se sint similia, praeterire solent, nemo erit profecto, qui editorem reprehendat, quod pari religione ad unum omnia Concilia esse colligenda existimaverit. Etenim non hic de libro alicujus obscuri scriptoris, sed de sacris canonibus a Sede Apostolica approbatis agitur.

Sed rursus nemo, qui praecipuum hujus collectionis finem perspexerit, nobis vitio vertet, quod ea sola edenda statuerimus Concilia, quae in legem publicam transierint. Etsi enim id minime negligendum nobis videbatur, ut historiae studiosis ea, quae ad Synodorum cognitionem conferrent, suppeditaremus: nihilominus in collectione adornanda sacrae juris prudentiae et vitae ecclesiasticae utilitates potissimum spectavimus. Itaque nonnullas nostrae aetatis Synodos, quarum constitutiones Romae minime sunt probatae, praetermittemus; itemque Concilia Mexicanum IV. (a. 1771.), Limanum IV. (a. 1772. et 1773.) et Posoniense a. 1822., quorum leges nunquam rite fuerunt promulgatae, sed continuo in publicis archivis reconditae.

Acta quoque Conciliorum, minutiore tamen charactere, edemus, nisi forte longa, quae ad historiam cognoscendam nihil confert, caerimoniarum occurrit descriptio. Quin ex ipsis etiam Conciliorum appendicibus ea dabimus, quae in operibus pervulgatioribus non reperiuntur, plurimum tamen versa tantummodo in Latinum, si lingua vernacula conscripta fuerint, nec postulet rei gravitas, ut in utraque lingua edantur. Permulta autem acta Gallica in Latinum vertere supersedimus, quum omnes, quorum interest ea cognoscere, hanc linguam non nescire merito putentur.

Quod vero ad dispositionem operis attinet, ordo, qui dicitur chronologicus, nobis minime videbatur anxie servandus. Qui enim paulo attentius Concilia recentiora consideraverit, mox perspiciet, omnia facile ad certa quaedam genera posse revocari, quum eaedem locorum et temporum rationes similia decreta postularent. Jam vero recta ratio prohibet, quominus in rebus disponendis similia et connexa divellantur, quod tamen fieri necesse esset, si solum ordinem chronologicum in Conciliis referendis sequeremur. Quare non modo temporum, sed etiam locorum rationem habendam esse duximus. Ad quod alia praeterea causa non parum nos impulit. Nam sicut multos sacerdotes curatos integrum hoc opus empturos esse minime speramus, ita paucos fore nobis persuademus, qui suae quisque patriae Synodos recentiores sibi comparare non percupiant. Itaque proposito nostro convenire visum est hunc ordinem statuere:

Universum tempus, cujus Concilia edituri sumus, in duas partes dividimus, quarum alteram computamus usque ad Gallicam, quam vocant, revolutionem, alteram inde ad nostram usque memoriam. Paucas illius aetatis Synodos in duas, frequentes hujus in quatuor classes dispertimur. Totum vero opus, quantum conjicimus, sex tomis absolvetur, quorum duo priores continebunt Concilia ab an. 1682. usque ad 1789., sive (I. tom.) ab Episcopis Ritus Latini, sive (II. tom.) ab Episcopis Rit. Oriental. habita. Caeteri tomi Concilia, quae propiore tempore sunt celebrata, complectentur, et quidem III. tom. Concilia Americae septentrionalis et Imperii Britannici, IV. tom.

Concilia Galliae, V. tom. Concilia Germaniae, Hungariae, Hollandiae, VI. tom. Concilia Italiae, quibus accedent Synodi hoc ordine non contentae, denique, uti speramus, veluti supremum totius collectionis decus atque complementum, Concilium oecumenicum Vaticanum primum.

Hic igitur tomus omne illud tempus comprehendet, quod Synodorum restaurationem a Benedicto XIII. tentatam nuncupare possumus. Labbeus enim, Cossartius et Harduinus collectiones suas usque ad id tempus continuarunt, quo Synodi, exstincto illo, quod excitaverat Tridentinum, studio, jam nullae aut vix perpaucae celebrabantur. Prodiit deinde insigne Ordinis Praedicatorum sidus, praeclarus ille Pontifex, qui totus in eam curam incubuit, ut ex lege Tridentina Concilia in universa Ecclesia cogerentur; quamquam eventus parum ejus conatibus respondit, quum non solum in aliis regionibus, sed etiam in ipsa Tarraconensi provincia, quae Conciliorum frequentia caeteris una excelluerat, saluberrimus hic mos paulo post intermissus fuerit. Itaque hanc Synodorum per Benedictum XIII. instaurationem primi referimus, quum ex duodeviginti hujus tomi Conciliis collectiones a Coleto et Mansi concinnatae tria tantum exhibeant, neque omnium locupletissimus Synodorum syllabus (Migne, Encyclopédie théol. XIV, 1341 et seqq.) plus sex commemoret.

Caeterum, ut omnes secure e fontibus sacrorum canonum haurire possint, praecipuum nobis studium erit, ut opus nostrum, quam emendatissime fieri poterit, typis describendum curemus. Nec tamen orationem, sicubi vitiosa esset, ullo modo attingendam esse putavimus, sed summa fide decreta sic reddenda, uti a Conciliorum Patribus exarata fuissent; qua de re plura in fine hujus tomi dicemus.

Denique tum singulis voluminibus, tum universae collectioni indices adjiciemus, nec solum in iis obiter locum argumentorum indicabimus, sed ipsa decreta, etsi brevissime, exprimemus, ut alphabeticus habeatur conspectus theologiae et juris canonici, prout in Conciliis traduntur.

Ita nihil, quod quidem in nobis sit, praetermissum iri confidimus, ut nostra Synodorum recentiorum collectio et integra sit et emendata et ad usum quam accommodatissima.

Habes paucis, erudite lector, suscepti a nobis operis consilium et praecipua quasi lineamenta: quod opus ut piissima Mater sine labe concepta, cujus auspiciis coeptum est, adjuvando prosequi et ad felicem exitum perducere dignetur, nobiscum enixe precare.

In collegio B. M. V. sine labe conceptae ad Lacum d. 8. Decembris 1869.

G. Schneemann S. J.

NOTA. Commentarii, versiones, indices, notae, quae asterisco * notantur, et verba, quae uncinis [ ] includuntur, a nobis addita sunt; plurimis tamen locorum notationibus pauca, quibus expressiores fierent, sine hujusmodi signis adjecimus. Lunulae cum cruce (†) innuunt, verba sic inclusa redundare. *SS.* ante *Pontifex* significat *Summus*, ante caetera vero vocabula *Sanctissimus*.

PROLEGOMENA IN ACTA ET DECRETA CONCILIORUM,

QUAE AB EPISCOPIS RITUS LATINI AB A. 1682. USQUE AD A. 1789. SUNT CELEBRATA.

Sacram Tridentinam Synodum provincialia Concilia singulis saltem trienniis congregari jussisse, nemo est, qui ignoret. Tantum vero abfuit, ut ea lex, quamvis sapientissima, ob temporum difficultatem unquam communem in usum reciperetur, ut, si una Tarraconensis provincia excipitur [1], primo post Concilium evoluto saeculo, paene videretur obliterata [2]. Interea Petrus
a Franciscus, ex celeberrima Ursinorum gente a. 1649. ortus, illustriori vero Praedicatorum familiae d. 13. Febr. a. 1668. adscriptus, qui postea Summus Pontifex renuntiatus, Benedicti XIII. nomine tantopere inclaruit, jam antequam Apostolicam conscenderet Sedem, nihil non egit, ut antiquum morem horum conventuum saepius celebrandorum instauraret [1]. Nam, a Clemente X. a. 1672. Cardinalis, ab Innocentio XI. a. 1685. Archiepiscopus Beneventanus creatus, bis (a. 1693. et 1698.) Concilium provinciale, dioecesanam Synodum trigesies octies convocavit. Ad quam convocationem quae eum impulerint
b causae, ipse declarat his verbis: *Quum in sacro Tridentino Concilio provincialem Synodum pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis aliisque ex sacris canonibus permissis quolibet saltem triennio cogendam decretum fuerit: Nos assidue in ea cogitatione versati sumus, ut tanto oneri humeris nostris imposito satis, quoad ejus fieri posset, ac quam primum licuisset, faceremus, ut tantum Provinciae nostrae beneficium, usque ab anno 1656. a Praedecessoribus nostris variis de causis intermissum, tandem aliquando exhiberetur. Quocirca Metropolitanam Ecclesiam instaurare et Archi-*
c *episcopium nostrum augere in ipsis suscepti pastoralis muneris liminibus curae fuit; sed pla-*

---

[1] Gams, Series Episcoporum Ecclesiae cath. Ratisbonae 1870. pag. 2.

[2] *Synodus provincialis, praesertim in Italia, nimium rara est, adeo ut in hac parte praesens decretum* (Conc. Trid. cap. 2. sess. 24) *paene ab aula recessisse videatur* (Card. de Luca, Annotat. ad S. Conc. Trid. Disc. XXX. n. 1). Rarius tamen ea aetate Synodi provinciales aliis in regionibus habitae sunt, quarum *Synodica* nullius prorsus tum celebrati Concilii decreta exhibent. Videantur C. Peterffy, S. Concilia in regno Hungariae celebrata (Viennae, Posonii, 1742.), J. Hartzheim, Concilia Germaniae (Coloniae 1759. — 1790.), Dalham, Concilia Salisburgensia (Augustae Vindelic. 1788.), Blattau, Statuta synodalia archidioecesis Trevirensis (Augustae Trevir. 1844. — 1852.), Bessin, Concilia Rotomagensis provinciae (Rotomagi 1717.), Gousset, les Actes de la Province ecclésiastique de Reims (Reims 1842.—1844.), J. B. van de Velde et P. F. X. de Ram, Synodicon Belgicum (Mechliniae 1829.), Decretales SS. Pont. pro regno Poloniae et const. Synod. prov. et dioec. regni ejusdem (Posnaniae 1869. p. 1.), D'Abreu, Bosquejo historico de Goa (Nova-Goa 1858.). Joannes vero Tejada y Ramiro in locupletissima sua collectione Conciliorum Hispaniae et Americae (Madrid 1859.—1868.) Tarraconensia tantummodo Concilia ex illa aetate commemorat.

Claudius Fleury quoque testatur, ultimum Concilium provinciale, quod in Gallia sit celebratum, Burdigalense a. 1624. fuisse. Idem auctor: *Non video,* inquit, *Synodos provinciales, defuncto S. Carolo, in Italia esse coactas. Qua de re minime miror. Curiae enim Romanae, cujus placita per totam Italiam praevalent, non interest, ut Episcopi totam suam potestatem exerceant. („Je ne vois pas que depuis lui (st Charles) il s'en soit tenu en Italie. Je ne m'en étonne pas. La cour de Rome n'a pas intérêt que les évêques exercent leur autorité tout entière, et ses maximes prévalent par toute l'Italie."* Discours sur l'histoire ecclés. X, 19.) Edit. de M. Emery. Paris 1807. Oeuvres de Fleury. Edit. de M. Aimé-Martin. Paris 1843. p. 424. n. 4.) At his verbis male de re, quam ignorat, Curiam Romanam reprehendit. Quantopere enim Sedes Apostolica Synodos illas foverit, postea ostendemus. Hic adnotasse sufficit, complura concilia, etiam defuncto S. Carolo, in Italia fuisse celebrata, v. g. VII. Conc. Mediolan., Conc. Firman. a. 1590., Aquilejense, Salern. et S. Severinae a. 1596., Amalph. a. 1597., Concilia Beneventana a. 1599. 1656. 1693. 1698., Conc. Capuan. a. 1603., Neapol. a. 1699.

[1] *Commemorare hic cogor piissimam et imitandam sollicitudinem Eminentissimi et Reverendissimi Dom. Vincentii Mariae Card. Ursini, Archiepiscopi Beneventani, qui .... hujusmodi Provincialia Concilia, in Italia fere obsoleta, frequenti celebratione restauravit in illa amplissima Provincia Beneventana admirabili totius Cleri profectu.* (Card. Petra, Commentaria ad Constitut. Apostol. Const. Honor. II. Sect. 1. n. 14). Eadem fere Alexander Borgia Archiepiscopus Firmanus, et Petrus de Tencin, Archiepiscopus Ebredunensis, de eo praedicaverunt.

cuit inscrutabili Divinae Majestatis consilio instaurata et erecta (terrae motu 5. d. Junii a. 1688. facto) *in ruinam et pulverem redigere. Quod Nos a cogendae Synodi ad eam convertit sollicitudinem, ut diruta et dejecta ab ipsis fundamentis restitueremus, prout, Domino dante, restituimus. Quapropter, ne tantum et tam enixe impositum onus diutius protraheretur, Provincialem Synodum hoc anno 1693 .... evulgandam jussimus*[1]. Haec ille. Ejus exemplum Cardinalis Cantelmus, amicus et vicinus Metropolita, imitatus a. 1699. Neapolim Concilium provinciale coegit.

Neque vero ardens illud Cardinalis Ursini studium non summopere Romae fuit approbatum. *Gavisus* enim *admodum* est Innocentius XII., quia *justam in spem adducebatur, fore, ut alii consimili in gradu constituti ad idem sollicite praestandum vehementer excitarentur*[2]. Nec minorem laetitiam Clemens XI. concepit ex *zelo,* quo Metropolita Beneventanus in id *incumbebat, ut provincialis Synodus congruis statisque temporibus cogeretur.* „*Compertum,* inquit, *Tibi esse volumus, Pontificiam Nostram erga Te benevolentiam hoc etiam nomine cumulari, quam Tibi luculentis documentis explicare, ubi suppetent occasiones, non omittemus.*“ Quibus verbis res a Clemente XI. gestae consentiebant. Etenim Concilia provincialia et in Albania et in Polonia ad res ecclesiasticas Albanensium et Ruthenorum componendas paulo post celebranda curavit. Cardinales vero S. Romanae Ecclesiae, quibus zelus Archiepiscopi Beneventani in convocandis Synodis apprime erat perspectus, magno consensu praeclarum Antistitem, quamvis invitum, Summum elegerunt Pontificem. *Ad quam Apostolicae Sedis altitudinem evectus, nihil antiquius habuit, quam ut illam saluberrimam Episcopalis muneris partem et ipse praestaret alacrius, et ceteris explendam vehementius commendaret primae Sedis exemplo.* Id igitur Pontificem *cumprimis dies noctesque sollicitavit, ut quantocius Episcoporum, qui Romana in peculiari Provincia sunt constituti, Archiepiscoporum insuper Suffraganeis carentium aliorumque Episcoporum et Abbatum, immediate Sedi Apostolicae subjectorum, qui alias sibi Metropolitanum, provinciali cujus Synodo*

[1] Edictum indictionis provinc. Synodi Beneventanae, d. d. 10. Jan. 1693.

[2] Literae Apostol. Innoc. XII. ad Card. Ursinum *Etsi de eximia.* d. d. 16. Jan. 1694.

a *interessent, non elegerant, almam in Urbem Concilium cogeret; hinc forte non desperans, ut Synodorum Conciliorumque usum, sicubi obsoletum, dum generalis juxta Tridentini Concilii mentem renovaret, ceteri quoque, Apostolicae Romanae Ecclesiae, cunctarum Ecclesiarum matris, exemplo ducti, Metropolitani scilicet in suis Provinciis et Episcopi in Dioecesibus, innovarent ac restituerent*[1]. Quod consilium exsecutus Benedictus XIII. Concilium Romanum in basilica Lateranensi a. 1725. celebravit, ibique *sacrorum canonum et praecipue Tridentini Concilii poenas innovando,* decrevit *et Metropolitanis omnibus in vir-*
b *tute sanctae obedientiae mandavit, ut ab eis annuas praeter Synodos dioecesanas provinciales etiam Synodi quolibet saltem triennio convocarentur et ad earundem Constitutionum formam omnino celebrarentur*[2]. Neque his contentus, Archiepiscopis quibusdam, praesertim iis, qui in ditione Status Pontificii erant, stimulos acriores addidit. Nam Antistiti Avenionensi *duplici Apostolica pagina*[3] sua vota expressit, eique a. 1725. obsequium praestanti *laetitiam* significavit *plane singularem*[4]. Deinde Alexandro Borgiae, Firmano Archiepiscopo, *septimo Idus Januarii a.*
c *1725. archiepiscopale pallium manibus suis imponens, nihil adeo commendandum duxit, quam ut provincialis Concilii celebrationem quam primum curaret*[5]. Cui supremi pastoris commendationi quum hic quoque studiose obtemperaret, praecipuae charitatis significationibus ab eodem cumulatus fuit[6].

Interea haud mediocrem Pontifici sollicitudinem injecerant dissensiones per Galliam exortae. Hic enim Jansenistarum factio, a magistratibus civilibus paucisque Episcopis adjuta, constitutioni Clementis XI., quae incipit: *Unigenitus,* oecumenico etiam appellato Concilio, cum gravissima
d Ecclesiae Gallicae perturbatione contumaciter refragabatur. Quibus malis Pontifex quae potissimum remedia opponenda judicaverit, ejus nos docent literae ad Patres Concilii Ebredunensis

[1] Literae indictionis Romani Conc. *Redemptor Noster.* d. d. 24. Dec. 1724.

[2] Conc. Romani tit. II, c. 2.

[3] Lit. indictionis Conc. Avenionensis d. d. 1. Sept. 1725.

[4] Literae Apost. Benedicti XIII. ad Archiep. Avenion. *Ex literis.* d. d. 8. Maj. 1725.

[5] Oratio Alexandri Borgiae Archiep. habita in prov. Conc. Firmano.

[6] Liter. Apostol. Benedicti XIII. ad Archiep. Firmanum *Quod episcopali.* d. d. 26. Jul. 1726.

datae [1]: „*Opportunum rati sumus, ut fidelium saluti per Episcopalem zelum caritatemque, opera, mandatis curisque Nostris instructam, pro tempore prospiceretur, et Episcopi, qui superiora Apostolica judicia parvi pendentes creditum sibi gregem corrumpere potius pergerent quam servare, per Coepiscoporum vigilantiam cogerentur pravitatem suam a seducendis ovibus continere. In hac igitur temporum gravitate, qua florentissimi Galliarum regni laborant Ecclesiae propter paucos Episcopos, Officii sui immemores et Apostolicis Constitutionibus detestabili pertinacia refragantes, quum nihil esse ad removenda scandala conducibilius reputaremus, omnem dedimus operam, ut habendis pro colenda firmandaque disciplina et contra Episcopos obedientiam detrectantes provincialibus Conciliis nulla objicerentur impedimenta: propterea venerabili Fratri Bartholomaeo, Archiepiscopo Atheniensi, Nostro atque hujus sanctae Sedis Nuncio, diligenter injunximus, ut apud Majestatem Christianissimi Regis ageret et instaret, ut, si quae occursarent, difficultates amoverentur, et celebritas illa Synodorum Gallicanarum, quae dudum per omnes Christi Ecclesias inclaruit, jam diu intermissa reflioresceret; eidem praeterea venerabili Fratri in mandatis dedimus, ut sedulo curaret ac niteretur, ut per Episcopales Conventus ab Ordine et Jurisdictione temere exercenda pervicaces Episcopi abstinerentur.*“ Itaque eodem anno 1725. Clerus Gallicus, in comitiis de more congregatus, supplici libello a rege petiit, ut sibi provinciales conventus agendi potestatem faceret. Verum, ut jam saepe alias, verborum officiis plenum, revera vanum atque inane tulit responsum: Regiam Majestatem omnem Conciliorum provincialium utilitatem bene perspectam habere et, si modo rationes, quae ejusmodi conventum necessarium ostenderent, Regio Consilio probarentur, Metropolitae petenti convocationem libenter concessuram. Haec fuit summa responsi; neque aliud tum quidem sperandum aut exspectandum fuit, quum praesertim regius Minister, Dux Borbonius, impudenti pecuniae exactione grave cum comitiis Cleri dissidium iniisset.

His difficultatibus Pontifex haudquaquam deterritus, privatis exhortationibus plus se apud Episcopos effecturum existimavit, ut, quod universis videbatur negari, id pro se quisque obti-
a nere conarentur. Degebat tum Romae Petrus de Guérin de Tencin, quem Rex Christianissimus negotiis suis ibi peragendis praeposuerat, dein vero, quum ipsi apprime esset carus et magna eruditionis virtutisque laude floreret, Archiepiscopum nominaverat Ebredunensem. Hunc ipse SS. Pontifex consecrare voluit, pallio insignivit, omnique officiorum genere ornatum vehementer demum cohortatus est, ut, ardentissimo cordis sui desiderio obsecundans, ad Synodum provincialem primo quoque tempore celebrandam sollicite animum adjiceret. Ille, tanta Pontificis benignitate non minus quam auctoritate permotus,
b ad arduum opus exsequendum omnem curam atque operam conferre coepit. Percommode autem interim contigit, ut, amoto Duce Borbonio, Cardinalis Andreas Hercules de Fleury primus constitueretur regis Minister. Hic enim, jam diu labefactatum Ecclesiae Gallicae statum miseratus, quum ab Antistite Ebredunensi cognovisset, velle eum, coacta Synodo provinciali, Joannem Soanen, Episcopum Senecensem, ad saniora revocare consilia vel, si id minus succederet, suspensionis poena coercere, ejus consilio libenter annuit. Nam inter Episcopos, qui a constitutione Apostolica *Unigenitus* ad Concilium oecumenicum
c appellaverant ob eamque rem cum suis asseclis *Appellantes* vulgo dicebantur, nemo Senecensem vel opinione virtutis et doctrinae vel tuendae factionis studio superabat. Jam enim a. 1714. constitutioni *Unigenitus* recenter editae in comitiis Episcoporum Parisiensibus refragatus, defuncto Ludovico XIV., usque eo temeritatis proruperat, ut cum tribus aliis Episcopis, libello appellationis ad Concilium oecumenicum d. 1. Martii a. 1717. vulgato, facultatem Sorbonicam et complures Antistites in eandem contumaciam induceret, eoque facto primus ingentem illam
d in Ecclesia Gallica procellam excitaret. Cujus rei tantum abfuit, ut eum postea poeniteret, ut a. 1719. et 1720. appellationem denuo confirmaverit. Neque sacrorum canonum quam Apostolicae auctoritatis majorem rationem habuit; nam duodecim juvenes Batavos, Jansenianis doctrinis imbutos et praeterquam presbyterorum schismaticorum, qui sibi nomen ac jura Capituli Ultrajectensis falso arrogaverant, nullis literis dimissorialibus instructos, *extra tempora*, nec servatis legitimis intervallis, sacerdotes ordinare non dubitavit. Denique, quod gravissimum fuit accusationis caput, anno 1726. instructionem pasto-

[1] *Bonam sobolem.* d. d. 17. Dec. 1727.

ralem promulgavit, in qua doctrinas ab Ecclesia improbatas aperte profitebatur. Atque haec praecipue causa Ebredunensem Metropolitam permovit, ut Synodum provincialem convocandam decerneret. Quo nihil sane fieri potuit SS. Pontifici optatius, qui, iteratis literis Archiepiscopo gratulatus eumque cohortatus, demum Synodi sententiam robore munivit Apostolico. *Fructum,* inquiebat, *sane uberrimum cepimus diuturnae sollicitudinis, qua pristinam Synodorum provincialium consuetudinem restituere ac promovere contendimus* [1]. Ipse de Ebredunensi conventu *faustissimum quemque successum ad majorem Dei gloriam et Ecclesiae religionisque utilitatem speravit, ... neque dubitavit, quin haec Synodus, quae procul dubio aliis quoque exemplo foret, pristinas et fructu exaequaret et gloria.* Summo igitur perfundebatur gaudio, quum, quot et quanti ex suis laboribus fructus, quanta ex Conciliis utilitas in Ecclesiam proventura esset, animo revolveret. Nam ut Ecclesia arbor est feracissima, quam Deus Antistitibus communi cura conjunctisque, in Synodis maxime, laboribus colendam tradidit: ita Ebredunense Concilium, quo post tot rerum vicissitudines primum studia contulerant Galliae Episcopi, veluti prima gemma Summo Pontifici spem fecit, fore ut arbor ingenita sua vi virtuteque divina pristinam deinceps florum funderet ubertatem,

Quotque in flore novo pomis se fertilis arbos
Indueret, totidem autumno matura teneret.
(Virg. Georg.)

At enim, — quae fallax est hominum spes et inanis saepe contentio ac labor, non fuit illa Synodus novi quasi veris nuntius, sed vacuus veluti flosculus, qualem tepido aliquando autumnali sole eductum primae statim noctis bruma perimit. Namque post Ebredunense Concilium nullum aliud in ditione regis Galliae celebratum est, nullum in caeteris Ecclesiae partibus ejus exemplo excitatum videtur; quinimmo in ipsa Tarraconensi provincia, quae huc usque omnium constantissime [2] usum Synodorum servaverat, paulo post id tempus haberi omnino

[1] Liter. Apostol. ad Patres Concilii Ebredun. *Bonam sobolem.* d. d. 17. Dec. 1727.

[2] Ibi saeculo XVI. et XVII. Concilia sunt celebrata annis: 1602. 1603. 1607. 1613. 1618. 1622. 1623. 1630. 1636. 1637. 1654. 1659. 1664. 1670. 1678. 1685. 1691. 1699. 1712. 1717. 1722. 1727. 1733. 1738. 1745. 1752. 1757. Gams, Series Episcoporum Eccl. cath. p. 2.

a desierunt; et, si Concilia quaedam Americae excipias: Mexicanum IV. a. 1771. et Limanum IV. a. 1772. et 1773., quorum decreta eadem regis Hispaniarum, Caroli III., voluntate, qua facta erant, ante eorum promulgationem inter imperii acta et instru enta sepulta sunt, Ecclesia per sexaginta annos nullum vidit provinciale Concilium.

Hujus rei aliae ab aliis allatae sunt causae. Illud autem ex simplici factorum enarratione elucet certissimum, S. Sedem, quantum in ipsa erat, effecisse, ut horum conventuum usus in Ecclesia vigeret. Quod ne ipse quidem Carolus
b Mauritius Le Tellier, Archiepiscopi Remensis Coadjutor, Romae tam aperte infensus, ut ejus amici Romae inimici haberentur [1], diffiteri potuit. Nam in congregatione generali Cleri Gallicani Pontaesiae anno 1670. celebrata: *Roma,* inquit, *Roma ipsa Episcopos, quum contra ipsius decretales et patrum nostrorum canones morem conciliorum tam sanctum interrupissent, semper reprehendit, nec se continere poterit, si Episcopi Galliae Synodos habuerint, quin illud in eis collaudet, quod nuper in S. Carolo Borromaeo consecravit* [2].

c Merito igitur Benedictus XIII., literis ad Archiepiscopum Ebredunensem d. 25. Oct. a. 1727. datis, jactatam in vulgus calumniam, hujusmodi coetus Sedi Apostolicae esse ingratos, refutavit. Immo vero illos ipsos, qui hoc mendacium confinxerunt, Conciliis non minus quam Apostolicis constitutionibus fuisse adversatos, facile ostendi vel ex iis potest, quae contra Concilium Ebredunense facta sunt; quae eo libentius referemus, quod actis Concilii non omnia

[1] Auctor quidam anonymus, ut ingenium Nicolai Cocquelin, S. Sedis juribus valde adversantis, uno verbo notaret
d Joanni Bapt. Colbert, Ludovici XIV. Ministro, haec scripsit: *Pour le désigner en un mot..., il est estimé de M. Le Tellier et est à lui.* (Gérin, Recherches historiques sur l'Assemblée du clergé de France de 1682. Paris 1869. p. 499.) Videantur ea quoque, quae hoc in libro de Carolo Mauritio Le Tellier leguntur p. 189. et seqq.

[2] Extrait du procès-verbal de l'assemblée générale du clergé tenue à Pontoise en 1670. Recueil des Actes, Titres et Mémoires, concernant les affaires du clergé de France. Paris 1758. t. I. col. 800. Quod autem Archiepiscopus, Regem in hunc modum alloquens, simul eos, „qui Romae blandirentur,“ invidiose carpit, quasi „vanos sermones“ contra Synodorum celebrationem spargerent, vehementer errat: quidni regis potius reprehendebat adulatores, qui *quatuor Episcoporum conventum extimescebant?* (Nouveaux Opuscules de Fleury p. 137. Oeuvres de l'Abbé Fleury. Ed. de M. Aimé-Martin. Paris 1843. p. 424, note 4.)

continentur, eademque ad illustrandam ejus historiam plurimum conferunt [1].

Vix primus exierat nuntius, hanc Synodum esse cogendam, quum universa *Appellantium* factio vehementer commoveri coepit. Quamquam enim in literis, quibus indicebatur, nulla aperte mentio fiebat ejus causae, quae ad eam convocandam maxime Metropolitam impulerat: communis tamen omnium vox erat, in hoc Concilio Ecclesiam et Sedem Apostolicam ab injuriis, quibus Senecensis eas affecerat, esse vindicandas. Itaque Laurentius Franciscus Boursier, Doctor Sorbonicus, veluti factionis princeps, nihil intentatum reliquit, ut ab amico Praesule imminentem ictum averteret. Ad eum igitur defendendum, memorialem libellum confecit, cui ut subscriberent, viginti advocatos Parisienses induxit. Dein duos theologos, Bourrey et Boullenais, Parisiis ad Episcopum misit, qui ejus causam in Concilio tuerentur eumque in male coeptis confirmarent. Qui tamen quum nondum Sacerdotes ordinati et Synodi Patribus plane incogniti pluribusque de causis vehementer suspecti essent, a Concilio non sunt admissi.

Nihilominus Senecensis aliquamdiu dubius haesit, utrum Ebredunum iret, an infirmae senectutis excusationem praetenderet. Nec vero inter amicos una erat sententia, aliis existimantibus, Episcopum, si quietus in sua dioecesi subsisteret, extra teli jactum futurum, aliis contra opinantibus, impavide adversariis occurendum; ipsum enim scientia et eruditione caeteros omnes antecellere, ut vel sola praesentia eos continere posset; ad haec virum summa senectute venerabilem qui laedere vellet, neminem fore, denique unum ei semper relinqui perfugium, quod, interposita semel appellatione ad futurum Concilium oecumenicum, provinciali Synodo de ejus causa caeterisque post illam appellationem gestis cognoscendi jus ademptum esset. Horum, etsi paucorum, consilio Episcopus obsequendum sibi existimabat et, obstinatione veluti caecus, minime animadvertebat, se ipsum sibi illud perfugium obstruxisse, quum, Instructione pastorali edita, paulo ante docuisset, penes Concilium provinciale esse causae suae judicium. Omnem vero dubitationem sustulerunt literae regio sigillo die

[1] Quae hic et infra de Concilio Ebredunensi commemorantur, hausimus ex Actis ipsius Concilii; Lafitau, Histoire de la Constitution *Unigenitus;* Journal historique du Concile d'Embrun par M.... [P. de Montaugan]; Alex. a S. Joanne de Cruce, Continuatio hist. eccl. Fleurii.

a 24. Maji a. 1727. obsignatae et paulo post ei traditae. Earum haec erat sententia: quum Regia Majestas Ebredunensi Archiepiscopo concesserit, ut provinciale Concilium celebraret et in eo, quae ad religionem et fidem spectarent, ageret: regem velle, ut ipse Senecensis Episcopus die ab Archiepiscopo praestituta eo se conferret et una cum aliis Praesulibus illas res ex norma s. canonum tractaret, nec ante Synodum finitam inde discederet. Quo regio mandato accepto, deliberationi haud ultra locus erat. Igitur die 2. Augusti a. 1727. iter est aggressus et die 11. ejusdem mensis ad oppidum Savinense, Ebreduno vicinum, de-
b latus constitit. Mox, accito tabellario, declarat, se Synodum et congregatos Antistites sui suorumque librorum judices non modo non agnoscere, verum etiam hocce publico instrumento recusare. Has literas sua manu subscriptas ad Metropolitam deferre tabellarium jubet; ipse, non exspectato responso, Ebredunum pergit et paucis post horis, equo vectus et viginti equitibus stipatus, urbem ingreditur. Nam ex ruricolis, quos in suas traxerat partes, delectos aliquot robustiores juvenes secum adduxerat, qui summo sibi honori esse jactabant, quod Praesulis sui victoriae
c et testes et socii esse possent.

Etsi tumultuarius hic Episcopi ingressus contumacis animi indicium plerisque videbatur, nihilominus tamen Archiepiscopus nullum praetermisit charitatis officium, quo Fratrem a pervicacia retraheret. Non solum enim illum ad communem secum habitationem ac mensam invitavit, sed et caeteris in rebus omni semper benignitate, mansuetudine ac modestia cum illo est usus. Nec minor erat aliorum Episcoporum caritas. Sistaricensis commemorat, se per tres hebdomadas quotidie ad senem accessisse et cum eo semper secreto comiterque sermones contu-
d lisse mutui amoris significatione plenissimos. In hisce familiaribus colloquiis Senecensis animum suum aperire coepit, neque negavit, in sua dioecesi, qui secum consentirent, esse perpaucos. Qua de re vehementer angebatur, praesertim quum ex sua ratione effici videretur, ut universa Ecclesia ad ipsum tantummodo et Monspessulanum Episcopum esset redacta: nam caeteros omnes, et ipsos quoque *Appellantes,* de fidei quaestionibus perverse cogitare [1].

[1] Lafitau, Histoire de la Constitution *Unigenitus.* Livre V. (Edit. Traject. 1791. t. II. p. 385.)

Hac igitur ratione Concilii Patres, quidquid religio amicitia et prudentia suggerebant, ut fratrem sibi atque Ecclesiae conciliarent, summa patientia tentabant, eumque visi sunt interdum commovere, flectere tamen obstinatum animum nunquam potuerunt, quod Appellantium factio creduli senis aures occupabat, nec desinebat modis omnibus ejus fovere contumaciam. Nam veriti, ne ille, sibi relictus, collegarum sermonibus et caritati ad extremum victus cederet, praeterquam quod duo eorum theologi veluti legati continuo apud eum degebant, crebro missis nuntiis, etiam literas a se concinnatas ad eum dederunt, quibus centum et viginti regulares aliique ecclesiastici viri subscripsisse ferebantur atque ea, quae ille fecisset, comprobasse.

Quae vero in ipsa Synodo gesta sunt, et infinitas Senecensis tergiversationes, quum in actis commemorentur, praetermittimus; illud indicasse hic sufficit, pertinacem Praesulem, quod nulla ratione a proposito dimoveri posset, Synodi sententia esse ab omni jurisdictione et ordinis exercitio suspensum. Quo damnato atque a rege in monasterium Benedictinorum *Casae Dei,* in Arvernia situm, relegato, dici vix potest, quae contra Synodum ejusque praesidem adversarii confinxerint, quae moliti fuerint. Innumerabiles libellos in vulgus spargere, ephemerides querelis, mendaciis, opprobriis replere, sollicitare magistratus civiles, Episcopos appellantes excitare. Ipse, ubi damnatum se vidit, literis ad omnes Galliae Episcopos dimissis, eadem commenta et mendacia recoxit, quae in Synodo prolata et luculenter refutata probare minime potuerat. Quod quidem manifestum indicium est, consuevisse eum quibusvis aliorum libellis, vix et ne vix quidem serio inspectis, subscribere. Hoc certe ipse aliquando Ebredunensi Metropolitae fassus est [1], hoc etiam Appellantes evulgarunt, quum fanatici illi, quos vulgus *Convulsionistas* vocabat, senili Senecensis imbecillitate ad approbanda nescio quae miraculorum simulacra et praestigias abuterentur.

Porro ejusdem argumenti, ac libelli ab eodem in Synodo prolati, fuit alius commentarius, quem, actis Concilii nondum evulgatis, a theologo quodam appellante compositum quinquaginta advocati Parisienses die 30. Oct. a. 1727.

[1] Vide literas Archiepiscopi Ebredunensis ad Ep. Senecensem d. d. 4. Jan. 1728. (V. infra append. Conc. Ebred.)

a subscriptione sua firmarunt. Iniquissimum sane et ab S. Ecclesiae disciplina alienissimum facinus, quod laici causidici rei ecclesiasticae sese immiscerent actaque Concilii, causa incognita, condemnarent. Nihilominus Appellantium factio commentarium illum, ingentibus laudibus ornatum, incredibili studio longe lateque diffudit. Neque eo contenta, duodecim Episcopos Appellantes induxit, ut et ipsi, actis Concilii nondum editis, nec Synodi Patribus ullo modo auditis, consimiles literas, a Boursier concinnatas et d. 28. Oct. 1727. datas, mense Martio a. 1728. regi per Ministrum Fleury tradendas curarent.
b Obstupuit hic vehementer tanta arrogantia ac temeritate, indignissimum nec tolerandum ratus, quod factiosi homines Synodum, cujus acta non vidissent, conviciis et criminationibus opprimere tentarent. Nihilominus literas regi tradidit, qui d. 28. Martii Comitem Maurepas Episcopis significare jussit: regi, sicut olim suo proavo, summopere displicere, quod, se nescio et invito, pauci Episcopi inter se conspirarent; nec satis se mirari posse, quod unius Senecensis querelas pluris haberent, quam sententiam a quindecim Episcopis contra eum dictam; denique quod ca-
c nonicum coetum, cujus sanctiones et a SS. Pontifice et a rege approbatas scirent, nec Synodi actis cognitis, nec interrogatis judicibus, impugnare non vererentur. Verum illi, regio responso minime territi, datis ad Comitem Maurepas literis, objectum sibi crimen diluere conantur, quibus non solum Synodi sententiam, sed etiam Apostolicam epistolam *Bonam sobolem,* qua confirmata fuit, indignis modis insectantur. His literis octo dicuntur subscripsisse Episcopi, qui pari temeritate jam d. 17. Martii coram senatus Parisiensis procuratore omnibus literis, bullis, brevibus, quibus acta Concilii Ebredu-
d nensis confirmarentur, publice ex juris formula intercedere et praesertim Romanae Curiae literas d. 17. Dec. a. 1727. editas *(Bonam sobolem),* quod praecipuas Ecclesiae et regni leges et Ecclesiae Gallicae libertates funditus everterent, incusare non dubitaverant.

Rex horum Praesulum ausus et quinquaginta advocatorum memorialem libellum regno non minus quam Ecclesiae perniciosos fore ratus, Episcopos Parisiis tunc degentes ad Cardinalem de Rohan convenire et, qua potissimum ratione tantum discidium componi posset, inter se deliberare jussit. Erant autem tres Cardi-

nales, quinque Archiepiscopi, duodeviginti Episcopi et quinque Episcopi designati, qui postquam crebro de his rebus privatim consultaverant, exeunte mense Aprili, praeside Cardinali de Rohan, generalem instituerunt conventum, quo ea, quae jam in privatis congressibus deliberata fuerant, definirentur. Ob eam rem ipse rex duodecim proposuerat quaestiones, quibus congregatos Antistites respondere jussit. Illi, rebus omnibus diligenter perpensis, die 8. Maji regi memorialem librum a se compositum tradiderunt, in quo sua ad quaestiones responsa his sex capitibus comprehenderant: a

1. Constitutionem *Unigenitus* tanquam Ecclesiae regnique legem esse acceptandam; b

2. Nec laicorum nec magistratuum civilium esse constituere, utrum aliqua definitio ab Ecclesia recepta esset necne, quoniam id factum dogmaticum esset, cujus cognitio ad solos spectaret Episcopos.

3. Declarationem regiam, a. 1717. factam [1], ideo solummodo esse editam, ut tempori deserviretur, quum fideles ea jam tempestate omnino ad recipiendam constitutionem *Unigenitus* compelli potuissent.

4. Inculcandum, quo sensu Pax, quae dicitur Clementina, formula ab Alexandro VII. praescripta et bulla *Vineam Domini* essent accipiendae [2]. c

5. Synodum Ebredunensem esse tuendam.

6. Provincialia saltem Concilia celebranda.

---

[1] Declaratione hac regia (5. d. Oct. edita) omnes de constitutione *Unigenitus* indeque exortis controversiis jussi sunt prorsus silere.

[2] Haec quum semper in historia et actis Concilii Ebredunensis occurrant, breviter explicentur oportet; quod ut rite faciamus, documentis potissimum publicis utemur. Innocentius X. propositiones quinque ex Cornelii Jansenii, Episcopi Yprensis, libro, cui titulus *Augustinus*, excerptas constitutione Apostolica *Cum occasione* d. 31. Maji a. 1653. damnaverat. *Quum autem nonnulli iniquitatis filii* Ecclesiam, etsi fieri non posset, ut in *juris quaestione* definienda falleretur, tamen in decidenda *quaestione facti* errare posse putarent d ideoque, *praedictas quinque propositiones vel in libro praedicto ejusdem Cornelii Jansenii non reperiri vel non in sensu ab eodem intento damnatas fuisse, asserere non reformidarent*, Alexander VII. constitutione *Ad sanctam* d. 16. Oct. a. 1656. *quinque illas propositiones ex libro Cornelii Jansenii*, cui titulus est *Augustinus*, *excerptas ac in sensu ab eodem Cornelio Jansenio intento damnatas fuisse declaravit.* Sensum vero intellexit libro illo expressum, non animo auctoris retentum. Verumtamen ne hac quidem constitutione *Jansenii haeresim, ad instar colubri tortuosi, cujus caput attritum est, in varios gyros et cavillationum deflexus euntem,* penitus exstinguere potuit. Quamobrem, literis *Regiminis Apostolici*, d. 17. Febr. a. 1665. datis, *formulam ab omnibus Ecclesiasticis subscribi districte mandavit,* qua jure jurando profiterentur, se *quinque propositiones ex Jansenii libro excerptas in sensu ab eodem auctore intento sincero animo damnare.* Cui mandato Apostolico omnes Galliae obsecundaverunt Episcopi; quatuor tamen Antistites Instructionibus, quae dicuntur, pastoralibus denuo *quaestionem* illam *facti* a *juris quaestione* in obedientia constitutionibus dogmaticis praestanda distinguere non dubitarunt. Tantam contumaciam ut puniret, Clemens IX., Ludovico XIV. consentiente, jam judices in Gallia nominaverat, quum, Ministris regiis et amicis quibusdam Episcopis sese interponentibus, reconciliationis via inita est eo pacto, *ut, omissa ac insufficiente judicata priori subscriptione, nova praestaretur ac imperaretur a quatuor Episcopis subscriptio, qua sine ulla restrictione quinque propositiones in sensu Jansenii damnarentur.*

Antistites igitur denuo formulae Alexandri VII. subscribunt, novaque hac subscriptione, SS. Pontifici acceptiore, Galliae Episcopos (qui utique simpliciter, nulla exceptione facta, subscripserant) se imitatos esse, literis d. 1. Sept. a. 1668. datis, SS. Pontifici significant. *Nam,* inquiunt, *quum in exsequenda decessoris Vestri de subscribenda fidei formula constitutione Gallicani Episcopi, nobiscum sensibus conjunctissimi, eam disciplinae formam amplexi sint, quam Sanctitati Vestrae acceptiorem fuisse intelleximus: nos, quibus nihil est antiquius quam paci et unitati consulere et nostram erga Sedem Apostolicam reverentiam testificari, non piguit eorum institutum imitari.* Quod quum Clemens IX. comperisset, hisce literis et formulae subscriptioni (quippe qua Episcopi *sincero animo* quinque propositiones Jansenii in sensu ab eodem auctore intento se damnare et ita jurare testati essent), Antistitum denique sponsionibus, qui de eadem sincera fide eum certiorem reddiderant, tandem fidendum ratus, regi scribit, se *in pura et simplici subscriptione formularii agnovisse quatuor Episcoporum obedientiam.* At fama Romam pervenerat, hos, quum subscriptionem in Synodis faciendam curavissent, processibus, qui dicuntur, verbalibus iterum distinctionem illam *quaestionum juris et facti* inseruisse. Quocirca magis eorum fidem SS. Pontifex explorare statuit. Quid vero deinceps factum sit, ipsius Clementis IX. verba nos edocent, qui d. 19. Jan. a. 1669. quatuor illis Episcopis haec respondit: *Etsi autem quaedam de hac re secus circumlata occasionem nobis praebuerant in tam gravi negotio serius procedendi (nam dictorum Praedecessorum nostrorum constitutionibus firmissime inhaerentes nullam circa formularium exceptionem aut restrictionem admissuri unquam fuissemus): in praesens tamen, quum nova et gravia istinc accepimus documenta verae et totalis obedientiae vestrae, qua formulario sincere subscripsistis, damnatis absque ulla exceptione aut restrictione quinque propositionibus in omnibus sensibus, in quibus a S. Sede Apostolica damnatae fuerunt,.... tribuere volumus hoc paternae benevolentiae nostrae argumentum.* Haec Episcoporum reconciliatio est Pax illa Clementina, quam Janseniani tantopere jactabant et, spretis omnibus ejus conditionibus, *in erroris sui patrocinium advocare temerario ausu non erubescebant,* quasi, annuente etiam S. Sede *praefatae formulae ab Alexandro VII. praescriptae subscribi licite posset etiam ab iis, qui interius non judicarent, praedicto Jansenii libro doctrinam haereticam contineri. Sparsis* igitur *undequaque scriptionibus ac libellis*, *exquisita ad fallendum arte compositis,* praesertim vero *casu* quodam famoso *conscientiae* Facultatis Sorbonicae doctoribus proposito, *non sine gravi Apostolicae Sedis injuria maximoque Ecclesiae totius scandalo docere non sunt veriti, ad obedientiam praefatis Apostolicis constitutionibus debitam non requiri, ut quis praedicti Janseniani libri sensum, in antedictis propositionibus damnatum*

Hunc igitur libellum Antistites die 8. Maji Ludovico XV. obtulerunt, additis simul literis, quibus contra illam duodecim Episcoporum appellantium epistolam et advocatorum memorialem libellum acriter invehebantur.

De quo advocatorum libello idem Episcoporum conventus jam die 4. Maji regi exhibuerat judicium, quod vocant doctrinale: in eo de Ecclesia, Conciliis, SS. Pontifice, Episcopis, de eorum auctoritate et judicandi forma, de bulla *Unigenitus*, de formularis subscriptione et appellatione ad futurum Concilium contineri propositiones temerarias, falsas, ad schisma tendentes, maximam partem ab Ecclesia damnatas, S. Sedi injuriosas, hierarchiae eversivas, de haeresi suspectas, immo etiam haereticas; atque eodem libello Synodum Ebredunensem temere et injuste impugnari cum magno detrimento auctoritatis regiae et reverentiae Episcopis ac SS. Pontificibus debitae.

Rex, ut votis Episcoporum cederet, die 10. Maji declaratione edita, poenas contra auctores libellorum, qui bullas in regno receptas impugnarent vel reverentiam SS. Pontifici et Episcopis debitam violarent, constituit; deinde die 8. Julii memorialem librum advocatorum, a Benedicto XIII. die 9. Junii jam condemnatum, suppressit. Praeterea non solum Episcopi Galliae amplius viginti contra eundem libellum scripserant, verum etiam Concilii Ebredunensis Patres, literis die 4. Aprilis datis, querelas et calumnias, quibus Synodus impetebatur, refutarant.

Interim Synodi adversarii, ex accepta clade ferociores effecti, ut gravibus factioni suae inflictis vulneribus mederentur, extrema quaeque tentabant. Itaque sacerdotem quendam, nomine Laporte, subornant, ut se Senecensis Episcopi vicarium generalem jactaret atque, ementita hac dignitate auctus, condemnati Episcopi dioecesim regeret. Qui palam comparere minime ausus, Castellanae (quod oppidum erat dioecesis Senecensis) sese abscondit, unde decreta quaedam edidit, quibus, Synodo Ebredunensi damnata, non solum procuratorem dioecesis, sed etiam vicarium generalem, quos Synodus constituerat, officio privatos omnique jurisdictione destitutos
a pronuntiavit. Neque eo contentus, temeritatis suae praesidium a civilibus magistratibus efflagitavit. Nam causatus, sine regio mandato Synodi decreta exsequi fas non esse, spretis S. Ecclesiae legibus, adversus Concilii sententiam Aquensem appellavit senatum. Qui insanis ausibus patrocinatus, ut bona reditusque ex Concilii sententia intercepta Episcopo restituerentur, praecepit. At rex supremi Consilii edicto die 2. Julii a. 1728. Aquensium sententiam rescindit atque in simulatum istum vicarium generalem inquirit eumque in carcerem
b conjicit. Quo facto, quum praeterea SS. Pontifex libellos et literas hominis condemnasset, tota dioecesis Senecensis legitimae auctoritati et constitutionibus Apostolicis se subjecit praeter moniales Salesianas coenobii Castellanensis, quae Galliam querelis repleverunt vel suis vel aliunde suggestis; mox tamen, in diversa monasteria dispersae, fere omnes ad officium redierunt.

Desperatae Appellantium causae Episcopus Senecensis subsidium petiit ex miraculorum atque *convulsionum* portentis, quibus tam inconsiderate fidem habuit, ut etiam Appellantes scriptis eum palam deriserint. Caeterum alii ex ea-
c dem factione hominem ab Ecclesia et civili republica justissimis de causis damnatum, qui se *Vinctum Domini* dictitabat, Sanctum celebrabant et Thaumaturgum. Ridendae profecto essent hujusmodi ineptiae, nisi infelix senex, catholicus quondam Episcopus, insanis hisce laudibus in sua pertinacia obfirmatus interiisset. Verum satis multa de his; apparet enim, restaurationem Synodorum provincialium, a Benedicto XIII. incredibili studio et labore tentatam, qui foverint, qui modis omnibus impediverint.

Una restat S. Sedis accusatio, quam catholici etiam auctores nonnunquam afferre solent,
d paucis refutanda. Nam Constitutionem *Immensa,* qua Sixtus V. acta Synodorum provincialium a S. Concilii Congregatione recognoscenda mandavit, earum celebrationi plurimum ajunt obstitisse. Verum hi auctores primum ignorant, jam ante a. 1588., quo Sixtus V. eam bullam edidit, communi usu illam decretorum recognitionem fuisse observatam, id quod ex ipsis Synodorum actis certo constat. Videantur acta Synodi provincialis a. 1577. Petricoviam coactae [1],

interius ut haereticum damnaret, sed satis esse, si ea de re obsequiosum, ut ipsi vocabant, silentium teneretur. Hanc vero affirmationem, qua *Ecclesiae illudebant* eamque *jurejurando decipiebant, et lata demum filiis inobedientiae sternebatur via ad fovendam silentio haeresim*, Clemens XI., constitutione *Vineam Domini Sabaoth* 16. Julii a. 1705. edita, penitus rejecit atque damnavit.

[1] Constit. Synod. Eccl. Gnesnensium. Cracoviae 1630. p. 403.

Conciliorum, Mediolani [1] a S. Carolo Borromaeo a. 1565. 1569. 1573. 1576. 1579. 1582. celebratorum, Synodorum a. 1567. et 1571. Beneventi a Cardinali Sabello habitarum [2]; Synodorum Gallicarum [3]: Rotomagensis (a. 1581.), Remensis, Burdigalensis, Turonensis, Bituricensis, Aquensis (a. 1585.); Conciliorum Belgicae et Germaniae: Mechliniensis [4] (a. 1570.), Salisburgensis (a. 1572.) [5]; Synodorum Hispaniae [6]: Valentinae (a. 1565.), Compostellanae (a. 1565.), Toletanae (a. 1582.), Limanae (a. 1582.) et Mexicanae (a. 1585.). Merito igitur Cardinalis Carafa, S. Congreg. Concil. quondam praefectus, a. 1586., constitutione Sixtina nondum edita, asseruit [7], *esse in more positum apud Patres Illustrissimos, qui Tridentini Concilii decretis interpretandis praefecti sunt, Synodos provinciales emendare.* Quod et doctissimus Assemani asseveravit, cujus verba haec sunt: *Ab hac proinde* (S. Congregat. Conc.) *Archiepiscopi et Episcopi, quotquot post Concilium Tridentinum in propriis provinciis Synodos collegerunt, approbari aut, si forte minus Concilio Tridentino concinerent, emendari postularunt synodalia sua decreta, priusquam promulgarentur* [8].

Ex quibus omnibus efficitur, nihil novi bulla *Immensa* a Sixto V. constitutum, sed morem ab ipsis Episcopis sua sponte inceptum et religiose observatum lege scripta fuisse sancitum. Et sane gravissimae rationes Episcopos induxerant, ut, *antiquae traditionis exempla servantes et ecclesiasticae memores disciplinae, ad Apostolicum approbarent referendum esse judicium, scientes, quid sedi debeatur Apostoli, a quo ipse Episcopatus et tota auctoritas nominis hujus emersit* [9]; nec officere potuit Synodorum celebrationi, quod et eorum decreta maxima roboravit auctoritate, et iniquas contumacium praecidit cavillationes, et imprudentes ne fierent canones, praecavit.

[1] Hardouin, Acta Conciliorum tom. X., col. 727. 757. 800. 946. 1094. 1138.

[2] Synodicon Beneventanum. Beneventi 1695. pag. 371. 381.

[3] Hardouin X, 1267. 1305. 1390. 1452. 1514. 1586.

[4] L. c. col. 1206.

[5] Dalham, Conc. Salisburgensia, pag. 556. 557.

[6] De Aguirre, Collectio max. Conc. Hispaniae tom. IV, p. 88. 221. 118. 257.

[7] Benedict. XIV., de Syn. dioec. XIII, 3, 7.

[8] De oratoriis domesticis, c. 3. n. 18. Ed. Romana 1770. p. 129.

[9] Ep. S. Innocentii I. ad Carthaginiensis Concilii Patres. Opp. S. Augustini. Ed. Benedict. tom. II. col. 635.

a Quam rationem nostri temporis experientia firmavit. Quando enim sanctius lex Sixtina est observata? nihilominus miram Conciliorum frequentiam nostra aetate vidimus. Immerito igitur Congregationes Romanae, a quibus decreta synodalia sunt recognoscenda, incusantur, quod Synodorum salutarem vim, ex mandato Christi ab Apostolis Ecclesiae insitam, impediverint, quum e contrario ipsae solae eam saeculo superiore exercuerint. Quid enim sunt aliud S. Romanae Congregationes nisi perpetuum quoddam Concilium, σύνοδος ἐνδημοῦσα, sempiternus Antistitum conventus secundum normam canonicam celebra- b tus, supremi Ecclesiae Pastoris *Senatus*, in quo, cum maxima sacrorum canonum peritia et fidei scientia, summa rerum experientia atque usus quasi per manus traduntur? Hic profecto Senatus haud minore jure, quam ille, qui in eadem alma Urbe quondam orbi Romano praesidebat, *princeps salutis mentisque publicae* [1] appellari potest.

Caeterum, qui tempus (1682—1789.), cujus Synodos hoc primo tomo exhibemus, attentius mente consideraverit, facile intelliget, cur Conciliorum frequentia saeculo superiore prorsus desierit, et ingentia Benedicti XIII. studia fuerint c in cassum. Civilis enim potestas nec principiis fidei se regi jam tum volebat, nec Ecclesiae auctoritati ulla ratione subesse; sed sanctam Matrem veluti ancillam habebat et modis omnibus, praesertim *placeto regio* et *appellationibus tamquam ab abusu*, vexabat. Ipsi florentissimae Ecclesiae Antistites ab initio hujus aetatis, in comitiis a. 1682. Lutetiae Parisiorum habitis, potestati civili, ecclesiasticam libertatem opprimere conanti, nimio plus indulserunt, nec satis constanter aliarum quoque nationum Episcopi eidem restiterunt: quid mirum, quod nequam illud saeculi ingenium, religioni et Ecclesiae tam d infestum, magis magisque dominari coepit ac demum in revolutione, quae dicitur Gallica, funestissimos fructus edidit? Quid mirum, quod, quo majora incrementa serviles corruptique mores ceperunt, eo pauciora fuerunt Concilia, quae disciplinam ecclesiasticam restaurarent et Ecclesiae jura ac libertatem defenderent? Neque horum temporum calamitates cogitantem ratio fugiet, cur divina permiserit providentia, ut saluberrimus Synodorum celebrandarum mos in Ecclesia vix non exstinctus videretur. Nam tri-

[1] Cicero, Har. respons. 27.

stissima illa aetate fieri jam non poterat ecclesiastica Synodus, quam antiquissima documenta nobis exhibent fieri debere *longe a palatio, ubi nec imperator praesto est, nec comes se ingerit, nec judex minatur, et ubi solus timor Dei ad omnia sufficit et Apostolorum institutiones.* Neglectis vero hisce Ecclesiae legibus, quid tandem boni fructus ex Conciliis sperari potest? Non modo nullam Ecclesiae pariunt utilitatem, sed etiam vehementem rerum perturbationem ciere solent.

Noli igitur mirari, benigne lector, si in prima parte collectionis nostrae tam paucas Synodos invenies; sed potius immortales Deo nobiscum gratias age, qui nostra aetate saluberrimos illos fontes rursus aperire iisque agrum Ecclesiae tam copiose irrigare ac fecundare dignatus est.

CONCILIUM PROVINCIALE

Quod Fr. Vincentius Maria Ordinis Praedicatorum, tituli S. Sixti S. R. E. Presb. Cardinalis Ursinus, Archiepiscopus Metropolita, Beneventi habuit Anno a Christo nato MDCXCIII. diebus XI. XIII. XVI. Mensis Aprilis.

[* In actis et decretis hujus Concilii edendis Synodicon S. Beneventanensis Ecclesiae (Ed. Benevent. 1695. p. 605 et seqq.) sequimur, collatione tamen facta cum secunda ejusdem libri editione Romana a. 1724. Concilium hoc in priore editione decimum tertium, in altera decimum quartum nominatur.]

EDICTUM

Indictionis Provincialis Synodi Beneventanae.

Fr. Vincentius Maria Ordinis Praedicatorum, Miseratione Divina Tit. S. Sixti S. R. E. Presb. Cardinalis Ursinus, S. Beneventanae Ecclesiae Archiepiscopus Metropolita.

Injunctum Metropoliticae servitutis officium a Nobis postulat, ut, quae aeternus Pontifex ad providum Ecclesiae suae regimen Sanctissimis Patribus nostris in Spiritu Sancto legitime congregatis inspirare dignatus est, ad ejus laudem et gloriam pro viribus exequi studeamus. Cum itaque in Sac. Tridentino Concilio Provincialem Synodum pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis aliisque ex Sacris Canonibus permissis quolibet saltem triennio cogendam decretum fuerit: Nos assidue in ea cogitatione versati sumus, ut tanto oneri humeris nostris imposito satis, quoad ejus fieri posset, ac quamprimum licuisset, faceremus, ut tantum Provinciae nostrae beneficium usque ab anno 1656. a Praedecessoribus nostris variis de causis intermissum tandem aliquando exhiberetur. Quocirca Metropolitanam Ecclesiam instaurare et Archiepiscopium nostrum augere in ipsis suscepti pastoralis muneris liminibus curae fuit; sed placuit inscrutabili Divinae Majestatis consilio instaurata et erecta in ruinam et pulverem redigere. Quod Nos a cogendae Synodi ad eam convertit sollicitudinem, ut diruta et dejecta ab ipsis fundamentis restitueremus, prout, eo dante, qui mortificat et vivificat, pauperem facit et ditat, humiliat et sublevat, restituimus. Quapropter, ne tantum et tam enixe impositum onus diutius protraheretur, Provincialem Synodum hoc anno 1693. ineunte in Epiphaniae festo pro 11. Aprilis mensis die evulgandam jussimus et evulgatam decrevimus, prout universae Provinciae nostrae innotuisse agnovimus. Deinde Reverendissimos ac Sanctissimos Fratres nostros comprovinciales Episcopos per literas ad unumquemque eorum datas certiores fecimus de ea celebranda, eosque auctoritate, qua fungimur, in Metropolitanam Ecclesiam nostram ad diem 11. Aprilis, festum S. Leonis Papae, convocavimus. Ut autem et reliquis omnibus, qui de jure vel consuetudine hujusmodi Provinciali Synodo interesse tenentur, ejus celebratio plenius innotescat, neve eorum quis ignorantiae excusationem praetendere vel se neglectum dicere


a possit, praesenti nostro Edicto universis et singulis Abbatibus, Commendatariis, Capitulis Cathedralium et cujuscunque dignitatis et gradus Clericis, quorum quacunque de causa intererit, etiam exemptis nulliusque Dioecesis, intra tamen fines Provinciae nostrae positis, significamus, indicimus ac denunciamus Provincialis nostri Concilii celebrationem sub poenis et censuris Ecclesiasticis a Sac. Canonibus adversus non accedentes latis atque decretis. Si qui vero (praeter eos, ad quos ex officio interesse spectaverit) sive ex reliquis Clericis sive ex laicis quibuscunque pro justitia consequenda, si forte quacunque de causa sese laesos existimaverint, accedere ad Concilium vel Procuratores mittere voluerint, id sibi licitum esse sciant. Quare his quoque, nec non Civitatum et Castrorum quorumcunque potissimum Dominis, quocunque dignitatis et gradus titulo fulgeant, ac Communitatibus caeterisque Provinciae nostrae, qui sua quomodolibet interesse putaverint, praefati Concilii celebrationem et insuper plenariam Indulgentiam a SS. P. N. Innocentio Pont. Opt. Max. omnibus Christifidelibus tum temporis nostram Metropolitanam visitantibus concessam significamus. Hortamurque, ut, donec indictus Synodi dies advenerit, assiduis interim precibus
b aliisque Christianae pietatis officiis a Patre luminum, qui iis, qui postulant a se, sapientiam dat omnibus affluenter et non improperat eis, impetrent, ut eam mittat Nobis de sede magnitudinis suae assistricem, qua consultationes nostras piosque conatus dirigente, optatos tantorum laborum fructus ad commune Provinciae bonum percipere valeamus; cujus rei gratia praesens Edictum in Cathedralium aliarumque Ecclesiarum insigniorum, etiam exemptarum et nullius Dioecesis, si quae sint, Provinciae nostrae valvis affigendum promulgandumque mandavimus; cujus affixio et publicatio ita omnes et singulos, qui in eo comprehenduntur, adstringat, ac si nominatim illis intimaretur. In quorum fidem hoc ipsum edictum conficiendum, per Nos et Secretarium nostrum subscribendum et nostri sigilli impressione muniendum decrevimus.

Datum Beneventi ex nostro Archiepiscopio die 10. Januarii 1693.

Fr. Vinc. Maria Card. Archiep. Metrop.
Locus † sigilli.

J. Foderus Secretarius.

Decreta: 1. de inchoanda Synodo; 2. de ratione vivendi in Synodo et aliis in eadem servandis; 3. de Ministris Synodalibus; 4. de praejudicio non afferendo; 5. de non discedendo; 6. de Patrum vocatione; 7. de professione fidei, et de caeteris hujusmodi habentur in Actis, quae in Archiepiscopali Archivo servantur. Ordo autem singulorum dabitur brevi Methodo, quae in calce hujus Synodi apponetur.



CONSTITUTIONES SYNODI PROVINCIALIS BENEVENTANAE.

Fr. Vincentius Maria Ordinis Praedicatorum, Miseratione Divina Tituli S. Sixti S. R. E. Presbyter Cardinalis Ursinus, S. Beneventanae Ecclesiae Archiepiscopus Metropolita, de consilio et assensu Reverendissimorum Dominorum Coepiscoporum nostrorum, qui ad Dei gloriam et honorem in hanc Provincialem Synodum convenerunt, haec statuimus et sancimus.

TITULUS I.

De Summa Trinitate et Fide Catholica.

CAP. I. Fidei professio Dioecesanis Synodis, cum primum habendis, ab omnibus, qui in vim Trid. Conc. tenentur, juxta Constitutionem Pii PP. IV. emittatur.

In Nomine Sanctae et Individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Sacrosanctam Catholicam Fidem, solidum illud fundamentum, praeter quod nemo aliud ponere potest, et super quo omnis aedificatio constructa crescit in Templum Sanctum in Domino, integram inviolatamque in nostra Provincia ab omnibus tenendam sollicito studio curantes, ut et iis, qui in ea firmi et stabiles sunt, confessio fiat ad salutem, omnes nostrae Provinciae Episcopi cuncta, quae de Fidei professione praestanda Sacri Concilii Tridentini decreto [1] et Pii Papae IV. Constitutione [2] statuta sunt, exsecutioni diligenter demandent et Dioecesanis Synodis, primo quoque tempore habendis, eandem Fidei professionem juxta formam ab ipsomet Pio IV. praescriptam, quam ante omnia nos quoque cum Coepiscopis nostris praestitimus, emittant et ab aliis faciant emitti.

CAP. II. Ludimagistri, ni fidei professionem praestent, a docendi exercitio suspendantur: contumaces Anathemate cohibeantur.

Cum non minus fidei et vitae quam doctrinae et scientiae laude Ludimagistri pollere debeant: nemo id muneris publice vel private suscipiat, nisi prius ab Episcopo examinatus et probatus fidei professionem in ejus manibus praestiterit. Si quis autem scholas exerceat, etiam si prima Grammaticae rudimenta doceat, et fidem profiteri renuerit: ab scholae exercitio sit suspensus et, si contumax fuerit, excommunicationis poena coerceatur.

CAP. III. Verbi Dei praedicatio, Episcoporum propria, eisdem commendatur.

Episcopis, qui in Apostolorum locum successerunt, haec Sancta Synodus in mentem revocat Apostolicum
a illud effatum: *non est aequum, nos derelinquere verbum Dei et ministrare mensis;* ex quo colligant, primam et maximam Pastorum curam esse Verbi Dei praedicationem, levi de causa aut quodam animi languore non praetermittendam. Hujus siquidem praecipui officii praetermissi ea ratio reddenda est, ut Apostolus, tot tantisque pro Christo laboribus exantlatis, exclamarit: *Vae mihi, si non evangelizavero.* Cujusmodi reatu maxime adstringuntur, qui ante Episcopatum Concionatores iique illustres erant, illustrissimi in Episcopatu ob dignitatem facti obmutuerunt, ita ut de eis dici valeat: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus.*

b **CAP. IV.** Episcopi in solemnioribus concionantes, septem, si fieri potest, Diaconibus stipentur.

In solemnioribus, in quibus Episcopi pontificaliter celebrant et post decantatum Evangelium populis suis concionantur, ex Evaristi Papae constitutione, quae incipit: *Diaconi* [1], septem sint Diaconibus, si fieri potest, stipati, ut dicendorum gravitas et dicentis majestas eniteant, quemadmodum in hac Metropolitana consuetum deprehendimus. Diaconi vero ad id muneris exsequendum praesto sint; ad hoc enim septem in unaquaque Civitate esse debere, Sanctorum Patrum sanxit auctoritas.

CAP. V. Parochi Doctrinae Christianae rudimenta edoceant,
c adhibito Card. Bellarmini libello. Methodus rem agentibus, poena negligentibus proponitur.

Episcoporum exemplo animarum Rectores admoniti, suas plebes erudient singulis Dominicis festisque diebus, qui Ecclesiae praecepto agi solent, in quibus populum quoque et maxime pueros Christianae Doctrinae imbuent rudimentis, una eademque docendi methodo servata, quam Cardin. Bellarminus edidit et sanct. mem. Clemens Papa VIII. tenendam suis hortationibus exhibuit. Illis vero, qui oscitanter agunt, Episcopi, ut serio incumbant, methodum a Sancta Synodo probatam et in calce Constitutionum apponen-

[1] Sess. 25. de reform. cap. 2.
[2] Ann. 1564. Const. 88. *In sacrosancta.*

[1] C. *Diaconi.* 11. dist. 93.

dam, servandam proponant; quos autem negligentes compererint, omnibus remediis opportunis, a Sacro Concilio Tridentino [1] signanter permissis, omnino compellant.

CAP. VI. Doctrinae Christianae Confraternitatum institutio et aggregatio commendatur.

Et ut rem tanti momenti facilius et fructuosius expediant, hortatur Sancta Synodus Episcopos omnes, ut in Civitatibus et Oppidis Confraternitatem instituant, Archiconfraternitati Doctrinae Christianae de Urbe aggregandam, tum ut inde salubres constitutiones a S. M. Paulo PP. V. confirmatas et fel. record. Innocentii Papae XI. auctoritate rursus publicatas accipiant, tum ut indulgentiarum thesauro ab eodem ejusmodi Confratribus concesso die 7. Octobris 1607. [2] perfruantur.

CAP. VII. Sacrae Scripturae lectio demandatur: ejus materies, tempus et hora Episcopis remittitur.

Animarum utilitati et saluti Sancta Synodus prospiciens mandat, Sacrae Scripturae expositionem et interpretationem, in Civitatibus praesertim populosis, ad tenorem [3] Sacri Tridentini Concilii omnino habendam. Tempus vero, horam et materiem exponendam Episcoporum remittit arbitrio.

CAP. VIII. Iis, qui sunt in quasi possessione Concionatores Quadragesimales praesentandi, dies SS. Epiphaniae praescribitur, ultra quem, expensarum onere non praesentantibus relicto, jus ad Episcopum devolvitur.

Ut Quadragesimales Concionatores possint ab Episcopo ad optatum animarum profectum probari, Universitatibus caeterisque existentibus in quasi possessione praesentandi Concionatores ob legitimum praescriptum tempus Episcopus praefigat terminum ad praesentandum per totum diem SS. Epiphaniae, quo elapso, et praesentatione non facta, jus nominandi pro illa vice ad ipsum Episcopum devolvatur, et Universitates caeterique praedicti nihilominus teneantur expensas subministrare juxta solitum.

TITULUS II.

De Constitutionibus.

CAP. I. Patrum decretis insistendum.

Imprudentiae in sacris eloquiis arguuntur, qui prudentiae suae innixi, relictis Patrum decretis, ea agunt, quae sibi agenda videntur; quapropter et Provincialium et Dioecesanarum Synodorum frequentia et, quod caput est, observantia commendantur.

CAP. II. Provinciale Concilium post sex menses in Synodo Dioecesana evulgandum: evulgatum post tres menses universam arctat Provinciam. Quidquid dubitationis exoritur, ad Metropolitam deferendum.

Provincialis itaque Concilii Constitutiones et De-
a creta, quae universam respective Provinciam arctant et adstringunt, Episcopi in suis Dioecesibus infra sex menses [1] a die completae impressionis omnino evulgent. Omnes vero, qui in nostra Provincia degunt, hujusmodi decreta post tres menses ab eorum in Cathedralium valvis affixione sub poenis in eisdem contentis observare tenentur; et si quid dubitationis aut ambiguitatis circa ea exoriri contigerit, ad Metropolitam interpretandum explicandumque ex auctoritate hujus Sanctae Synodi deferetur; quam explicationem et interpretationem omnes sequi tenebuntur, donec aliud Provinciale Concilium habeatur.

CAP. III. Dioecesana Synodus ad Tridentini tenorem cogenda
b Capituli consilio, non consensu indiget. Simplicium beneficiatorum vox neque pro Iudicibus et Examinatoribus requiritur. Cum de morum reformatione agitur, Clerici omnes accedere tenentur.

Quilibet Episcopus Dioecesanam Synodum ad Sacri Tridentini Concilii [2] praescriptum cogat, ut omnes ac singuli, qui de jure vel consuetudine tenentur, ad eandem conveniant. Pro Dioecesanis vero Synodalibus Constitutionibus edendis, Capituli tantum consilium, non consensus debet exquiri. Simplices autem beneficiati nullam, neque pro confirmatione Judicum et Examinatorum Synodalium, vocem habent; qui tamen una cum reliquis Clericis regulariter accedere debent, quoties vel de reformatione morum, vel de re ad Clerum pertinente, vel de notificandis decretis
c in Provinciali Synodo factis tractatur.

CAP. IV. Synodus pro rei majestate methodice fiat: pro utilitate non vetera tantum, sed et nova de Patrum thesauro proferantur.

Qui singulis annis, ut debent, et ut in nostra Provincia consueverunt, Dioecesanam Synodum celebrant, serio monentur, ne hujusmodi actio, quae inter primarias Pontificales functiones refulget, perperam agatur, neve ad solam alicujus antiquae Synodi confirmationem et Cathedraticum exigendum absque ulla methodo ulloque congregatorum profectu habeatur; sed libri Pontificalis ordine servato, vel antiquae Synodo aliquid de novo addatur, cum, quae pastorali ani-
d madversione indigeant, in dies emergant, vel, quae frequentiora sunt, ex ea legantur et ab Episcopo explanentur.

CAP. V. Capitula statutis carentia infra sex menses condita Episcopi judicio submittant.

Capitula, quae statutis carent, ne ut naves fluctuantes quovis vento circumferantur, infra sex menses ea condant [3] et suis Episcopis examinanda deferant et probanda.

---

[1] Sess. 24. de reform. cap. 4.
[2] Constitut. 36. *Ex credito nobis.* d. 6. Oct. 1607.
[3] Sess. 5. de reform. cap. 1.

[1] C. fin. dist. 18.
[2] Sess. 24. de reform. cap. 2.
[3] Ex gloss. in cap. 1. de his, quae fiunt a majori parte Capituli (III, 11).

TITULUS III.

De Rescriptis.

CAP. Unicum. **Literarum Apostolicarum abusio tollitur, rectus usus executoribus praescribitur.**

Quia nonnulli diversis modis literis Apostolicis abuti in Provincia nostra comperti sunt, perniciosis hujusmodi abusibus Sancta Synodus occurrens praecipit, ut Apostolica Rescripta, praesertim in forma *Significavit* ab Executoribus non alterentur: sed iisdem prorsus verbis promulganda tradantur, tum sensu ipso et sermone religiose servatis, tum Capitibus in ipsis rescriptis non expressis minime admissis, dummodo non adsit clausula: *latius arbitrio tuo vel significantis.* Si secus fecerint, cum lata excommunicatio pro non expressis nulla sit, revelationes non recipiantur; quod si illiteratorum et idiotarum captui consulendum sit, rescripta eadem ex Latina in Italicam sive maternam linguam convertere procul dubio licebit.

TITULUS IV.

De Consuetudine.

CAP. I. **Consuetudo Ecclesiis Ecclesiasticisque personis et bonis onerosa, corruptela censenda est.**

Cum non tam consuetudo quam corruptela merito sit censenda, quae profecto sacris est Canonibus inimica: hujusmodi esse consuetudinem omnem, non solum quae Ecclesiis est onerosa, verum etiam quae Ecclesiasticis personis earumque juribus, bonis et fructibus praejudicialis existit, corruptelam nempe ideoque nullam et irritam, omnibus liquido constat [1].

CAP. II. **Cerei et Cineres benedicti praesentibus distribuantur: absentibus, si ob tributum et fastum domum delatos velint, denegentur.**

Illud denique impietati, nedum corruptelae proximum est, ut, quae ad Dei cultum instituta sunt, nonnulli in tributum velint et, quae humilitatis insignia prae se ferunt, in fastum converterint. Ii sunt, qui cereos in die Purificationis Beatae Mariae Virginis pro associanda processione Sacerdotis precibus delibutos cineresque in capite jejunii benedictos in Ecclesia non recipiunt: sed domum delatos exposcunt. Idcirco Rectores quicunque ab hujusmodi delatione prorsus abstinere, nec praefatos cereos nisi iis, qui processioni interfuerint, nec sacros Cineres nisi iis, qui ad Altare humiles accesserint, tribuere admonentur.

TITULUS V.

De temporibus Ordinationum.

CAP. I. **Statis temporibus et publice in Ecclesia, praesentibus Canonicis, necnon saltem aliquando solenniter Sacrae Ordinationes habeantur.**

Ipsa rei dignitas exposcit, ut ordines tum non
a aliis quam statutis a jure temporibus et tunc publice in Ecclesia Cathedrali, vocatis et praesentibus Canonicis [1], tum solenniter, saltem aliquando et, cum frequentior ordinandorum est numerus, conferantur.

CAP. II. **Pontifex omnibus pontificalibus indutus sacros ordines conferat.**

Advertant Episcopi omnia Pontificalia induere, cum sacros ordines conferunt: magnis enim referta sunt Sacramentis ad hujusmodi functionem pertinentibus.

CAP. III. **Super temporum interstitiis, causa cognita, dispensetur, praesertim a Diaconatu ad Presbyteratum. Quae autem sit utilitas, quaeve necessitas, ostenduntur.**

Quia vero ii promovendi sunt, qui pie et fideliter
b in ministeriis anteactis se gesserant, ad hoc dignoscendum temporum interstitia sancita sunt. Caveant igitur Episcopi, ne super hujusmodi interstitiis dispensare audeant, nisi causa, quae est Ecclesiae necessitas vel utilitas, prius cognita et diligenter perpensa, praesertim si de interstitiis a Diaconatu ad Presbyteratum agatur, ad quae dispensanda necessitas simul et utilitas Ecclesiae requiruntur [2]. Utilitas est, quando Ministrorum exiguus numerus ad sufficientiam augetur; necessitas vero, quando non solum pauci habentur Ministri, sed etiam quando idonei et non idonei deficiunt.

CAP. IV. **Primam tonsuram cum minoribus: et minores ordines cum Subdiaconatu eadem die conferre illicitum est.**

c Advertant denique Episcopi, quod eadem die nec primam tonsuram cum minoribus, nec minores ordines cum Subdiaconatu conferre licet [3].

TITULUS VI.

De aetate, qualitate et ordine praeficiendorum.

CAP. I. **Discretionis anno minores prima tonsura non initiandi.**

Cum prima tonsura initiandi, fidei rudimenta edocti, legere et scribere scire debeant, de quibus probabilis conjectura sit, eos, ut Deo fidelem cultum praestent, hoc vitae genus elegisse: in ea aetate sint oportet, quam ejusmodi postulat eruditio, et in qua status Clericalis obligationes et dignitatem probe norint.
d Idcirco Sancta Synodus discretionis anno inferiores non initiandos hortatur, cum in ea aetate ne celebranti quidem Sacerdoti valeant inservire.

CAP. II. **Vocatione ad Clericalem statum sex mensium spatio explorata, alia requisita ad praescriptum serventur.**

Praeterea eorum propositum et vocatio per sex menses antecedentes exploranda sunt, ut dignosci possit, utrum in veritate ad fidelem Deo cultum praestandum, an vero temporalis commodi causa initiari desiderent; quod vero ad alia pertinet pro tonsuran-

[1] Ex constit. 270. Urbani VIII. *Romanus Pontifex.* d. 5. Junii 1641.

[1] Conc. Trid. sess. 23. de reform. cap. 8.
[2] Conc. Trid. sess. 23. de reform. cap. 14.
[3] C. *Cum.* H. 2. de eo, qui ordinem furtive suscepit (V, 30).

dis requisita, a decreto Sacrae Congregationis Cardinalium negotiis jurisdictionalibus Regni Neapolis praepositorum, de speciali ordine Gregorii Papae XV. emanato [1], ne latum quidem unguem discedatur.

CAP. III. Modus in Clericorum numero adhibendus.

Quamvis Ministrorum numerum augere ad Divini cultus pertineat incrementum [2], sunt tamen non pauci, qui Clericali militiae dant nomen praetextu quidem Deo inserviendi, sed re vera, ut seculare judicium declinent [3]; unde et crebra inter utrumque forum oriuntur dissidia, et Ecclesiastica libertas in dies magis violatur. Quocirca Sancta Synodus Episcopos omnes enixe hortatur, ne numerosum gregem effraenata Clericorum multitudine sibi parent, sed eos dumtaxat promoveant, quos utiles et necessarios suis Ecclesiis agnoscunt [4], et illud Hieronymi effatum prae oculis habeant: *Diaconos paucitas honorabiles: Presbyteros turba contemptibiles facit* [5].

CAP. IV. Filii unici et ii, qui focularia sustinent, extra Ecclesiae necessitatem et exploratam vocationem ne initientur.

Ne vero Communitatibus in damnum privatorum et praecipue pupillorum miserabiliumque personarum in solutionibus et oneribus universalibus subeundis praejudicium inferatur, Sancta Synodus inhibet, ne filii unici, neve ii, quibus demptis, foculariorum capita, ut vulgus appellat, extinguuntur, Clericali tonsura initientur, nisi forte evidens Ecclesiae necessitas aliter suadeat, iis quoque exceptis, qui Divina moti vocatione in Clericalem statum propensi dignoscuntur.

CAP. V. Ne patrimonia sive donationes fictitia sint, qua cautione admittenda: et qua poena, si qua irrepserit, fraus coercenda.

Patrimonium, ad cujus titulum quis petierit in sacris ordinari, si fictitium sit, omnino reiiciatur. Et ut fraudi aditus praecludatur [6], tam bonorum patrimonialium quam donationum Instrumenta inter Missarum solennia tribus Dominicis aut festis diebus Populo denunciabuntur [7], et Parochus edicet, ut dantes gloriam Deo super titulo denunciato veritatem in Domino proferant et revelent. Si nullum innotuerit impedimentum, Parochus testificationem suam conficiet et obsignabit clausamque ad Episcopum mittet. Deinde tam, qui Patrimonium assignat, quam is, cui assignatur, jurejurando affirment, bona, quae assignantur, vere et realiter in ordinandi dominium et possessionem transferri. Quatenus vero, his non obstantibus, ordinandus fraudem aliquam commiserit, ab ordine suscepto sit suspensus et ad suscipiendos incapax reddatur.

---

[1] Romae Kal. Julii 1623. [Quod decretum infra in Appendice ad Conc. Neapolitanum refertur.]
[2] Cap. *Ex parte*. 12. de Constit. (I, 2.)
[3] Conc. Trid. sess. 23. de reform. cap. 4.
[4] Concil. Chalcedonen. cap. 13. Conc. Trid. sess. 23. de reform. cap. 16.
[5] Can. *Legimus*. 24. dist. 93.
[6] Conc. Burdigal. an. 1624. c. 6. de Ord. num. 4.
[7] Conc. Mediol. 5. p. 3. tit. 3. de init. Ord. sacr. §. *At vero*.

a **CAP VI. Simulatae et dolosae donationes in publicorum vectigalium fraudes ne edantur, anathemate cavetur.**

Mandat insuper Sancta Synodus Laicis et omnibus aliis, cujuscumque gradus et conditionis in nostra Provincia existant, excommunicationis poena proposita, ne ad simulatas et dolosas donationes pro publicis vectigalibus defraudandis in favorem Ecclesiasticorum deveniant: scriptum est enim: *Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal.*

CAP. VII. Episcopi in scholaribus ad Clericatum initiandis Barones, si se ingerant, Canonum censura coerceant.

Nullus Episcoporum quemvis in Domini sortem admittat auctoritate Baronum (quibus Oziae Regis
b poenam proponimus) vel suggestione cujusvis; sed ipse, qui speculatoris munere fungitur, promovendi indolem et qualitatem diligenter agnoscat: quodsi Barones sacris Thuribulis manus admovere deinceps tentaverint, cum Azaria Pontifice resistat, admonens primo verbis illis: *non est tui officii:* deinde, cum in Ecclesiasticam jurisdictionem et libertatem peccaverint, Canonica via procedat, donec cum Ozia plagam Domini sentientes confundantur. Quod nos tam uti Metropolita quam ex Sacrae Congregationis Immunitatis Ecclesiasticae delegatione (cujus tenorem post has constitutiones apponemus) sub poenis arbitrio nostro reservatis omnino servari mandamus.

CAP. VIII. Gregoriani cantus et Sacrorum Rituum peritia in promovendis ad Sacros Ordines requiratur.

c Inter alia ad sacros ordines requisita, admonentur Episcopi, ut illud quoque adnumeratum velint Ecclesiasticis admodum necessarium, nempe sacrorum rituum et cantus Gregoriani peritiam, de qua examinentur, ut Parochialibus Ecclesiis seu aliis, quibus eorum jussu addicendi erunt, utilius inserviant.

TITULUS VII.

De Sacra Unctione.

CAP. I. Ex culpabili negligentia extremam Unctionem ad aegrotos, donec animam agant, differre, gravissimo peccato Parochos involvit.

d Non est sine animadversione praetereundum, a Parochorum quamplurimis, extremae Unctionis Sacramentum collaturis, ex culpabili negligentia illud differri, donec aegrotus, amissis sensibus, animam agere incipiat: quod (ut Catechismo Romano admonentur) gravissimo peccato eos involvit, cum constet, ad hujus Sacramenti gratiam percipiendam plurimum valere, si aegrotus, cum in eo integra mens et ratio viget, fidemque et religiosam voluntatem afferre potest, sacro oleo liniatur.

CAP. II. Cum de mortis periculo timetur, aegroto sensibus integris extrema unctio conferatur.

Quare Parochos omnes Sancta Synodus monet, ut, quoties aegritudo ea est, ut apta sit inducere mortem,

et de periculo timetur, cum aegrotus sensibus est integris et rationis usu viget [1], coelestem hanc medicinam, cum ejus pietate et religione maxime profuturam, adhibeant.

TITULUS VIII.

De Clericis Peregrinis.

CAP. I. Inconsultis Episcopis vel eorum Vicariis, Clerici peregrini, sese Presbyteros asserentes, ad Divina persolvenda non admittantur.

Honestati contrarium et a Sanctorum Patrum institutionibus alienum semper fuit, ut, inconsultis Episcopis vel eorum Vicariis, Clerici peregrini, qui se Presbyteros asserunt, ad divina peragenda admittantur. Ex qua facilitate factum est, quod non ordinati infando sacrilegio Sacrosanctum Missae Sacrificium et non raro poenitentiae Sacramentum administrare per Italiam comperti sunt. Ut tantum scelus a nostra Provincia procul omnino habeatur, encyclicas literas Sac. Congreg. S. Officii, datas die 26. Januarii 1692., Sancta Synodus post Constitutiones apponendas mandat, et praecipit, ut ab omnibus, quorum interest, ad verbum serventur, sub poenis etiam corporalibus Episcoporum arbitrio reservatis.

CAP. II. Dimissoriae Peregrinorum literae, ni recentes sint, Ordinariorum, apud quos versati sunt, testimonio roborentur.

Exterorum autem dimissoriae literae certae, recentes et legitimae esse debent: quodsi ipsi aliis locis commoratos se asserant, nisi illorum locorum [2], ad quos diverterunt, testimonium de moribus et vita probatis exhibuerint, ad celebrandum non admittantur.

CAP. III. Presbyteri exteri, dimissorialibus muniti, ultra duos menses ad Divina peragenda non admittantur, nisi interim Ordinarii, apud quos fuerant, de vitae et morum probitate testentur.

Quia sunt nonnulli Presbyteri exteri, qui, licet literas habeant dimissoriales, e suis tamen locis tanquam dyscoli ejecti sunt et non raro, mutato coelo, animum non mutant, ad scandala evitanda Sancta Synodus mandat, ne hujusmodi Presbyteris ultra duos menses, nisi ab Ordinariis, ad quorum loca diverterint, probe eorum vita moribusque diligenti scrutinio perspectis, celebrare permittatur.

TITULUS IX.

De officio Sacristae et Custodis atque Punctatorum.

CAP. I. Sacrista et Custos quinam esse debeant.

Sacrista et Custos, ubi haec munera distincta sunt, non solum Clerici esse debent, sed et ii, qui meliores et sanctiores in eo ordine videantur, ut nulla negligentia in sancta Dei Ecclesia deprehendatur, quique
a simul juncti absque invidia et zelo provide peragant et perfecte.

CAP. II. Sacristae munera recensentur.

Sacrista igitur sollicitus esse debet de omni Ecclesiae ornamento. Ejus cura erit, ut Altaria sint semper munda et pro temporum ratione exornata, utque sacra supellex ab omni immunditia immunis in suo nitore perseveret.

CAP. III. Sacrista librum, in quo missalium onerum satisfactiones satisfacientium manu adnotentur, paratum habeat. Huic uni tantum libro hac de re fides adhibeatur.

Idem Sacrista curabit, ut in Sacristia liber quotidiano usui paratus sit, in quo singuli Sacerdotes, qui
b in ea Ecclesia pro onerum satisfactione Sacrificium obtulerint, Missam a se tali die et talis oneris ratione celebratam, propriae manus scriptione testentur: prout Alexandri Papae VII. decreto sancitum est, in cujus exequutionem attestationes, etiam juratae, de integra per annum oneris satisfactione tanquam nullius roboris et momenti rejiciantur [1].

CAP. IV. Custodis officium, necnon Cimeliarchae et Thesaurarii munera referuntur.

Custos vero pallia et linteamina Altaris cunctaque Ecclesiae utensilia diligenter custodiet, exceptis vasis aureis et argenteis ac vestibus pretiosis, quorum custodia pertinet ad Sacristam sive Cimeliarcham sive
c Thesaurarium, aut quocumque alio nomine nuncupetur, juxta Ecclesiarum consuetudinem [2].

CAP. V. Punctatores quinam et quot esse debeant; et quantum oneris subeant.

Punctatorum officium hic addere non omnino absonum est, quamvis rerum illos, hos personarum tangat custodia. Hi quoque integritate praediti esse debent, eorumque alter a Capitulo, alter ab Episcopo deligendi sunt, et uterque in manibus Episcopi de fideli diligentia in suo munere praestanda jurejurando se adstringent. Ut vero solicitudinis suae partes impleant, ab Ecclesiis, dum Horae Canonicae, Officia et Missae recitantur, abesse non valebunt, nisi ex necessitate et de licentia Episcopi vel ejus, qui Choro prae-
d sidet, altero subrogato, qui absentis vices subeat.

CAP. VI. Quotidianae distributiones ita dividantur, ut singulis horis et Missae Conventuali respondeant.

Ut divinus cultus et ecclesiastica munia, ad quorum incrementum beneficia sunt constituta, nulla ex parte minuantur, tam in Cathedralibus quam Collegiatis Ecclesiis distributiones quotidianae ita sint distributae, ut singulis horis et Missae Conventuali respondeant, adeo ut nulla sit hora canonica, cui pars distributionis non sit assignata, quatenus, qui illam ho-

[1] D. Thom. in suppl. ad 3. p. q. 32. art. 2. Conc. Prov. Mediol. 1. p. 2. tit. 8. quae pertinent ad extr. unct. administ. et Conc. 3. p. 1. tit. eodem 9.
[2] * Hic excidisse videtur verbum: *Ordinariorum.*

[1] Alexandri VII. constit. [Literae S. Congr. Conc. de mandato Alexandri VII. d. 15. Dec. 1663.]
[2] Cap. unico de officio Sacristae (I, 26).

ram in choro non persolvit, distributionem horae illi respondentem non percipiat, quavis consuetudine in contrarium non obstante. a

TITULUS X.

De officio et potestate Judicis delegati.

CAP. I. Clericorum caussae, sive spirituales sive criminales, si Laicis delegentur judicandae, acta, sententiae et decreta nulla sint.

Aegre admodum Sancta Synodus accepit, cum abusum, et statui Clericali indecorum et sacris institutionibus contrarium, in Provincia irrepsisse, ut sint Episcopi, qui Clericorum caussas spirituales et criminales Judicibus Laicis, et quod deterius est, ipsis Baronibus delegare non verentur, cum vita Clericorum debeat b
esse secreta, ne ii, qui ejusdem conversationis non sunt et oppido eis infesti, de eorum confusione laetentur. Cum autem, quod illicite introductum est, nulla debeat stabilitate subsistere, praecipit, ne deinceps caussae spirituales et criminales Clericorum a Laicis, etiam per potestatem delegatam, tractentur [1], alias acta et sententiae sive decreta eorum nulla et irrita habeantur.

CAP. II. Episcopus simplici Sacerdoti sacrarum vestium benedictionem delegare non potest: Abbatibus et Regularium Superioribus nonnisi in suis et pro suis Ecclesiis hujusmodi facultate uti licet.

Advertant Episcopi, se delegare non posse simplici Sacerdoti, ut vestes sacras et alia, quamvis in eis unctio non adhibeatur, benedicat. Ecclesiarum c
quoque Rectores sciant, quod Abbates et alii Regularium Superiores facultate benedicendi sacra ornamenta nisi in suis et pro suis Ecclesiis uti non possunt.

CAP. III. Judices Synodales fiant, vel per secreta vel per aperta Synodi vota.

Judices Synodales in qualibet Dioecesana Synodo deputentur, qui gravitate morum, integritate et literis polleant, in quorum deputatione Synodi consensus, qui tam per vota secreta quam per aperta praestari poterit, postuletur.

TITULUS XI.

De Majoritate et obedientia. d

CAP. I. Episcopus pro sua dignitate, quae dignitatum omnium apex est, cum Laicis potestatibus se gerat.

Regum fulgor et Principum diadema Episcopatui comparata inferiora sunt, quam si plumbi metallum ad auri compares fulgorem, inquit Ambrosius; nam quanto Coelum terra pretiosius, quantumque anima corpori, spiritus carni, divina humanis praestant, tantum Episcoporum Principatus omnia civilia Regna et Potestates antecellit [2], ideoque omnium dignitatum culmen jure merito appellatur. Quocirca Sacrosancti Concilii Tridentini Sanctissimi Patres sui status oblitos et Pontificiam dignitatem non leviter dehonestantes edixerunt, qui cum Regum Ministris, Regulis et Baronibus in Ecclesia et extra indecenti quadam demissione se gerunt et veluti inferiores Ministri Altaris nimis indigne non solum loco cedunt, sed etiam personaliter illis inserviunt; quod, cum contra Sacros Canones omnes Conciliaque generalia atque Apostolicas Sanctiones habeatur, ne in Provincia nostra id fiat, Sacra Rituum Congregatio suo decreto sancivit, ut nos non solum uti Metropolita, sed uti Congregationis ejusdem Delegatus Suffraganeis nostris, ut ab hujusmodi in posterum se abstineant, praeciperemus, quemadmodum praecipimus, et dictum decretum in calce apponendum ad unguem observari mandamus sub poenis arbitrio nostro reservatis.

CAP. II. Episcopus consuetudine vilium personarum non utatur, neque eorum domos, nisi pietate impellente, frequentet.

Ut autem haec omnia facilius executioni demandentur, Sancta Synodus nonnullos Episcopos, qui hac indigent admonitione, exhortatur, ut gradum suum et ordinem prae oculis habentes Dignitatis Episcopalis decorem et gravitatem, quae sine peccato demitti non possunt, in omnibus servent, caveantque, ne nimia familiaritate cum subditis et praecipue Laicis, maxime autem vilis conditionis, utantur: quos tamen, sive pro justitia sive pro gratia occurrentes, libenter et omni charitate audiant, immo nec eos (praesertim, qui e longinquo veniunt et pauperes sunt) diu exspectare permittant. Ad privatas autem domos easque vilium personarum nonnisi causa pietatis vel necessitatis accedant.

CAP. III. Per Civitatem et Dioecesim incedens Clericalem habeat comitatum.

Per Civitatem et Dioecesim cum uno vel altero Clericorum incedere culpabilem esse dejectionem, advertant. Quod et Magnus Gregorius, Anthemio Subdiacono de Paschasio Neapolitano Episcopo scribens, redarguit in haec verba [1]: Ita quotidie despectus cum uno aut duobus Clericis dicitur ad mare descendere, ut et apud suos in fabula sit, et extraneis sic vilis ac despicabilis videatur, ut nihil habere Episcopalis vel ingenii vel reverentiae videatur.

CAP. IV. Subditos, ut genuflexi benedictionem accipiant, Episcopi moneant.

Cum filius recipiens benedictionem debeat prius Patri facere obsequium, Episcopi populum suum opportune moneant, ut sibi occurrentes genuflectant benedictionem accepturi [2]; protestantes, quod non genuflectentibus non benedicent, ut, qui elongatam a se viderint benedictionem, tandem aliquando morem gerant.

---

[1] Cap. *Decernimus*. 2. de Judiciis (II, 1).
[2] Cap. *Solitae*. 6. de majorit. et obed. (I, 33).

[1] Lib. XIII. indict. VI. ep. 26. Opp. S. Gregorii. Ed. Migne. tom. III. col. 1278.
[2] Caerem. Episcop. lib. 1. cap. 2. Conc. Ravennat. 3. de anno 1314. rubr. 6. de majorit. et obed.

CAP. V. Humilitati modus, ne affectata videatur, neve in vilitatem degeneret, imponitur.

Humilitatis Magister humilia etiam nobis officia proposuit, cum, lotis discipulorum pedibus, inquit: *Quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis.* Sunt autem quaedam humilia, quae Episcopo palam facere absque necessitate non expedit, ut Ecclesiae pavimentum verrere, candelas accendere et similia: ejus enim humilitas in animo esse debet, ut Psalmographus innuit: *Omnis gloria ejus filiae Regis ab intus.* Quodsi clausis januis ea velit Episcopus ad humilitatem exercendam persolvere, non solum licebit, sed etiam laude dignum et in aedificationem reputabitur.

CAP. VI. In Episcopi subscriptione Ecclesiae suae nomen, non familiae cognomen effulgeat.

Imposito humilitati modo, ad supercilia demittenda S. Synodus convertitur, omnem fastus invidiam ab Episcopis removendo, eosdem monens, ne familiae nobilitatem Episcopali praeferant fastigio, eam in subscriptionibus ostentando, quod sacris est institutionibus inimicum, quibus Ecclesiarum nomina, non familiarum cognomina subscribere ex antiquo et constanti Patrum nostrorum more docemur.

CAP. VII. Episcopalis thronus in alto Ecclesiae loco sit. Tres fiant ad illum gradus.

Cum autem in tantae dignitatis gratiam Patres sanciverint, ut Episcopus in Ecclesia in consessu Presbyterorum sublimior sedeat, si qua Episcopalis Cathedra loco depresso est, eminentiori loco ponatur, et ad eam per tres omnino gradus ascendatur.

CAP. VIII. Cathedra Pontificalis, non Sedes Cameralis adhibeatur.

Caveant Episcopi Cameralem Sedem pro Cathedra sibi collocare: hoc namque in eos, qui talia agunt, magna indiget animadversione; cum enim de Christo Domino scriptum sit: *Ecce plus quam Salomon hic:* Episcopis, ejus Vicariis, ut cum Ambrosio [1] loquamur, ipsam Salomonis sedem designavit, quae rotunda erat in parte posteriori, et duae manus hinc atque inde tenentes sedile, et duo Leones stabant juxta manus singulas. Nonne haec est Episcopalis Cathedrae figura? Hanc igitur omnes suis Cathedris exprimant, e quibus non raro sedentes habeant concionem, ne pro Salomone ejus statuam in Throno sitam Populi admirentur.

TITULUS XII.

De Syndico.

CAP. Unicum. Sede Episcopali vacante, a Capitulo deligatur Oeconomus, qui stabilium curam gerat, ne pessum eant.

Considerans Sancta Synodus, in tantam incidere jacturam Episcopia et bona stabilia ad eorum mensam pertinentia, cum proprio remanent viduata Pastore, ut

1 C. *Mulier debet.* 19. XXXIII. q. 5.

a saepius audierit, ipsas domus corruisse, nemine suppetias ferente: idcirco mandat omnibus Provinciae Capitulis, ut, Sede vacante, ad formam Trident. Concil. [1]. Oeconomum unum providum et diligentem decernant, qui, licet ei fructuum percipiendorum munus non incumbat, curam tamen stabilium, ne male pereant, gerat; et cum reparatione non in longum differenda opus fuerit, Reverendissimum Dominum Apostolicum Nuntium in hoc Regno de ea faciant certiorem, ut sua pietate imminenti damno occurrendum demandet.

TITULUS XIII.

De Arbitris.

b **CAP. I. Ubi inter Episcopos sive inter ipsos et Metropolitam lis exoritur, arbitris ex utraque parte electis, dirimatur.**

Quamvis Episcopos, Domini servos, litigare non oportet, tamen, ut humana fert conditio, cum inter eos quoque non raro lites exoriantur, Sancta Synodus ad eas cito expediendas, ut apud arbitros ex utraque parte eligendos negotium audiatur, desiderat [2]; idque ipsi Metropolitae insinuat, ut, si quando lis inter eum et Suffraganeum Episcopum oriri contigerit, electis ex utraque parte arbitris, dirimatur.

CAP. II. Quando Episcopus allegatur suspectus, quomodo ad arbitros recurrendum.

Ad eosdem Arbitros in vim constitutionis Inno-
c centii III., quae incipit: *Cum speciali* [3], in Concilio Generali Lateranensi promulgatae, recurrendum est, quando Episcopus allegatur suspectus, caussis tamen suspicionis coram eodem Episcopo propositis, quorum Arbitrorum alter a parte, quae recusat, alter ab Episcopo deligatur [4]: hi [5] si caussae suspicionis militent, et si caussae praedictae non probentur aut illegitimae fuerint judicatae, tunc lis seu caussa principalis vel ad

1 Sess. 24. cap. 16. Cum S. Synodus SS. P. N. Innoc. XII. Synodalibus literis datis 16. April. anno 1693. supplicaverit pro Episcopis nostrae Provinciae a spolio eximendis, SS. ex paterna benignitate omnes Regni Episcopos hoc onere levavit ad formam constitutionis *Inscrutabili* d. 28. Jan. 1693, in appendicis calce apponendae.

2 Ex. cap. *Sane.* 1. de arbitris. (I, 43.)

d 3 Cap. *Cum speciali.* 61. de appellat. (II, 28.)

4 * In prima editione Beneventana male: *deligantur.*

5 * In altera Romana editione hic signum interpunctionis (,) ponitur, at ne sic quidem anacoluthon evitaretur: *hi* (arbitri) ...... *caussa principalis ad Episcopum remittetur;* et praeterea contextus omnino exigeret, ut comma sequens, quod in utraque editione nullam negationem continet, negative efferretur: *Si caussae suspicionis non militent.* Denique locus cum textu ex decretalibus allato (cap. *Cum speciali.*) non concordat, quum hoc capite verba: *vel illam Episcopus alteri committet de consensu recusatoris,* referantur ad alteram conditionem, quae mox sequitur: *si vero per arbitros fuerit judicatum, caussas suspicionis vel aliquam earum militare.* Conjicimus, post *hi* excidisse verbum *inquirant* vel aliud simile, atque haec fuisse scripta: *hi inquirant, si caussae suspicionis militent; et si caussae praedictae non probentur aut illegitimae fuerint judicatae: tunc lis seu caussa principalis ad Episcopum remittetur.* Praeterea suspicamur, in margine ut correctionem sequentis enuntiati (*Si vero per arbitros* etc.) posita fuisse, verba: *vel — vel illam Episcopus alteri committet de consensu recusatoris,* quae tamen verba a librario ad priorem conditionem relata essent. Hujusmodi transmutationes verborum in aliis quoque locis Synodici Beneventani reperiuntur.

Episcopum remittetur, vel illam Episcopus alteri committet de consensu recusatoris [1]. Si vero per Arbitros fuerit judicatum, caussas suspicionis vel aliquam earum militare, caussa principalis ad Superiorem devolvitur. In casu autem, quo Arbitri sint discordes, ipsimet Arbitri tertium adhibeant intra competentem terminum ab Episcopo praefigendum. Quamvis denique recusanti liceat Arbitrum alibi quam in loco recusati judicii, non ei tamen permissum est in loco valde remoto, nempe ultra legalem dietam, eligere.

TITULUS XIV.

De Feriis et Festorum dierum observantia.

CAP. I. In prima quaque Dioecesana Synodo feriae judiciales indicantur, et earum tabella in Cancellaria Episcopali sit exposita.

Cum non raro contigerit, acta in Episcopali Curia nulla judicata fuisse ob feriarum non observantiam, quibus usque adeo ab hujusmodi abstinendum, ut (nisi necessitas urgeat, vel pietas suadeat) consentientibus etiam partibus, nec processus habitus nec sententia teneat. Quocirca Sancta Synodus mandat, ut quilibet Episcopus in sua Dioecesana Synodo, primo quoque tempore habenda, ferias judiciales pro suo foro indicat, earumque tabella in Cancellaria perpetuo prostet.

CAP. II. Episcopis reservare licet casum, quo Domini ob avaritiam festis diebus opera subditis demandant. Si vero vi publica vel privata id fiat, cogentes censuris cohibeantur.

Avaritiam *Idolorum servitutem* dixit Apostolus, et jure merito; sunt namque non pauci Domini, qui dies Majestati altissimae deputatos servilibus profanant operibus, idque avaritiae intuitu: nam data opera eos exspectant dies, ut commodius et sine mercede subditis operariis utantur. Quam impietatem Sancta Synodus detestans omnibus Provinciae mandat Episcopis, ne quis ullo pacto ad violandum diem festum alios inducere praesumat, ultra alias poenas a jure inflictas hunc sibi casum possint reservare. Quodsi eo temeritatis quispiam feratur, ut vi publica vel privata ad festorum compellat inobservantiam, tunc Episcopi ad censuras contra cogentes procedant.

CAP. III. Poenis festa temerantibus imponendis qui modus et quae cautio adhibenda.

Poenae pro transgressione festorum imponendae moderatae sint et locis piis distribuantur, tertia earum parte exequutori reservata. Caveant vero Episcopi, ne eas cuipiam locent; avaris namque festorum temeratoribus dabitur ansa dicendi: *Medice, cura te ipsum.*

CAP. IV. Ordinationis Episcopalis dies quotannis celebrandus.

Quilibet Episcoporum natalitium suum, hoc est ordinationis diem, singulis annis solemniter in sua

[1] Dict. cap. *Cum speciali.* de appellat.

a celebret Ecclesia, tum quia perpetuo Ecclesiae ritu id habetur, tum praeterea ne primigenius Episcopatus nostri fervor languescat; atque ut cum Augustino loquamur: *Quoties Anniversarius dies nostrae ordinationis exoritur, tunc maxime honor hujus officii, tanquam primo impositum* [1], *attendatur.*

CAP. V. Natali Regis die recurrente, pro ejus incolumitate preces habendae.

Pro anniversario quoque natali die Serenissimi Regis nostri Catholici obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones in singulis Provinciae Ecclesiis instituantur: *Hoc enim* (scripsit Apostolus Timotheo Episcopo) *bonum est et acceptum coram Sal-*
b *vatore nostro Deo:* tanti enim Regis prosperitas ob ejus eximiam in ecclesiasticum ordinem pietatem facit, ut quietam et tranquillam vitam in Sancta Religione vivamus.

TITULUS XV.

De Fide Instrumentorum.

CAP. I. Archiva ab Episcopis instituantur. Capitula [archivum proprium] vel armarium in Episcopali constituant.

Archivum, in quo acta omnia Ecclesiarum recondantur, Episcopi quamprimum instituendum curent et scripturas omnes tam ad ipsos quam ad rationes et jura Ecclesiarum spectantes, quoad fieri potest, collectas, in eo servent. Capitula vero Cathedralium aliarumque
c insignium Collegiatarum, nisi proprii Archivi instituendi vires habeant, ne scripturae disperdantur, in Episcopali suum speciale Armarium constituant.

CAP. II. Episcopi intra sex menses inventaria bonorum Ecclesiasticorum, nondum peracta, conficiant. Archivum Metropoliticum commendatur.

Cum Sanctae Sedis decreto *in Beneventana* die 19. Maii 1597. nostrae Provinciae Episcopis demandatum fuerit, ut ante Provinciale Concilium omnium bonorum Ecclesiarum et locorum piorum inventaria conficiant, idque superioribus Provincialibus Synodis sub clarae memoriae Archiepiscopis Maximiliano de Palumbaria anno 1599. et Joanne Baptista Foppa anno 1656. inculcatum reperiatur: haec Sancta Synodus mandat
d Episcopis omnibus, ut Sixtinae quoque constitutioni, quae incipit: *Provida,* emanatae anno 1587. die 8. Junii, morem gerentes, inventaria bonorum Ecclesiarum suarum piorumque locorum intra sex menses, si qui adhuc conficienda non curaverint, conficiant, in quibus annuos census ac reditus, bona mobilia, credita ac immobilia, locorum finibus appositis, ac caetera hujusmodi describant. Inventariorum autem duo erunt exempla, publici Notarii manu roborata, quorum alterum penes se ii, quorum interest, retinebunt: alterum in Episcopali reponendum Archivo consignabunt.

[1] * Al. *tamquam tunc primum imponatur.* Sermo 383. in die anivers. ordin. episc. Opp. S. Aug. Ed. Benedict. t. V. col. 1484. b.

Currentibus addet calcaria exemplum Metropolitae nostri Praesidis, quo instante, eadem Sancta Synodus a tres delegit Commissarios, suos videlicet Coepiscopos Carolum Felicem Matta S. Severi, Dominicum Morelli Lucerinum et Fr. Joannem Bonilla y Soria Ordinis Carmelitarum Arianen., ut, quod in Archiepiscopio idem Metropolita instituit Archivum, visitarent, qui, visitatione peracta, Sanctissimis Patribus retulerunt, esse illud prope admirabile, cum in eo praeter vastae Dioecesis, et amplissimae Provinciae scripturas, antea dispersas et ferme dissipatas, non solum collegerit, sed etiam miro ordine digesserit, et inter caetera inventarium omnium bonorum Ecclesiarum locorumque piorum Civitatis et Dioecesis, in 22. ingentia volumina summo labore et sumptu distributum [1], b Pastoralem ejus sollicitudinem mirifice commendet.

CAP. III. Eorum, quae in Archivo servanda sunt, catalogus indicatur.

Cuncta vero, quae in Episcopali servanda sunt Archivo, Sacra Congregatio Concilii, literis datis die 18. Decembris 1626. ad Episcopum Comensem, enumeravit, eorumque catalogus in fine appositus dabitur.

CAP. IV. Episcopi Inventarium authenticum omnium suae Curiae actorum penes se habeant. Si vero longi itineris vel mortis casus occurrerit, quid agendum sit, praescribitur. Poenae in actorum temeratores recensentur.

Ut autem Archivum perpetuo integrum custodiatur, Sancta Synodus in memoriam revocat constitutionem B. Pii PP. V., quae incipit [2]: *Muneris nostri.* c In qua nefarium facinus in plerisque Episcopalibus Regni Siciliae citra et ultra Pharum detestans, nempe quod, Cathedralibus Ecclesiis Praesule viduatis, Vicarii a Capitulis constituti gratia, timore, odio vel sordibus, quas volunt, inquisitiones et testimonia rerum et causarum criminalium violant, subripiunt et lacerant, ne delictorum cognitio vel vindicta uspiam consequatur: praecipit Archiepiscopis et Episcopis dicti Regni, ut deinceps Inventarium authenticum omnium et quarumcumque suae Curiae querelarum, accusationum, inquisitionum, denunciationum, testificationum, instrumentorum, processuum caeterorumque actorum, causarum et negotiorum criminalium, etiam mixtorum, quae apud Curiae suae Notarium fuerint, quotannis d in perpetuum conficiant: confectum et dicti Notarii manu subscriptum penes se custodiant, donec super iis fuerit judicatum. Et si eos de vita decedere interim contigerit, illud universum sigillo suo obsignatum fideli Sacerdoti, cui peccata confitentur, morte impendente, committant, qui, ea sequuta, Praelato ac domui seu Conventui digniori Regularium illius Civitatis debeat resignare, ut ab eis tute et fideliter asservetur, donec futurus advenerit Praesul, cui illud itidem clausum et integrum tribuatur; quod ipsimet per se faciant, si quando necesse habuerint peregre proficisci. Quicumque autem testimonia, processus, scripturas et instrumenta hujusmodi violaverit, corruperit, subtraxerit, combusserit, suppresserit ac jusserit id fieri, seu auxilium, consilium vel favorem praestiterit, omni sit dignitate, officio, beneficio privatus et ad futura inhabilis eo ipso. Idem quoque et pariter Notarius, cui quid praedictorum defuerit, aut [qui] alias deliquerit in praedictis, tanquam falsi reus declaretur poenasque omnes subeat, quae sunt in hujusmodi rerum falsarios per sanctiones Canonicas et constitutiones legitimas irrogatae.

TITULUS XVI.

De Jurejurando.

CAP. I. Episcopi, Sanctis Evangeliis coram positis, testimonium perhibeant.

Episcopi honorem et Dignitatem maxime concernit, ut, si quando ad testimonium flagitatur, id non jurejurando, sed, Sacrosanctis Evangeliis tantum coram positis, fiat [1].

CAP. II. Si permittatur, ut Clericus in quibusdam casibus coram seculari Judice testimonium ferat, Juramentum in Episcopi tribunali, vel cui commiserit, praestabitur.

Clerici ad jurandum et deponendum coram seculari Judice tam in causa criminali quam civili cogi non possunt nisi in quibusdam casibus a jure permissis: tunc vero, praevia Episcopi licentia, juramentum in ejusdem Episcopi Tribunali, vel cui commiserit, praestari debet; alias violatur libertas et Ecclesiastica jurisdictio usurpatur.

CAP. III. Error eorum, qui pro reo defensando posse jurare et deponere falsum censent, refellitur.

Decipiuntur ii, qui ad rei defensam posse jurare et deponere falsum autumant: quia, cum falsitas et mendacium sint intrinsece mala, nulla bona circumstantia possunt cohonestari, quod Parochi plebibus insinuent, ut, qui sunt hac caligine mersi, veritatis radiis illuminentur.

CAP. IV. Baptismi testimonium, nisi de libro desumatur, de libro desumptum dici non debet.

Parocho non licet de Baptismo alicujus fidem facere, dicendo, se de Baptizatorum libro descripsisse, quando librum vel penes se non habeat, vel noverit deperditum esse.

TITULUS XVII.

De Vita et honestate Clericorum.

CAP. I. Episcopi mores ostenduntur.

Episcopi, quos Mundi lucem aeternus Pontifex appellavit, ut caeteris praeluceant, perfectam illam ab Apostolo descriptam imaginem sibi proponant: *Oportet*

[1] * In prima editione Beneventana male: *confectum.*
[2] Const. 121. d. 1. Mart. 1571.

[1] *Can. Testimonium.* 9. XI. q. 1. auth. *Sed judex.* cod. de Episcop. et Clericis.

Episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem: non vinolentum, non percussorem, sed modestum: non litigiosum, non cupidum, sed domui suae bene praepositum. Studeant itaque, ut ab interiori observantia non sit dissimilis habitus: sed in omni incessu, statu, gestu vultuque modestiam et gravitatem ostendant.

CAP. II. Episcopi habitus exterior describitur.

In usu vestium Caeremonialis Episcoporum praescriptum [1] servetur. Lineam tunicam, quam rochetum appellant, ex constitutione Innocentii III., quae incipit: *Clerici officia* [2], in Concilio generali promulgata, in Ecclesia et in publico Episcopi habeant, nisi Monachi [3] fuerint, quos in sua Dioecesi Mozettam absque Mantelletto ferre oportet. In itinere, etiamsi per Dioecesim, Mozetta violacea super nigra veste non est deferenda; sed nigra, si id tempus postulet, super nigra veste, et violacea super veste viatoria coloris ejusdem.

CAP. III. Episcopi, qui Oppidula pro dirutis incolunt Civitatibus, tanquam si in his degerent, se gerant.

Sunt Episcoporum nonnulli, qui, dirutis eorum Civitatibus, in exiguis resident Oppidulis et in istis eo habitu utuntur, qui in vicis adhiberi consuevit, eam excusationem paratam habentes, se in vicis, non in Civitatibus degere, quae si admittenda esset, nunquam prorsus Episcopalem induerent decorem; sed semper squalidi, quasi Civitatum ruinas deflentes, viderentur. Idcirco Sancta Synodus mandat, ut Episcopi, qui in Oppidis pro dirutis Civitatibus resident, tanquam si in ipsis essent Civitatibus, omnino se gerant.

CAP. IV. Episcopi lites pro viribus componant. Si potentior non acquiescit, pauperiori Sportulas condonet.

Patris nomen promeretur Episcopus, qui compositor potius quam Judex videtur, et ideo caveat, ne lites excitet, sed excitatas componere [4] procuret: quodsi litigantes adeo pervicaces sint, ut acquiescere noluerint, non desinat saltem litigantibus pauperibus sportulas condonare, praesertim si altera partium praepotens sit; tenetur enim Episcopus pauperes et miserabiles personas atque ab aliis oppressas protegere.

CAP. V. Pauperum Patres pauperes filios in Circuitu mensae suae aliquando videant.

Recordentur Episcopi, ut, cum Patres pauperum sint, eosdem aliquando, et praecipue in festis solennioribus, ad suam ipsorum mensam admittant [5].

CAP. VI. Clericorum corona et tonsura describitur.

Clerici inferiores, sive in sacris sive in minoribus ordinibus vel prima tonsura sint constituti, pro ratione
a ordinis coronam deferant et tonsuram [1]. Corona rasura est in parte superiori ad modum Sphaerae. Tonsura vero ex parte inferiori capillos tondet usque ad revelationem sensuum, nempe visus et auditus, ne scilicet oculos vel aures impediant: quamvis Corona proprie fiat ex capillorum circulo, qui inter rasuram et tonsuram reliqui sunt, ita ut non solum oculi et aures, sed et colli pars omnino pateant.

CAP. VII. Clericorum habitus praescribitur.

Habitu non sordido nec exquisito, sed honesto [2] cum zona nigri coloris, imo habitu talari omnino in Ecclesia, dum divina persolvuntur, utantur. Subcollaria non sint nisi nigri coloris et vesti consuta. Interiores vestes et tibialia rubeum ac ceruleum et viri-
b dem colorem excludant [3], ita ut omnia Clericalis status gravitatem prae se ferant.

CAP. VIII. Clerici beneficiati, licet beneficia tenuia sint, habitum et tonsuram deferre debent.

Noverint beneficiati omnes, quod, nulla tenuitatis beneficii habita ratione, in habitu et tonsura decentibus incedere tenentur, prout in Melphicten. Sacra Congregatio Concilii decrevit.

„Melphicten. Clericatus. Alias 13. Septembris 1675. In una Bituntina Sacra Congregatio censuit, Clericos possessores beneficiorum tenuium infra summam ducatorum sexaginta auri de Camera teneri habitum et tonsuram Clericalem deferre juxta constitutionem Sixti V. la 92. Et quia Clerici Melphictenses adhuc oppo-
c nunt, quod talis constitutio revocata fuit ab alia ejusdem Pontificis incipiente: *Pastoralis* etc. Anno 1589, licet illa non videatur loqui de beneficiatis, sed de his, qui pensiones, fructus, praedia vel bona Ecclesiastica sibi reservata, concessa percipiunt, etc. supplicat Episcopus declarari: *An possessores dictorum beneficiorum tenuium, ut supra, teneantur habitum et tonsuram Clericalem deferre, non obstante dicta constitutione Pastoralis,* etc. Die 18. Septembris 1677. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum respondit: *Affirmative.* F. Cardinalis Columna Praefectus. Stephanus Archiepiscopus Brancatius Episcopus Viterbien. Secretarius.“ *Adest sigillum Eminentiss. Cardinalis Columnae, Prae-*
d *fecti.* Quapropter hujusmodi beneficiati habitum et tonsuram decentes omnino deferent, alias in poenas constitutionis Sixti V., quae incipit: *Cum Sacrosanctam* [4], anno 1589. editae incurrent.

CAP. IX. Sacrorum Rituum et Conscientiae casuum Congregatio per Provinciae Civitates et Vicarias instituenda demandatur.

Ne filii hujus seculi prudentiores filiis lucis in generatione sua reperiantur, mandat Sancta Synodus,

---

[1] Lib. 1. cap. 3.
[2] Cap. *Clerici offic.* 15. de vita et honest. Cleric. (III, 1).
[3] d. cap. §. *Pontifices autem.*
[4] Conc. Carthag. de anno 398. cap. 26.
[5] Greg. Magn. in vita ipsius.

[1] Gloss. in Clement. II. hoc. tit. verb. *Et tonsuram.* C. *Prohibete.* 21. dist. 23. Cap. *Clericus.* 5. et Cap. *Clerici.* 15. de vita et honest. Cleric. (III, 1). Can. *Non liceat.* 2. dist. 23.
[2] Conc. Mediol. I. part. 2. Tit. 23. de Cleric. vestitu.
[3] Ex cap. *Clerici.* 15. de vita et honest. Clericorum. (III, 1).
[4] Constit. XCII.

ut in qualibet Provinciae Civitate et foranea Vicaria semel in hebdomada sacrorum Rituum et conscientiae casuum Congregatio juxta methodum ab eadem approbatam, in Appendice apponendam, habeatur.

CAP. X. A quibus Clerici abstinere debent.

Nemo ex praefatis Clericis larvatus incedat: in comoediis recitare non audeat, nisi forte repraesentationes piae fuerint, et tunc de expressa Episcopi licentia: Choreis non intersint [1], nec ipsas ducant praesertim cum mulieribus. Ab Alearum et Taxillorum ludis [2], a deambulationibus cum cantilenis et musicis instrumentis noctuque diuque abstineant, sub poenis suorum Episcoporum arbitrio reservatis.

CAP. XI. Illicitae venationes proscribuntur.

Illicitae venationes [3], praesertim tormento bellico, quod sclopum vocant, antiquis Patribus ignoto, tum Episcopis tum Clericis inferioribus inhibentur: eisdemque mandatur, ne canes aut accipitres ad venandum nutriant [4].

CAP. XII. Armorum delatio caute admodum concedenda.

Episcopi vero arma deferendi licentiam nisi ob causas a jure permissas nulli Clericorum licite possunt impertiri.

CAP. XIII. Unusquisque Parochus Clericum habeat, qui ei Sacra ministranti et in aliis hic expressis deserviat.

Non potest Sancta Synodus non graviter dolere, audiens, Parochorum quamplurimos in sui muneris exercitio, praesertim in administrandis Sacramentis, non Clericos, sed pueros pannosos et sordidos non sine scandalo adhibere, cum prope quotidie Clerici initientur, et nullus eorum sit, qui divinorum servitio assistat. Quare haec detestans Sancta Synodus Concilii Maticensis [5] constitutionem, quae incipit: *Ut quisque,* in memoriam revocans, mandat, ut quilibet Presbyter, qui plebem regit, Clericum habeat talari veste et superpelliceo decenter indutum, qui ei sacra ministranti deserviat, quique secum cantet et lectionem legat, et qui possit Christianae doctrinae scholas tenere et admonere suos Parochianos, ut filios suos ad fidem discendam mittant ad Ecclesiam. Qui secus fecerint, ab Episcopis suis graviter puniantur, ut hujusmodi abusus omnino eliminetur.

CAP. XIV. Cum celebratur, Clerus a Populo divisus esse debet.

Laici denique, quando Sacra Mysteria celebrantur, stare vel sedere inter Clericos non praesumant, ut
a Concilii Moguntini constitutione, quae incipit: *Ut laici* [1], sancitum: sed pars illa, quae cancellis ab altari dividitur (et ubi non est divisa, omnino discriminetur) tantum psallentibus pateat Clericis, ut quamplurimis Sanctae Sedis decretis cujusvis conditionis laicis hominibus, etiam in sublimitate constitutis, inhibitum est, quam inhibitionem Sancta Synodus praecipit ad amussim servandam.

TITULUS XVIII.

De Cohabitatione Clericorum et Mulierum.

CAP. I. Episcopii septa etiam a Canone permissas mulieres excludant.

Quamvis Episcopi hujus Provinciae, benedicente
b Domino, in omnibus se ipsos praebent exempla bonorum operum, ut tamen in tanta religionis specie perseverent, Sancta Synodus eos hortatur, ut, quemadmodum Regulares, qui ad perfectionem tendunt, claustris ab omni mulierum commercio alieni continentur, ita, quinimo et multo magis Episcopi, qui in perfectionis statu esse censentur, omnem mulieribus aditum in Episcopiis praecludere studeant, ita ut neque illas, quas canones concedunt, matrem, amitam et sororem admittant.

CAP. II. Episcopus mulieres ne solus alloquatur.

Episcopi quoque mulieres nunquam soli alloquantur, sed coram aliis, ut omnis nefanda suspicio excludatur [2].
c

CAP. III. Quae Clericorum et mulierum habitatio licita, quae illicita.

Nemo ex Clericis inferioribus mulieres quascumque praeter matrem, amitam et sororem [3] aliasque usque ad secundum consanguinitatis vel affinitatis gradum secum habitare permittat, idque Episcopo annuente: debent enim non solum malum cavere, verum etiam omnem mali suspicionem fugere, ne in cujusquam offensionem incurrant. Qui soli degunt, nullam domi mulierem, cujuscumque aetatis et conditionis existat, sub famulatus praetextu [4] absque expressa Episcopi licentia et hac, nonnisi ea quinquaginta annos nata sit, concedenda, prorsus detineant. Advertantque Epi-
d scopi, quod apud Cyprianum legitur [5]: *Cum Clerico femina nulla commaneat, non despecta, non vetula, sive affinitate peculiariter suscipienda ad domesticum obsequium: quia magis illic cito delinquitur, ubi sine suspicione securum potest esse delictum; maxime quia cupidini nulla deformitas, nulla despectio fastidii vel vilis existit, sed diabolus pingens pretiosum efficit, quicquid foedum et horridum fuerit.*

[1] Conc. Mediol. 1. p. 2. t. 25. de armis, ludis, spectaculis et ejusmodi a Clericis vitandis.
[2] C. *Clerici.* 15. de vita et hon. Cler. (III, 1).
[3] Sac. Trid. Conc. sess. 24. de reform. cap. 12.
[4] Can. 1. dist. 34. C. 1. et 2. de Cler. venat. Conc. Mediol. 1. p. 2. tit. 25. de armis, ludis, spectaculis, etc., Concil. Aquilejen. an. 1596. rub. XI. §. *Dicit Canon.*
[5] Ita apud Decretale Gregorianum citatur in cap. 3. de vita et honest. Cleric. (III, 1), etsi revera Concilium sit Nannetense.

[1] C. 1. de vita et honest. Cleric. (III, 1).
[2] Ex C. *In omnibus.* 21. dist. 81.
[3] C. *Volumus.* 24. et C. *Cum omnibus.* dist. 81. C. *Cum in juventute.* 15. §. 1. de praesumpt. (II, 23).
[4] C. *A nobis.* 9. de cohabit. Cleric. et mulier. (III, 2). C. *Quidam Clerici.* 30. dist. 81.
[5] De singular. Clericor. Opp. S. Cypriani Ed. Baluz. in appendice col. CXCV.

TITULUS XIX.

De Clericis Conjugatis et Diaconis Sylvaticis.

CAP. I. Clerici conjugati nisi habitum et tonsuram deferant et Ecclesiae inserviant, cum laicis computentur.

Graecanici ritus residuum in nostra Provincia Clerici sunt conjugati, non bigami, qui mixtumque genus prolesque biformis dici possunt: nam si eorum vestes aspicias, dempto colore, laicales forma, ornatu et incisuris invenies: Tonsuram non deferunt, Ecclesiae non deserviunt: sed in aliquibus interdum supplicationibus apparent, ad deformandum potius quam ad Clericalem coetum complendum. Mandat itaque Sancta Synodus, ut Episcopi eos moneant, ut in habitu et tonsura decenter incedant, si Canonis privilegio frui velint, nec non Ecclesiae ab eisdem Episcopis deputandae inserviant, si fori quoque privilegio gaudere desiderant[1]: alias, renuentes inter laicos computari, omnino declarent.

CAP. II. Clericus conjugatus, non bigamus, mortua uxore ad Clericorum ministeria rediens, omnibus fruitur caelibum privilegiis.

Si quispiam ex praefatis Clericis conjugatis, non bigamus, mortua uxore, ad propria Clericorum ministeria redit, omnia alia privilegia Clericis non conjugatis competentia recuperat: haec enim suspensa, non extincta habebantur.

CAP. III. Diaconi Sylvatici quinam sint, et quibus privilegiis gaudeant.

Sunt et alii Ecclesiis inservientes, quos a Graeco ministrandi verbo *Diaconos* eosque Sylvaticos vocant, nullo ordine praediti: sed solo Ecclesiarum et Episcoporum ministerio addicti, circa quorum numerum et privilegia S. Synodus servandum commemorat decretum Sacrae Congregationis de mandato s. m. Gregorii Papae XV. emanatum 15. Kal. Junii 1623., scilicet quod in Cathedralibus seu Superioribus Ecclesiis ad summum quatuor, in Collegiatis vel Parochialibus duo, in aliis vero Ecclesiis, in quibus divina celebrantur, si Episcopo videbitur, unus, et quod[2] non sint criminosi aut malae conditionis et famae, assumi possunt. Dicti vero Diaconi Sylvatici non gaudent privilegio Canonis: sed fori in criminalibus omnino, in civilibus quoad corporis districtionem tantum; ab oneribus denique personalibus immunitate fruuntur.

TITULUS XX.

De Clericis non residentibus.

CAP. I. Episcopos in non residendo contumaces Metropolita Summo Pontifici denunciet. Decreta Sacri Trident. Concilii referuntur.

Agnoscens haec Sancta Synodus, quanto detrimento sit ovibus Pastoris absentia, quanto Pastori ovium sibi creditarum neglectus, suo Metropolitae vigilantiam
a circa suffraganeorum suorum residentiam in Domino commendat, cupiens, ut vigore Sacri Tridentini Concilii, si qui non residentes contumaces fuerint, Sanctissimo Romano Pontifici denunciet. Tenor autem decreti, quod supradictum Sacrum Concilium sub Paulo III. edidit, est, qui sequitur[1]:

„Omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis et Cathedralibus Ecclesiis quibuscumque quovis nomine ac titulo praefectos monet ac monitos esse vult, ut attendentes sibi et universo gregi, in quo Spiritus Sanctus posuit eos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, vigilent, sicut Apostolus praecipit, in omnibus laborent, ac ministerium suum impleant: implere autem illud se nequaquam posse sciant, si
b greges sibi commissos mercenariorum more deserant atque ovium suarum, quarum sanguis de eorum est manibus a supremo Judice requirendus, custodiae minime incumbant, cum certissimum sit, non admitti Pastoris excusationem, si lupus oves comedit, et Pastor nescit. Ac nihilominus, quia nonnulli (quod vehementer dolendum est) hoc tempore reperiuntur, qui propriae etiam salutis immemores terrenaque coelestibus ac divinis humana praeferentes, in diversis curis vagantur aut in negotiorum temporalium sollicitudine, ovili derelicto, atque ovium sibi commissarum cura neglecta, se detinent occupatos, placuit Sacrosanctae Synodo antiquos Canones, qui temporum atque hominum injuria pene in desuetudinem abierunt, adversus
c non residentes promulgatos, innovare, quemadmodum virtute praesentis decreti innovat, ac ulterius pro firmiori eorundem residentia et reformandis in Ecclesia moribus in hunc, qui sequitur, modum statuere atque sancire. Si quis a Patriarchiali, Primatiali, Metropolitana seu Cathedrali Ecclesia sibi quocumque titulo, caussa, nomine seu jure commissa, quacumque ille dignitate, gradu et praeeminentia praefulgeat, legitimo impedimento seu justis et rationabilibus causis cessantibus, sex mensibus continuis extra suam Dioecesim morando abfuerit: quartae partis fructuum unius anni, fabricae Ecclesiae et Pauperibus loci per Superiorem Ecclesiasticum applicandorum, poenam ipso jure incurrat. Quodsi per alios sex menses in hujusmodi
d absentia perseveraverit, aliam quartam partem fructuum, similiter applicandam, eo ipso amittat. Crescente vero contumacia, ut severiori Sacrorum Canonum censurae subiiciatur, Metropolitanus suffraganeos Episcopos absentes, Metropolitanum vero absentem suffraganeus Episcopus antiquior residens, sub poena interdicti ingressus Ecclesiae eo ipso incurrenda, infra tres menses per literas seu nuncium Romano Pontifici renunciare teneatur, qui in ipsos absentes, prout cujusque major aut minor contumacia exegerit, suae supremae Sedis auctoritate animadvertere et Ecclesiis ipsis de Pastoribus utilioribus providere poterit, sicut in Domino noverit salubriter expedire."

---

[1] C. unico de Cleric. conjugat. in 6. Conc. Trid. sess. 23. de reform. cap. 6.

[2] * Fortasse: *qui*.

[1] Sess. 6. de reform. cap. 1.

Extat et alterum ejusdem Sacri Concilii decretum a
sub Pio IV. editum tenoris subsequentis[1]:

„Cum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre verbique divini praedicatione, Sacramentorum administratione ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere et in caetera munia pastoralia incumbere, quae omnia nequaquam ab iis praestari et impleri possunt, qui gregi suo non invigilant neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt: Sacrosancta Synodus eos admonet et hortatur, ut divinorum praeceptorum memores factique forma gregis, in judicio et veritate pascant et regant. Ne vero ea, quae de residentia b
sancte et utiliter jam antea sub felic. record. Paulo III. sancita fuerunt, in sensus a Sacrosanctae Synodi mente alienos trahantur, ac si vigore illius decreti quinque mensibus continuis abesse liceat: illis inhaerendo, declarat Sacrosancta Synodus, omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis ac Cathedralibus Ecclesiis quibuscumque quocumque nomine et titulo praefectos, etiam si Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales sint, obligari ad personalem in sua Ecclesia vel Dioecesi residentiam, ubi injuncto sibi officio defungi teneantur, neque abesse posse, nisi ex causis et modis infrascriptis. Nam cum Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia ac evidens Ecclesiae vel Reipublicae utilitas aliquos nonnunquam abesse postulent et exigant; decernit eadem Sacrosancta Synodus, has legitimae absentiae causas a Beatissimo Romano Pontifice aut a Metropolitano vel, eo absente, suffraganeo Episcopo antiquiori residente, qui idem Metropolitani absentiam probare debebit, in scriptis esse approbandas, nisi cum absentia inciderit propter aliquod munus et Reipublicae officium Episcopatibus adjunctum, cujus quoniam causae sunt notoriae et interdum repentinae, ne eas quidem significari Metropolitano necesse erit; ad eundem tamen cum Concilio Provinciali spectabit judicare de licentiis a se vel a Suffraganeo datis et videre, ne quis eo jure abutatur, et ut poenis canonicis errantes puniantur. Interea meminerint discessuri, ita ovibus suis providendum, ut, quantum fieri poterit, ex ipsorum absentia nullum damnum accipiant. Quoniam autem, qui aliquantisper tantum absunt ex veterum canonum sententia non videtur abesse, quia statim reversuri sunt, Sacrosancta Synodus vult, illud absentiae spatium singulis annis, sive continuum sive interruptum, extra praedictas causas, nullo pacto debere duos aut ad summum tres menses excedere et haberi rationem, ut id aequa ex causa fiat et absque ullo gregis detrimento, quod, an ita sit, abscedentium conscientiae relinquit, quam sperat religiosam et timoratam fore, cum Deo corda pateant, cujus opus non fraudulenter agere suo periculo tenentur. Eosdem interim admonet et in Domino hortatur, ne per illius temporis spatium Dominici Adventus, Quadragesimae, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes item et Corporis Christi diebus, quibus refici maxime et in Domino gaudere Pastoris praesentia oves debeant, ipsi ab Ecclesia sua Cathedrali ullo pacto absint, nisi Episcopalia munia in sua Dioecesi eos alio vocent.

Si quis autem (quod utinam nunquam eveniat) contra hujus decreti dispositionem abfuerit, statuit Sacrosancta Synodus, praeter alias poenas adversus non residentes sub Paulo III. impositas et innovatas ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum pro rata temporis absentiae fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non sequuta, illos sibi detinere posse; sed teneri, aut ipso cessante, per Superiorem Ecclesiasticum illos fabricae Ecclesiarum aut pauperibus loci erogare, prohibita quacumque conventione vel compositione, quae pro fructibus male perceptis appellatur, ex qua etiam praedicti fructus in totum aut pro parte ei remitterentur, non obstantibus quibuscumque privilegiis cuicumque Collegio aut fabricae concessis.

Eandem omnino, etiam quoad culpam, amissionem fructuum et poenas de Curatis inferioribus et aliis quibuscumque, qui beneficium aliquod Ecclesiasticum curam animarum habens obtinent, Sacrosancta Synodus declarat et decernit: ita tamen ut, quandocumque eos, causa prius per Episcopum cognita et probata, abesse
c contigerit, Vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum cum debita mercedis assignatione relinquant. Discedendi autem licentiam, in scriptis gratisque concedendam, ultra bimestre tempus nisi ex gravi causa non obtineant. Quodsi per edictum citati, etiam non personaliter, contumaces fuerint, liberum esse vult Ordinariis per censuras Ecclesiasticas et sequestrationem et subtractionem fructuum aliaque juris remedia, etiam usque ad privationem, compellere; nec exequutionem hanc quolibet privilegio, licentia, familiaritate, exemptione, etiam ratione cujuscumque beneficii, pactione, statuto, etiam juramento vel quacumque auctoritate confirmato, consuetudine etiam immemorabili, quae potius corruptela censenda est, sive appellatione aut
d inhibitione, etiam in Romana Curia, vel vigore Eugenianae Constitutionis suspendi posse. Postremo, tam decretum illud sub Paulo III. quam hoc ipsum in Conciliis Provincialibus et Episcopalibus publicari, Sancta Synodus praecipit. Cupit enim, quae adeo ex Pastorum munere animarumque salute sunt, frequenter omnium auribus mentibusque infigi, ut in posterum, Deo adjuvante, nulla temporum injuria aut hominum oblivione aut desuetudine aboleantur."

CAP. II. Ordinarii subditos residentiae obnoxios ad residendum compellant, nec ulli nisi ex causis a jure permissis super residentia dispensent.

Inferiores vero, beneficia ecclesiastica personalem residentiam de jure vel consuetudine exigentia haben-

[1] Sess. 23. de reformat. cap. 1.

tes, opportunis juris remediis residere cogantur ab Ordinariis [1], qui facultatem dispensandi in residentia nisi ex causis a jure permissis vel expressis non habent [2].

CAP. III. **Quotidianas distributiones in absentia lucrandi nulla consuetudo admittenda.**

Irrita et nulla est consuetudo, etiam immemorabilis, quotidianas distributiones in absentia seu vacantia (ut dicunt) percipiendi [3], quavis collusione aut remissione exclusa, juxta Bonifacii VIII. decr., quod incipit: *Consuetudinem,* a Sac. Trident. Concil. in usum revocatum.

CAP. IV. **Cessationes ultra tres menses, nisi in fundatione vel a Sede Apostolica permissae fuerint, irritae sunt et nullae.**

Cessationes, quas vacantias vocant, in quibusdam Cathedralibus vel Collegiatis Ecclesiis introductas, quarum gratia ultra tres menses a jure permissos (salvis earum Ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt,) certis quibusdam temporibus Capitulares a Chori servitio cessant, nisi in fundatione ipsius Ecclesiae vel alias a Sancta Sede Apostolica specialiter concessae fuerint, Sancta Synodus irritas nullasque declarat ut Apostolicis Constitutionibus Sacrisque Canonibus inimicas.

CAP. V. **Capitulum absque licentia Episcopi absentiae facultatem ultra tempus Capitularium negotiorum praetextu impertiri non potest. Hujusmodi absentes quibus poenis afficiantur.**

Ad evitandas Capitularium conniventias, quibus aliqui eorum a Choro et Civitate absunt et, simulato Capituli negotio, fructus ac distributiones quotidianas recipiunt, declarat Sancta Synodus, non posse Capitulum absque licentia Episcopi negotiorum Capitularium praetextu Capitularibus vel aliis Chori servitio addictis facultatem absentiae ultra tempus a Concilio permissum impertiri, sic vero abscedentes non solum distributiones quotidianas non lucrari, sed etiam fructibus, nisi resederint, esse privandos [4].

TITULUS XXI.

De Praebendis, Dignitatibus et Canonicis.

CAP. I. **Distributiones Ordinum in Cathedralibus habendae, et quomodo: Capituli consilium exquirendum, non sequendum.**

In omnibus Ecclesiis Cathedralibus, ut Ecclesiasticae Hierarchiae ordo in Canonicis refulgeat, ordinum: nempe Presbyterorum, Diaconorum et Subdiaconorum, distinctio habeatur [5]; ita tamen ut, si constet, omnes esse Presbyteros, celebrante Pontifice, fiat praefata distinctio per paramenta; si vero tantum assertive habeatur, Episcopus cum consilio Capituli designet ac distribuat, prout ipse viderit expedire, quibus et quot Canonicatibus

a debeat in posterum esse annexus ordo Presbyteralis, Diaconalis et Subdiaconalis; dummodo tamen non solum dimidia pars, sed ex tribus saltem duae sint Presbyterales, licet praesupponatur, adesse consuetudinem, omnes Canonicatus esse Presbyterales. Episcopus vero in tali designatione ac distributione tenetur quidem exquirere consilium Capituli, non autem sequi.

CAP. II. **In solemnibus Capitularibus Missis Canonici sibimetipsis assistere tenentur.**

Canonici quoque, sive sint omnes ordinis Presbyteralis sive ordinibus distincti, tenentur in Missis solemnibus, quae ab ipsis ex obligatione capitulari cantantur, sibimetipsis assistere; ubi est distinctio ordinum,
b id praestabunt Diaconi et Subdiaconi; ubi vero nulla distinctio, gradatim in ministerio Diaconi et Subdiaconi sibimetipsis assistent, antiqua consuetudine in contrarium non obstante.

CAP. III. **Quaenam assistentia a Canonicis Episcopo praestanda.**

Duorum Canonicorum assistentia semper convenit Episcopo, cum divinis officiis sub Throno cappa indutus assistit; si vero Praebendae fuerint distinctae, hi duo ex numero Diaconorum assumentur. Presbyter autem assistens, ubi nulla est Praebendarum distinctio, debet esse dignior de Capitulo; quodsi Praebendae distinctae habebuntur, Episcopo solemniter celebranti assistere debet pro Presbytero dignior de Capitulo, quocumque nomine nuncupetur, dummodo sit in Sacerdotio
c constitutus; demptis diebus, qui in Caeremoniali exprimuntur. Episcopo vero non celebranti, sed Divinis tantum praesenti pro Presbytero assistente inservire debet dignior Canonicus post dignitatem.

CAP. IV. **Assistentes Episcopo dignioribus supervenientibus loco cedant.**

Noverint vero Dignitates et Canonici, quod, qui assistunt Episcopo, supervenienti Dignitati sive Canonico digniori locum cedere debent.

CAP. V. **Canonici quo ordine thurificandi.**

Tam Dignitates quam Canonici a latere Chori digniore sedentes prius thurificandi sunt quam Dignitates
d et Canonici, qui sedent a latere Chori minus digno.

CAP. VI. **Canonici per se divinis insistant officiis: quatenus sese invicem substituant, quo pacto id licite faciendum.**

Canonici omnes divina officia per se et non per Substitutos compellantur obire [1]: permittere tamen debent Episcopi, ut Canonici in functionibus tum ipsius Ecclesiae tum Chori, ad quas tenentur, sese invicem substituant, dummodo substituens a Civitate vel a Suburbiis non absit, et substitutus eodem tempore ejusdem Ecclesiae servitio non sit obstrictus. Praecavendum nihilominus est, ne Canonici, hujusmodi facultate

[1] Conc. Trid. sess. 6. de reform. cap. 2.
[2] Ibidem.
[3] Ex cap. unico de Cleric. non residentib. in 6. (III, 3). et Conc. Trid. sess. 24. de reform. cap. 12.
[4] Trident. sess. 24. de reform. cap. 12.
[5] Trident. sess. 24. cap. 12.

[1] Trid. sess. 24. de ref. cap. 12.

abutentes, frequentius substituant, quod ejusdem Episcopi erit arbitrium.

CAP. VII. Capitulares et Choro adscripti cantum addiscant Gregorianum, alias distributionum subtractione multentur.

Episcopalis interest solicitudinis, ut Capitulares et, qui Choro sunt adscripti, cum praefixione competentis termini cantum addiscant Gregorianum, et in contumaces poena amissionis distributionum quotidianarum animadvertatur.

CAP. VIII. Quo casu et quo ordine Capitularibus e Choro ad Missam celebrandam exire licet.

Capitulares, non nisi canonicis horis et Missa conventuali expletis, nec etiam ad Missas celebrandas exeant a choro; quodsi populi commoditas id postulet, tunc unus dumtaxat post alium, major nempe minorem praecedens, exibit, dummodo ab eo, quem Episcopus ad hoc deputarit, evocentur.

CAP. IX. Quibus in locis Episcopo pontificaliter celebranti Canonici assistere tenentur. Et quid, si privatim celebret.

Episcopo pontificaliter celebranti sive alia pontificalia in Civitate, licet extra Cathedralem Ecclesiam, exercenti, non autem in Dioecesi, Canonici tenentur assistere; et quamvis in Ecclesia Collegiata et Parochiali sive in Episcopii Cappella, quae instar est Parochialis, pontificaliter celebret, non Canonici Collegiatae, sed aliquot Dignitates et Canonici Cathedralis assistentiam exhibebunt. Licet vero Episcopus ipse pontificalia extra Cathedralem exercens simplices Presbyteros velit adhibere: noverit tamen, a Sacra Rituum Congregatione id declaratum esse inconveniens. Si vero Missam private celebret, etiam in Cathedrali, Canonici non tenentur assistere, nisi obstet consuetudo, quae omnino est observanda.

CAP. X. Stata dies et hora cujuslibet hebdomadae pro Capitulis congregandis a Canonicis designetur. Poena contrafacientibus proponitur.

Mandat Sancta Synodus, ut pro Capitulis congregandis stata dies et hora cujuslibet hebdomadae a Canonicis designetur ad hoc, ut Episcopi, nisi fuerint impediti cum debita excusatione, ad illud accedere valeant; si vero contrarium praesumptum fuerit, nihil audeant pertractare aut Capitulum vocare, exceptis casibus necessitatis, sub poena nullitatis actus, et contrafacientes Episcopi arbitrio coercebuntur.

TITULUS XXII.

Ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur.

CAP. I. Patroni Ecclesiasticorum beneficiorum a praesentatis et electis quidquam, etiam sponte datum, non accipiant: fructus locationis nomine non percipiant: titulo reservationis tertiae aut quartae partis beneficia non gravent: pensiones non imponant. Contrafacientes censuris irretiti jus patronatus amittant.

Nihil est, quod in sanctas leges impudentius irrumpat quam radix omnium malorum, cupiditas; ideoque

a cum decreto[1] Provincialis nostrae Synodi sub Cardinali Archiepiscopo Sabello celebratae anno 1567. juxta antiquos Canones et Sacri Tridentini Conc.[2] sanctionem statutum fuerit, ne praesentatores et electores quorumcumque beneficiorum Ecclesiasticorum ab electis, praesentatis atque nominatis quidquam, etiam a sponte dantibus, accipiant, neque fructus dictorum beneficiorum locationis nomine percipiant: his non obstantibus, sunt adhuc, qui in jura tam notissima enormiter peccant; quod Sancta Synodus detestans mandat, ut tum praefata omnino serventur, tum ne patroni beneficiorum titulo reservationis tertiae aut quartae partis fructuum gravent beneficia, neve pensiones sub praetextu soliti, neque titulo paupertatis imponant contra praescriptum
b constitutionis Toletani Concilii[3], quae incipit: *Quicunque fidelium*, perperam ab hujusmodi praetensis patronis intellectae: ea enim innuitur, ut patrono ad inopiam redacto ab Ecclesia, ut aliis pauperibus, licet largius, subveniatur, dummodo patronus in summam devenerit egestatem, et Ecclesiae supersit, quod eroget: non, ut ipsi patroni paupertatis praetextu Ecclesiis pensionem imponant aut quid ex earum reditibus sibi reservent. Qui secus facere deinceps ausi fuerint, excommunicationis et interdicti poenis ad Trid. Conc. formam subjaceant et dicto jure patronatus ipso jure privati existant.

CAP. II. Parochiales Ecclesiae nullis pensionibus aut reservationibus gravandae.

c Sanctissimi Romani Pontificis Innocentii XII. providentia Parochiales Ecclesias, multis oneribus obnoxias, reditibus augendas potius quam reservationibus gravandas, ex alta Ecclesiae universalis specula prospiciens, evulgato Edicto die undecima Novembris 1692. mandat et praecipit, ut nullis deinceps pensionibus aut reservationibus afficiantur. Quod edictum, ut omnibus innotescat et ab omnibus, ut par est, observetur, in Appendice exhibebitur.

TITULUS XXIII.

De Rebus Ecclesiae alienandis, vel non.

d **CAP. Unicum.** Extravagantis *Ambitiosae* observantia praecipitur.

Cum impium sit, ut, qui res suas Ecclesiae non attulit, damnum inferat, Sancta Synodus mandat, ut in bonorum Ecclesiae alienatione inter caetera constitutionem Pauli II., quae incipit: *Ambitiosae*[4], omnes Episcopi servent, ni velint ad condemnationem suam facere, poenas et censuras in ea contentas incurrendo.

---

[1] Tit. de beneficior. collation. [sess. 4. t. 3].
[2] Sess. 25. de reform. cap. 9.
[3] C. 30. C. XVI. q. 7.
[4] De reb. Eccl. non alienan. in extravag. (III, 4).

TITULUS XXIV.

De Deposito.

CAP. I. Locorum piorum Depositarius idoneus et, si fieri potest, Ecclesiasticus sit.

Officium Depositarii cujusvis Ecclesiae locorumve piorum a persona tantum fida atque facultatibus idonea et, si fieri potest, Ecclesiastica, non autem ab inope exerceatur; depraedari siquidem desiderat, qui thesaurum credit indigenti.

CAP. II. Clericus laico jure depositarius Ecclesiastico Judici sistitur.

Clericus, qui coram Judice laico depositum recepit, coram Judice Ecclesiastico, non autem coram Judice laico ad illud reddendum cogetur.

CAP. III. Clericus Communitatis Depositarius, non Exactor existat.

Quod Ecclesiasticus pecuniae publicae sive Communitatis Depositarius sit, aliquando tolerandum est; cavendum vero, ne exactoris officium pro dicta Communitate idem exerceat.

CAP. IV. In carcerem detrusi adnotata mobilia penes tutam personam deponantur.

Quando Episcopus alicujus carcere detenti mobilia facit adnotare, non ea apud se retineat; sed apud fidam et tutam eamque Ecclesiasticam personam deponere debet.

CAP. V. Locorum piorum deposita apud Sacram Aedem custodiantur.

Cum in Civitatibus, nedum Oppidis hujus Provinciae ea publica telonia, quos vulgus bancos appellat, nulla extent: Sancta Synodus mandat, ut deposita dotalium eleemosynarum Monialium apud Aedem sacram serventur, quod et de aliis piorum locorum depositis faciendum decernit.

TITULUS XXV.

De Fidejussoribus.

CAP. Unicum. Clericus absque Episcopi permissu se fidejussorem in judicio non obstringat.

Nullus Clericus in quavis pecuniae summa intercedat et se fidejussorem in judicio obliget, nisi ex causa a jure permissa, ab Episcopo suo prius cognita [1]; qui secus fecerit, poenas arbitrio ejusdem reservatas incurrat.

TITULUS XXVI.

De Peculio Clericorum.

CAP. I. Clericus peculium suum quasi castrense immune habet. Si vivit in communi, gaudet pro virili.

Peculia adventitia Clericorum, sive intuitu et ratione Clericalis ordinis sive alio modo acquisita, licet sub
a potestate Patris, quia tamen a Patre non sunt, quasi castrensia declarantur [1]; ita ut privilegiis Ecclesiasticorum bonis concessis fruantur. Si vero Clericus vivat in communi cum Patre vel aliis propinquis, tunc gaudeat pro virili.

CAP. II. Ad tollendas fraudes, quaenam sit Clerici cum laicis in communi viventis portio, per Episcopos declaretur.

Portio Clericorum in communi cum laicis propinquis viventium declaretur per Episcopos ad evitandas fraudes in praejudicium Communitatum, ut laicorum bona collectari possint. Debemus enim hanc solicitudinem Serenissimi Regis nostri pietati incomparabili, ex qua innumera in Clericalis ordinis viros beneficio-
b rum fluenta decurrunt.

TITULUS XXVII.

De Testamentis.

CAP. I. In Testamentis, quae dicuntur ad aures, quae cautio adhibenda.

Ne piae dispositiones, praecipue in testamentis, quae fieri solent ad aures, ex defectu Parochorum clusoriae reddantur; monentur Parochi aliique Confessarii, ut ultimas dispositiones ad pias causas, duobus saltem testibus, ubi commode fieri potest, adhibitis, excipiant [2], et quatenus testator omnino ad aures testari voluerit, idem testator coram dictis testibus declaret, se velle quaedam ad pias causas, sicut Confessario suo man-
c davit, erogari; cujus dispositionis documentum in Episcopali Archivo asservandum illico deferatur.

CAP. II. Testamenta ad pias causas qua ratione per Episcopos conficienda: confecta referantur in codicem.

Quia in Provincia nostra laudabilis viget consuetudo, ut pro decedentibus intestatis testamenta ad pias causas per Episcopos fiant, de bonis haereditariis aliquid disponendo pro animarum eorundem refrigerio, etiam si relinquant haeredes, eandem consuetudinem a Sancta Sede pluries confirmatam, signanter in Beneventana 19. Aprilis 1641., inviolabiliter servandam mandamus. Circa modum prae oculis habeantur litterae Sacrae Congregationis Episcoporum negotiis praepositae, datae die 19. Augusti 1678. Et ut rei memoria per-
d petuo extet, instrumenta hujusmodi testamentorum in codicem ad hoc destinatum et in Episcopali Archivo asservandum referantur.

TITULUS XXVIII.

De Sepulturis.

CAP. I. Sepulcra ne intra Chorum, etiam pro Clericis, fiant.

Sancta Synodus majorum Patrum instituta considerans statuendum censuit, ne intra chorum, etiam pro Clericis, sepulcra deinceps constituantur [3].

---

[1] C. *Te quidem.* 29. XI. q. 1. c. *Clericus.* 1. de fidejuss. (III, 22). Conc. Mediol I. p. 2. tit. 26. de negot. secular. a Clericis fugiend.

[1] Cap. *Quia nos.* 9. de testament. (III, 26). auth. *Presbyt.* Cod. de Episcop. et Cler.
[2] Ex Cap. *Cum esses.* 10. et cap. *Relatum.* 11. de testam. (III, 26).
[3] Conc. Provinc. Mediol. 4. par. 1. tit. 13. de sepulcris.

CAP. II. **Extra Chorum Pontifices et Clerus sua habeant sepulcra.** a

Extra chorum vero quaevis Cathedralis duo sepulcra habere debet, alterum Pontificum proprium, alterum Cleri.

CAP. III. **Sepulcra ab altaris suppedaneo distent: Altaribus subjecta altaria interdicto subjiciunt.**

Si qua sunt sepulcra sub scabellis seu bradellis altarium, si vacua sint, obstruantur; alias interdicantur altaria [1], donec cadavera in alium deferantur locum; si vero sepulcrum non longe distet, ut os ejus ab altaris scabello palmis quatuor cum dimidio procul absit, permittendum est.

CAP. IV. **Sepulcrorum situs et forma describuntur.**

Decens sepulcrorum situs est ab utroque Ecclesiae latere, ex quibus singula singulis respondeant; et solo Ecclesiae nullo modo emineant. Opere fiant concamerato, et ne ullum foetorem emittant, duplici lapide, inferiore rudi, superiore expolito, obserentur [2].

CAP. V. **Ecclesiae pavimentum pro defunctis sepeliendis non effodiatur.**

Pro tumulandis cadaveribus Ecclesiae pavimentum non effodiatur; sed defunctorum corpora in tumbis profundis infra terram ad tenorem constitutionis B. Pii PP. V., quae incipit: *Cum primum Apostolatus* [3], collocentur.

CAP. VI. **Nisi concedat Episcopus, novum non constituatur sepulcrum.**

Ad novum construendum in Ecclesiis nobis subjectis sepulcrum nulli locus detur sine Episcopi concessu scriptis expresso [4].

CAP. VII. **Nulla inscriptio, inconsulto Episcopo, tumulis apponatur.**

Epitaphia ab Episcopo probentur [5], antequam incidantur; nonnulla enim leguntur, quae impietatem prae se ferunt, prorsus abolenda.

CAP. VIII. **Foeminei plangores super defunctorum corpora ab Ecclesia eliminentur.**

Ne inter Christianos sint, qui similes illis fiant, qui spem non habent, Episcopi abusum gentilitatis, quod foeminae in funere suorum liberorum, Parentum et Maritorum, capillos evellant, omni diligentia ac Pastorali solicitudine impediant; Parochisque praecipiant, ne clamores et ejulatus super defunctorum corpora in Ecclesia ullo modo permittant.

---

1 Conc. Provinc. Mediol. 4. part. 1. tit. 13. de sepulcr.
2 Ibidem.
3 Const. V. d. 1. April. 1566.
4 Conc. Provinc. Mediol. 4. part. 1. tit. 13. de sepulcris.
5 Ibidem.

CAP. IX. **In Exterorum et Civium funeribus eadem ratione agendum.**

Pro Funeralibus, caeteris paribus, non potest plus exigi ab exteris, quam a civibus. Miserabiles vero personae, sive exterae, sive cives, gratis sepeliantur.

CAP. X. **In Exequiis persolvendis stati ritus serventur.**

Invigilent Episcopi, ne Parochi in exequiis persolvendis caeremoniis ad placitum introductis utantur: sed Rituale Romanum, sub Paulo V. editum, ad amussim servent. Nec Thus, non sine mysterio praeceptum, adhibere praetermittant, neque cadaver absque cereis saltem quatuor efferatur.

b CAP. XI. **Coemeteriorum usus restituatur: Coemeterii necessitas in Metropolitana ostenditur.**

Ut antiquum Ecclesiae morem, multis locis intermissum, mortuos in Coemeteriis sepeliendi restituendum curent [1], Episcopos omnes Sancta Synodus monet, cui portentum Christianis visceribus omnino detestandum visum est, in hac praesertim Civitate ob Coemeterii defectum, cum Ecclesiarum sepulcra evacuantur, ossa et non raro carnes cum vestium laciniis in profluentem dejici et, veluti olim posita fuerunt morticinia Servorum Dei escae volatilibus Coeli, nunc quoque piscibus fluminum ponuntur. Quocirca Metropolitam Sancta Synodus enixe hortatur, ut, quemadmodum, antequam terra moveret, in eadem sua Civitate nobile erexerat
c Coemeterium, terrae motu deinde concussum et dejectum, ita idipsum nunc maxime, cum sepulcra exigua et pauca admodum reliqua sint, Populi sumptu reficiendum curet, tum ne impietati, nedum inhumanitati de caetero sit locus, tum ut Suffraganei ejus Episcopi omnis pastoralis solicitudinis absolutum imitentur exemplar.

CAP. XII. **Mutua Episcoporum in extremis obsequia instituuntur. Poenae non advocantibus vocatisque accedere negligentibus statuuntur.**

Ne Pontifici viam universae carnis ingressuro ea desint pietatis officia, quae sibi quisque impensa desiderat, Sancta Synodus Sanctorum Patrum revocans in-
d stituta decernit, ut Episcopo morti proximo tres primi de Capitulo praesentes vicinum Episcopum, prout in sequenti tabella, invitent [2], qui statim veniat, quique si vivum Episcopum deprehenderit, qua par est charitate, consoletur et pro opportunitate SS. Eucharistiae et Extremae Unctionis conferat Sacramenta eaque omnia praestet, quae ad animae salutem eo tempore requiruntur. Mortuum vero una cum seculari et regulari Clero solemni ritu ad sepulcrum prosequatur: quodsi primi tres de Capitulo hanc piam erga Pastorem suum neglexerint solicitudinem, suspensionis poenam ad Metropolitae arbitrium se noverint incursuros.

---

1 Conc. Provinc. Mediol. 1. tit. 13. de sepulturis.
2 Conc. Provinc. Mediol. 1. part. 2. tit. 14. de funere Episcopi.

Quoties vero hujusmodi casus occurrerit ordo infrascriptus, ab hac Sancta Synodo probatus, tenendus erit:

Archiepiscopus Metropolita RR^{mis} DD. Episcopis Sanctagathen. et Arianensi: e converso RR^{mi} DDom. Episcopi Sanctagathen. et Arianensis Metropolitae.

R^{mus} Dom. Episcopus Monsmaranensis RR^{mis} DD. Episcopis Abellinen. et Trivicano: et e converso.

R^{mus} Dom. Episcopus Trojanus exemptus RR^{mis} DDom. Episcopis Bibinensi et Lucerino: et e converso.

R^{mus} Dom. Episcopus Alliphanus RR^{mis} DD. Episcopis Telesino et Sanctagathensi: et e converso.

R^{mus} Dom. Episcopus S. Severi RR^{mis} DD. Episcopis Trojano et Lucerino: et e converso.

R^{mus} Dom. Episcopus Asculanus RR^{mis} DD. Episcopis Bibinensi et Trojano: et e converso.

R^{mus} Dom. Episcopus Bovianensis RR^{mis} DD. Episcopis Larinensi, Termulano et Guardiensi: et e converso.

R^{mus} Dom. Episcopus Vulturariensis RR^{mis} DD. Episcopis Arianensi et Lucerino: et e converso.

R^{mus} Dom. Episcopus Triventinus R^{mo} Dom. Episcopo Guardiensi: et e converso.

Hunc ordinem Patres sua sponte digesserunt, ut, aliquo vel defuncto vel legitime impedito, alius sit, qui tantum pietatis opus exerceat; et ne quando, ut humana fert conditio, posthabeatur, ipsimet praesentes poena suspensionis a Pontificalibus per annum sese obstrinxerunt, si vocati etiam per Epistolam, nisi legitimo praepediti fuerint impedimento, accedere neglexerint; quoad successores vero exhortantur eos, ne in posterum vestigia hujusmodi premere dedignentur.

CAP. XIII. **Defuncti Episcopi sepultura ultra 40 horas ne differatur.**

Caveant vero Capitulares, ne hujusmodi Comprovincialis exspectationis causa corpus Antistitis ultra quadraginta horas maneat insepultum.

CAP. XIV. **Episcopi cadaver quomodo condiendum, antequam condatur.**

Postquam Episcopus spiritum Creatori reddiderit, Canonici, qui aderunt, Caeremoniale Episcoporum servandum ad amussim curent. Cubicularii vero et familiares ipsius Episcopi defuncti corpus ejus aqua calida cum vino et herbis odoriferis lavabunt et mundabunt. Cadaver deinde aperietur, et intestina ejus statim sepelientur in Ecclesia. Apertum cadaver vel aromatibus condietur, vel, aliis opportunis remediis adhibitis, agetur, ut sine foetore usque ad praestitutum tempus sepulturae servari possit.

CAP. XV. **Metropolita et alii Comprovinciales de Suffraganei morte certiorentur, ut justa eidem fiant: singuli pro eodem septies sacrum persolvent.**

Cum primum Comprovincialis Episcopus obierit, eosdem tres primos de Capitulo obsecramus et obte-
a stamur in Domino, ut Archiepiscopum Metropolitam de Episcopi morte omnino faciant certiorem; quam et aliis Comprovincialibus Episcopis significabunt: Archiepiscopus vero et Episcopi in suis Ecclesiis prima die non impedita officium et Missam cum absolutione, prout in Pontificali, solemni ritu pro ejus anima celebrandum curabunt, convocato universo cujuscunque Ecclesiae Clero, et, ut idem fiat in Monasteriis Regularium ejusdem Civitatis et Dioecesis, maxime hortamur. Singuli denique Comprovinciales Episcopi septies pro defuncti fratris anima, ut a peccatis solvatur, sacris operabuntur.

CAP. XVI. **Pro defuncto Episcopo die obitus recurrente, pro omnibus Episcopis defunctis postridie commemorationis om-**
b **nium Fidelium Defunctorum sacra solemniter facienda in Cathedralibus indicantur.**

Anniversarium pro praedefuncto Episcopo in Cathedrali Ecclesia quotannis fiat. Postridie vero ejus diei non impedito, quo omnium Fidelium Defunctorum commemoratio ex antiquo ecclesiae instituto celebratur, divinum officium, saltem Missae cum absolutione, in Ecclesiis Cathedralibus nostrae Provinciae pro Episcopis omnibus defunctis ab Episcopis eorumque Capitulis ritu solemni persolvatur.

CAP. XVII. **Pro defunctis Canonicis et Capitularibus anniversaria celebranda statuuntur.**

Die proxime sequenti alterum Anniversarium pro
c Canonicis et aliis de Capitulo defunctis a singulis Capitulis et Collegiis sub poenis arbitrio Episcopi infligendis peragatur.

CAP. XVIII. **Ecclesiasticorum singulorum funera quo ritu peragenda.**

In sepeliendis Ecclesiasticorum cadaveribus Rituale Romanum ad amussim servetur. Inferiorum ordinum Clerici superpelliceo supra vestem talarem ornari debent. Subdiaconi amictu, alba, cingulo, manipulo et tunicella violacea. Diaconi amictu, alba, cingulo, manipulo, stola super humerum sinistrum, quae sub axilla dextera annectatur, et dalmatica violacea. Sacerdos amictu, alba, cingulo, manipulo, stola et
d casula seu planeta violacea. Singuli praedicti cum tonsura et birretis suis. Episcopus vero caligis et sandaliis, amictu, alba, cingulo, stola, manipulo, Cruce pectorali, tunicella, dalmatica, chirothecis, planeta coloris violacei, annulo et Mitra simplici et, si fuerit Archiepiscopus, pallio cum spinulis, et super pectus ejus Crux aliqua, quam manibus teneat. Qui omnes cum eisdem ornamentis sepeliri debent, alias omnia et quaecumque indumenta suspensa eo ipso erunt ad * tenorem constitutionis Concilii Arvernensis, quae incipit[1]: *Ne opertorio,* in qua ratio suspensionis adducitur, *quia nempe,*

[1] De Anno 535. can. 7.

Sacro velamine usibus suis reddito, dum honorantur corpora, altaria polluuntur. Calix ergo in Sacerdotum defunctorum manibus et alia sacra juxta illos non apponantur, sed praescriptus ab Ecclesia ritus exequutioni demandetur.

TITULUS XXIX.

De decimis et oblationibus.

CAP. I. Decimae saltem praediales de jure divino debentur, non agriculturae sumptibus, non seminibus deductis. Renuentes censuris compelluntur.

Agnoscens Sancta Synodus, Augustino docente, majores nostros ideo copiis omnibus abundasse, quia decimas Deo dabant et Caesari censum reddebant: modo autem nolentibus partiri cum Deo decimas totum tolli: hoc namque tollit fiscus, quod non accipit Christus: ut ipsis consulat populis, mandat, quatenus decimae, cum de jure divino saltem praediales debeantur [1], juxta consuetudinem locorum integrae et absque ulla fraude persolvantur, neque sumptus, qui in agricultura fiunt, neque semina deducantur [2]: renuentes vero, adhibito censurarum remedio, ad cor revertantur.

CAP. II. Omnimodae a decimis exemptionis nulla consuetudo absque Apostolico privilegio Laicis suffragatur.

Nulla consuetudine etiam immemorabili induci potest, ut Laici a decimarum solutione ex toto sint excempti, nisi Apostolicum exhibeatur privilegium.

CAP. III. Decimae ubi sunt arbitrariae, arbitrium non effraenatum, sed rationabile esse debet.

Ubi decimae dicuntur arbitrariae, arbitrium non debet esse effraenatum, sed rationabile. Quodsi, avaritia suadente, rationis terminos praeteriri, interdum dignoscatur, Episcopis incumbet effraenatum arbitrium, invocato etiam, si opus fuerit, brachio seculari, compescere.

CAP. IV. In piis oblationibus, ni Ecclesiastica id permittat auctoritas, Laici sese non ingerant.

In oblationibus, quae locis piis fiunt, cum sint res spirituales, Laici nullo pacto sese ingerant, contraria consuetudine non obstante [3]: quae tamen tolerari posset, si ab auctoritatem habente deputarentur, quatenus dictas oblationes ejus nomine reciperent et custodirent atque Episcopis de eisdem redderent rationem.

TITULUS XXX.

De Regularibus.

CAP. I. Presbyteri exteri, ab Episcopis non admissi, a Regularibus ad divina peragenda non recipiantur.

Non ignorans Sancta Synodus, Ecclesiasticae disciplinae recte pieque instituendae regularium accessio-

[1] C. *Cum non sit.* 33. C. *Tua.* 26. de Decimis (III. 30).
[2] C. *Tua.* 26. de Decimis. C. *Non est.* 22. eod. tit. Conc. Mediol. 1. p. 2. tit. 62. Quae pertinent ad honor. et Jurium Ecclesiasticorum conservat.
[3] C. *Quia Sacerdotes.* 13. Can. *Hanc consuetudinem.* 15. X. q. 1.

a nem maxime conducere, ideoque Episcopos in plerisque uti Sanctae Sedis delegatos cum eis agere, eisdem Regularibus mandat, ne Sacerdotes exteros, nisi ab Episcopis, visis litteris commendatitiis sive testimonialibus, fuerint admissi, in suis ipsorum Ecclesiis celebrare permittant.

CAP. II. Secularis potestatis ingressus campanarum sonitu neque annuente Episcopo excipi potest.

Caveant Regulares, caveant Parochi vel alii, ad quos spectat, ne in ingressu Baronis sive alterius cujusvis potestatis secularisve Magistratus cujuscumque Ecclesiae campanas faciant pulsare. Episcopi vero hujusmodi campanarum sonitum permittere non posse advertant,
b cum hoc sit a S. Sede indistincte prohibitum.

CAP. III. Baldacchinum erigere in Regularium Ecclesiis suae Dioecesis quando Episcopus potest.

Ea est Episcopi in sua Dioecesi praeeminentia, ut in Ecclesiis Regularium, licet exemptorum, baldacchinum erigere possit, quando ibi functionem aliquam, etiam cum sola cappa, persoluturus est.

CAP. IV. Regularibus mendicantibus exteris quomodo liceat quaestuare.

Regulares ex Mendicantium Ordinibus, ut quaestuare possint, Ordinarii licentia non indigent; sed in loco, in quo Conventum non habent, vel, si habeant, de illius
c familia non sunt, nec pro illo Conventu quaestuant, loci Ordinario suorum Superiorum licentiam exhibere tenentur.

CAP. V. Monialium dotes non nisi in pecunia numerata excipiantur.

Monialium sive Novitiarum dotes ante habitus susceptionem omnino in pecunia numerata, non autem in censibus vel stabilibus deponi debent, nec Episcopi super his, Sancta Sede inconsulta, dispensent.

CAP. VI. Pro Novitia ante professionem ultra victum et vestitum nil exquiratur.

Ex Sac. Trid. Conc. decreto pro Novitia ante pro-
d fessionem praeter id, quod victui et vestimento necessarium est, Monasterio nihil detur ulterius: qui contravenire praesumpserit, constitutione Innocentii III., quae incipit: *Quoniam Simoniaca labes* [1], [in] Conc. Lateranensi promulgata, deterrebitur.

CAP. VII. Quid monialibus circa esculenta aliis paranda inhibetur.

Cibum aliis parare aut esculenta vendere, cibis tamen parvi momenti pro infirmis ac parentibus et consanguineis dumtaxat exceptis, Monialibus omnibus inhibemus.

[1] C. 40. de Simonia (V, 3).

CAP. VIII. Numerus Monialium Monasterii proventibus respondeat.

Bonifacii VIII. Constitutione, quae incipit: *Periculoso*, a. Sac. Trident. Concil. innovata [1], statutum est, ut, Sanctimonialium Monasteriorum facultatibus et expensis diligenter inspectis, tot de caetero recipiantur in sorores, quot poterunt de ipsorum Monasteriorum bonis sive proventibus absque penuria sustentari. Quocirca Sancta Synodus mandat, ut quilibet Episcopus statum Oeconomicum Monialium suarum formandum curet, quo inspecto, numerum non minorem quam duodecim, qui non praejudicet ante receptis, praefigat.

CAP. IX. Communis vita inter Moniales inducenda suadetur.

Praefixo Monialium numero (qui in posterum conservetur) sufficientibus propriis [2] Monasteriorum reditibus respondente, Sancta Synodus Episcopos hortatur, ut communi vitae inducendae pro viribus incumbant, ne tanta Dei benedictio, quae in primitiva Ecclesia Christianis omnibus erat communis, deinde in Monasteriis residua, ab his quoque deploretur extorris.

TITULUS XXXI.

De Religiosis Domibus, ut Episcopo sint subjectae.

CAP. I. Confraternitates ante annum 1604. erectae nullae sunt; ideoque rursus erigendae et aggregandae.

Sancta Apostolica Sedes, quae singulis Episcopis jura sua inviolata conservat, ut deprehendit quamplurimas Confraternitates absque Episcoporum consensu erectas, anno 1604. omnes omnino societates abolevit constitutione s. m. Clementis PP. VIII., quae incipit: *Quaecumque a Sede Apostolica* [3]; praecipiens, ut ab integro omnes erigerentur, servatis omnino, quae in eadem statuit constitutione, quam S. Synodus omnibus Provinciae Episcopis attente legendam et servandam demandat: ex qua advertent omnes, quascumque Confraternitates ante praefatum annum 1604. institutas nullas esse nullisque privilegiis, gratiis et indulgentiis frui: ideoque illas rursus erigendas et almae Urbis Confraternitatibus aggregandas curabunt: ne, quod saepissime in nostra Provincia hac de causa accidit, Indulgentias falsas in imperitum vulgum disseminent.

CAP. II. Confraternitates SS. Sacramenti statim, atque Ordinaria auctoritate erectae sunt, aggregatae intelliguntur Archiconfraternitati SS. Corporis Christi de Urbe.

Quoad Confraternitates vero SS. Corporis Christi, si rursus instituendae et erigendae sunt, absque ulla alia aggregatione statim, atque Ordinaria auctoritate erectae fuerint, gaudent omnibus gratiis et indulgentiis, quibus Archiconfraternitas SS. Corporis Christi in Ecclesia S. Mariae supra Minervam de Urbe ex conces-

[1] Cap. *Periculoso*. §. *Sane*. de statu Regul. in 6. (III, 16). Trident. sess. 25. cap. 5. de Regularib. Cap. *Auctorit*. 4. de instit. (III, 7). Cap. *Quoniam*. 9. de vita et honest. Cler. (III, 1). Concil. Aquilejen. de anno 1596. Rub. XIX. de Monialibus.
[2] Trid. sess. 25. cap. 3. de regular.
[3] Const. CXV. d. 7. Dec. 1604.

a sione Pauli PP. V. gaudere solet et consuevit, prout ex Brevi sanct. mem. Innocentii PP. XI. sub datum Romae die 1. Octobris 1678.

CAP. III. Circa Confraternitates antiquas in Regularium Monasteriis confirmandas, necnon circa locorum distantiam quae sit Episcopi auctoritas, ostenditur.

Confraternitates illae, quae in Regularium Monasteriis antiquae confirmantur, si in eisdem Monasteriis familia duodecim Regularium non extet, Ordinarii etiam consensu confirmandae sunt. Circa vero locorum distantiam ejusdem Ordinarii assensus omnino requiritur, prout latius in decreto Sacrae Congregationis indulgentiarum dato die 20. Octobris 1607., quod integrum
b in Appendice referetur.

CAP. IV. Laicorum Confraternitates aut nullae sunt, aut Ordinariorum moderationi subjectae. Ne, inconsulto Episcopo, quidquam de earum bonis disponatur, anathemate cavetur. Oblationes et eleemosynae arbitrio Episcopi erogandae.

Omnes autem Laicorum Confraternitates, quae Ordinariorum decretis, moderationi et correctioni non subjacent, nullius sunt roboris, ut ex eadem sanct. mem. Clementis VIII. constitutione liquide constat. Quocirca Sancta Synodus dictarum Confraternitatum Administratoribus mandat, ne, sub poena excommunicationis, animalia Confraternitatum vendant, neve bonorum earundem census aut investituras absque expressa Ordinarii licentia faciant [1]; oblationes vero et eleemo-
c synas pro reparatione et ornatu Ecclesiae vel ad alios pios usus arbitrio Episcopi erogandas, eadem Clementina constitutio praecipit; *ut omnes*, inquiens, *intelligant, coelestes Ecclesiae thesauros non quaestus aut alicujus lucri causa, sed pietatis et charitatis excitandae gratia ex Apostolicae Sedis benignitate Christi fidelibus aperiri.*

CAP. V. Ex bonis piorum locorum commessationes et bravia fieri vetantur.

Commessationes [2] et bravia, vulgo *Pallii*, quae ex fructibus Ecclesiae locorumque piorum in Sanctorum festivitatibus, a Confratribus praesertim, fieri solent, omnino tollenda, Sancta Synodus decernit.

d

CAP. VI. Administratores piorum locorum a Laicis electi ab Episcopo probati confirmentur, cui de bene administrando juramentum praestabunt.

Piorum locorum Administratores, si forte a Laicis vel Laicorum Communitatibus nominentur, administrare non audeant, nisi prius ab Episcopo confirmentur et in ejus Curia de bene et fideliter administrando praestent juramentum: dummodo ipsis piis locis debitores vel decocti vel nimio aere alieno gravati non sint.

[1] Ex. Can. *Sic quidem*. 2. C. *Decretum*. 3. C. *Quaecunque*. 5. C. *Noverint*. 6. X. q. 1.
[2] Ex Concil. Provinc. Mediol. I. p. 3. tit. 1. de piorum locorum administrat. Conc. Prov. Benevent. Sabell. eodem tit. [sess. 7. t. 3].

CAP. VII. Quid circa piorum locorum contractus servandum sit, praescribitur. a

De locorum piorum pecuniis nulli ineantur contractus, nisi praevio Episcopi speciali rescripto [1].

CAP. VIII. De administratione peracta rationes Episcopo reddantur, nisi pia loca sub immediata Regis protectione existant.

Dati et accepti rationes a locorum piorum administratoribus Episcopo quotannis reddantur, exceptis iis, quae in limine fundationis et non aliter *sub immediata Regis protectione sunt* [2]; nemini siquidem dubitare fas est, quin pia loca, sub pientissimo nostro Rege existentia, pie instituta et recte administrata habeantur.

CAP. IX. Episcopus locorum piorum Curator in aedificationem, non in destructionem. b

Advertant Episcopi, quod ipsorum est bonorum Ecclesiarum locorumque piorum curam gerere, non autem ea dissipare vel sibi propria facere [3].

CAP. X. In publicis Ecclesiae operibus alieno sumptu peragendis praeeminentialia Episcopi serventur.

Quidquid Episcopi in Ecclesiis alieno sumptu faciendum curant, neque suae familiae insignibus, neque inscriptionibus, ex quibus colligi possit, quod proprio Episcoporum sumptu factum sit, afficiant, exceptis iis, quae praeeminentialia indicant.

CAP. XI. Hospitalium domorum Cura Episcopis demandatur.

Cum Episcopum, Apostolo docente, oporteat esse hospitalem, si Episcopium ad hoc non habeatur sufficiens, publicorum saltem [4] Hospitalium paterna cura geratur: quodsi Hospitalia praedicta ob redituum defectum Peregrinis suscipiendis apta non sint, curent Episcopi, ut ab aliis piorum locorum et Confraternitatum administratoribus eleemosynae titulo, ex iis praesertim, quae per Vicarii Generalis schedulas (vulgo Bollettini appellatas) pauperibus Peregrinis tribui consuevit, aliquid praestetur. c

CAP. XII. Mansionum pro utroque sexu distinctio praescribitur.

Ut pietatis loca pie inhabitentur, quaevis Hospitalia, licet exigua, in duas mansiunculas dividantur, altera maribus, altera foeminis destinata [5]: si vero locus amplior sit, pro Clericis et Religiosis quoque cubiculum deputetur. d

Cap. XIII. Ne hospitales domus in cauponas vertantur, custodi indicitur.

Ut autem omne periculum ac mali suspicio penitus amoveatur, Hospitalis custos invigilet, ne in ea domo ludis vel aliis dissolutionibus vacetur; et omnino mares

[1] Ad c. *Videntes.* 16. §. *Ipsae vero res.* et c. *Episc.* 23. XII. q. 1. c. *Placuit.* 51. XII. q. 2. c. *In vendition.* 40. ubi gloss. XVII. qu. 4.
[2] Trid. sess. 22. de reform. cap. 8.
[3] Ex can. *Episc.* 7. X. q. 2.
[4] Ex Conc. Matisconen. de anno 585. Can. XI.
[5] Conc. Provinc. Mediol. 1. part. 3. tit. 1. de pior. locorum administrat.

cum foeminis, licet se conjugio copulatos dicant, minime cohabitent [1].

CAP. XIV. Piorum locorum bona usurpantes anathemate cohibentur.

Ut pia loca suis non destituantur obsequiis, Sancta Synodus mandat omnibus et singulis cujuscumque conditionis et dignitatis viris, ne Ecclesiarum, Ecclesiasticorum piorumque locorum, quocumque nomine censeantur, jurisdictiones, bona, census ac jura, fructus, emolumenta seu quascumque obventiones, quae in Ministrorum et Pauperum necessitates converti debent, per se vel per alios, auctoritate publica sive privata, seu quacumque arte aut quocumque quaesito colore in proprios usus convertere illosque usurpare praesumant seu impedire, ne ab aliis, ad quos jure pertinent, percipiantur; quodsi secus fecerint, anathemati tamdiu subjaceant, donec Ecclesiis, Ecclesiasticis piisque locis integre restituerint, et deinde juxta Sacrosancti Trident. Concil. [2] decretum a Romano Pontifice absolutionem obtinere meruerint.

CAP. XV. Pro reditibus non exactis Exactores ab Episcopo deligantur.

Episcoporum denique vigilantiae Sancta Synodus injungit, ut piorum locorum census aliosve reditus non exactos, ne proprietas quoque depereat, exigendos curent, quod, ut accuratius fiat, delectis assignato stipendio exactoribus, administratorum negligentiam suppleant.

TITULUS XXXII.

De jure patronatus.

CAP. I. Patroni si infra congruum datum tempus cappellas suas, prout res postulat, non reparent, jus amittant.

Experientia magistra didicimus, Cappellas, quae de jure patronatus existunt, reliquis minus decenter haberi; quocirca, ubi illae indigent reparatione, Episcopus praecipiat Patronis, ut infra congruum terminum, sub poena amissionis juris, eas reparent, alias, termino elapso, servatis servandis, easdem vel aliis concedat vel diruat.

CAP. II. In Patronos Cappellis abutentes animadvertatur.

Cappellarum claves a Patronis teneri Episcopus non permittat et cum illis, qui hujusmodi Ecclesias in promptuaria vertunt, severius agat.

TITULUS XXXIII.

De censibus et exactionibus.

CAP. Unicum. Cathedraticum ab omnibus Ecclesiis et Beneficiatis Episcopo subjectis non ultra duos solidos exigatur.

Quia omnis anima sublimioribus potestatibus subdita esse debet: idcirco ad subjectionis et honoris argu-

[1] Ibidem.
[2] Sess. 22. de reform. cap. 11.

mentum, sine quibus nulla potestas consistere valet, a tributa praestantur. Hujus rei gratia II. Bracharensis Concilii constitutione [1], quae incipit: *Placuit*, et altera Honorii Papae III., quae incipit: *Conquerente* [2], sancitum est, ut in Pontificalis Cathedrae obedientiam, subjectionem et reverentiam Synodatici et Cathedratici nomine Episcopi duos solidos e singulis Ecclesiis et Beneficiatis sibi subjectis singulis exigant annis, ut Sac. Congreg. Episcopor. et Regular. in *Massalubrensi* [3] et nuperrime in *Beneventana* litteris, quae in Appendice transscriptae dabuntur, decernit: quoniam vero Sancta Synodus non praemium, sed honorem Episcopis debitum considerat, ne ultra duos solidos excedant, sed, qua decet moderatione, mandat esse contentos.

TITULUS XXXIV.

De Consecratione Ecclesiae vel Altaris.

CAP. I. Ecclesiae Cathedrales, Conventuales, Parochiales, cumprimum licuerit, consecrentur.

Optat Sancta Synodus, ut ad majus divini cultus incrementum Ecclesiae omnes Cathedrales, Conventuales et Parochiales, quae perfectis parietibus sunt constructae, per Dioecesanos Episcopos, ad quos spectat, infra biennium vel cumprimum licuerit, consecrentur [4]; nam si Salomonis Templum, in quo animalium mortuorum hostiae dumtaxat offerebantur, tanta solennitate dicatum fuit, quanto magis Ecclesiae nostrae, in quibus Coelestis Hostia viva et vera, ipse scilicet Unigenitus Dei Filius, in Altari offertur pro nobis, statis ab Ecclesia solenniis consecrentur, oportet?

CAP. II. Amoto Altari vel lapide continente sigillum, Altare ab integro consecretur.

Alexander III., Pontifex Maximus, Constitutione, quae incipit: *Ad haec* [5], statuit, quod, si Altare motum fuerit (nempe quod fixum erat in Ecclesia consecrata) aut lapis ille solummodo superpositus, qui sigillum continet, confractus aut diminutus fuerit, debeat denuo consecrari. Quam Constitutionem Sancta Synodus evulgatam voluit, cum deprehenderit in multis Provinciae Ecclesiis minime observatam: ita ut Altarium, praesertim portatilium, sigilla ad voluntatem nonnullorum rudium Presbyterorum amoverentur, et rursus vel cera ipsa oblinirentur, et quamplurima, mobili sigillo obducta, sine reliquiis reperta sint.

[1] C. *Placuit.* 1. X. q. 3.
[2] Cap. *Conquerente.* 16. de offic. Judic. ordinar. (I, 31).
[3] 26. April. 1619.
[4] Concil. Londin. anno 1237. sub Greg. IX. cap. 1. Conc. Provin. Mediol. 4. p. 1. tit. 19. de Eccl. et Altar. consecr.
[5] *Ad haec.* 1. de consecr. Eccles. vel Altar. (III, 40).

TITULUS XXXV.

De celebratione Missarum et Sacramento Eucharistiae et Divinis officiis.

CAP. I. Episcopis curae sit, ut Presbyteri Sacrosancti Missae Sacrificii caeremonias probe calleant.

Ut, quanto maximo fieri potest religionis cultu, tremendum mysterium, quo vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, quotidie immolatur, a Sacerdotibus tractetur, curent Episcopi, ut caeremoniae et rubricae in Missali traditae omni diligentia observentur; utque errores etiam levissimi absint, S. Synodus omnes et singulos Provinciae Presbyteros hortatur, ut
b librum, a Coepiscopo nostro Pompejo Sarnellio Vigilien. sub titulo *Commentariorum* semel et iterum typis evulgatum et ab eadem Synodo probatum, prae manibus et oculis habeant.

CAP. II. Sanctissima Eucharistia incomposite accedentibus, si moniti non se religiose componant, minime tradatur.

Parochi populum saepius admoneant, quanta animi religione ac pietate et humili etiam corporis habitu tam divinum Sacramentum debeant adire: et si hujusmodi admonitionibus non profecerint, Sanctissimam Eucharistiam viris illis, qui comis adhuc alligatis, ut in vilioribus servitiis consueverunt, et mulieribus, quae aperto non solum capite, sed et pectore ac mammis, ut in theatris assolet,
c irreverenter accedunt, minime praebeant.

CAP. III. Presbyter, nisi nominatim ab Episcopo facultatem habeat, in privato Oratorio non celebret.

Eadem Sancta Synodus mandat Sacerdotibus quibuscunque, ne in quocunque privato Oratorio, in quibus ex privilegio Apostolico celebrari potest, Saeris operentur, nisi prius nominatim facultatem ibidem celebrandi ab Episcopo obtinuerint.

CAP. IV. Qui perpetua Missarum onera, inconsulto Episcopo, suscipiunt, interdicti poenam eo ipso incurrunt.

Perpetua Missarum onera ad praescriptum Decreti a s. m. Urbano PP. VIII. approbati die 20. Junii 1625. ne recipiantur absque licentia Episcopi vel ejus
d Vicarii Generalis, alioquin transgressores ab Ecclesiae ingressu eo ipso se noverint interdictos.

CAP. V. Episcopo pontificaliter Sacris operante vel solenniter celebranti assistente, nemo ante pontificalem benedictionem in eadem Ecclesia privatim celebret.

Dum in Cathedrali vel alia Ecclesia Missa Pontificalis agitur vel, Pontifice assistente, ab alio solenniter celebratur, aliae Missae privatae ante Pontificalem benedictionem in eadem Ecclesia nullo pacto permittantur [1].

[1] Ex C. *Et hoc attendendum.* 52. de consecr. dist. 1. Conc. Provinc. Mediol. 4. p. 2. tit. 10. quae pertinent ad S. Miss. Sacrif.

CAP. VI. Dum Missa Conventualis vel Parochialis agitur, alii Sacerdotes Missam privatim non faciant.

Quando Missa Conventualis vel Parochialis solenniter celebratur, Sacerdotes a Missis privatis se abstineant, ne Populi conventus (unde Missa Conventualis dicitur) contra Patrum instituta dissolvatur neve a concione distractus verbi Dei pabulo destituatur.

CAP. VII. Episcopus alterum Episcopum advenientem fraterne suscipiat et ad verbum faciendum et oblationem consecrandam invitet.

Ad mutuam inter Fratres Coepiscopos charitatem fovendam Concilii Carthaginensis IV. Constitutionem, quae incipit: *Episcopi* [1], Sancta Synodus proponit: Episcopi nempe si ad Ecclesiam alterius Episcopi venerint, in gradu suo suscipiantur, et tam ad verbum faciendum quam ad oblationem consecrandam invitentur, prout in nostra Metropolitana religiosissime servatur.

CAP. VIII. Provinciales Ecclesiae eundem in psallendo modum, quem Metropolitana servat, tenere debent.

Quod Bracharensi [2], Gerundensi [3] et Toletano [4] Conciliis sancte statutum est, *ut Metropolitanae Sedis auctoritate uniuscujusque Provinciae Cives Rectoresque Ecclesiarum unum eundemque in psallendo teneant modum, quem a Metropolitana Sede cognoverint institutum, ut inde unusquisque sumat regulas magisterii, unde honoris consecrationem accepit, ut juxta majorum Decreta Sedes, quae uniuscujusque Sacerdotalis Dignitatis est Mater, Ecclesiasticae Dignitatis vel rationis sit Magistra:* idipsum Sancta Synodus innovans infrascripta, quae in Sancta Metropolitana Ecclesia religiosissime servantur, ab omnibus Provinciae nostrae Cathedralibus sive Collegiatis Ecclesiis circa psalmodiam tenenda demandat.

CAP. IX. Horae cantandi Missam pro vario Divini officii ritu praescriptae serventur.

Horae in rubricis praescriptae pro Missa Conventuali et solenni omnino et uniformiter custodiantur [5]: in festis scilicet duplicibus, in Dominicis et infra octavas, dicta in Choro hora tertia: in festis simplicibus et feriis per annum, dicta sexta: in Adventu, Quadragesima, Quatuor Temporibus, etiam infra octavam Pentecostes, et Vigiliis, quae jejunantur, quamvis dies sint solennes, Missa de tempore debet cantari post nonam: Missa autem Defunctorum dici debet post primam dici.

CAP. X. Si plures Missae cantari debent, varia horarum ratio teneatur.

Quando duae vel tres Missae cantandae occurrunt in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis, omnino persolvi debent cum cantu [1], servato ordine praedicto, scilicet si cantandae sunt duae Missae, una de festo, altera de feria, illa cantari debet post tertiam, ista post nonam.

[1] C. 38. VII. q. 1.
[2] C. *Placuit.* 14. dist. 12.
[3] C. *Institutio.* 31. de consec. dist. 2.
[4] C. *De iis, qui.* 13. dist. 12.
[5] Rubr. general. Miss. tit. 15.

CAP. XI. Aegroto Eucharistiam suscipere non valente, Parochus, qui eam detulit, absque alia caeremonia revertatur.

Praxis illa ostendendi Eucharistiae Sacramentum infirmis communicare non valentibus aboleatur: ideoque si Parochus ad infirmum accedens impedimentum compererit, ob quod Sacrum Viaticum praebere non valeat, absque alia caeremonia ad Ecclesiam cum Sacramento revertatur.

CAP. XII. Iis, qui nunquam rationis usum habuerunt, Eucharistia deneganda: iis vero, qui ad tempus caruerunt, si antea devotionem ostenderunt, dempto quovis periculo, potest exhiberi.

Noverint Parochi, quod aliqui dicuntur non habere usum rationis dupliciter: uno modo, quia habent debilem usum rationis: et quia tales possunt aliquam devotionem hujus Sacramenti concipere, non est eis hoc Sacramentum denegandum [2]. Alio modo dicuntur aliqui non habere totaliter usum rationis. Aut igitur nunquam habuerunt usum rationis; sed sic a nativitate permanserunt, et sic talibus non est hoc Sacramentum exhibendum: quia in eis nullo modo praecessit hujus Sacramenti devotio. Aut non semper caruerunt usu rationis; et tunc, si prius, quando erant compotes suae mentis, apparuit in eis devotio hujus Sacramenti, debet eis in articulo mortis hoc Sacramentum exhiberi, nisi forte timeatur periculum vomitus vel exspuitionis.

CAP. XIII. Ubi Chori disciplina est remissa, in prima quaque Synodo restituatur.

Ut Divina officia, quantum Deus dederit, studiose pariter et devote celebrentur, quilibet Episcopus circa disciplinam Chori, in multis nostrae Provinciae Cathedralibus, nedum Collegiatis labefactatam, regulas praescribat; easque servandas quam diligentissime curent et in Dioecesana Synodo, quam primo quoque tempore celebrabunt, evulgent.

CAP. XIV. Tabella horaria pro horis Canonicis in Choro persolvendis proponitur.

Cum omnia tempus habeant, illud praecipue statum esse convenit, quod Regi saeculorum immortali ab iis, qui habitant in domo Domini, in hymnis, psalmis et canticis impendi debet. Episcopi igitur tabellam horariam a Sacra Episcoporum Congregatione pro Ecclesia Aretina probatam et in Appendice apponendam, quaeque in Sacristia perpetuo prostet, servandam curent.

[1] C. *Cum creatura.* 11. de celebr. Missar. (III, 41).
[2] S. Thomas, 3. p. quaest. 80. art. 9. in corp.

TITULUS XXXVI.

De Baptismo et Confirmatione.

CAP. I. Baptismus sive per infusionem sive per immersionem juxta Baptisterii formam administretur.

Quemadmodum Sacrum Baptisma, Ecclesiae tam Militantis quam Triumphantis janua, inter alia novae legis Sacramenta, a Christo Domino instituta, primum tenet locum, ita ad illud rite recteque administrandum summa diligentia adhibenda est. Cumque aut per infusionem aquae aut per immersionem, qui modi magis sunt in usu, exhibeatur, Sancta Synodus baptizandi modum a Baptisterii forma admonet desumendum.

CAP. II. Baptisterii forma, in quo per infusionem baptizatur, ostenditur.

Una Baptisterii forma haec est [1]: in media Cappella, ad cujus pavimentum descendatur tribus saltem gradibus, ut aliquam sepulcri similitudinem exhibeat, vas Baptisterii, in quod aqua defluat, situm erit, cujus latitudo vacua per mediam rectam lineam sit cubitis tribus, altitudo duobus, et in medio foramen habeat sub columella (de qua mox dicemus), ex quo aqua derivetur in cisternam parvulam, quae erit effossa loco subterraneo sub eodem vase, in quam aqua ex infantis, qui baptizatur, capite dilapsa confluat. Super vasis praedicti foramine columella marmorea consurget, in cujus summa parte vas ipsum baptismale, inferiore vase contractius (in quo per totum annum baptismalis aqua servabitur) apte decenterque collocatum erit, ab inferioris labro altius unciis circiter sexdecim.

CAP. III. Modus per infusionem baptizandi describitur.

Si haec fuerit forma Baptisterii, ex eo per infusionem baptismus fiet, baptizandi siquidem caput super inferiore vase inclinabitur, et super eo aqua ex altiore vase sumpta cum argenteo cochleari infundetur, quae per foramen inferioris vasis in subjectam defluat cisternam.

CAP. IV. Solus Episcopus sedens extra fontem baptismalem baptizat.

Caveant vero per infusionem baptizantes, ne extra praedictum vas id muneris expleant, nisi baptizans sit Episcopus [2], qui tunc sedens aquam baptizandi capiti infundit.

CAP. V. Baptisterii forma, in quo per immersionem baptizatur, describitur.

Altera Baptisterii forma est [3]: in medio Cappellae, pavimento ad descripti normam effosso, vas consurget altitudine, ab ima ad summam partem ducta, cubitorum duorum, latitudine, per vacuum extensa, tricu-
a bitali, foramine ab ima parte, quae ad Orientem versus statuetur, triunciali, unde, cum aqua baptismalis renovatur, vetus in cisternam defluat, quae in plano, quod circum Baptisterii vas est, a parte Orientali pro Sacrario suffodietur.

[1] Acta Eccles. Mediol. Instruct. fabric. Eccles. lib. 1. cap. 19. de Baptisterio, §. *Situs Baptisterii* (Edit. Lugdun. a. 1683. I, 480.)
[2] Ritual. Rom. in propr. rubr.
[3] Ibidem §. *Atque haec quidem*.

CAP. VI. Modus baptizandi per immersionem ostenditur.

Haec altera Baptisterii forma, quam nostrum in hac exhibet Metropolitana, Baptismum per immersionem requirit, quae fit ita: ut trina ablutione caput baptizandi immergatur in modum Crucis in uno et eodem tempore, quo verba proferuntur, ut Romanum admonet Rituale.

CAP. VII. Parochi, dempto necessitatis casu, non in aulis, cu-
b **biculis aut privatis Oratoriis, sed in Ecclesia baptizent.**

Licet, urgente necessitate, ubique baptizare nihil impediat, tamen baptizandi locus est Ecclesia, in qua sit fons baptismalis [1]. Caveant itaque Parochi aliique hujus Sacramenti Ministri, ne ultra casum absolutae necessitatis in aulis, cubiculis aut privatis Oratoriis baptizent.

CAP. VIII. Ultra tertium diem Baptismus non differatur. Duabus hebdomadibus ante Sabbatum Paschae et Pentecostes (nisi vitae periculum adsit) ad sanctos praefatos dies protrahatur.

Baptismus ultra [2] tertium diem non protrahatur, exceptis duabus hebdomadibus (nisi tamen baptizandis vitae periculum immineat), altera ante Sabbatum Pa-
c schae, altera ante Sabbatum Pentecostes, in quibus ex antiquissimo Ecclesiae ritu [3] solenni caeremonia hoc Sacramentum administrari maxime convenit; tum quia illis diebus baptismalis fontis aqua consecratur, tum praeterea quia Ecclesiae orationes in Missae sacrificio pro recens baptizatis per octavas persolvuntur.

CAP. IX. In utroque Sabbato Paschae et Pentecostes fons baptismalis sacretur. Episcopis utraque benedictio et solennis baptismi collatio commendatur.

Bis itaque in anno praedictis diebus fons baptismalis omnino consecretur, et Episcopos omnes S. Synodus hortatur, ne hujusmodi benedictionem et successive baptismalis Sacramenti ministrationem [4] praeter-
d mittant, ab Ecclesia Romana, Ecclesiarum omnium Magistra, sumentes exemplum, in cujus Lateranensi Basilica, Romano Pontifice impedito, ab Eminentissimo Urbis Generali Vicario Sanctum Baptisma quotannis solenniter ministratur.

CAP. X. Confirmandorum instructio ante Sacramenti collationem habenda.

Quoniam, qui Baptismi gratia in novam vitam gignuntur, Confirmationis deinde Sacramento viri eva-

[1] Clem. unica de Baptismo (III, 15). Concil. Prov. Mediol. 1. p. 2. tit. 2. quae pertinent ad baptismi administr.
[2] Concil. Provinc. Avenion. de anno 1594. tit. 12. de Sacram. Baptismi.
[3] Rit. Roman. de Sacram. Baptismi rite administr. tit. de temp. et loco.
[4] Caerem. Episc. lib. 2. cap. 27.

dunt, evacuatis, quae erant parvuli: Pastorum opus est fideles de hujus Sacramenti natura, vi, dignitate ita admonere, ut intelligant non solum negligendum non esse, sed summa cum pietate et Religione suscipiendum, ne ipsorum culpa frustra in eos divinum hoc beneficium conferatur.

CAP. XI. **Jejunos Confirmationis Sacramentum suscipere decet.**

Laudabilem illam antiquae Ecclesiae consuetudinem, ut nonnisi jejuni Confirmationis Sacramentum suscipiant [1], Sancta Synodus tenendam hortatur.

CAP. XII. **Pueri ante septennium et Christianae doctrinae rudimentis non imbuti ad Confirmationis Sacramentum non admittendi.**

Cum Confirmationis Sacramentum non ad salutis necessitatem, sed ut ejus virtute parati inveniamur, cum pro fide Christi pugnare oportet, institutum sit [2]: ad hoc pugnae genus pueros rationis usu adhuc carentes nemo aptos esse existimabit: idcirco pueri ante septimum aetatis annum [3] et antequam fidei rudimenta didicerint, non admittantur.

CAP. XIII. **Parochi ante Confirmationis Sacramenti collationem confirmandos et eorum Patrinos de Christiana doctrina interrogent. Schedulam, ut hic expressam, confectam tradant.**

Ut autem experientia cognoscatur, an et ipsi, qui confirmandi sunt, et Patrini eorum, qui ut plurimum rudes reperiuntur, praefata fidei rudimenta recte norint, Parocho inprimis [ea] memoriter reddent, a quo singuli accipient suscipiendae Confirmationis schedulam, in qua nomina et cognomina confirmandi ejusque Parentum et Parocciae, necnon et Patrini seu Matrinae describentur cum testimonio, quod constet de requisitis: quam schedulam, ubi acceperint, alium Patrinum, quam in ea notatum, nemo sibi quisquam eligat: si autem eum mutare contigerit, alteram schedulam sibi conficiendam statim curet, in qua is adnotetur.

CAP. XIV. **Patrinus quinam esse debeat, et quot tenere confirmandos possit.**

Patrinus in Confirmatione non sit idem atque ille, qui de sacro fonte levavit, casu necessitatis excepto [4]; extra quem pariter ne unus ultra duos tenere permittatur.

CAP. XV. **Adulti confirmandi a peccatis sint expiati.**

Adulta jam aetate confirmandi, ut hujus Sacramenti gratiam et dona consequantur, non solum fidem et pietatem afferant, sed poenitentiae Sacramento a peccatis expientur, vel saltem actum contritionis eliciant.

[1] C. *Ut jejuni.* 6. ex Concil. Aurelian. c. 3. C. *Ut Episcopi.* 7. de consec. dist. 5.
[2] Cat. Roman. p. 2. cap. 3. de Sacram. confirm. §. 17.
[3] Conc. Prov. Mediol. I. part. 2. tit. 3. quae pertinent ad Sacram. Confirm. administrat.
[4] C. *In Catechismo.* 50. de consecrat. dist. 4.

a CAP. XVI. **Librorum Parochialium recta ratio praescribitur. Eorum exempla quotannis mitti et in Episcopali Archivo servari, praecipitur.**

Quilibet Parochus libros Baptizatorum et Confirmatorum ac tres alios libros Parochiales juxta formam Romani Ritualis conficiat; formulas namque illas ad placitum et inepte inventas Sancta Synodus detestatur: mandatque, ut Parochi iidem praefatorum librorum omnium exempla singulis annis ad Curiam Episcopalem, in illius Archivo servanda, transmittant [1]; si secus fecerint, arbitraria poena plectantur.

TITULUS XXXVII.

b ### *De Custodia Eucharistiae.*

CAP. I. **Sanctissima Eucharistia fideli custodia, clavibus adhibitis, servetur.**

Sanctissimae Eucharistiae Sacramentum, quo ipse sanctitatis auctor et fons continetur, non solum sancte et religiose a fidelibus tractari, sed fideli custodia, clavibus adhibitis, conservari debet.

CAP. II. **Pixis quaenam esse debeat, ostenditur.**

Pixis, in qua sacra mysteria reconduntur, argentea sit et intus auro delinita.

CAP. III. **Tabernaculi qualitas describitur. Vestis interior serica sit et alba.**

c Tabernaculum, in quo asservatur, decens sit et honorificum, scilicet ex ligno saltem deaurato cum veste serica interiore alba [2], in posterum saltem, non alterius coloris, bene firmum et ex omni parte clausum. In basi ejus vacua, nedum in eo, nihil ulterius custodiatur, etiam si essent sacrorum oleorum vasa vel Sanctorum reliquiae.

CAP. IV. **Lampas jugiter ardeat sumptibus Confraternitatis.**

Ante ipsum continuo una saltem lampas accensa colluceat, et in Parochialibus Confraternitatum SS. Corporis Christi expensis oleum subministretur.

CAP. V. **Renovatio particularum fragmentorumque discussio praecipitur.**

d Quolibet Dominico die SS. Eucharistia renovetur, et, ne fragmenta remaneant, particulae consecrandae cribro ad hoc servato mundentur.

CAP. VI. **In Cathedralibus propria sit pro Tabernaculo Cappella.**

Tabernaculum SS. Sacramenti in Cathedralibus non debet in ara maxima collocari pontificalium functionum gratia, quae renibus ad Altare versis persolvuntur.

[1] Concil. Provinc. Mediol. I. part. 2. tit. 2. quae pertinent ad baptismi administr.
[2] Acta Mediolan. Eccl. Instruct. fabr. Eccl. lib. 1. cap. 13. de Tabernaculo SS. Euchar. §. *Panno serico.* (Edit. Lugdun. I, 472.)

CAP. VII. Eucharistia neque a Secularibus neque a Regularibus, inconsulto Episcopo, publice exponatur. Ut privatim liceat, ostenditur.

Mandatur tam Secularibus quam Regularibus, ne SS. Eucharistiae Sacramentum publice adorandum exponant, nisi ex causa publica, ab Ordinario omnino probanda. Quodsi ex causa privata fecerint, tunc e Tabernaculo SS. Eucharistia non extrahetur, sed velata remanebit, ita ut ipsa hostia videri non possit.

TITULUS XXXVIII.

De Reliquiis et veneratione Sanctorum.

CAP. I. Quae antiquitus venerationi habitae sunt Reliquiae, nova non indigent probatione.

Antiquae Sanctorum Reliquiae, licet earum documenta scriptis consignata non extent, habeantur in illa veneratione, qua hucusque fuerunt.

CAP. II. Imagines sacrae serio penicillo exprimantur.

Sacrae imagines nil turpe, nil profanum nihilque, quod risum moveat aut intuentium oculos offendat, repraesentent [1].

CAP. III. Imagines non benedictae Altaribus non apponantur.

Hujusmodi Imagines Altaribus et Cappellis non apponantur, nisi prius ab Episcopo vel de ejus facultate stato ritu benedicantur.

CAP. IV. Putres Imagines igni absumantur. Cineres vergant in Sacrarium.

Imagines vetustate corruptae, si reparari non possint, comburantur, et cineres in Sacrarium projiciantur [2].

TITULUS XXXIX.

De observatione jejuniorum.

CAP. I. Quadragesimale jejunium quotannis pro observantia indicatur: Infirmis vero gratis consulatur.

Sicut bonarum mentium est ibi timere culpam, ubi culpa minime reperitur, ita, qui malae mentis sunt, bibunt iniquitatem velut aquam. Quocirca, ut consulatur utrisque, Episcopi quolibet anno in suis Dioecesibus tempore Sacrosanctae Quadragesimae edictum edant pro observatione jejunii, et interim Vicariis etiam foraneis et, his absentibus, Archipresbyteris tribuant facultatem, ut de consilio Medicorum licentiam vescendi cibis vetitis indigentibus valeant impertiri, quatenus debilibus et infirmis propter hoc periculum non emergat. Licentia vero omnibus omnino gratis concedatur.

[1] Conc. Prov. Med. I. p. 1. tit. 7. quae servanda sunt in sacr. imagin.
[2] Ex Cap. *Ligna.* 38. et C. *Altaris.* 39. de consecrat. dist. 1.

a CAP. II. Musica instrumenta quadragesimali tempore, maxime in majori Hebdomada, inhibentur.

Officiorum cum musicis instrumentis celebratio in Quadragesima et praesertim in majori Hebdomada non permittatur.

TITULUS XL.

De Ecclesiis aedificandis vel reparandis.

CAP. I. Nemo Ecclesiam erigat vel Altare, inconsulto Episcopo, et absque dote: hanc si Episcopus neglexerit, ipse manutentioni succumbat.

Aurelianensis Concilii constitutione, quae incipit: *Nemo Ecclesiam* [1], sancte statutum est, ut nullus no-
b vam aedificet Ecclesiam, antequam Episcopus Civitatis veniat et ibidem Crucem figat, publice atrium designet; et ante praefiniat, qui aedificare vult, quae ad luminaria et ad custodiam et ad stipendia Custodum sufficiant. Idipsum et in Altaribus erigendis servandum, Sancta Synodus mandat, cum ob dotis defectum multa, etiam in Cathedralibus, videantur Altaria adeo omni necessario ornatu destituta, ut Ecclesiam deforment: si quis autem Episcoporum neglexerit, ipse de proprio hujusmodi Altaris manutentioni succumbat [2].

CAP. II. Ecclesiis Altaribusque rite statuendis methodus servanda praescribitur.

Ut in Ecclesiis Altaribusve construendis certa me-
c thodus habeatur, instructiones a Coepiscopo nostro F. Marcello de Cavaleriis Ordinis Praedic., Gravinens., adinstar instructionum Ecclesiae Mediolanens. Italico sermone exaratas typisque datas, Sancta Synodus probat omnibusque servandas proponit.

CAP. III. Cathedralis Ecclesiae notabilis instauratio, si Episcopus et Canonici congruam vix habeant, Universitati de more Provinciae incumbit, huic Confraternitates suppetias venient.

Si Cathedralis Ecclesiae notabilis sive necessaria instauratio agenda sit, et Episcopus congruam alimentariam, nedum conciliarem, non habeat; Canonicorum quoque Praebendae eorum vix respondeant sustentationi: Sancta Synodus reparationem in nostra Provin-
d cia de more ad Universitates spectare, ad quarum levamen Confraternitates etiam, dempta obligationum satisfactione, contribuere teneri, declarat.

CAP. IV. In Ecclesiis restituendis et in exstructis nihil reaedificetur vel innovetur, inconsulto Episcopo.

Ecclesiae magna ex parte restituendae, inconsulto Episcopo, non restituantur, nihilque, eodem inscio, in jam exstructis et multo magis in Cathedralibus destruatur, reaedificetur vel innovetur [3].

[1] Cap. *Nemo Ecclesiam.* 9. de consec. dist. 1.
[2] Cap. *Cum sicut.* 8. juncta gloss. de consecratione Ecclesiae (III, 40).
[3] C. *Quicumque.* 44. XVI. q. 1. C. *Lator.* 3. XVI. q. 5. C. *Quidam.* 10. XVIII. q. 2.

CAP. V. Qui tenentur ad Ecclesias reparandas, compellantur.

Quae dirutae sunt Ecclesiae, per eos, qui de jure vel consuetudine compelli possunt, Episcopo satagente, reparentur [1].

CAP. VI. Decenti Altarium collocationi consulitur.

Altaria, quae alicui Ecclesiae columnae aut pilae inhaerent, sive organo vel Concionatoris suggestui subjiciuntur, aut e regione Principis Arae sita sunt: vel amoveantur omnino, vel in decentiorem locum reducantur [2].

CAP. VII. Profanae servitutes, nisi in fundatione vel ab immemorabili concessae fuerint, censuris etiam adhibitis, removeantur.

Absint ab Ecclesiis omnes profanae servitutes; et proinde, si in aliqua Ecclesia adsint portae vel fenestrae, quae a domibus Laicorum in eas promineant, curet Episcopus, ut omnino claudantur, et contra non parentes, servatis servandis, censuris ecclesiasticis procedat [3]. Si vero eadem in fundatione vel ex immemorabili consuetudine concessa fuerint, Episcopi conniventia non desideretur.

CAP. VIII. Laicis personis usus baldacchini et assistentia in presbyterio necnon osculum Evangelii inhibetur: ideoque hastae, gradus, suppedanea et alia quaecunque baldacchini signa removenda demandantur sub poena interdicti Ecclesiarum tam Secularium quam Regularium et censurarum contra inobedientes: sub eisdem censuris scamnorum et quorumcunque sedilium laicorum in presbyterio assistentiam prae se ferentium remotio praecipitur.

Quod Sanctae Sedis decreto generaliter sancitum est, ut secularibus personis usus baldacchini et assistentia in Presbyterio necnon osculum Evangelii minime permittantur, facta Episcopis potestate, ut in casu transgressionis, etiam contra Regulares, ad poenam interdicti procedant, ad amussim in universa nostra Provincia servandum mandamus; hanc enim nobis solicitudinem de ordine Sanctissimi Sacra Rituum Congregatio injunxit, datis litteris die 18. Junii 1689. Illud quoque animadvertendum tradimus, quod ad effectum, ut memoria pereat similis abusus, hastas, gradus, suppedanea et alia quaecunque signa baldacchini ab Ecclesiis suarum Dioecesum tam Secularium quam Regularium removere faciant, et quoad Ecclesias Regularium procedant ad interdicta et contra inobedientes ad censuras auctoritate Sacrae Rituum Congregationis. Denique, ut secularium personarum cujuscunque conditionis assistentia e Presbyterio prorsus deleatur, earum scamna et quaecunque hujusmodi sedilia inde omnino removenda et non obtemperantes censuris compellendos edicimus.

[1] Conc. Trident. sess. 7. de reform. cap. 8. et sess. 21. de reform. cap. 7.
[2] Conc. Provinc. Mediol. 4. par. 1. tit. 12. de cappel. et altaribus.
[3] Conc. Provinc. Mediol. 3. tit. 15. quae pertinent ad ornatum et cultum Eccles. §. *Sin autem.*

a **CAP. IX. Abusus sclopi in Ecclesiam deferendi detinendique censuris compescatur.**

Ne quis in Ecclesiam cum bellicis tormentis, quos sclopos vocant, ingredi neve in ea manere praesumat [1], censurarum poena proposita: nam et *nos, qui legitimi imperii armis circumdamur,* (sunt verba Theodosii junioris) *quosque sine armatis et stipatoribus esse non convenit, Dei Templum ingressuri foris arma relinquimus* [2].

CAP. X. Parlamenta aliaque negotia ab Ecclesia ejusque Coemeterio arceantur.

Nullus in Ecclesia et ejus Coemeterio parlamenta convocare et aliis negotiis dare operam audeat [3]: ne, ubi peccatorum est venia postulanda, ibi peccandi detur
b occasio, aut deprehendantur peccata committi.

TITULUS XLI.

De immunitate Ecclesiarum.

CAP. I. Ne quis auctoritate publica vel privata Ecclesiasticis personis, suisque praesertim Pastoribus, factis aut verbis conviciëtur neque communia deneget obsequia, anathemate cavetur.

Regalis fulgor praeclarissimus, quo Regis nostri fastigium caeteris praelucet, ille sane est, per quem Ecclesiastica immunitas defenditur et augetur; sunt tamen Dynastae nonnulli ita degeneres, ut quasi noctuae a tanto splendore extorres, in animarum suarum Episcopos tamquam in Medicum multa febre phrenetici insanientes, suis subditis, ne illis quicquam ven-
c dant aut emant aliquid ab eisdem aut alia obsequia exhibere praesumant, aliquando interdicant: sub quibus deterioris conditionis Sacerdotium factum videtur, quam sub Pharaone fuerit [4], qui, licet legis divinae notitiam non habebat, omnibus aliis servitute subactis, Sacerdotibus in libertate relictis alimoniam de publico administravit. Et quod deterius est, perniciosissimum hoc Dynastarum exemplum in privatas etiam personas surrepit. Quam impietatem Sancta Synodus detestans mandat omnibus et singulis Laicis, cujuscunque conditionis sint, etiam privatae: ne personas ecclesiasticas, praesertim in summo Sacerdotio constitutas, conviciis aut quibusvis factis aut verbis contumeliosis afficiant, neve comestibilium aliarumque rerum necessa-
d riarum venditionem aut equorum conductum neque communia obsequia denegare audeant, quoties Ecclesiastici justum praestant salarium, quod pro dictis obsequiis ab aliis persolvi solet, alias Ecclesiasticis censuris se noverint subjiciendos.

CAP. II. Beneficia in Oratoriis privatis non erigantur: erecta ad Ecclesias transferantur.

Cum privata Oratoria in domibus erecta Ecclesiae nullo pacto sint neque Ecclesiastica gaudeant immuni-

[1] Conc. Provinc. Mediol. 1. p. 2. tit. 57. de Eccl. et earum cultu.
[2] In act. Concil. Ephes. [vel potius in constit. Theodosii (Cod. Theod. IX, 45. Edit. Lips. a. 1738. t. III, 398), quae ad calcem Graecorum exemplarium Conc. Ephes. reperitur. Coleti, S. Concilia III. 1758].
[3] C. *Decet.* 2. de immun. Eccl. in 6. (III, 23.)
[4] Cap. *Non minus.* 4. de immun. Eccl. (III, 49).

tate, Sancta Synodus mandat: ut beneficia in eisdem a perperam erecta ad Ecclesias transferantur, et nulla deinceps in hujusmodi privatis Oratoriis Ecclesiastici beneficii institutio permittatur.

TITULUS XLII.

Ne Clerici vel Monachi secularibus negotiis se immisceant.

CAP. I. Clerici mercaturis et illicitis negotiationibus se implicantes juris remediis coerceantur.

Contra doctrinam Apostoli dicentis: *Nemo militans Deo implicet se negotiis secularibus,* turpiter illi veniunt, qui, Clericali militiae dato nomine, ad mercaturas*, et negotiationes illicitas se convertunt, status sui penitus obliti: hujusmodi negotiatores Clerici poenis b sacris Canonibus [1] et Apostolicis Constitutionibus contentis omnino coerceantur.

CAP. II. Clerici laicalibus non se ingerant jurisdictionibus: non vectigalium conductores fiant: pro Laicis dominis agentes seu vicesgerentes, factores vel negotiorum gestores ne sint; Poena transgressores deterreat.

Ecclesiasticis quoque omnibus Sancta Synodus mandat, ne laicalibus se implicent jurisdictionibus [2], neve publicorum vectigalium conductores fiant; nam quanto dignior Matthaeus e telonio ad Sacerdotium conversus, tanto indignior Clericus ad telonium reversus reputatur. Ne sub Clericatus praetextu non contenti franchitiis a jure concessis, quibus Regia pietate ac religione pacifice fruuntur, vectigalia eadem, Reipu- c blicae nervos, defraudent. Pro Laicis et Dominis temporalibus Agentes seu Vicesgerentes, Factores vel negotiorum gestores ne sint [3], neve eis inserviant, in iis praesertim muneribus, quae sine Clericalis ordinis dedecore nequeunt exerceri [4]. Qui secus fecerint, condignis poenis arbitrio Episcopi obnoxii reddantur.

TITULUS XLIII.

De Sponsalibus et Matrimoniis.

CAP. I. Conversationes inter Sponsos de futuro, proposita poena, inhibeantur.

Cum vix bono peragantur exitu, quae malo sunt inchoata principio, magna animadversione compescendi d sunt illi, qui, contractis pene sponsalibus de futuro, non secus inter se rem habent, atque matrimonio essent adjuncti, et ita puellae prius meretrices quam uxores evadunt. Quapropter Sancta Synodus ad hoc grave scelus eliminandum commercia et conversationem inter Sponsos de futuro, antequam matrimonium per verba de praesenti contrahant, interdicit, mandatque, ut Episcopi poena per eos statuenda et locis piis applicanda transgressores pro qualibet vice cohibeant.

[1] Ex C. *Sacerdotibus.* 2. ne Clerici vel Monachi. (III, 50). C. *Consequens.* 2. dist. 88. Cap. fin. de vita et honest. Cleric. (III, 1).
[2] C. *Sed nec.* 4. Ne Clerici, vel Monachi (III, 50).
[3] d. C. *Sed nec.* et C. *Sacerdot.* 2. eodem tit. ne Clerici vel Monachi.
[4] Conc. Provinc. Mediol. 1. par. 2. tit. 26. de negot. secularibus, etc.

CAP. II. Sponsorum consensus ante denunciationes explorandus, ut violentiae suspicio deleatur. Caeterum Sancti Officii instructiones serventur.

Ut omnis violentiae suspicio in matrimoniis tollatur, Sancta Synodus Parochis injungit, ut, antequam ad denunciationes deveniant, Sponsorum consensum explorent: in reliquis vero Sancti Officii instructiones omnino serventur.

CAP. III. Sine causa ab Episcopo probanda Matrimonium domi ne celebretur. Hujusmodi facultas nonnisi ea die confessis et Sacra Communione refectis concedatur.

Etsi matrimonium domi celebratum coram Parocho et Testibus in facie Ecclesiae contractum dicatur, decentius tamen est, ut in propria Ecclesia celebretur. Idcirco Sancta Synodus mandat, ne domi hujusmodi celebratio permittatur, nisi causa legitima existente, examinanda et approbanda ab Episcopo, qui absque causa praedicta et *nisi illa die confessi fuerint ac sacra communione refecti* [1], ut id domi fiat, concedere non debet; nam quanta maxima fieri potest, reverentia Sacramentis exhibeatur, oportet.

TITULUS XLIV.

De accusationibus, inquisitionibus et denunciationibus.

CAP. I. Libelli famosi rejiciantur. Contra non infamatum super veritate criminum inquiri non debet, etiam si libellus famosus contra eum oblatus fuerit in secreto.

Si detrahentem secreto proximo suo persequi debemus, Propheta Rege docente, quanto magis iniquis eorum scriptis nullam praestare fidem tenemur? Idcirco Sancta Synodus mandat, ut libelli infamationis, absque ulla subscriptione vel fictis nominibus subscripti, prorsus rejiciantur; nec ad petitionem eorum, qui libellum praedictum porrigunt in occulto, procedatur ad inquisitionem super contentis ibidem criminibus faciendam, nisi fama seu clamores delicti adversus eum, contra quem porrectus est libellus, praecesserint [2].

CAP. II. Casus, quo Actuarii et Notarii testium dicta non integre, sed pro parte ad fisci favorem recipiunt, Episcopo adnexa censura reservandus.

Episcopi, pauperum Patres et defensores, Actuarios et Notarios illos, qui, corrupta conscientia, testium ab ipsis examinatorum dicta non integre describunt, sed tantum pro parte, quae in fisci favorem facit: ex qua malitia et mutilatione infinita propemodum damna pauperibus irrogantur et in magnum inquisitorum, fortasse Innocentium, praejudicium vergunt, censuris Ecclesiasticis compescant et hunc sibi casum reservent, quem pientissimus quoque Rex noster sibi suoque Proregi plectendum reservavit [3].

[1] Ex Rit. Rom. de Sacram. Matrim. in rubric. versic. *Admoneantur.*
[2] Cap. *Inquisit.* 21. §. *Tertiae dubitationis.* de accusation. (V, 1).
[3] Pragm. 6. de Actuar. et Scribis.

TITULUS XLV.

De Simonia.

CAP. Unicum. Pii IV. et V. super confidentia simoniaca Sanctiones saltem semel in anno evulgentur.

Innotuit Sanctae Synodo, nonnullos in hac Provincia ignoranter Simoniae labe foedari: quocirca tanto malo obviam ire peroptans mandat animarum Provinciae Rectoribus, ut Pii IV. [1] et V. [2] summorum Pontificum super confidentia Simoniaca sanctiones emanatas saltem semel in anno publicare non praetermittant.

TITULUS XLVI.

De Magistris.

CAP. I. Seminariorum institutio commendatur.

Cum proverbium sit [3]: Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea: necesse est, ut adolescentium aetas a teneris annis viam mandatorum Dei ingrediatur, ut usque in senectam et senium eandem dilatato corde percurrat. Cujus rei gratia Sacrosancti Trid. Conc. decreto [4] sancitum est, ut singulae Cathedrales et Metropolitanae pro modo facultatum et Dioecesis amplitudine collegia puerorum instituant, quae Dei ministrorum perpetua sint Seminaria. Pro qua institutione nihil aptius, nihil uberius in nostra Provincia decerni potest, quam quod sub cl. mem. Cardinali Archiepiscopo Jacobo Sabello Praedecessorum nostrorum Sancta Synodus sanxit anno 1567. decreto, quod subnectimus et innovandum censemus.

CAP. II. Decretum Provincialis Concilii de anno 1567. transscribitur, quo ratio seminarii instituendi exhibetur. Bonorum Ecclesiasticorum taxatio conficienda proponitur.

„Ut vero, quae pro institutione Seminarii Clericorum a S. Trid. Synodo statuta sunt, exequantur, ne hoc tam pium, sanctum et huic Provinciae maxime necessarium opus omittatur aut aliquo pacto differatur, decernimus, ut, ubi id Seminarium jam institutum non est, Episcopi statim a fine hujus Provincialis Synodi instituendum curent praescripta forma a dicto Trid. Conc.: ita tamen, ut ex fructibus cujuscunque mensae Episcopalis et Capituli aliarumque Ecclesiarum Collegiatarum et quorumcunque beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura et sine cura, Abbatiarum, Prioratuum et, quocunque alio nomine nuncupentur, etiam Regularium et exemptorum, etiamsi nullius Dioecesis fuerint (Mendicantium Ecclesiis et praeceptoriis Militum Sancti Joannis Hierosolymitani et aliis Collegiis, in quibus seminaria discentium vel docentium ad commune Ecclesiae bonum promovendum actu
a habentur, dumtaxat exceptis) et ex quibuscunque aliis Ecclesiasticis reditibus, quocunque ii nomine vel causa percipiantur, etiamsi pensiones quantumlibet exemptae fuerint, quinque pro centenario annis singulis exigantur; quam summam imminui et augeri posse decernimus ab Episcopis, communicato consilio cum iis, qui ad id munus delecti fuerint, prout accepti et expensi seminarii ratio postulabit."

CAP. III. Taxatio vel in totum vel in partem remittenda ad ratam beneficiorum simplicium, quae seminario erecto uniri contigerit.

„Hanc autem exactionem inchoandam et faciendam statuimus pro anno jam elapso 1566. in illis Ecclesiis, in quibus Episcopi ex decreto Concil. Trid. id Seminarium jam instituendum denunciaverunt,
b in aliis vero pro praesenti anno, et ita deinceps unoquoque anno prosequendam, donec Seminario aliquot beneficia simplicia, prout ea vacare contigerit ex auctoritate et praescripto Concil. attributa et unita fuerint: quae si summam exigi mandatam confecerint, omnino exactio remittatur: sin minus, pro rata fructuum beneficiorum illi attributorum remittatur."

CAP. IV. Ubi Seminarium erigi non potest, taxatio tamen fiat, ad cujus rationem Clerici in Seminarium Metropolitanum sive aliud in Provincia institutum mittantur. Datur quoque ratio Seminarii instituendi, ubi tenues sunt reditus. Alumnorum quae aetas et qualitas, convictorum quae ratio habenda, praescribuntur.

c „Ubi vero id Seminarium commode institui non potest propter tenuitatem redituum tam Cathedralis Ecclesiae quam aliorum beneficiorum Civitatis et Dioecesis, quae illi contribuere debent, Seminario Beneventano aut in aliqua suffraganeorum commodiori et viciniori Ecclesia instituto aut instituendo contribuant: et pro rata pecuniarum, quae a dictis Ecclesiis exigentur, aliquot ipsarum Clerici in dictae Metropolitanae Ecclesiae aut alterius (ut dictum est) Seminario alantur et instruantur. Si vero Episcopis videbitur commodius in suis Ecclesiis, quocunque modo poterunt, hujusmodi Seminaria instituere, quam Seminario Benev. aut in aliis vicinioribus Ecclesiis instituendis contribuere: eo, quo meliori et commodiori fieri modo poterit, instituantur. Quodsi hujusmodi Seminariorum faculta-
d tes non suppetent in eis instituendorum victui vestituique et libris emendis et Magistrorum salariis persolvendis: Episcopi, deductis ex fructibus reditibusque Seminariorum necessariis sumptibus librorum comparandorum et salariorum persolvendorum, quod reliquum erit, Clericis in Seminario recipiendis pro rata elargiri faciant, quod eorum vitae aliqua ex parte sustentandae et studiis prosequendis auxilio esse possit; ita tamen, ut servitiis etiam Cathedralis aut aliarum Ecclesiarum, prout Episcopis videbitur, inhaereant. Praecipua vero Episcoporum cura sit, ut in aetate duodecim saltem annorum constituti et, qui legere et scribere sciant, juxta praescriptum Concilii in Seminario recipiantur. Alii vero, etiamsi suo sumptu re-

---

[1] Constit. 85. *Romanum Pontificem.* d. 16. Oct. 1564.
[2] Constit. 85. *Intolerabilis.* d. 1. Junii 1569.
[3] Prov. 22, 6.
[4] Sess. 23. de reform. cap. 18.

cipi velint, si primis elementis imbuendi sint, rejiciantur, ut a Magistris, qui ab Universitatibus conducentur, edoceantur."

CAP. V. **Adulti Sacris initiandi, si spes adsit profectus, et pauperes presbyteri in Seminarium admittantur: hi, ut suo muneri satisfaciant, illi, ut Parochialibus praefici possint.**

„Quoniam vero in hac Provincia pauci reperiuntur idonei Presbyteri, quibus animarum cura recte committi possit; ne Ecclesiae diu idoneis Rectoribus destituantur, quod eveniret, si exspectandum esset, ut pueri solummodo hujus rei causa in Seminario instituerentur: hortamur Episcopos, ut homines etiam adulti, quos sperandum sit in litteris ita profecturos, ut brevi ad sacros etiam Presbyteratus ordines promoveri possint, atque pauperes Presbyteri, qui absque beneficio jam promoti existunt, in Seminario ab ipsis recipiantur et ibi edoceantur: ut Sacerdotali ordini, quem jam susceperunt, satisfacere et Parochialibus Ecclesiis praefici possint."

CAP. VI. **Seminarii Metropolitani fundatio, consummatio, concinnatio necnon domus ab integro post terrae motum nobilis erectio recensentur.**

Hactenus decretum praefati Cardinalis Archiepiscopi Sabelli, qui exemplum omnibus praebens Seminarium in Metropolitana fundavit eodem anno 1567., quod deinde Maximilianus Archiepiscopus de Palumbaria consummavit anno 1591. et Jo. Baptista Foppa Archiep. concinnavit anno 1653. Sed terrae motu anno 1688. integra Seminarii domo collapsa, modernus Archiepiscopus, hujus Sanctae Synodi Praeses, ne Metropolitana tanto beneficio destitueretur, summa providentia a s. m. Alexandro PP. VIII. die 28. Februarii 1690. obtinuit, ut quatuor milia aureorum, quae fel. record. Innocentius Papa XI. Dioecesanis ob domorum ruinas pauperibus per Archiepiscopum distribuenda destinaverat, cum exigua singulos prae multitudine summa inutiliter tangeret, omnia in Seminarium restituendum ad perpetuum hujus Civitatis et Dioecesis auxilium impenderentur. Quamobrem eodem Metropolita instante, Sancta Synodus tres delegit Commissarios, suos scilicet Coepiscopos, Joannem Baptistam de Bellis Telesinum, Franciscum Antonium Punzi Asculanum, Pompejum Sarnellium Vigiliensem, qui Seminarium in Metropolitana restitutum visitarent; qua visitatione peracta, SS. Patribus retulerunt, Seminarium ipsum non solum restitutum, sed impensis praefatam quatuor millium aureorum summam longe exsuperantibus in ampliorem et nobiliorem formam evectum hoc anno 1693. adeo, ut de eo affirmarint, majorem esse gloriam domus istius novissimae plusquam primae.

CAP. VII. **Nonnullis commendatis Episcopis, qui Seminariis studium suum navarunt, reliquis id muneris pro eorum conscientia injungitur: addito, quod Confraternitatum quoque subsidio uti possint.**

Tantum laudati Cardinalis Archiepiscopi Sabelli exemplum non omnes tunc imitati fuere, sive morte praeventi, sive redituum tenuitate deterriti. Tempori-

a bus tamen nostris suscitavit Deus Oniae filio consimiles, qui vel aedificarunt vel suffulserunt tantae pietatis domum, nempe Coepiscopi et Fratres nostri: Carolus Felix Matta S. Severi ac Joseph de Lazara Alliphanus, quorum alter anno 1680., alter anno 1692. ab integro erexerunt, Joseph Catalanus Larinen. anno 1687. restituit, Franciscus Antonius Giannonus Bovianen. anno 1686. instituit. Quare Sancta Synodus mandat, ut ad tenorem relati Synodalis decreti ii, quibus in sua Dioecesi Seminarium erigere possibile est, super quo eorum onerat conscientiam, instituant; et ut ad formam Trident. Confraternitates quoque ad contributionem inducant, Sacrae Congreg. Episcoporum decretum extat in Sypontina die 10. Novembris 1679., quod
b eos rem facili negotio expediendam admonebit.

CAP. VIII. **In Cathedralibus, in quibus nec Seminarium institui, nec Alumni ad institutum mitti possunt, sit Grammaticae Magister, Ecclesiae vel Universitatis stipendio conductus sive competenti beneficio provisus.**

Illi vero, qui tanta tum Cathedralis Ecclesiae tum aliorum beneficiorum Civitatis et Dioecesis necnon et Confraternitatum redituum tenuitate laborant, ut nec Seminarium instituere, nec in alio Provinciae Seminario Clericos alere possint, in unaquaque Cathedrali grammaticae Magistros Ecclesiae vel Universitatum, ubi mos est, stipendio conducant, qui gratis Clericos doceant, aut eis de aliquo competenti beneficio provideatur.

c CAP. IX. **Clerici studiorum causa dimissi non privatos, sed publicos in Collegiis et Academiis audiant Philosophiae Magistros et, nisi ea de re authenticum Episcopo deferant testimonium, a docendi officio, a suscipiendis ordinibus et ab Ecclesiasticis gradibus arceantur.**

Adolescentium aetatem a primis annis sana doctrina imbutam velle, est per totum vitae cursum eosdem pietati et religioni addicere. Quapropter cupiens Sancta Synodus Provinciam ab omni errorum labe sartam tectam custodire, districte praecipit, ne Clerici Neapolim seu alio studiorum causa sive missi sive mittendi, privatos Philosophiae Magistros audiant; sed eam vel a Regularibus in Collegiis, vel in publicis Academiis addiscant, unde authenticum testimonium suis deferant Epi-
d scopis; alias nec docere in sua patria neve ad Superiores ordines et Ecclesiasticos gradus assumi permittantur.

TITULUS XLVII.

De Haereticis.

CAP. I. **Omnes et singuli Provinciae Parochi quotannis Dominica prima Adventus et prima Quadragesimae Edictum Sancti Officii promulgent.**

Omnem haeresim extollentem se adversus Sacrosanctam Orthodoxam et Catholicam Fidem Sancta Synodus detestans et anathematizans, cum deprehenderit, aliquos ob malitiam, nonnullos ob inobedientiam, complures ob ignorantiam illi obligationi non satisfa-

a cere, qua delicta ad Sanctum Officium spectantia denunciare tenentur; ne quis alios, cum possit, ab errore non revocans, se ipsum errare demonstret; mandat omnibus et singulis Provinciae Parochis, ut quotannis Dominica prima Adventus et prima Quadragesimae Edictum Sancti Officii in Appendice inserendum evulgent, ut cognitis poenis, quibus negligentes se ipsos adstringunt, eidem edicto pareant, ne communicare operibus aliorum malignis videantur.

CAP. II. Episcopi attendant, ne nova dogmata alicubi suarum Dioecesum radices figant; sed unusquisque oves suas in doctrina sana contineat.

Quae Pastoralis solicitudo cumprimis requiritur hac nostra tempestate, qua Diaboli invidia subintraverunt b quidam homines, secundum desideria sua ambulantes in impietatibus, quorum quidam Michael de Molinos cum aliis perditae salutis sequacibus gregem inter Dominicum zizania falsorum dogmatum, fidei puritati et bonis moribus adversantium, superseminavit: quae intuitus ex Apostolicae Sedis specula s. m. Innocentius Papa XI. sua constitutione sub die 12. Decembris 1687. reprobans tanquam haereticalia damnavit. Alii segregant semetipsos animales, spiritum non habentes; unde et nesciunt Sacramenta Dei, neque mercedem sperant justitiae, nec judicant honorem animarum sanctarum. Ad quos errores eliminandos Sancta Synodus Episcopos pro debita cura ovium a Christo Domino illis commissarum etiam atque etiam hortatur, quatenus depositum custodientes devitent profanas vocum novitates c et appositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes [1] circa fidem exciderunt; omnemque diligentiam adhibeant, ne falsa hujusmodi dogmata alicubi radices figant, et amplectentes eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, potentes sint exhortari in doctrina sana et eos, qui contradicunt, arguere.

TITULUS XLVIII.

De Graecis. Ne in Schismaticorum errores incidant.

CAP. I. Parochi Graeci baptizatorum infantium frontes ne consignent. Eorum notetur euchologium. Sic consignati ab Episcopo Latino confirmentur sub conditione, [nisi [2]] forte d ab Episcopo Graeco baptizati fuerint. Chrisma nonnisi ab Episcopo accipere compellantur.

Cum in nonnullis Provinciae nostrae Dioecesibus Graeci, alii simul graecanico ritu viventes, alii inter Latinos, alii Latini inter Graecos mixti commorentur: ad eos in officio continendos Sancta Synodus, constitutionem sive instructionem Clementis PP. VIII., quae incipit [3]: *Sanctissimus*, servandam exhibens, mandat, ne Parochi Graeci baptizatos infantes Chrismate in fronte consignent. Ideo Episcopi, eorum Euchologium sive Rituale visitantes, advertant eos, ut in ordine Baptismi praetermittant, quae sequuntur post illa verba: *καὶ μετὰ τὴν εὐχήν: post orationem, etc.* usque ibi: *εἶτα ποιεῖ ὁ ἱερεὺς σχῆμα κύκλου: postea facit Sacerdos figuram circuli.* Inter quae verba forma hujus consignationis habetur. Si qui vero infantes seu alii baptizati a Presbyteris Graecis de facto Chrismate in fronte consignati fuerint, ab Episcopis Latinis confirmentur sub conditione, praesertim cum verisimiliter dubitari potest, quod ab Episcopis Graecis fuerint baptizati [1]. Chrisma vero, quod nisi ab Episcopo (etiam juxta eorum ritum) benedici non potest, ab Episcopo Latino cogantur accipere.

CAP. II. Eucharistia quindenis saltem diebus renovetur; nullo pacto servetur in annum. Abusus sacrarum specierum eliminentur. Parochi Graeci in fermentato [Latinis] non ministrent, Latini a Latinis suscipiant.

Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum toto anno pro infirmis minime deinceps asservetur, sed singulis octo diebus aut saltem quindecim renovetur. Caveantque, ne fundant vel misceant sacro oleo ac iterum coquant vel alias exsiccent species Sacramenti SS. Eucharistiae feria V. in Coena Domini, ut deinde illud asservetur. Parochi vero Graeci nullo tempore SS. Eucharistiam in fermentato confectam Latinis Parochianis ministrare praesumant; sed hi Latinum Oeconomum, ab Episcopo approbatum, convocent, ut Paschali Praecepto satisfacere valeant.

CAP. III. Presbyteri Graeci super communem vestem albam prius, deinde stolam et phelonium adhibeant.

Sacerdotes super communem vestem, ut alicubi fit, stolam et phelonium non adhibeant, nisi prius tunicam, quam στιχάριον Sticharion vocant, induerint. Haec deberet esse candida, ut Sanctus Germanus Constantinopolitanus Patriarcha expressit, inquiens: *Ac primum tunica, quae alba est, Divinitatis splendorem indicat et Sacerdotis splendidam conversationem;* licet variorum colorum albam in usum deduxerint.

CAP. IV. Absolutionis forma in Generali Concilio Florentino tradita utantur. In casu necessitatis tantum Presbyteri Graeci Catholici Latinos absolvere possunt.

Illa absolutionis forma, quae in Generali Concilio Florentino praescripta est, utantur, et postea, si voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma hujusmodi absolutionis dicere tantum consueverunt. In casu tamen solius necessitatis Presbyteri Graeci Catholici possint Latinos absolvere.

---

[1] 1. Tim. 6, 20—21.

[2] * In Synodico S. Benevent. Eccl. male: *ne*.

[3] Const. XXXIV. d. 31. Aug. 1595.

[1] * Synodus hic fere ea repetit, quae Clemens VIII. supradicta constitutione §. 1. praeceperat: „*Episcopi Latini infantes seu alios baptizatos a presbyteris Graecis de facto chrismate in fronte consignatos confirment; et tutius videtur, ut cum cautela et sub conditione id faciant . . . ., praesertim vero quum verisimiliter dubitari potest, quod ab Episcopis Graecis fuerint baptizati.*“ Verumtamen Benedictus XIV. infantes sic baptizatos, nisi verisimiliter dubitari possit, utrum ab Episcopis Graecis . . . . fuerint baptizati, absolute ab Episcopo Latino confirmari jubet. (Const. *Etsi Pastoralis.* §. 3. d. 26. Maji 1742.)

CAP. V. Graeci Episcopo Latino subjecti, nisi ab eo ad ordines suscipiendos dimissi fuerint, in poenas et censuras, ut Latini subditi, incurrunt.

Graeci sine litteris dimissorialibus Episcopi Latini, cui subsunt, ad Sacros Ordines promoti suspensi sunt: et si suspensi in suis ordinibus ministraverint, irregulares fiunt, quemadmodum et Latini; pro qua irregularitate dispensandi facultatem a Sancta Sede obtinere oportebit.

CAP. VI. Presbyteri Graeci Latino et Latini Graeco ritu celebrantes a divinis perpetuo suspenduntur.

Graeci Sacerdotes Latino more non celebrent, neque Latini Graeco ritu sacra peragant Mysteria, sub poena perpetuae suspensionis a Divinis [1].

CAP. VII. Decretum Sac. Conc. Trid. de reform. Matrimonii Graeca vulgari lingua Graecis publicetur. Caeremoniae non approbatae in matrimonio contrahendo inhibeantur.

Locorum Ordinariis curae sit, ut decretum Sac. Gener. Concilii Trid. *de Reformat. Matrimonii* [2] vertatur in linguam Graecam vulgarem et in locis et Parochiis Graecorum et Albanensium publicetur. Eisdemque injungatur, ne in celebratione hujus Sacramenti caeremonias varias et ab Ecclesia non approbatas et (quod deterius est) superstitiones adhibeant.

CAP. VIII. Simplicem fornicationem peccatum esse mortale, Graeci edoceantur.

Parochi Graeci doceant, simplicem fornicationem, nempe soluti cum soluta, peccatum esse mortale; ait enim Apostolus: *Nolite errare, neque fornicarii Regnum Dei possidebunt* [3].

CAP. IX. Conjugati Latini conjugum Graecorum ritum non sequantur, sed conjugati Graeci, si fieri potest, conjugum Latinorum ritum amplectantur, alias quisque in suo ritu, catholico tamen, permaneat. Proles patris ritum sequatur, ni praevaleat mater Latina, ad hoc tamen cogendi non sunt.

Maritus Latinus Uxoris Graecae ritum non sequatur; Latina Uxor non sequatur ritum Mariti Graeci. Graeca vero Uxor sequatur ritum Mariti Latini, si fieri potest, alias quisque conjugum in suo ritu, Catholico tamen, manere permittatur: Proles autem Patris ritum sequatur, nisi praevaluerit Mater Latina, quae cum in educatione puerorum videatur praevalere, deberent filii servare ritum Latinum, licet cogendi non sint.

CAP. X. Graeci inter Latinos dies festos Latinorum servent. Usus carnium die Sabbati in eorum locis permittitur. In Quadragesima eo die teneantur tantum ad abstinentiam, excepto Sabbato Sancto. Cum triduanum indicitur jejunium, dies Sabbati pro Graecis in alium diem commutetur.

Graeci inter Latinos degentes dies festos de praecepto ejusdem Latinae Ecclesiae servare tenentur. Tolerandus vero usus carnium die Sabbati, ubi sine scan-

[1] Pius V. const. XII. *Providentia Romani Pont.* d. 20. Aug. 1566.
[2] Sess. 24. per totum usque ad c. 10.
[3] 1. Cor. 6, 9.

a dalo fieri potest; in locis tamen ipsorum et inter eos tantum, cum ipsi qualibet hebdomada et feria IV. et feria VI. jejunent. Tolerandum quoque est, ut ad jejunium eodem die Sabbati in Quadragesima, excepto uno Sabbato Sancto, ex antiqua traditione non teneantur, sed dumtaxat ad abstinentiam. In jejuniis quoque biduanis vel triduanis, vel alias a Dioecesanis vel in Jubilaeis a Summo Romano Pontifice indictis, dies Sabbati in eis comprehensus vel praescriptus in alium diem pro plebibus Graecis ab ipsis Dioecesanis auctoritate Apostolica jam concessa permittitur commutari.

CAP. XI. Status Animarum alter Latinorum, alter Graecorum fiat, ne cuivis eorum de ritu in ritum cum scandalo transire contingat: quod si Latino evenerit, ad Latinum ritum redire censuris compellatur.

b

Ne tandem ob rituum promiscuitatem Latini de facili ad Graecorum ritum transeant, et Graeci in Latinum, et de Latino deinde ad Graecum revertantur, unde plurima scandala oriri solent: Episcopi statum animarum distinctissime formandum praecipiant, alterum Graecorum, alterum Latinorum, et hujus in Cancellaria Episcopali duplicatum servent; et si quando Latinum in Graecorum ritum abire aut Graecum, Latinum factum, in Graecanicum ritum redire compererint, Ecclesiasticis censuris ad Latinum ritum redire compellant.

TITULUS XLIX.

c

De his, qui filios occiderunt.

CAP. Unicum. Parentes sive Nutrices infantem infra annum secum in lectulo non teneant.

Peremptores potius quam Parentes dicendi sunt illi, qui infantes secum in lecto, nulla tenellae aetatis habita ratione, tenentes, dum stertunt, incaute opprimunt et somno sepulti vix natos sepulcris addicunt [1]. Ad hoc periculum avertendum Sancta Synodus mandat Parentibus sive Nutricibus, ne infantem infra annum secum in lectulo teneant; sed in cunabulis aliisve locis adeo aptatis, ut cum infantis securitate Mater vel Nutrix, sive lac praestans, sive alia necessaria exhibens, commode agat.

d

TITULUS L.

De Infantibus et languidis expositis.

CAP. Unicum. Infantem expositum, cujus Parentes ignorantur, ii, ad quos spectat, suscipiant et hujusmodi alere consuetis tradant.

Si ob relegatum pietatis officium infans aliquis expositus, cujus Parentes ignorantur, occurrat, monentur omnes, ad quos spectat, ut, qua par est, charitate eum suscipiant et vel in expositorum domum, si qua existat, vel ad locorum magistratus, qui pro sua pietate abjectos alere consueverunt, deferre non praetermittant.

[1] Ad text. in C. *Quaesitum*. 7. de poenit. et remission. (V, 38).

TITULUS LI.

De Usuris.

CAP. Unicum. Confessarii tractatibus de Usuris et Restitutione studeant, ut poenitentibus recte consulentes eosdem a tanto crimine deterreant.

Qualiter Usurarii utriusque testamenti pagina condemnentur, nequaquam attendunt Confessarii illi, qui perniciosa indulgentia eos absolvunt et ad Sacramenta admittunt, licet eosdem videant in hujusmodi persistere pravitate. Quapropter Sancta Synodus Confessarios in Domino exhortatur, ut Usurarios in confessionibus diligenter examinent eorumque conscientiis recte consulant. Quod ut maturius exequantur, tractatus de Usuris et Restitutione probe calleant, ut poenitentes a tanto crimine valeant cohibere.

TITULUS LII.

De injuriis et damno dato.

CAP. I. Super damnis datis juris conductores, si cum pecudum jumentorumque possessoribus conveniant, ut, certa soluta pecunia, per annum ob quaevis illata damna a poena sint immunes, tamdiu Sacramentalis absolutionis beneficio priventur, quamdiu damnum illorum causa illatum non refecerint. Confessarii vero hujusmodi non absolvant, alias, damni rei, per annum a Confessionibus audiendis sint suspensi.

Divino jure decretum accipimus [1]: *si laeserit quispiam agrum vel vineam et dimiserit jumentum suum, ut depascatur aliena: quidquid optimum habuerit in agro suo vel in vinea, pro damni aestimatione restituet.* Idcirco divino, nedum humano juri rebelles sunt, qui jus super damnis datis in depopulationem agrorum conducentes, quatenus et conducti pretium et lucrum faciant cum iis, qui animalia cujuscumque generis habent, conveniunt, ut, certa soluta pecunia, per annum ob quaevis damna, quae eorum animalia cujusvis sive Ecclesiasticae sive laicalis personae agris, vineis aliisque bonis dederint, ab omni poena sint immunes: cujus impiae conventionis causa contingit, ut neque Ecclesiastici, quod contra immunitatem, neque Laici, quod contra justitiam est, a susceptis damnis releventur. Has itaque iniquas conventiones [2] Sancta Synodus detestans mandat, ut, si qui deinceps in tantum malum inciderint, quoniam, qui causam damni dat, damnum dedisse videtur, tamdiu Sacramentalis absolutionis beneficio priventur, quamdiu damnum eorum causa illatum non refecerint. Si quis vero Confessarius neglexerit, ipsum Episcopi ad damnum reficiendum compellant [3] et per annum ab audiendis confessionibus reddant abstentum.

CAP. II. Ecclesiasticorum Ecclesiarumque animalia si damnum dederint, ad damnum tantum, non ad statuti poenam tenentur. Si eorum culpa id evenerit, ab Episcopis plectendi.

Si animalia ad Ecclesiasticorum Patrimonium Ecclesiarumve bona spectantia damnum dederint, Eccle-

[1] Exod. 22, 5.
[2] C. *Si laeserit.* 4. de injur. et damno dato (V, 36).
[3] Can. *Pessimam.* 32. XXIII. q. 8.

a siastici ad emendationem et satisfactionem damni, non autem ad poenam statuti laicalis tenentur. Si vero eorum culpa datum sit damnum, a proprio Episcopo pro culpae ratione plectentur.

TITULUS LIII.

De Poenis.

CAP. I. Poenae pecuniariae non passim imponantur. Exacte piis locis applicentur. Deligatur Depositarius, qui applicandas fideliter servet, nihil nisi de Ordinarii mandato impendat et in fine anni coram Episcopo et duobus de Capitulo reddat rationem.

Cum sobrie admodum et non sine magna circum-
b spectione excommunicationis gladius sit exercendus, ne perniciem potius pariat quam salutem; ideoque ad continendos in officio, quos oportet, multis potius pecuniariis sit procedendum: nihilominus Sancta Synodus Episcopos omnes hortatur, ne in multis imponendis multi sint, et quatenus pecuniarias poenas pro qualitate delicti et delinquentium exigere velint, eas ad Trident. praescriptum [1] piis applicent locis, nec ullo modo multarum pecunia ab Ordinario conservetur; sed multarum Depositarius eligatur, qui et de fidelitate servanda cautionem exhibeat, et nihil nisi mandato Ordinarii subscriptione vallato expendere audeat: et in fine anni coram Episcopo et duobus Capitularibus seu Canonicis, quorum Canonicorum alter ab Episcopo, alter a Capitulo deligentur, dati et accepti reddet
c rationem.

CAP. II. Multas piis locis patriae delinquentis applicari decet.

Convenit quoque, ut multae applicentur piis locis patriae delinquentis, ne quidquam de radice cupiditatis et avaritiae prodire videatur.

CAP. III. Si causa gravis non sit, compositiones admitti possunt; terminato tamen processu et defensionibus reo datis: alias compositiones nullae sint, et processus nondum conclusus habeatur.

Compositiones cum magna circumspectione admittantur, nempe si causa valde gravis non sit, et tunc, terminato processu, et defensionibus reo datis; alias factae compositiones nullae sint, et processus insopi-
d tus, ut ajunt, habeatur.

TITULUS LIV.

De Poenitentiis et Remissionibus.

CAP. I. Propositiones a Sancta Sede Apostolica damnatae sub Alexandro PP. VII. et Innocentio PP. XI. in quibuscumque Provinciae Dioecesibus evulgentur.

Ut Pastores oves sibi creditas per rectas semitas ducant et a noxiis pascuis, quae a pravis doctrinis erumpunt, avertere satagant: mandat Sancta Synodus, ut propositiones a Sancta Sede Apostolica damnatas

[1] Sess. 25. de reform. cap. 3.

in suis Dioecesibus evulgent. Alexander siquidem Papa VII. die 24. Septembris 1665. et die 18. Martii 1666. propositiones quinque et quadraginta damnavit: Innocentius quoque PP. XI. die 2. Martii 1679. quinque et sexaginta similiter damnatas publicavit. Alexander denique PP. VIII. primo decretum edidit tenoris, qui sequitur.

CAP. II. Decretum Alexandri PP. VIII., quo extensio Juris Regaliae et declaratio Ecclesiasticae potestatis cum quatuor in ea contentis propositionibus nulla et irrita declarantur.

„Alexander Papa VIII. Ad Perpetuam Rei Memoriam. Inter multiplices pastoralis officii nostri curas, quibus jugiter premimur, in illam peculiari studio incumbimus, ut Apostolicae Sedis ac universalis Ecclesiae, necnon etiam singularum Ecclesiarum locorumque piorum ac Personarum Ecclesiasticarum Jura ubique sarta tecta ac illibata tueri et conservare, eaque adversus quaecumque, per quae illis aliquid detrimenti inferri posset, tradita Nobis Divinitus potestate vindicare satagamus, sicut, omnibus mature ac debite pensatis, Justitiae ac rationi consentaneum esse, in Domino arbitramur. Cum itaque, ex quo primum humilitatem nostram inscrutabili Divinae suae Providentiae arcano in suprema Militantis Ecclesiae specula collocavit Altissimus, prae caeteris, quae Pontificiae nostrae solicitudini sese obtulere, negotiis illa in primis gravissima ac Nobis, qui Charissimum in Christo filium nostrum Ludovicum, Francorum Regem Christianissimum, ac florentissimum illius Regnum in visceribus gerimus charitatis, permolesta et plane acerba acciderint, quae sive adversus dicti Regni Ecclesiarum jura, sive adversus Romani Pontificis et Ecclesiae universae auctoritatem nonnulli Venerab. Fratres Archiepiscopi, Episcopi et alii ejusdem Regni Ecclesiastici Viri, in Comitiis Cleri Gallicani Parisiis an. 1682. congregati, tum praestito inibi per eos extensioni illius juris, quod vocant Regaliae, ad omnes dicti Regni Ecclesias assensu, tum edita subinde de potestate Ecclesiastica quatuor Propositiones continente declaratione peregerunt, quaeque ipsa Comitia subsecuta fuerunt mandata, arresta, confirmationes, declarationes, epistolae, edicta et decreta quaecumque a quibusvis personis, sive Ecclesiasticis, sive Laicis, quavis auctoritate et potestate fungentibus, edita seu publicata, necnon quae alias demum nonnullis abhinc annis in Regno praefato eidem Sedi Apostolicae Romanaeque Ecclesiae, seu quibuscumque aliis Ecclesiis, Monasteriis et locis piis, illorumque respective personis, rebus, bonis et juribus, seu alias jurisdictioni vel immunitati, aut libertati Ecclesiasticae quomodolibet praejudicialia quovis modo peracta ac gesta fuerunt. Haec Nos, qui Jurium Ecclesiasticorum assertores in Terris a Domino constituti sumus, dies noctesque in amaritudine Animae nostrae cogitantes, manus nostras cum lachrimis et suspiriis levavimus ad Dominum, eumque toto cordis affectu rogavimus, ut Nobis potenti gratiae suae auxilio ades-
a set, quo ardua hac in re commissi Nobis Apostolici muneris partes salubriter exequi valeremus; eaque consideratione adducti, ac ne Supremo Judici rationem villicationis nostrae reddituri, negligentiae in credita Nobis administratione argueremur (quantum Divina Bonitas dedit), nihil hucusque praetermisimus, quo praejudicialia praefata ab iismet, qui ea peregerant, ex animo retractarentur. Verum, quo efficacius ac uberius Sedis praefatae, Ecclesiae Universae, Jurisdictionisque et Immunitatis ac libertatis Ecclesiasticae, Ecclesiarumque, Monasteriorum et locorum piorum hujusmodi illorumque Personarum praefatarum indemnitati perpetuis futuris temporibus consultum sit, auditis quamplurium ex Venerabilibus Fratribus nostris Sanctae Ro-
b manae Ecclesiae Cardinalibus et nonnullorum in Sacra Theologia Magistrorum ac etiam in Decretis Doctorum, ad examen negotii hujusmodi a Nobis specialiter delectorum, qui illud mature discusserunt, remque totam Nobis exposuerunt, sententiis, quantum Nobis ex alto conceditur, providere volentes, ac fel. record. Innocentii Papae XI., Praedecessoris Nostri, qui occasione rescribendi ad litteras, quibus Archiepiscopi, Episcopi et alii Ecclesiastici Viri supradicti de rebus ab ipsis gestis certiorem eum reddiderant, per quasdam suas in simili forma Brevis die 11. Aprilis 1682. expeditas litteras improbavit, rescidit et cassavit, quae in dictis Comitiis acta fuerant in negotio Regaliae cum omnibus inde secutis, et quae subinde attentari contigisset, eaque perpetuo irrita et inania declaravit, vestigiis in-
c haerentes: necnon in dictis Comitiis anni 1682. tam circa extensionem juris Regaliae, quam circa declarationem de potestate Ecclesiastica hujusmodi actorum ac etiam omnium et singulorum mandatorum, Arrestorum, Confirmationum, Declarationum, Epistolarum, Edictorum, Decretorum, quavis auctoritate, sive Ecclesiastica, sive etiam laicali, editorum seu publicatorum, necnon aliorum quomodolibet praejudicialium praefatorum, in Regno supradicto quandocumque et a quibusvis ac ex quacumque causa et quovis modo factorum et gestorum ac inde secutorum quorumcumque, etiam specificam et individuam mentionem et expressionem de necessitate requirentium, tenores et datas, etiam veriores praesentibus, pro plene et sufficienter expres-
d sis ac de verbo ad verbum insertis et exactissime specificatis habentes: Motu proprio ac ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula, quae tam quoad extensionem juris Regaliae, quam quoad declarationem de potestate Ecclesiastica ac quatuor in ea contentas propositiones in supradictis Comitiis Cleri Gallicani an. 1682. habitis acta et gesta fuerunt, cum omnibus et singulis mandatis, arrestis, confirmationibus, declarationibus, epistolis, edictis et decretis a quibusvis personis, sive Ecclesiasticis, sive Laicis, quomodolibet qualificatis, quavis auctoritate et potestate, etiam individuam expressionem requirente, fungentibus, editis seu publicatis, necnon reliqua omnia, quotcumque et qua-

liacumque eidem Sedi Apostolicae, Romanaeque Ecclesiae, vel jurisdictioni, immunitati vel libertati Ecclesiasticae, seu alias Ecclesiis, Monasteriis et locis piis praefatis, illorumque respective personis, rebus, bonis, privilegiis, praerogativis et juribus quibuscumque quomodolibet praejudicialia in dicto Regno peracta et gesta cum omnibus et singulis quandocumque et quomodocumque inde secutis et quocumque tempore secuturis ipso jure nulla, irrita, invalida, inania, viribusque et effectu penitus et omnino vacua ab ipso initio fuisse et esse ac perpetuo fore, neminemque ad illorum seu cujuslibet eorum, etiamsi juramento vallata sint, observantiam teneri, neque ex illis cuiquam aliquod jus vel actionem aut titulum, etiam coloratum, vel possidendi aut praescribendi causam, etiamsi longissimi et immemorabilis temporis possessio, etiam citra ullam interpellationem vel interruptionem, subsecuta sit vel subsequatur, acquisitum fuisse nec esse, minusque ullo tempore acquiri et competere posse, neque illa ullum statum facere vel fecisse, sed perinde ac si nunquam emanassent vel facta fuissent, pro non exstantibus et non factis perpetuo haberi debere, tenore praesentium declaramus et decernimus. Et nihilominus ad abundantiorem cautelam, et quatenus opus sit, acta et gesta praefata aliaque praemissa omnia motu, scientia, deliberatione et potestatis plenitudine paribus improbamus, cassamus, irritamus et annullamus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, et contra illa deque eorum nullitate coram Deo protestamur: decernentes, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod quicumque in praemissis interesse habentes, etiam specifica et individua mentione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas eaedem praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae aut ullo modo justificatae fuerint, aut ex alia quacumque causa, colore, praetextu et capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vel invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium vel habere praetendentium consensus, aliove quocumque, etiam quantumlibet magno ac inexcogitato inexcogitabilique defectu, aut ex alio quovis capite, a jure vel facto aut statuto, consuetudine vel privilegio resultante, notari, impugnari, invalidari, retractari, in controversiam vocari seu ad terminos juris reduci ullatenus posse; sed ipsas praesentes litteras semper et perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari: sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque Judices Ordinarios et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de Latere Legatos et Sedis Apostolicae praefatae Nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentia et potestate fun-

a gentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari: non obstantibus praemissis, ac Apostolicis et in Universalibus Provincialibusque et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, et quatenus opus sit, nostra et Cancellariae Apostolicae Regula de Jure quaesito non tollendo, legibus quoque, etiam Imperialibus, et Municipalibus, necnon quibusvis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indul-
b tis, concessionibus et litteris Apostolicis, quibuscumque locis et personis, etiam Regali et alia quavis, sive Ecclesiastica sive mundana dignitate fulgentibus, et alias quomodolibet qualificatis ac specialem expressionem requirentibus, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter et alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis, factis et pluries iteratis et quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis te-
c noribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus ac derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earundem praesentium litterarum transsumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis et sigillo Personae in Ecclesiastica Digni-
d tate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum et gentium, in Judicio et extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die quarta Augusti MDCXC. Pontificatus Nostri Anno Primo."

J. F. Cardinalis Albanus.

In Nomine Domini Amen. Praesenti publico Instrumento Cunctis ubique pateat evidenter et sit notum, quod anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi Millesimo sexcentesimo nonagesimo primo, Indictione decimaquarta, die vero trigesima Januarii, Pontificatus autem SS. in Christo Patris et Domini Nostri Domini

Alexandri Divina Providentia Papae Octavi anno secundo, a *coram eodem Sanctissimo D. N. praesentibus beneque audientibus et intelligentibus Eminentissimis et Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus Chisio, de Alteriis, Carpineo, Columna, Nerlio, Casanate, Marescotto, Capisucco, de Laurea, Panciatico, Astallio et Albano, ad id specialiter jussu Sanctitatis Suae convocatis et congregatis, in Nostrorum infrascriptorum, ejusdem Sanctitatis Suae et S. Sedis Apostolicae Protonotariorum de numero Participantium Testiumque infrascriptorum praesentia Eminentissimus et Reverendissimus D. Cardinalis Albanus, Brevium Secretorum Sanctitatis Suae Secretarius, alta et intelligibili voce per extensum ac de verbo ad verbum, prout jacet, legit et publicavit, mandante eodem SS. D. N., supradictum* b *Breve. Post cujus lecturam idem SS. D. N. dixit et declaravit, se usque et sub die quarta Augusti proxime praeteriti subsignasse minutam Originalem dicti Brevis, ejusque publicationem hodierna die ut supra fieri mandavit. Super quibus omnibus et singulis incontinenti ab eodem Eminentissimo Domino Cardinale Albano nomine Sanctitatis Suae Nobis fuit injunctum, ut unum seu plura, publicum seu publica conficeremus atque traderemus Instrumentum et Instrumenta, prout opus fuerit, et requisiti erimus, non solum praemisso, sed et omni alio meliori modo. Actum Romae in Palatio Apostolico Quirinali in Cubiculo Sanctitatis Suae, praesentibus ibidem Illustrissimis et Reverendissimis DD. Petro Dragho Bartolo Patriarcha Alexandrino, Praefecto* c *Cubiculi ejusdem Sanctitatis Suae, et Marcello de Aste, utriusque Signaturae Referendario, ipsius SS. D. N. Auditore, Testibus ad praemissa omnia et singula vocatis, habitis specialiter atque rogatis.*

Ego Camillus Cellesius Protonotarius Apostolicus de numero Participantium de praemissis rogatus praesens Instrumentum subscripsi et publicavi. In Fidem, etc.

Ego Prosper Costagutus Protonotarius Apostolicus de numero Participantium de praemissis praesens Instrumentum subscripsi et publicavi. In Fidem, etc.

CAP. III. Aliae propositiones ab Alexandro PP. VIII. damnatae enunciantur.

Deinde idem Alexander PP. VIII. die 24. Augu- d sti 1690. duas propositiones et die 7. Decembris 1690. unam supra triginta damnavit, quas omnes veluti obvias hic inserere supersedimus.

CAP. IV. Casus S. Sedi et Ordinariis reservati nonnisi de eorundem respective licentia a Confessariis tam secularibus quam regularibus absolvi possunt, sub poenis in Apostolicis decretis expressis.

Nullus Confessariorum, sive secularis sive regularis existat, a censuris et casibus Sanctae Sedi et Ordinariis reservatis absque licentia dictae Sanctae Sedis et Ordinariorum respective, excepto mortis articulo, absolvere praesumat, sub poenis in Decreto Sacrae Congregationis de speciali mandato Clementis PP. VIII. emanato ac confirmato a Paulo V. contra hujusmodi praesumentes inflictis.

CAP. V. Mulierum confessiones qua cautione audiendae.

Mulierum confessiones (casu necessitatis excepto) solum in Ecclesiis et in sedibus confessionalibus ac per earundem sedium fenestellas, ferreis cratibus occlusas, quibus nulla ex dictis sedibus carebit, audiantur; idque ante ortum et post occasum solis ne fiat.

CAP. VI. Poenitentes, an Ecclesiarum debitores sint, interrogentur et, si fuerint, ad satisfactionem exhortentur.

Poenitentium conscientiis consultum erit, si interrogentur, an Ecclesiis sint debitores; nam, si tales fuerint, ne cum salutis dispendio satisfactionis compendium differant, commonebuntur.

CAP. VII. Medici aegrotos in lecto jacentes tertio die non visitent, nisi confessos. Episcopi Pianam evulgent constitutionem, ut negligentes expressis poenis deterreantur.

Innocentii Papae III. constitutione, quae incipit: *Cum infirmitas* [1], Lateranensi Concilio promulgata, et B. Pii Papae V. constitutione, quae incipit [2]: *Supra gregem Dominicum,* innovata et ab Innocentio Papa XI. datis litteris encyclicis pro exequutione commendata, statutum est et Medicis stricte praeceptum, ut, cum ipsi ad infirmos in lecto jacentes vocati fuerint, eosdem ante omnia moneant, ut idoneo Confessori omnia peccata sua juxta ritum S. R. E. confiteantur, neque tertio die ulterius eos visitent, nisi confessos: alias Medici ultra poenam interdicti, ab Innoc. III. inflictam, perpetuo sint infames et gradu medicinae omnino priventur et a Collegio et Universitate Medicorum ejiciantur ac poena etiam pecuniaria arbitrio Ordinariorum, ubi deliquerint, multentur. Hanc Pastoralem solicitudinem Episcopis omnibus S. Synodus commendat, mandans, ut enunciatam Pianam Constitutionem evulgent, quatenus et Medici suo muneri satisfaciant, et in aegritudinis lecto jacentes, cum eis a Medicis suadetur, ut de animarum salute disponant, in desperationis articulum non incidant, unde facilius mortis periculum incurrunt.

CAP. VIII. In Altaribus, privilegiatis tam in perpetuum quam ad septennium, per celebrationem Missarum de festo currenti satisfit injunctis obligationibus et indulgentiis fidelium defunctorum animabus concessis: eadem privilegiata altaria anno Jubilaei non cessant.

Cum indulgentiarum usus Christiano Populo maxime sit salutaris, circa easdem recte consequendas nonnulla advertantur, oportet. Noverint itaque, decretum illud, indultum altaris privilegiati non suffragari, nisi in eo Missae de requiem celebrentur, licet hoc forte in indulto non exprimatur, declaratum fuisse ab Alexandro Papa VII., scilicet per celebrationem Missarum de festo currenti satisfieri injunctis obliga-

[1] Cap. 13. de poenitent. et remiss. (V, 38).
[2] Const. III. d. 8. Mart. 1566.

tionibus et indulgentiis per hujusmodi Privilegia Apostolica concessis animabus fidelium Defunctorum, quam declarationem s. m. Clem. Papa IX. pro privilegiatis altaribus tam in perpetuum quam ad septennium extendit; eadem vero altaria privilegiata per suspensionem generalem anno jubilaei fieri consuetam non suspendi; suspensio enim illa est pro vivis.

CAP. IX. Clausula illa: *Volumus autem etc.*, Indulgentiarum brevibus apponi solita, Sacrae Congreg. Indulgentiarum decreto explicatur.

Ut clausulae illius, quae hodie brevibus indulgentiarum apponi solet: *Volumus autem, ut, si alias Christifidelibus dictam Ecclesiam qualibet anni die visitantibus aliqua alia indulgentia, perpetua vel ad tempus nondum elapsum duratura, concessa fuerit, praesentes litterae nullae sint*, vis et sententia intelligatur: Sac. Indulgentiarum Congr. [1] declaravit, ea minime contineri altaria privilegiata pro defunctis, neque indulgentias aut certo personarum generi concessas, ut Confraternitati, Regularibus et Capitulo, aut certum pium opus in ipsa Ecclesia peragentibus, ut Litanias aliasve hujusmodi preces recitantibus ac iis, quae Christiana doctrina erudiuntur vel alios erudiunt, et qui Sanctissimae Eucharistiae Sacramenti expositioni cum oratione quadraginta horarum intersunt, neque stationum Urbis et septem altarium indulgentias instar septem altarium Basilicae Vaticanae concessas, neque demum, quae pro unica vice conceduntur. Caeterum, si alia indulgentia, sive plenaria sive non plenaria, in perpetuum vel ad
a tempus, tum ab eodem tum ab alio Romano Pontifice generatim Christifidelibus Ecclesiam vel aliquod ejus Altare seu Cappellam visitantibus eodem anni die vel diverso concessa fuerit, de qua non fiat in litteris Apostolicis mentio, has litteras ob adjectam clausulam esse prorsus irritas et nullas.

[1] In una Cameracen. die 23. Junii 1676. approb. a Sanctissimo die 18. Martii 1677.

CAP. X. Archiepiscopus per suam Provinciam generales indulgentias, Concilii statutum non excedentes, concedere potest. Ideo Metropolita Cardinalis Archiepiscopus centum indulgentiae dies concedit omnibus Christifidelibus, qui singulis Sabbatis usque ad aliud Provinciale Concilium Lauretanas Litanias in Provinciae Cathedralibus, Collegiatis et Parochialibus recitabunt, orantes pro salutari Provincialis Concilii executione.

Honorii III. constitutione, quae incipit: *Nostro* [1], certificatum fuit, ab Archiepiscopo per suam Provinciam generales remissionis litteras posse concedi; ita
b tamen, ut generalis Concilii [2] statutum non excedat. Quare Metropolita [3], hujus Sanctae Synodi Praeses, dat et concedit centum dies de vera indulgentia, in forma Ecclesiae consueta, omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, qui Lauretanas Litanias in Cathedralibus, Collegiatis et Parochialibus ejusdem Provinciae singulis Sabbatis usque ad aliud Provinciale Concilium celebrabunt, ut Deus Optimus Maximus, B. Maria semper Virgine Dei Genitrice intercedente, quatenus Provincialis hujus Synodi decreta salutari executioni, ex qua suscepti laboris operisque confecti fructus pendet, demandentur, benignissime concedat.

[1] Cap. penult. de poenit. et remiss. (V, 38).
[2] Cap. *Cum ex eo.* 14. eod. tit.
[3] Caer. Episc. lib. 1. cap. 25. §. *Reliquum est.*

N O T A.

Licet in cap. Cum ex eo. de Poenit. et Remiss. *decernatur, ut, cum ab Episcopis dedicatur Basilica, non extendatur indulgentia ultra annum, ac deinde in anniversario et pro quibuslibet aliis casibus quadraginta dies de injunctis poenitentiis indulta remissio non excedat: tamen Stephano Archiepiscopo XXVII., Patriarchae Constantinopolitano, indultum est a Clemente PP. VI. an. 1347., ut, quoties solemniter celebraverit tam in Civitate et Dioecesi quam in Provincia, centum indulgentiae dies valeat relaxare, prout ex indulto tenoris, qui sequitur.*

Clemens Episcopus servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Venerabili Fratri Stephano Archiepiscopo Beneventano salutem et Apostolicam benedictionem.

Eximiae tuae devotionis sinceritas exigit, ut illa tibi liberaliter concedamus, per quae tuarum Civitatis et Dioecesis ac Provinciae Beneventanae incolis in Spiritualibus largitione munerum te reddere valeas gratiosum. Hinc est, quod tuis supplicationibus inclinati, ut, quotiescumque in tua Benevent. vel aliis tuarum Civitatis et Dioecesis ac Provinciae praedictarum Ecclesiis sacra Missarum mysteria te contigerit solemniter celebrare, possis auctoritate Apostolica omnibus vere poenitentibus et confessis ibidem praesentibus centum dies de injunctis eis poenitentiis relaxare, fraternitati tuae tenore praesentium indulgemus. Nulli ergo, etc. nostrae concessionis infringere, etc. Datum Avinion. V. Kal. Novembris Anno VI.

Loco † sigilli.

TITULUS LV.

De Sententia Excommunicationis.

CAP. I. Excommunicationis sententia, ab uno ex Comprovincialibus canonice lata, ab aliis in Provincia servetur.

Ad perversorum malitiam coercendam sacris est Canonibus institutum, ut excommunicationis sententiam, quam unus Episcopus duxerit in subditos suos canonice promulgandam, alii quoque Episcopi servent et a suis subditis faciant inviolabiliter observari [1]. Hanc usque a primitiva Ecclesia traditam disciplinam in Provincia quoque nostra religiosissime tenendam S. Synodus mandat, ut in ea et concordia fratrum non desideretur, et perversi, sicut Ethnici et Publicani a cunctis rejecti, tandem aliquando resipiscant.

CAP. II. Communicantes cum excommunicatis publice denunciatis vel publicis Clericorum percussoribus, si moniti non desistant, opportunis juris remediis coerceantur.

Sanctorum Apostolorum Regula est, ne fideles cum excommunicatis communicent, ne cum eis communem excommunicationis contrahant poenam [2]. Quem Ecclesiasticae nervum disciplinae Sancta Synodus in nostra Provincia contemni magis quam formidari considerans, mandat Ordinariis, quod, si compererint, subditos extra casus a jure permissos cum excommunicatis publice denunciatis vel publicis Clericorum percussoribus communicare, illos, ut a tali communione abstineant, canonice moneant. Qui si hujusmodi monitionibus non obtemperaverint, juxta terminos constitutionis Innocentii IV. [3], quae incipit: *Statuimus*, Lugdunensi Concilio promulgatae, opportunis remediis compescantur.

CAP. III. Citandi ad dicendam causam, quare, etc. si delitescant vel Cursores persequantur vel accessum reddant difficilem, ita ut personaliter citari nequeant, sufficit, ut citentur bis vel domi vel in Ecclesiae valvis per Edictum.

Quia nonnulli post patratum scelus, cujus causa excommunicationis sententia coercendi essent, delitescunt, vel Ecclesiasticae Curiae Cursores persequuntur, ita ut illos personaliter citare difficillimum reddatur: statuit S. Synodus juxta laudabiles aliarum Regni nostri Curiarum Constitutiones, ut, qui citari personaliter nequeunt, sufficiat, ut citentur bis vel domi vel in Ecclesiae valvis per Edictum [4], quatenus vel excommunicari vel excommunicati declarari valide possint.

---

[1] Can. *Si quis.* 2. XI. qu. 3. Can. *Cum.* 18. Can. *Servetur.* 73. Ibid. Cap. *Ad reprimendam.* 8. de offic. Judicis ordinar. (I, 31). Pontific. Rom. de ord. excommunicandi rubr. *Quo facto.* vers. deinde epistola.
[2] Can. *Sicut Apost.* 16. XI. q. 3.
[3] Cap. *Statuimus.* 3. de sentent. excommunic. in 6. (V, 11).
[4] Clem. I. de judiciis (II, 1). Trid. sess. 25. de reform. c. 3.

a

SUBMISSIO

Omnium Sanctae Apostolicae Sedi.

Omnia et singula in hac Sacra Synodo statuta, decreta atque acta, qua decet obedientia et reverentia, auctoritati, correctioni et judicio S. R. E., omnium Ecclesiarum Matris et Magistrae, semper emendanda ac corrigenda subjicimus.

Ego Fr. Vincentius Maria Ordinis Praedicatorum Cardinalis Archiepiscopus Metropolita de consensu et assensu Reverendissimorum DD. Coepiscoporum meorum definiens subscripsi.

Ego Fr. Coelestinus Labonia Ord. Eremit. Discalc. S. Augustini Episcopus Montis-Marani consentiens subscripsi.

b Ego Antonius de Sangro Cleric. Regul. Episcopus Trojanus eligens consentiens subscripsi.

Ego Joseph de Lazara Cleric. Regul. Minorum Episcopus Alliphanus consentiens subscripsi.

Ego Carolus Felix de Matta Episcopus S. Severi, Civitaten. et Dragonien. consentiens subscripsi.

Ego Joannes Baptista Episcopus Telesinus consentiens subscripsi.

Ego Angelus Ceraso Episcopus Bovinen. consentiens subscripsi.

Ego Franciscus Antonius Punzi Episcopus Asculanus et Herdonien. consentiens subscripsi.

Ego Franciscus Antonius Giannonus Episcopus Bujanen. consentiens subscripsi.

c Ego Joseph Catalani Episcopus Larinen. consentiens subscripsi.

Ego Dominicus Morellus Episcopus Lucerinus consentiens subscripsi.

Ego Fr. Joannes Episcopus Arianensis ex Ordine Carmelitarum consentiens subscripsi.

Ego Michael Episcopus Termulanus consentiens subscripsi.

Ego Fabritius Episcopus Guardien. consentiens subscripsi.

Ego Pompejus Episcopus Vigilien., ad votum decisivum a Sac. Conc. admissus, et etiam vice Metropolitani Capituli Abbatis Oppidi S. Lupi nullius, consentiens subscripsi.

d Ego D. Tiberius Majorinus Abbas Generalis Congreg. Montis Virginis Ord. S. Benedicti et Ordinarius Jurisdict. ejusdem Sac. Montis nullius, Provinciae Beneventanae eligens consentiens subscripsi.

Ego D. Donatus Antonius Clavelli Vic. Gen. et Ordin. Terrae Alberonae pro Sac. Relig. Hierosol. consentiens subscripsi.

Ego Jacobus Antonius de Antonellis Primicerius Cathedralis Ecclesiae S. Agathae Gothorum, Procurator specialis Illustriss. et Reverendiss. D. Jacobi Circi Episcopi S. Agathae Gothorum, *ejus nomine interfui et subscripsi, et omnia et singula in hac S. Synodo acta, decreta, edita et promulgata ejus et Ecclesiae suae nomine recipio.*

Ego Horatius Memolus Canonicus Cathedr. Arianen., Procurator specialis Illustriss. et Reverendiss. D. Lucae Tisbiae Cler. Reg. Minorum Episcopi Trivicani, *ejus nomine interfui et subscripsi, et omnia et singula in hac S. Synodo acta, decreta, edita et promulgata ejus et Ecclesiae suae nomine recipio.*

Ego Antonius Mariella Archipresbyter et prima Dignitas Ecclesiae S. Bartholomaei in Galdo, Procurator specialis Illustriss. et Reverendiss. D. Dominici Surrentini Episcopi Vulturarien. et Montis-Corbini, *ejus nomine interfui et subscripsi, et omnia et singula in hac S. Synodo acta, decreta, edita et promulgata ejus et Ecclesiae suae nomine recipio.*

Ego Marcus Canonico Presbyter Terrae Montisfortis, Procurator specialis Illustriss. et Reverendiss. D. Francisci Scanegata Episcopi Abellinensis et Frequentini, *ejus nomine interfui et subscripsi, et omnia et singula in hac S. Synodo acta, decreta, edita et promulgata ejus et Ecclesiae suae nomine recipio.*

In quorum fidem

(L. S.) *Ego Jacobus Foderus Proton. Apostolicus S. Synodi Secretarius subscripsi.*

In Dei Nomine. Amen.

Praesenti hoc publico instrumento cunctis ubique pateat evidenter et notum sit, qualiter in prima sessione, habita in Ecclesia Metropolitana die Sabbati undecima currentis mensis Aprilis millesimo sexcentesimo nonagesimo tertio de mane, post Missam Pontificalem decantatam ab Eminentissimo et Reverendissimo in Christo Patre et Domino D. Fr. Vincentio Maria Ordinis Praedicatorum, Miseratione Divina Tit. Sancti Sixti S. R. E. Presbytero Cardinali Ursino, S. Beneventanae Ecclesiae Archiepiscopo Metropolita, et caeteras preces in libro Pontificalis Romani praescriptas sermonemque habitum in ambone ab eodem Eminentissimo Metropolita, fuerunt publicata per Secretarium M. R. P. Jacobum Foderum, Protonotarium Apostolicum, ex altero ambone prima decreta usque ad illud: *De ratione vivendi in Synodo,* inclusive. In secunda vero sessione, celebrata die Lunae decima tertia ejusdem mensis Aprilis 1693. pariter de mane, post sacrum pontificaliter ab Illustrissimo et Reverendissimo Domino P. Fr. Coelestino de Labonià Ordinis Eremit. S. Augustini, Episcopo Montis-Marani, persolutum aliasque preces in eodem libro Pontif. Romani descriptas ac sermonem habitum in ambone ab Illustrissimo et Reverendissimo D. Carolo Felice de Matta, S. Severi Episcopo, per praefatum D. Secretarium promulgatae fuerunt S. Synodi Provincialis constitutiones usque ad Tit. 22. *Ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur,* etiam inclusive. In tertia vero sessione, habita die Jovis decimasexta ejusdem Mensis Aprilis 1693. itidem de mane, persolutis Missa Pontificali, de more celebrata ab Illustrissimo et Reverendissimo Domino P. Fr. Joanne Bonilla y Soria Ordinis Carmelitarum, Episcopo Arianen., caeterisque precibus statis in supradicto libro Pontif. Romani, habitoque pariter sermone in solito ambone ab Illustrissimo et Reverendissimo D. Josepho Catalano, Episcopo Larinen., prosecutus est idem Dominus Secretarius promulgationem omnium reliquarum Synodalium constitutionum subsequentium usque ad Tit. LV. *De sententia excommunicationis* et decretum *Submissionis S. Apostolicae Sedi,* pariter inclusive; et in eadem tertia sessione continuata eadem die decimasexta ejusdem mensis Aprilis 1693. post Vesperas latum fuit decretum *de subscribendo;* et demum supradictae omnes et singulae constitutiones, in praesenti Sancta Synodo Provinciali contentae, celebratae, promulgatae, lectae, latae et gestae ac in nostrum praesentia subscriptae in cornu Evangelii Arae maximae fuere a praefato Eminentissimo et Reverendissimo Domino Cardinali, Archiepiscopo Metropolita, omnibusque Illustrissimis et Reverendissimis Patribus Coepiscopis caeterisque Praelatis Ordinariis assistentibus in S. Metropolitana Ecclesia coram Metropolitano Capitulo, Collegiis atque Cleris Urbano et Foraneo, et deinde a Procuratoribus quatuor Dominorum Episcoporum absentium. Clausa est sessio oratione gratulatoria, habita ab Illustrissimo et Reverendissimo Domino Pompejo Sarnellio, Episcopo Vigilien. Super quibus omnibus et singulis petitum fuit a nobis Notariis publicis infrascriptis, ut unum vel plura, publicum seu publica conficere atque tradere deberemus Instrumentum et Instrumenta, prout opus fuerit, et requisiti erimus.

Actum, ut supra in Civitatis Beneventanae Ecclesia Metropolitana praedicta, hac praesenti die decimasexta mensis Aprilis Millesimo sexcentesimo nonagesimo tertio, Indictione prima, praesentibus, audientibus, intelligentibus et inspicientibus Ven. Presbyteris, Januario Colle, Dominico Trasente, Dominico de Augustino ac Joanne Baptista Panella, Beneventanis Testibus, ad haec specialiter vocatis, habitis atque rogatis.

Unde nos in praemissorum fidem de praedictis omnibus rogati et requisiti hic subscripsimus, et consuetis signis signavimus.

Ita est Paduanus Sanctorius Insignis Collegii Sancti Spiritus Canonicus, publicus Apostolica auctoritate Notarius.
Locus † signi.

Ita est. Martius Lizza Sac. Basilicae Divi Bartholomaei Apostoli Canonicus, publicus Apostolica auctoritate Notarius.
Locus † signi.

Ita est. Joseph de Pompejo Beneventanus, publicus Apostolica auctoritate Notarius.
Locus † signi.

CATALOGUS THEOLOGORUM

pro causis et materiis Synodalibus destinatorum.

Adm. Rev. Patres:

Pater D. Julius Lucenti Abbas Ord. Cisterc. Sac. Theol. Prof.
D. Carolus Corradus S. T. D. Prot. Apost. Can. Lucerinus.
P. Nicolaus Squillante Cong. Oratorii.
P. Fr. Jo. Michael de Cavaleriis Ord. Praed. S. T. M. Visit. Gen.
P. Fr. Elzearius ab Ariano Provincialis Prov. S. Angeli Ord. Min. Ref. S. Francisci de observantia.
P. Fr. Anselmus Sabbatinus S. T. M. Prov. Ord. Min. Conv. S. Francisci.
P. Fr. Albertus Annubba S. T. M. Provinc. Ord. Carm.
P. Fr. Chrysostomus Movizzus S. T. Lector jubilatus Ord. Minimorum S. Francisci de Paula, Theol. Illustriss. Episcop. Trojani.
P. Michael Angel. Rogerius Soc. Jesu.

CATALOGUS DECRETALISTARUM

pro causis et materiis Synodalibus destinatorum.

M. R. D. Joannes Sabbatus Ceccrus U. I. D. Prot. Ap. Vic. Gen.
Perill. et Adm. Rev. D. Joannes de Nicastro U. I. D. Prot. Apost. S. Metrop. Ecclesiae Primicerius, Primus Emin. Archiep. Auditor.
M. R. D. Thomas Antonius Cepolla U. I. D. Prot. Apost. Abbas Colleg. Eccl. Oppidi Paduli Fisci Patronus.
Adm. Rev. D. Dominicus Brencola I. U. D. Prot. Apost. Archidiaconus et Vic. Gen. Larinen.
M. R. D. Tiberius Prosperus I. U. D. Prot. Apost. Vic. Gen. Alliphan.
M. R. D. Joseph Imperatrix I. U. D. Prot. Ap. Vic. Gen. Telesin.
Adm. Rev. D. Joannes Probus I. U. D. Archidiac. Trojanus.
M. R. D. Vincentius Intonti I. U. D. Primicerius Arianen.
M. R. D. Michael Angelus Carrara I. U. D. Cantor et Vic. Gen. Asculanus.
Rev. D. Joseph Morellus. I. U. D. Canonicus Lucerinus.
Rev. D. Franciscus Ciardi I. U. D. Abbas S. Petri Ecclesiae Collegiatae Arianen.
Rev. D. Hieronymus Calvanesius I. U. D. Primicerius Ecclesiae Colleg. Fogiae Trojanae Dioecesis.
Cl. D. Nicolaus Intonti U. I. D. Arianen.
D. Franciscus Comes Schinosi U. I. D. Coadvocatus Fisc. Patritius Benevent. ac Consult. in causis S. Officii.

APPENDIX AD CONCILIUM PROVINCIALE BENEVENTANUM A. 1693.

I. Edictum synodale ad methodum docendae Doctrinae Christianae faciliorem reddendam.

(Vid. Tit. I. cap. V.)

[Idem edictum habetur in appendice ad Concil. Romanum a. 1725. n. I.]

II. Literae S. Congregationis Immunitatis.

(Vid. Tit. VI. cap. VII.)

* *Versio Latina ex Italico.*

Foris. Eminentissimo et Reverendissimo Domino, Observandissimo Cardinali Ursino, Archiepiscopo Beneventano.

Intus. Eminentissime et Reverendissime Domine Observandissime.

Pervenit ad notitiam hujus S. Congregationis Immunitatis ecclesiasticae, multos Barones istius provinciae Beneventanae temere prohibuisse, quominus vasalli prima tonsura initiarentur, non obtenta ab ipsis expressa licentia, quam dandam sibi arrogarent, cuicumque et quandocumque placeret; si vero quandoque vasalli, hac licentia non petita, ordinarentur, eosdem Barones ordinatorum parentes castigare et persequi. Attamen haec agendi ratio Baronum contraria est ecclesiasticae libertati et immunitati, quae non minus ista prohibitione, quam arrogata licentia directe violatur, indirecte vero persecutione contra parentes facta. Idcirco hi Eminentissimi Domini ejusdem Congregationis, singularem zelum Eminentiae Vestrae probe scientes, Eidem mandandum censuerunt, prouti his literis faciunt, ut non solum metropolitana, sed etiam ipsius S. Congregationis auctoritate, quam hisce literis cum Ea communicat, suos Episcopos suffraganeos prospicere jubeat, ut illis praejudiciis in suis dioecesibus occurratur, et si nihilominus a supra dicta agendi ratione non desistatur, Episcopi remediis Canonicis ad libertatem et immunitatem ecclesiasticam illaesam servandam utantur. Interea, his Eminentissimorum sensis cum Eminentia Vestra communicatis, Ejus manus humiliter deosculor.

Romae 2. Oct. 1691. Vestrae Eminentiae humillimus et devotissimus servus. G. Cardinalis di Carpegna.

Gratis etiam quoad Scripturam.
N. Grimaldi Secretarius.

III. Literae encyclicae S. Congregationis S. Officii.

(Vid. Tit. VIII. cap. I.)

* *Versio Latina ex Italico.*

Foris. Eminentissimo et Reverendissimo Domino, Observandissimo Cardinali Ursino, Archiepiscopo Beneventano.

Intus. Eminentissime et Reverendissime Domine Observandissime.

Quamquam alias (d. 20. Febr. 1649.) haec S. Congregatio S. Officii, ut delicto eorum, qui per Italiam, etsi minime sacerdotio initiati, Missas celebrant et quandoque confessiones audiunt, mederetur, similibus literis ex mandato Summi Pontificis conscriptis, omnibus Ordinariis praecepit, ut opportunis mandatis,
a tam vicariis generalibus quam foraneis datis, huic malo prospicerent: nihilominus, quum his non obstantibus nunc saepe ex negligentia, quam committere eosdem vicarios et praesertim foraneos terrarum et castellorum remotorum sacerdotumque penuria laborantium, pro comperto habetur, facile tam ingentia sacrilegia patrentur, quia debitam praetermittunt diligentiam in exigendis et examinandis illorum, qui celebrare volunt, literis dimissorialibus, quas aut omnino non habent aut falsas habent: eadem S. Congregatio, ut huic sceleri occurreret, iterum significandum censuit, prouti his literis ad Eminentiam Vestram datis facit, ut accurata praecepta vicario generali et foraneis injungere dignetur, ne sacerdotibus et regularibus extraneis licentia celebrandi concedatur, nisi prius literas sacerdotii testimoniales suorum Ordinariorum et Superiorum ostendant atque hae tales sint, quibus ne minima quidem umbra suspicionis de earum falsitate insit; quodsi iidem vicarii haec praecepta negligant vel transgrediantur, eos poenis peculiaribus, etiam corporis, Eminentia Vestra afficiat. Qua de re S. Congregatio exspectat, ut Eminentia Vestra ipsi significet, se et hasce literas accepisse, et executioni mandasse. Humiliter manus E. V. deosculor.

b Romae 26. Jan. 1692. V. E. humillimus et devotissimus Servus A. Cardinalis Cybo.

Beneventum Domino Cardinali Archiepiscopo.

IV. Literae S. Congregationis Rituum.

(Vid. Tit. XI. cap. I.)

Foris. Eminentiss. et Reverendiss. Domino, Observandiss. D. Cardinali Ursino, Archiepiscopo Beneventano.

Intus. Eminentiss. et Reverendiss. Domino Observandiss.

Innotuit Sacrorum Rituum Congregationi, quod nonnulli Episcopi suffraganei ipsius Beneventanae Metropolis sui status obliti et contra Sacrorum Canonum, Apostolicarum Sanctionum et Concilii praecipue Tridentini praecepta in sessione XXV. cap. XVII. de Reform. tam indecenti submissione cum Baronibus et Regiis Ministris se gerant, ut in subscriptionibus et reliqua forma literarum, in mutuis visitationibus omnique alio commercio habeant se tanquam inferiores, et tam extra quam intra Ecclesias
c cedant illis locum digniorem; haec et alia his similia cum Sacrosancto Concilio Tridentino Sac. Congregat. detestans et probe noscens Ecclesiasticum zelum, quo flagrat Em. Vestra, ex praecepto etiam SS. D. N. Innocentii XII. committit eidem, ut auctoritate non solum Metropolitica, sed etiam Delegata ab hac Sancta Sede praecipiat suffraganeis suis, quod ab hujusmodi in posterum omnino se abstineant. Mandet eisdem, ut tam in Ecclesia quam foris suum gradum et ordinem prae oculis habentes, ubique Patres, Pastores et Magistros se esse meminerint, et omnia, quae in Canonicis Sanctionibus et in Sacrorum Rituum Congregationis Decretis ad Dignitatis Episcopalis decorem et gravitatem pertinentia continentur, ad amussim servent, et, si opus fuerit, tam Barones quam omnes alios Laicos, ut Episcopos paterno honore ac debita reverentia prosequantur, serio admoneant. Ita exequi dignetur Em. Vestra, cui manus humillime exosculor.

Romae 29. Septembris 1691. Em. V. Reverendiss. Humillimus ac addictiss. Servus A. Cardinalis Cybo.

J. Vallemanus Sac. Rit. Congreg. Secretarius.

Eminentiss. et Reverendiss. Domino Cardinali Archiepiscopo Beneventano.

V. Catalogus scriptorum, quae in Archivo curiae episcopali adservanda sunt.

(Vid. Tit. XV. cap. III.)

[Idem catalogus habetur in appendice ad Conc. Roman. a. 1725. n. XI.]

VI. Methodus in Congregationibus casuum servanda.

(Vid. Tit. XVII. cap. IX.)

[Eadem methodus habetur in appendice ad Conc. Roman. a. 1725. n. XVII., paucis tamen mutatis, quae ibi notabuntur.]

VII. Declarationes S. Congreg. Concilii.

(Vid. Tit. XXI. cap. I. et II.)

Dubium Distributionis Ordinum.

In quadam Cathedrali illi Canonici, qui constituti sunt in ordine Presbyteratus, munia sacerdotalia in cantandis missis omnes exercent, ex quo videtur desumi posse, quod tales Canonicatus annexum habeant ordinem Presbyteratus. Verum nullum invenitur monumentum scriptum, num dicti Canonicatus omnes annexum habeant ordinem Presbyteratus, vel quales et quot Presbyteratum, Diaconatum vel Subdiaconatum; imo in compluribus provisionibus, tum Apostolicis tum Ordinariis, collati fuerunt Canonicatus Clericis, qui neque actu erant Presbyteri neque in aetate intra annum ad Subdiaconatum ascendendi, et quando erant minores ultra annum, obtinuerunt a S. Sede dispensationem, adjecto tamen onere, ut, cum primum ad aetatem legitimam pervenissent, ad sacrum Subdiaconatus ordinem ascenderent. His praesuppositis, quaeritur:

An Episcopus cum consilio Capituli possit designare ac distribuere, prout ipse viderit expedire, quibus et quot Canonicatibus debeat in posterum esse annexus ordo Presbyteralis, Diaconalis et Subdiaconalis, dummodo tamen non solum dimidia pars, sed ex tribus saltem duae sint Presbyterales; attento, quod praesupponitur, adesse consuetudinem, omnes Canonicatus esse Presbyterales?

Die prima Junii 1680. Sacra Congregatio Eminentissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum respondit: *affirmative.*

F. Cardinalis Columna Praefectus.
Loco † sigilli.
S. Archiep. Brancacius Episc. Viterbien. Secretarius.
Gratis etiam quoad scripturam.

Dubium Distributionis Ordinum.

In casu proposito die prima Junii 1680. Sacra Congregatio censuit, posse Episcopum cum consilio Capituli designare ac distribuere, quibus ex Canonicatibus Cathedralis quisque ordo annexus esse debeat. Quaeritur nunc:

An Episc. in tali designatione ac distributione teneatur non solum exquirere consilium Capituli, verum etiam sequi?

Die 23. Novembris 1680. Sac. Congreg. Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit, *Episcopum teneri quidem exquirere consilium Capituli, non autem sequi.*

F. Cardinalis Columna Praefectus.
Loco † sigilli.
S. Archiep. Brancacius Episc. Viterbien. Secretarius.
Gratis etiam quoad scripturam.

VIII. Decretum S. Congregationis Rituum.

(Vid. Tit. XXXI. cap. II.)

Quaesitum fuit in Sac. Rituum Congregatione ab Episcopo Sarnen. declarari:

a An Dignitates et Canonici Cathedralis Sarnen. teneantur in Missis solennibus et Conventualibus, quae ab ipsis cantantur per gyrum, praecipue in diebus festis ex obligatione Capitulari, assistere sibimetipsis gradatim in ministerio Subdiaconi et Diaconi, non obstante antiqua consuetudine, quam praetendunt, sufficiendi alios simplices Sacerdotes non de gremio Capituli, ad exercendum officium Subdiaconi et Diaconi in hujusmodi solennium Missarum celebrationibus, etiam assistente Episcopo; an vero hoc munus obire teneantur, eodem Episcopo dumtaxat pontificaliter celebrante?

Et Sac. eadem Congr. inhaerendo Decretis alias pluries in similibus emanatis, referente Eminentissimo et Reverendissimo Domino Cardinali Ursino, respondit ac declaravit:

Canonicos semper et quandocumque teneri; et ita decrevit, et omnino in Cathedrali praedicta servari mandavit, non obstantibus quibuscumque. Die XV. Septembris 1691.

A. Cardinalis Cybo.
Loco † sigilli.
I. Vallemanus Sac. Rit. Congregationis Secretarius.

b A quo Decreto cum ad eandem Sac. Congregationem ipsimet Canonici recursum habuissent et audiri institissent, emanavit aliud Decretum sequentis tenoris.

Sarnen.

Iterum proposita in Sac. Rituum Congregatione causa inter Episcopum Sarnen. et Dignitates et Canonicos ejusdem Cathedralis Ecclesiae, in qua praetendebatur a praedictis Dignitatibus et Canonicis, recedendum esse a decisis sub die XV. Septembris proxime praeteriti super assistentia ab ipsis gradatim praestari debita in munere Diaconi et Subdiaconi Canonico celebranti; eadem Sac. Congregatio *stetit in decisis et amplius non proponi mandavit.* Die XV. Decembris 1691.

A. Cardinalis Cybo.
Loco † sigilli.
I. Vallemanus Sac. Rit. Congregationis Secretarius.

c IX. Edictum, ne beneficia parochialia pensione graventur.

Ex mandato Nostri Sanctissimi Patris Innocentii XII.

(Vid. Tit. XXII. cap. II.)

* *Versio Latina ex Italico.*

Bandinus tituli S. Pancratii Presbyter Cardinalis Panciatichi et SS. Domini Nostri Prodatarius.

Quum SS. Dominus Noster paterna charitate et zelo Parochos ad majorem curam animarum sibi commissarum excitare iisque facultatem necessitatibus illarum subveniendi magis expedire velit: ex mandato expresso, vivae vocis oraculo a Sanctitate Sua nobis dato, praecipimus et ordinamus, ne deinceps beneficia parochialia, etiam laicalis juris patronatus, pensionibus graventur, quod et ab ipsis Ordinariis in provisionibus observetur; dein, ne resignationes vel permutationes parochialium beneficiorum admittantur, si pensiones in favorem cujuslibet vel
d quolibet titulo, etiam praestationis alimentorum, reserventur, et multo minus pensiones in iisdem beneficiis parochialibus *sine causa, beneficio pleno* cum Consensu possessorum ex qualibet causa vel titulo reserventur.

Ex dataria die 11. Nov. 1692. B. Cardinalis Prodatarius. Romae typis Reverendae Camerae Apostolicae 1692.

X. Forma testamentorum ad pias causas, a. S. Congregatione Episcoporum et Regularium hisce literis praescripta.

(Vid. Tit. XXVII. cap. II.)

* *Versio Latina ex Italico.*

Illustrissime et Reverendissime Domine ut Frater.

Etiamsi haec S. Congregatio Episcoporum et Regularium pluries antiquam et piam, in quibusdam dioecesibus vigentem consuetudinem Testamentorum ad pias causas, quae vulgo dell'

anima vocantur, pro morientibus intestato faciendorum permisit, eadem tamen semper ad excessus vitandos Ordinariis diversas formas et conditiones praescripsit.

At novis querelis propter abusus hac in re commissos continuo auditis, Sanctitas Sua, quum ad Eandem recursus pro dioecesi Frigentina factus esset, huic Congregationi rescripsit, ut singulari diligentia quum aliis, tum huic dioecesi provideret.

Unde referente Domino Eminentissimo Casanate, ut omni abusui mederentur, hi Eminentissimi Domini, postquam decreta, alias *de testamentis ad pias causas* facta, conditionesque appositas denuo confirmarunt atque, ut diligentius observarentur, poenis infra scriptis sanxerunt: mihi mandatum Vestrae Dominationi scribendi dederunt, ut exemplar authenticum harum literarum omnibus Ordinariis istius Nuntiaturae transmitteret, quum haec esset mens quoque Sanctitatis Suae, qua approbante, haec decreta facta sunt.

1. Propter solutionem harum piarum dispositionum, quas testamentum dell' Anima vocant, ab Ordinariis et Parochis sepultura cadaverum ne retardetur, etiamsi haeredes defuncti diserte illam detrectaverint; sed statim cadavera sepeliantur, nec solutione exspectata nec promissione vel pignore solutionis. Quod sub poena suspensionis a divinis ipso facto incurrendae praecipitur, cujus absolutio huic S. Congregationi reservatur.

2. Eadem poena suspensionis ut supra proposita, sancitur, ne Ordinarii quamvis minimam partem harum piarum dispositionum, quas testamentum dell' Anima vocant, accipiant, neve pro se ipsis neve pro suis curiis et officialibus, etiamsi eam praetextu quartae canonicae vel fabricae Ecclesiae sibi vindicare velint: sed omnia integre pro solatio animae intestato defuncti expendantur in totidem Missas et opera pia secundum devotionem, quam ipse vivus ostenderat; quinimmo nullum emolumentum pro sententia vel decreto condonationis vel absolutionis haeredum recipiant, sive haereditas est ab intestato sive a testato.

3. In his testamentis ad pias causas faciendis Ordinarii, paterna discretione utentes, de parva tantummodo quantitate disponant, quae, omnibus debitis deductis, nec vigesimam pretii totius haereditatis partem, nec unquam centum scutatorum vel ducatorum summam excedat, etiamsi haereditas ad 20,000 scutatorum perveniat.

4. Haec omnia, petito haeredum consilio, secundum charitatem fiant, certo numero Missarum certisque operibus piis definitis.

5. Pro iis, qui testamentum facere non possunt, si, nullo patrimonio relicto, moriuntur, nihil prorsus exigatur.

6. Intelliguntur Ordinarii esse illi, in quorum dioecesibus intestati moriuntur, non ubi bona haereditatis jacent, vel ubi nati sunt, vel ubi habitant haeredes.

7. Iidem Ordinarii omnes has notitias cum suis parochis communicent, ne unquam locus sit excusationi ignorantiae, sed sanctae menti D. N. et Eminentissimorum religiose respondeatur. Vestra Dominatio igitur haec accurate et diligenter exsequatur, et Dominus Deus eam prosperam reddat.

Romae 19. Aug. 1678. Vestrae Dom. ut Frater devotissimus.
G. Cardinalis de Carpegna.

Loco † sigilli.
J. Bapt. Archiepiscopus
Genuensis, Secretarius.
Neapolim Domino Nuntio.

XI. Declaratio et decretum S. Congregationis Indulgentiarum de Bulla Clementis Papae VIII. *Quaecumque*. d. 7. Dec. 1604.

(Vid. Tit. XXXI. cap. III.)

* *Versio Latina ex Italico.*

Illustrissime et Reverendissime Domine.

Illustrissimi Domini Congregationis Indulgentiarum, postquam auctoritate et mandato peculiari SS. Domini Nostri, vivae vocis oraculo dato, decreverunt nonnullas difficultates expedire, quae in exsequenda constitutione Clementis VIII. fel. mem., de aggregatione confraternitatum edita, reperiuntur, et praeterea nonnullas res declarare, quae antiquas institutiones a Superioribus regularium factas respiciunt, Vestram Dominationem certiorem faciunt, se consentire, ut Superiores regulares, quibus nova facultas a Sua Sanctitate confraternitatum saecularium instituendarum (secundum formam illius constitutionis) concessa est, sine consensu Ordinarii locorum illas confraternitates confirmare possint, quae ab ipsis Superioribus regularibus, priusquam eadem constitutio publicata est, in ecclesiis propriis regularibus collegiatis, ubi saltem duodecim Religiosi degere solent, canonice erectae fuerint; nec obstat, quod in literis patentibus confirmationis disertis verbis dicitur hoc, ipso Ordinario consentiente, fieri: declarant tamen (Illustrissimi Domini ejusdem Congregationis), sive nova fiat institutio in Ecclesiis quum regularibus tum saecularibus, cujuscumque generis sint, sive antiquae confirmentur confraternitates erectae in ecclesiis saecularibus et etiam regularibus, in quibus non duodecim Religiosi versantur, testimonium et consensum Ordinarii necessario requiri, et caetera omnia observanda esse, quae in ista constitutione praescribuntur.

Similiter permittunt, eosdem regulares, quibus supradicta nova facultas instituendi concessa fuit, confraternitates antiquas confirmare et de novo instituere posse, etiamsi non integra illa distantia locorum, ubi confraternitates sunt vel erunt, quae a literis Apostolicis est praescripta, habeatur, dummodo praeter omnes alias requisitas conditiones peculiaris consensus Ordinarii loci adsit, qui scripto exhiberi necessario debet, antequam de hujusmodi distantia dispensetur.

Permittunt quoque, diversas antiquas saecularium confraternitates, si canonice erectae, ut supra, in ecclesiis regularibus collegiatis duodecim saltem Religiosorum reperiantur, posse confirmari, observata tamen in caeteris omnibus forma ab eadem constitutione praescripta, et pariter plures confraternitates antiquas ejusdem nominis vel instituti, canonice a Superioribus regularibus erectas, si in una eademque civitate vel loco sint, posse secundum supra dictam formam confirmari. Attamen Illustrissimi hi Domini volunt, si de novis confraternitatibus instituendis agatur, ut unam tantummodo in singulis civitatibus vel terris vel locis liceat instituere. Excipitur vero societas SS. Sacramenti, quam in omnibus ecclesiis parochialibus erigi concedunt, immo cupiunt, licet ibidem alia confraternitas jam erecta reperiatur.

Et quia multi dubitant, num, constitutione a Sanctitate Sua de indulgentiis, quae novissime Religiosis, revocatis antiquis, sunt concessae, edita, revocatae quoque sint indulgentiae ecclesiis regularibus easque visitantibus concessae: S. Congregatio, quamquam constitutio clare solas personas regulares, non vero earum ecclesias comprehendit, tamen ad omne dubium tollendum declarat, indulgentias iis, qui ecclesias regularium visitant, concessas in suo robore et vigore perstare, dum aliud a Sanctitate Sua sit decretum, et proinde publicari posse, nisi alia res obstet.

Congregationi visum est haec omnia V. D. scribere, ut in causis occurrentibus istius dioecesis sciat, quae hac in re facienda sint, et de iis Episcopos quoque suae provinciae certiores faciat; et precor, ut Vestrae Dominationi a Domino omnia vera bona eveniant.

Romae 20. Oct. 1607. V. D. etc.
P. Cardinalis Arigone
D. Archiepiscopo N.

XII. Literae S. Congregationis Episcoporum de debita solutione Cathedratici.

(Vid. Tit. XXXIII. cap. I.)

* *Versio Latina ex Italico.*

Foris. Eminentissimo et Reverendissimo Domino, Observandissimo D. Card. Ursino, Archiepiscopo Beneventano.

Intus. Eminentissime et Reverendiss. Domine Observandiss.

Quum a me in S. Congregatione relata essent, quae Vestrae Eminentiae placuit de cathedratico illo exponere, quod a clero et beneficiatis istius civitatis et dioecesis exigere intendit, hi Eminentissimi Domini, decretis alias hac in causa factis inhaerentes, mihi mandatum Eminentiae Vestrae significandi dederunt, Eandem hoc cathedraticum, quod tamen summam duorum solidorum, constitutione Honorii Papae III. „Conquerente“ definitam, non excedat, exigere posse. Et humiliter V. E. manus deosculor.

V. E. humillimus et devotissimus.
Romae 28. Febr. 1687. Servus G. Cardinalis de Carpegna
B. Panciatichi Secretarius
Beneventum D. Card. Archiepiscopo.
Adest sigillum.

XIII. Distributio horarum,

quibus divina officia et Missa conventualis in cathedrali incipi debent secundum decretum S. Congregationis Episcoporum in una Aretina 30. Mart. 1599.

(Vid. Tit. XXXIV. cap. XIV.)

** Versio Latina ex Italico.*

A 1. Januar. usque ad 15.

Matutinum incipiet hora 15. cum dimidio, Missa solemnis hora 17. cum dimidio.

Per totum annum paulo ante initium missae campanarum sonitus incipiet, quo ad sermonem audiendum fideles convocentur, et ipse sermo post Evangelium cantatum habebitur. In vigiliis festorum campanae vespere saltem per quadrantem horae sonabunt et, dum Epistola cantatur, singulis ictibus pulsentur. Missa solemnis, si sermo non erit, per totum annum semihora post tempus indicatum incipiet.

Primae Vesperae diebus festis hora 21., feriis vero hora 20., et eadem hora usque ad 15. Martii cantabuntur.

A 15. Jan. usque ad 1. Febr.

Matutin. h. 15., Missa sol. h. 17. cum dimidio.

A 1. Febr. usque ad 15.

Matut. h. 14. cum dimidio, Missa sol. h. 17.

A 15. Febr. usque ad 1. Mart.

Matut. hor. 14., Missa sol. h. 16. cum dimidio.

A 1. Mart. usque ad 15.

Matut. h. 13., Missa sol. h. 16.

A 15. Mart. usque ad 1. April.

Matut. h. 12. cum dimidio, Missa sol. h. 15. cum dimidio. Vesper. diebus festis h. 20., feriis h. 19., et eadem hora usque ad 15. Nov. cantabuntur.

A 1. April. usque ad 15.

Matut. h. 11., Missa sol. h. 14. cum dimidio.

A 15. April. usque ad 1. Mai.

Matut. h. 11., Missa sol. h. 14.

A 1. Mai usque ad 15.

Matut. h. 10., Missa sol. h. 13.

A 15. Mai usque ad 1. Juni.

Matut. h. 9. cum dimidio, Missa sol. h. 12. cum dimidio.

A 1. Jun. usque ad 15.

Matut. h. 9., Missa sol. h. 12.

A 15. Jun. usque ad 1. Jul.

Matut. h. 8. cum dimidio, Missa sol. h. 11. cum dimidio.

A 1. Jul. usque ad 15.

Matut. h. 8. cum dimidio, Missa sol. h. 11. cum dimidio.

A 15. Jul. usque ad 1. Aug.

Matut. h. 9., Missa sol. h. 12.

A 1. Aug. usque ad 15.

Matut. h. 9. cum dimidio, Missa sol. h. 12. cum dimidio.

A 15. Aug. usque ad 1. Sept.

Matut. h. 10., Missa sol. h. 13.

A 1. Sept. usque ad 15.

Matut. h. 11., Missa sol. h. 13. cum dimidio.

A 15. Sept. usque ad 1. Octobr.

Matut. h. 11. cum dimidio, Missa sol. h. 14.

A 1. Oct. usque ad 15.

Matut. h. 12. cum dimidio, Missa sol. h. 14. cum dimidio.

A 15. Octbr. usque ad 1. Nov.

Matut. h. 13., Missa sol. h. 15.

A 1. Nov. usque ad 15.

Matut. h. 14., Missa sol. h. 16.

A 15. Nov. usque ad 1. Dec.

Matut. h. 14. cum dimidio, Missa sol. h. 16. cum dimidio. Vesperae diebus festis h. 20. cum dimidio, feriis h. 20., et eadem hora usque ad 15. Dec. cantabuntur.

A 1. Dec. usque ad 15.

Matut. h. 15., Missa sol. h. 17.

A 15. Dec. usque ad 1. Jan.

Matut. h. 15. cum dimidio, Missa sol. h. 17. cum dimidio. Vesperae diebus festis h. 21. et feriis h. 20. cantabuntur.

Denique sacristanus prospiciat, ut divina officia hora praescripta incipiantur; quum ante Missam, tum ante Vesperas tribus circiter quadrantibus ante horam determinatam tria signa campanarum sonitu fiant, ut inter haec signa aequale sit intervallum unius quadrantis. Post tertium signum illico parva campana
a continenter pulsetur, ut populus intelligat, hoc esse ultimum signum, et quadrantem horae usque ad initium restare, quo tempore in Sacristia celebraturi se praeparent.

XIV. Decretum generale S. Congregationis Rituum.

Cum pluries Sacra Rituum Congregatio, inhaerendo Decretis alias editis, et signanter in Lucerina die 22. Novembris 1664. 28. Septembris 1675. et 13. Martii 1688., declaraverit, nullo modo dandum esse Evangelium ad osculandum secularibus, etiam Praesidi, in celebratione Missarum, nec non prohibuerit usum baldacchini, et praesertim in Acernina die 26. Junii 1666. Baren. 5. Martii 1667. et 17. Junii 1684. Marsicen. Polignanen. et Mileten. 5. Martii 1667. Hieracen. die 2. Octobris 1683. et Bitecten. 23. Septembris 1684. ac insuper denegaverit assistentiam in Presbyterio, et specialiter in Materaren. 24. Januarii 1665. Melphitana 15. Junii 1667. et Baren. 20. Novembris 1677. et 22. Februarii 1687: Eminentissimi et Reverendissimi DD. Cardinales eidem Sac. Congregationi Praepositi mandarunt, ut praedicta
b decreta, prohibentia personis secularibus osculum Evangelii, usum baldacchini et assistentiam in Presbyterio, renoventur, et copiae illorum transmittantur Archiepiscopis et Episcopis Regni Neapolis, eisdemque injungendo, ut illa intimari faciant Superioribus Ecclesiarum suae Dioecesis, tam Secularibus quam Regularibus, et in casu transgressionis procedant etiam contra Regulares auctoritate ejusdem Sac. Congregationis ad poenam interdicti; et ita decreverunt et in Ecclesiis Regni Neapolis omnino servari jusserunt.

Die 13. Martii 1688. A. Card. Cybo. Locus † sigilli.

Bernardinus Casalius Sac. Rit. Congreg. Secretarius.

Literae ejusdem S. Congregationis.

Foris. Eminentiss. et Reverendiss. Domino, Observandiss. Domino Cardinali Ursino Archiepiscopo Beneventano.

Intus. Eminentiss. et Reverendiss. Domine Observandiss.

Ex annexa Epistola Pastoralem Sanctissimi Domini nostri solicitudinem Eminentia Vestra perspiciet, peraudito hujus Sac. Rit. Congregationis sensu, removendi ab Ecclesiis et functionibus
c Ecclesiasticis abusus perperam introductos. Equidem a Sanctitate Sua et Sac. Rituum Congregatione licet in propria Eminentiae Vestrae Dioecesi forsan non irrepserint, aut a proprio zelo expulsi fuerint, non ambigatur[1]; nihilominus eadem Sac. Congregatio censuit penitus super hoc ab ipsa informari. Nam in ejus zelo summopere confisa certiorem facit, ut invigilet, an a suis Suffraganeis adimpleta vel neglecta fuerit mandati hujus executio. Quos enim animadverterit incitari oportere, ad illud fervide peragendum incumbat, ut partes ipsos spectantes, tanquam Pastorali munere insignitos, hujusmodi abusus expellendo, adimpleant[2], eo magis vigente mox Sanctitatis Suae ad amussim mandato. Dignetur itaque Sacr. Congregationem de omnibus quibuscunque in hoc negotio ab ipsismet suis Suffraganeis gestis et peractis certiorem reddere, praesertim ab Episcopo Telesino, cui scriptum fuit et iterum scribitur ex eodem tenore, prout Eminentia Vestra ex annexis literarum exemplaribus comperiet. Quoniam vero evidenter patet, Praelatum hunc stimulis indigere[3], eidem Eminentia Vestra hujusmodi praestare non praetermittat, ut obstringatur Sanctitatis Suae solicitudinem executioni demandare, ipsum-
d que ab evidenti, cui subjacet, periculo, ne jure merito redarguatur, eximere; dum interea Eminentiae Vestrae manus reverenter exosculor.

Romae die 18. Junii 1689. Eminentiae Vestrae Reverendissimae. Humill. et Addictiss. Servus A. Cardinalis Cybo.

Bernardinus Casalius Sac. Rit. Congregationis Secretarius.

Eminentissimo et Reverendissimo D. Cardinali Ursino Archiepiscopo Beneventano. Adest sigillum.

---

[1] * Locus hic verborum transpositione est corruptus et corrigendus videtur hac ratione: Equidem licet in propria Eminentiae Vestrae Dioecesi forsan non irrepserint, aut a Sanctitate Sua et Sac. Rituum Congregatione, quin a proprio zelo expulsi fuerint, non ambigatur: nihilominus etc.

[2] * Hic locus in I. Synodici editione mendosus est, ubi haec leguntur: quibus enim animadverterit incitari oporteat, ad illud fervide peragere incumbat, ut partes ipsis spectantes tamquam Pastorali munere insignitos, hujusmodi abusus expellendo, adimpleant.

[3] * In prima Synodici editione male: *oportere*.

Sac. Rituum Congregatio die 22. Aprilis, referente Eminentissimo et Reverendissimo Domino Cardinale Columna Ponente, stetit in decisis die 13. Martii 1688., et quoad baldacchina, non tantum illorum usum, verum etiam retentionem tam in Presbyterio quam extra in eodem decreto comprehendi declaravit, et ad effectum, ut memoria pereat similis abusus, mandavit, ut injungatur Archiepiscopis et Episcopis Regni Neapolitani, quod hastas, gradus, suppedanea et quaecunque alia signa baldacchini ab Ecclesiis suarum Dioecesum, tam Secularium quam Regularium, removere faciant: et quoad Ecclesias Regularium procedant ad interdicta et contra inobedientes ad censuras auctoritate Sac. Congregationis eadem die 22. Aprilis 1690. Et facto de praedictis verbo cum Sanctissimo per me Secretarium, Sanctitas Sua annuit, sensum Congregationis approbavit et laudavit ac praemissum decretum exequi omnino et publicare praecepit. Die 22. ejusdem mensis et anni 1690.

A. Episc. Ostien. Cardinalis Cybo.

Laurentius Fliscus Sac. Rit. Congregationis Secretarius.

Locus † sigilli.

Romae ex Typographia Reverendae Camerae Apostolicae 1690.

XV. Editto del Santo Ufficio, da pubblicarsi due volte l'Anno, cioè la prima Domenica dell' Avvento e la prima Domenica di Quaresima.

(Tit. XLVII. cap. I.)

Vid. Bullar. Roman. inter edicta S. Congr., Clementis XI. auctoritate promulgata, XII.

„Essendo a Noi." d. 31. Mart. 1718.

Edictum Publicationis Actorum Concilii Provincialis Beneventani.

Fr. Vincentius Maria Ordin. Praedicatorum Miseratione Divina Tit. S. Sixti S. R. E. Presb. Card. Ursinus, S. Beneventanae Ecclesiae Archiepiscopus Metropolita.

Omnibus et singulis nostrae Provinciae fidelibus publico hoc praesenti authentico Edicto, ad valvas nostrae Metropolitanae Ecclesiae caeterarumque Cathedralium ac insignium Ecclesiarum, etiam exemptarum ac nullius Dioecesis, ejusdem nostrae Provinciae affixo, publicantur omnia et singula Acta et Decreta emanata in Synodo Provinciali, per Nos cum Sanctissimis ac Reverendissimis Coepiscopis nostris aliisque Praelatis inferioribus de more legitime ac canonice habita et celebrata in praedicta nostra Metropolitana Ecclesia diebus XI., XIII. et XVI. Aprilis currentis anni et a Sac. Congreg. Concil. juxta Constit. fel. rec. Sixti PP. V. la LXXIV. benigne recognita et expensa, nec in ulla prorsus sanctione immutata; ut ex autographo Decreto ejusdem Sac. Congreg. lato die XXVI. Septembris proxime elapsi et ad Nos transmisso. Inhaerendo autem Constitutioni praefati nostri Concilii Provincialis (in Cap. 2. Tit. 2. de Constitutionibus) volumus, quod post tres menses a praesentium in praedictarum Ecclesiarum valvis affixione, ut praemissum est, omnes et singulos, ad quos respective spectat, eadem Decreta Synodalia ita afficiant et ad observantiam adstringant, ac si personaliter eis exhibita, intimata, notificata et praesentata fuissent, sub poenis in eisdem Synodalibus Constitutionibus contentis. In quorum fidem hoc ipsum Edictum conficiendum, per Nos et Secretarium nostrum subscribendum et nostri sigilli impressione muniendum decrevimus.

Datum in S. Visitatione Oppidi Montis-Calvi nostrae Archidioecesis hac die Sacra S. Ludovico Bertrando X. Mensis Octobris 1693.

Fr. Vinc. Maria Card. Archiep. Metrop.

I. Foderus Synodi Secret.

Epistola Synodica

ad SS. D. PP. Innoc. XII., cujus auctoritati hoc Concilium submittitur.

Sanctissime Pater.

Singulari Dei benignitate factum existimo, ut Provincialis Synodi convocationem, quam a primis ministerii mei in hac Metropolitana Ecclesia liminibus in votis habebam, sub felicissimis Sanctitatis Vestrae auspiciis tandem aliquando obtinerem. Dilatam siquidem hanc spem non rerum vicissitudini, non huic eversae Civitati, sed inscrutabili Divinae Sapientiae consilio acceptam refero. Si namque in hac Synodo is fuit divinae Domus zelus, ea Religionis tuendae atque ornandae conspiratio et consensus, ut multitudinis esset cor unum et anima una: non aliunde in nostrum omnium capita hic effusus est Spiritus nisi de spiritu vestro. Ecquis sub tanto Pontifice Optimo Maximo, cum quo lux orta est justis et rectis corde laetitia, sub quo pietas incrementum, impietas detrimentum nacta sunt, non sensit novae virtutis igniculos, qui, ut manu ferme tetigi, sanctae charitatis incendia in Fratrum eorum Coepiscoporum pectoribus excitarunt? Exultavit sane haec rediviva Civitas, in qua olim Summi Romani Pontifices, praedecessores vestri, sex Concilia, quorum tertium Ecclesiasticae historiae parens generale appellat, habuerunt. Hic Nicolaus II. ad Monachorum controversiolas sedandas sese paterno affectu inclinavit. Hic Victor III. extento brachio in Guibertum Antipapam ejusque Schismaticos Episcopos excommunicationis fulmen contorsit. Hic Urbanus II., Ecclesiasticae nervum tendens disciplinae, idem in eosdem iaculatus est fulmen. Hic Paschalis II. in suo primo Concilio laicas manus ab Ecclesiasticis rebus absterruit; in secundo Ecclesias suis veris Rectoribus restituit; in tertio Mauritium Burdinum, Bracharensem Archiepiscopum, Antipapam praevidens futurum, ab Ecclesia reddidit excommunem. Laetata est haec Metropolitana, quae etsi olim duo et triginta Comprovincialium Episcoporum conventu complectebatur, deinde quatuor et viginti venerabilem coetum aspexit: modo licet duodevigiuti dumtaxat enumeret, omnes tamen Latinas Metropoles, quae unitatis vinculo Sanctae Vestrae Sedi, Ecclesiarum omnium Matri et Magistrae, annectuntur, facile antecellit; qua Fratrum corona Praedecessores mei circumdati, ante Tridentinum Concilium singulis annis Provinciales Synodos celebrabant; post Concilium, Cardinalis Archiepiscopus Sabellus bis, Archiepiscopus de Palumbaria, Archiepiscopus Foppa non ita pridem eundem Provincialem Conventum coëgere, ita certe, ut veterum et recentium hujusmodi Constitutionum duodecim hactenus codices collegerim. Cum itaque haec Metropolitana omnes inter Italicas in Provincialibus Synodis successive persolvendis constantior exstiterit, tantis majorum nostrorum vestigiis ego et Comprovinciales mei religiose inhaerentes Provincialem Synodum quatuordecim Episcoporum aliorumque Praelatorum ordinariorum frequentia, summa Cleri Populique laetitia, die XI. Aprilis, Deo inspirante, inchoatam et XVI., eodem adjuvante, completam unanimi omnium omnino assensu et consensu rite celebravimus. Quae vero pro imbecillitate nostra in ea constituta sunt decreta, Ego et Fratres mei, qua majori possumus reverentia, humilitate et obedientia, mittimus ad Sanctitatem Vestram, ejusque judicio ac censurae emendanda subjicimus. Deo interim vota persolvimus, ut ad Ecclesiae suae tutelam Sanctitatem Vestram diutissime servet incolumem, ad cujus Apostolicum Thronum provoluti, paternam benedictionem nobis, gregibus nostris et universae nostrae Provinciae precamur.

Datum Beneventi die XVI. Mensis Aprilis 1693.

Humillimi, obsequentissimi ac devotissimi filii ac servi vestri, Archiepiscopus, Episcopi et alii Praelati inferiores ordinarii in Concilio Beneventano canonice congregati.

Fr. Vincentius Maria Cardin. Archiep. Praeses.

De mandato Sacri Concilii Provincialis Samnitium Provinciae.

Jacobus Foderus Presbyter a Secretis.	Julianus Bovicellus Lector a Secretis.

Sequitur Breve ejusdem SS. D. PP. post recognitionem praefati Concilii.

Foris. Dilecto Filio nostro Vincentio Mariae Tit. S. Sixti S. R. E. Presb. Card. Ursino nuncupato.

Intus. Innocentius PP. XII.

Dilecte Fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Etsi de eximia pietate deque incenso zelo, quo demandatam pastorali curae tuae Beneventanam Ecclesiam gubernas et regis, praeclara nobis non deerant argumenta: gavisi nihilominus admodum sumus comprobatum idipsum agnoscere in Provinciali Synodo, quam convocasti; praeter meritum enim, quod exinde

a

in te abundo redundat, justam etiam in spem adducimur, fore ut alii, consimili in gradu constituti, ad idem solicite praestandum vehementer excitentur. Uberes autem tibi nec non Episcopis caeterisque Praelatis, qui una tecum praedicta in Synodo convenerunt, laudes tribuentes, non omittemus rogare illum, pro cujus gloria amplificanda sedulam operam impenderunt, ut Apostolicam benedictionem, quam hac praesertim de causa peramanter omnibus ac singulis impertimur, effusa beneficentiae suae largitate cumulet atque confirmet.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XVI. Januarii 1694. Pontificatus nostri anno tertio.

Marius Spinula.

NOTA. Cum a Sac. hoc Concilio sequentibus etiam literis Synodalibus postulatum humiliter fuisset a SS. Innocentio PP. XII., ut a spoliorum onere hujus Provinciae Pontifices eximeret: Sanctitas Sua non solum pro nostra Provincia, sed pro omnibus universi Regni Neapolitani Episcopis constitutione subsequenti clementer annuit. Quocirca grati animi ergo Archiepiscopus et Provinciales Coepiscopi accepti Beneficii pro anathemate in Metropolitana Samnitium Basilica lapidem infra exscribendum erexere.

b

Altera Epistola Synodica
ad eundem SS. PP. Innocentium XII.

Beatissime Pater.

Concilium Provinciale Beneventanum post humillima pedum oscula aeternam Sanctitati Vestrae precatur salutem. Postquam de his, quae ad ovium nobis commissarum regimen spirituale pertinent, Pastorali solicitudine actum pro viribus fuit, Sanctitati Vestrae humiliter exponere decrevimus pro omnium nostrum generali consolatione ea, quae in animarum nostrarum inevitabile et lacrymabile damnum cedere nedum experimur, sed etiam magna animi nostri aegritudine dolemus. Ea est Commissariorum R. Nuntiaturae in morte Episcopi petulantia, ut vix infirmitas aggravetur, cum ad spolium taliter se indiscrete accingunt, quod nec remedia corporali saluti necessaria applicare decenter sinant, nec ea, quae ad animae procurationem pro religiosa morte agere debet Praelatus, Christiana libertate exercere permittant; in tantum ut Episcopo morienti non Confessarius, qui adjuvet, sed Commissarius, qui exspoliet, non sine Populorum scandalo assistere videatur: et hoc tam parvo R. Camerae Apostolicae proventu, ut omnia pretiosa, si quae sint, sibi reservari et non in profectum ejusdem Camerae cedere quotidiana experientia compertum sit. Qua de causa ipsi Oratores ad hoc tam perniciosum animarum suarum damnum evitandum ad Sanctitatis Vestrae paternam clementiam recurrere decreverunt, ut dignetur eosdem humiles Oratores ad dicti spolii compositionem admittere eo modo et forma, quibus Capitula Cathedralium hujus Regni reperiuntur admissa, habita ratione reddituum uniuscujusque Ecclesiae supplicantium. Quae compositio cum certa deinde extiterit, omni fraude et dolo carebit et in evidentem R. Camerae Apostolicae utilitatem redundabit, ipsique Oratores, praecluso scandalo praedicto sic pernicioso, Christiana et religiosa morte requiescent et, dum vivunt, pro gratiarum actione incessanter Deum optimum maximum pro Sanctitatis Vestrae incolumitate deprecabuntur.

c

d

Datum Beneventi die XVI. Mensis Aprilis Anno 1693.

Humillimi, obsequentissimi ac devotissimi filii ac servi vestri Archiepiscopus, Episcopi et alii Praelati inferiores ordinarii in Concilio Beneventano canonice congregati.

Fr. Vincen. Maria Card. Archiepisc. Praeses, etc.

De mandato Sacri Concilii Provincialis Samnitium Provinciae.

Jacobus Foderus Presb. a Secret.	Julianus Bovicellus Lector a Secretis.

Constitutio Sanctissimi Domini Innocentii PP. XII.

Inscrutabili aeternae. d. 30. Jan. 1693.

Super exemptione Archiepiscoporum, Episcoporum et Praelatorum inferiorum Regni Neapolis a Spoliis et fructibus inconsumptis et incommixtis suarum Ecclesiarum, ad Cameram Apostolicam hactenus spectantibus et deinceps in beneficium Ecclesiarum applicandis et erogandis.

(Vid. Bull. Rom. Innoc. XII. Const. 33.)

Donarii Exemplar Innocentio XII. Dicati. Pro Ademptis Spoliis.

Neapolitani Regni Sublimia Templorum tecta aeternum quatiat Alleluja. Ne deinceps nuda sint, Pastorum spoliis ditavit Innocentius XII. Pont. Opt. Max. Instante Provinciali Beneventano Concilio Celebrato Mense Aprili Anno MDCXCIII. Divino certe consilio factum. Pseudo-Clemens VII. his adinventis spoliis Urbanum VI. Neapolitanum Pont. Maximum Spoliare nisus est. Innocentius XII., Neapolitanus, spoliorum abolitione Concivis memoriam et nationalium Ecclesiarum inopiam Decore vestivit. Tanto Hierarchae beneficentissimo hoc in marmore novum trophaei genus non ex ademptis, sed ex remissis spoliis Fr. Vincentius Maria Ordinis Praedicatorum Cardinalis Ursinus Metropolita ac caeteri duodeviginti Samnitium Provinciae Pontifices Erexerunt.

Anno ab Orbe Redempto MDCXCIV.

Catalogo de' Padri del Concilio Provinciale Beneventano dell' anno MDCXCIII.

Chiama a Concilio i Padri il Primo (1) *Orsino,* — Seguita *Labonia* (2) Monte-marano, — *Sangro* (3) eliggente Vescovo Trojano — Siede d'Alife a *Lazara* (4) vicino.

Matta (5) di San Severo ha'l Telesino — Seco *de' Belli* (6) e *Panzi* (7) l'Ascolano, — Il *Cerasi* (8) Bovin, *Giannon* (9) Bojano — Lasciaro, e *Catalano* (10) il suo Larino.

Morelli (11) Lucerin, l'Arianense — *Bonilla* (12), e appresso il Termulan (13) *Pitiro,* — E l'ultimo fu *Cianci* (14) Guardiense.

Di Vulturara, e di Trivico il giro, — D'Avellin, Triventino, ed Agatense, — *Gravina, Minervin, Bisceglia* † empiro.

Majorini (15) seguiro — Di San Guglielmo il General divoto, — *S. Lupo* (16) ed *Alberon* (17) ch'ebbero il voto.

† [* Harum urbium Episcopi: M. de Cavaleriis, Fr. Vignola et Pompejus Sarnellius, etsi aliis Metropolitis subjecti, ad Conc. prov. Card. Ursini accesserant et ita vices absentium expleverant.]

Taxa Fori Metropolitani Beneventani et Curiarum Episcopalium ejusdem Provinciae.

Ad formam taxarum ejusdem Curiae Metropolitanae, editarum per clar. mem. Cardinalem Arigonium Archiepiscopum anno Domini 1610. et fel. rec. Ioannem Baptistam Foppam, pariter Archiepiscopum, praevia revisione, ac examine facto a particulari Congregatione, deputata de ordine Sanctissimi, confirmatarum et approbatarum a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium sub die 13. Martii 1653.,

Plenius tamen et per ordinem digesta

Ab Eminentissimo et Reverendiss. in Christo Patre et Domino, Domino Fr. Vincentio Maria Ordinis Praedicatorum Miseratione Divina Tituli S. Sixti S. R. E. Presb. Card. Ursino Archiep. Metrop. De mandato Concilii Provincialis, et ab eodem confirmata mediante decreto Conciliari, lato in 3. sess. sub die 16. Aprilis 1693.

PRO CIVILIBUS.

Cap. I.

Particulae contentae in taxa Arigonia *sunt notatae in margine sub verbo* Arig. *et particulae contentae in taxa* Foppa *sunt pariter notatae in margine verbo* Fop., *reliquae vero appositae sunt ex decreto Concilii Provincialis.*

Arig. Pro qualibet praesentata libelli, scripturae vel articulorum Cancellario grana 10.

Arig. Pro simplici citatione in scriptis civili, seu mandato ad comparendum, seu intimetur parti, Vicario gr. 5, Canc. gr. 5.

Arig. Pro citatione cum inserta forma petitionis Vic. gr. 10; Canc. gr. 10.

Arig. Pro qualibet instantia seu reproductione citationis Cancel. gr. 2.

Arig. Pro qualibet replicatione Canc. gr. 1.

Arig. Pro electione domicilii ad finem citandi Canc. gr. 10.

Fop. Pro copia primae vel alterius petitionis vel cujuslibet scripturae privatae Canc. gr. 10.

Pro mandato justificato cum clausula justitiae Vic. gr. 10, Canc. gr. 10.

Pro qualibet contumacia in causa civili Canc. gr. 5.

Pro intimatione causae autori laudato cum insertione Vic. gr. 20, Canc. gr. 20.

Pro primo decreto, quod intimetur parti ad dicendum contra petita et constituendum Procuratorem, Vic. gr. 10, Canc. gr. 10.

Arig. Pro constitutione Procuratoris penes acta vel substitutione Canc. gr. 10.

Fop. Pro praesentatione mandati procurae, etiam si sit in pergameno, Vic. gr. 5, Canc. gr. 5.

Pro constitutione Procuratoris facta per minorem cum auctoritate Vicarii Generalis Vic. gr. 10, Canc. gr. 10.

Pro juramento calumniae Canc. gr. 5.

Arig. Pro cautione expensarum Canc. gr. 10.

Arig. Pro quolibet decreto interlocutorio ante litis contestationem Vic. gr. 10, Canc. gr. 10.

Arig. Pro qualibet litis contestatione Vic. gr. 5, Canc. gr. 5.

Arig. Pro termino probatorio Vic. gr. 10, Canc. gr. 10.

Arig. Pro prorogatione termini Vic. gr. 5, Canc. gr. 5.

Pro decreto admissionis articulorum Vic. gr. 10, Canc. gr. 10.

Arig. Pro qualibet responsione seu depositione principalis super articulis seu positionibus gr. duo pro quolibet articulo, dummodo non excedant gr. decem, Canc. gr. 10.

Pro decreto electionis Examinatoris Vic. gr. 10, Canc. gr. 10.

Idem servetur in electione vel confirmatione Interpretum.

Pro citatione ad testes Vic. gr. 5, Canc. gr. 5.

Arig. Pro examine cujusvis testis Canc. gr. 10.

Quod si articuli sint plusquam decem usque ad viginti, Canc. gr. 20.

Si vero articuli excedant hunc numerum, pars se concordet cum Cancellario coram Vicario Generali.

Si testes sunt examinandi coram Vicario ad instantiam partis, servetur idem, quod de Cancellario; scilicet usque ad decem articulos grana decem, et usque ad viginti caroleni duo pro Vicario ultra Cancellarium.

Si pars adversa praesentet interrogatoria et petat super illis examinari testes, pars illa praesentans solvet Cancellario granum unum pro quolibet interrogatorio et totidem Vicario, si fiet examen coram ipso.

Pro commissione examinandi testes in causa civili extra Curiam Vic. gr. 10, Canc. gr. 10.

Si vero committatur extra civitatem Vic. gr. 20, Canc. gr. 20.

Arig. Pro accommodatione processus ad finem percunctandi usque ad fol. quinquaginta Canc. gr. 20.

Arig. A fol. 50 usque ad 100 Cancel. gr. 50.

Arig. A centum ultra non excedat carolenos decem, quod servetur, licet pluries accommodetur.

Pro decreto publicationis Vic. gr. 10, Canc. gr. 10.

Pro decreto termini in causa repulsae servetur prout de termino probatorio.

Pro examine in causa repulsae servetur idem, prout dictum est de examine testium.

Arig. Pro decreto conclusionis Vic. gr. 10, Canc. gr. 10.

Pro citatione ad dicendum Vic. gr. 5, Canc. gr. 5.

Pro citatione ad sententiam Vic. gr. 5, Canc. gr. 5.

Arig. Pro sententia definitiva aut interlocutoria, vim definitivae habente, usque ad ducatos vigintiquinque, caroleni quinque Vic. gr. 30, Canc. gr. 20.

Arig. Et a duc. 25 usque ad duc. 50 Judici ducatum unum, Actuariis caroleni quinque, Vic. ducatum unum, Canc. gr. 50.

Arig. Et a duc. 50 usque ad summam duc. 500 solvantur Judici caroleni 25, Actuariis vero caroleni duodecim cum dimidio, Vicar. duc. 2 gr. 50, Canc. duc. 1 gr. 25.

Arig. Pro sententia definitiva, quae excedit summam duc. 500 et non excedit summam duc. 1000 solvantur Judici duc. 5, Actuariis vero duc. 2 gr. 50, Vic. duc. 5, Canc. duc. 2 gr. 50.

Arig. Et quando excedit summam duc. 1000, et non excedit summam duc. 1500, solvantur Judici duc. 10, Actuariis duc. 5, Vic. duc. 10, Canc. duc. 5.

Arig. Et quando excedit summam duc. 1500 et non excedit summam duc. 2000, solvantur Judici duc. 15, Actuariis vero duc. 7 gr. 50, Vic. duc. 15, Canc. duc. 7 gr. 50.

Arig. Et quando excedit summam duc. 2000 et non excedit summam duc. 2500, solvantur Judici duc. 20, Actuariis 10, Vic. duc. 20, Canc. duc. 10.

Arig. Et quando excedit summam duc. 2500, solvantur Judici duc. 25, Actuariis duc. 12 gr. 50, Vic. duc. 25, Canc. duc. 12 gr. 50.

a Pro lecta lata cujuscunque decreti vel sententiae Canc. gr. 10.

Pro provisione cum inserta forma sententiae ad finem intimandi Vic. gr. 20, Canc. gr. 20.

Pro decreto, quod capiatur summaria informatio, solvatur, prout dictum est de decreto interlocutorio.

Pro facultate ad dicendum sive de monitione ad sententiam, servetur, prout dictum est supra de citatione ad sententiam.

Arig. Pro decreto admissionis appellationis Vic. gr. 10, Canc. gr. 10.

Pro Apostolis dantur Vicario, si cum allegatione jurium, arbitrio Archiepiscopi, inspecto labore, et Cancellario gr. 20.

Fop. Pro literis executorialibus usque ad duc. sex Vic. gr. 10, Canc. gr. 10.

A ducatis sex usque ad 15 Vic. gr. 30, Canc. gr. 10.

A duc. 15 usque ad 25 Vic. gr. 30, Canc. gr. 20.

A duc. 25 usque ad 50 vel majorem summam Vic. gr. 35, Canc. gr. 30.

Pro decreto, ut cogatur, captis pignoribus, Vic. gr. 10, Canc. gr. 10.

b Pro mandato ad reluendum Canc. gr. 10.

Pro decreto de vendendo servetur, sicut dictum est de quolibet interlocutorio.

Pro relatione cujuscunque bandimenti Canc. gr. 5.

Pro actu subhastationis ultra accessum Cancellarii ad rationem ut infra Canc. gr. 10.

Quando subhastatio petitur cum praesentia Vicarii, solvitur ejus accessus ut infra.

Pro decreto taxationis expensarum Vic. gr. 10, Canc. gr. 10.

Arig. Pro decreto immissionis in possessionem vigore exemptionis sub hasta servetur prout de interlocutorio.

Arig. Pro copia sententiae definitivae Canc. gr. 50.

Arig. Pro copia instrumenti appellationis Canc. gr. 30.

Arig. Pro copia processuum tam civilium quam criminalium gr. 25. pro singulis sex chartis, et quaelibet charta contineat versus 20, et quilibet versus quinque dictiones, et haec solvuntur Cancellario tantum.

Pro decreto clausurae processus sicut de interlocutorio.

Pro literis commissionalibus, quando alicui causa committitur
c infra summam duc. 10, Vic. gr. 10, Canc. gr. 10.

Quod si commissio excedat duc. 10 usque ad quamcunque summam, Vic. gr. 20, Canc. gr. 20.

Pro literis monitorialibus et inhibitorialibus, vigore appellationis, incluso decreto et praesentatis scripturarum, dummodo scripturae non excedant numerum quatuor, licet sit concessa absolutio cum reincidentia, non tamen incluso sigillo, Vic. gr. 40, Canc. gr. 30.

Idem servetur in compulsorialibus.

Idem servetur in citatorialibus, quae expediuntur juxta stylum Curiae.

Idem servetur pro monitorio generali seu conservatoriali, quando tamen expeditur non capta informatione.

Arig. Pro qualibet apertura processus Vic. gr. 10, Canc. gr. 10.

Fop. Pro mandato sequestrationis Vic. gr. 10, Canc. gr. 10.

Fop. Pro decreto super restitutione pignorum subhastatorum et consignatorum, quando executio non fuit rite seu recte facta, usque ad summam duc. 25 Vic. gr. 10, Canc. gr. 10.

d *Fop.* Usque ad duc. 50 Vic. duc. 1, Canc. gr. 50.

Fop. A duc. 50 usque ad quamcunque summam Vic. duc. 2, gr. 50, Canc. duc. 1, gr. 25.

Si vero restitutio pignorum fiat de consensu partium, solvatur decretum interlocutorium et etiam mandatum, quod fit Depositario, pro quo mandato solvantur Vic. gr. 10, Canc. gr. 10.

Fop. Pro stipulatione obligationis penes acta Canc. gr. 10.

Fop. Pro cassatura ejusdem obligationis Canc. gr. 10.

Pro perquisitione obligationis seu alterius scripturae factae ultra annum caroleni duo Archivistae Arch. gr. 20.

Pro imploratione brachii Vic. gr. 20, Canc. gr. 20.

Pro qualibet citatione per edictum ad instantiam partis, incluso decreto, Vic. gr. 20, Canc. gr. 20.

Arig. Pro decreto praeambuli vigore *l. fin. cod. de edicto Divi Adriani tollendo,* si non adsit contradictor, non inclusis aliis actis in eadem causa factis, Vic. gr. 50, Canc. gr. 50.

Arig. Si vero adsit contradictor, solvitur prout in sententia definitiva.

Pro decreto, quod fiat inventarium bonorum defuncti, Vic. gr. 10, Canc. gr. 10. a

Pro rogitu inventarii solvitur juxta laborem Cancellarii, computatis accessibus ejusdem a Vicario generali taxandis.

Et si petitur assistentia Vicarii Generalis, solvitur accessus ad rationem ut infra.

Arig. Pro fide legalitatis Notarii seu Cancellarii vel cujuslibet alterius scripturae, non incluso sigillo, Vic. gr. 10, Canc. gr. 5.

Arig. Pro accessu ad locum differentiae intra Civitatem, Vic. gr. 50, Canc. gr. 25.

Arig. Pro accessu supradicto extra Civitatem vel territorium arbitrio Archiepiscopi, et prout cum partibus se concordaverint, dummodo non excedant, Vic. duc. 1, Canc. gr. 50.

Vicario, quando accedit per Dioecesim ad instantiam partis, pro qualibet die aureos duos, Vic. duc. 2 [1].

Arig. Actuario, quando accedit per loca Dioecesis ad instantiam partis causa examinandi testes, pro qualibet die caroleni octo et expensae Canc. gr. 80.

Arig. Quando vero accedit ad loca Provinciae, et expensae Canc. duc. 1. b

Pro dicta Commissarii, qui non sit officialis Curiae, quando destinatur contra debitores, caroleni decem pro qualibet die, quae contineat 20 milliaria; et illos exiget a debitoribus pro rata, si omnes sint solvendi, alias exiget a solvendis, qui postea recuperabunt ratam ab aliis, nec Commissarius ipse praetendet aliquid aliud pro expensis.

Fop. Pro literis subdelegationis cujusvis causae cum insertione rescripti Vic. gr. 20, Canc. gr. 30.

Fop. In omnibus actis ex delegatione Apostolica solvitur duplum.

Pro causis oretenus vide in rubrica de Vicariis foraneis.

PRO CRIMINALIBUS.

Cap. II.

Pro citatione ad informandum Vic. gr. 10, Canc. gr. 10.

Pro decreto prorogationis termini ad comparendum Vic. gr. 30, Canc. gr. 10.

Pro decreto, quando allegatur et admittitur absentia vel infirmitas, Vic. gr. 30, Canc. gr. 10. c

Pro literis commissionalibus, quando expeditur Commissarius ad capiendam informationem, Vic. gr. 20, Canc. gr. 30.

Fop. Quod si commissio fiat Vicario foraneo, nihil.

Pro instrumento visitationis corporis delicti Canc. gr. 50.

Pro citatione ad testes Vic. gr. 10, Canc. gr. 10.

Arig. Pro quolibet teste examinato pro Fisco cum interventu Vicarii gr. 20, et solvuntur, quando reus petit copiam repertorum, Vic. gr. 10, Canc. gr. 10.

Fop. Pro quolibet constituto Canc. gr. 10.

Pro quolibet decreto interlocutorio, antequam detur terminus defensionum, Vic. gr. 20, Canc. gr. 10.

Fop. Pro mandato de capiendo nihil.

Pro decreto termini defensionum Vic. gr. 10, Canc. gr. 10.

Pro declaratione, quae fit penes acta, legitimationis processus offensivi, declarando habere testes pro repetitis Vic. gr. 10, Canc. gr. 20.

Pro copia repertorum servetur prout in civilibus pro Cancellario.

Fop. Pro copia capitulorum vel querelae vel confessionis Canc. gr. 15. d

Arig. Pro decreto, quod reus excarceretur ob infirmitatem et habilitetur ad meliores carceres, Vic. gr. 20, Canc. gr. 30.

Pro decreto, quod excarceretur cum cautione de se praesentando toties quoties, Vic. gr. 30, Canc. gr. 10.

Pro decreto, quod habilitetur per Palatium vel per Civitatem, Vic. gr. 20, Canc. gr. 10.

Pro obligatione penes acta, quae fit a reo de tenendo domum, Civitatem vel Palatium pro carcere, Canc. gr. 30.

Pro decreto, quod liberetur in forma cum cautione de se praesentando novis supervenientibus indiciis, Vic. gr. 60, Canc. gr. 50.

In captura fideijussionum Cancellarius pro periculo, quod in se suscipit in recipienda fideijussione, non excedat ducatos duos pro centenario.

[1] Sac. Congr. apud Nicol. verbo taxa.

Arg. Pro sententiis absolutoriis in causis criminalibus, in quibus veniret imponenda solum poena pecuniaria, solvantur Judici caroleni decem, Actuariis quinque, Vic. duc. 1, Canc. gr. 50.

Arig. In causis vero gravioribus, in quibus veniret imponenda poena corporis afflictiva, solvantur Judici carol. 25, Actuar. 12 cum dimidio, Vic. duc. 2, gr. 50, Canc. d. 1, gr. 25.

Arig. In causis vero gravissimis Judici duc. 5, Actuariis duc. 2, gr. 50, Vic. duc. 5, Canc. d. 2, gr. 50.

Pro qualibet contumacia Canc. gr. 5.

Pro decreto contumaciali Vic. gr. 30, Canc. gr. 10.

Pro literis executorialibus expeditis in contumaciam ob condemnationem poenae comminatae in citatione ad informandum Vic. gr. 60, Canc. gr. 50.

Pro cedulonibus censurarum Vic. gr. 20, Canc. gr. 20.

Arig. Pro decreto absolutionis a censuris, dummodo non adsit aliquod delictum, propter quod alia poena venit imponenda, Vic. gr. 20, Canc. gr. 30.

Pro absolutione a censuris cum reincidentia vel ad cautelam Canc. gr. 20.

Pro remissione aut exculpatione facta in Curia cum interventu Vicarii Vic. gr. 20, Canc. gr. 20.

Fop. Pro decreto admissionis ad compositionem nihil.

Pro decreto executionis gratiae factae ab Archiepiscopo Vic. gr. 40, Canc. gr. 40.

Commissario, qui alias non esset Officialis Curiae, quando mittitur per Dioecesim ad capiendam informationem, pro qualibet dicta caroleni quinque, et eidem suppeditentur equus et cibaria, a Fisco repetendi ab inquisito, prout juris.

In qualibet die examinet Commissarius ad minus tres testes.

Cancellario solvantur dietae, prout dictum est de civilibus.

Quando Commissarius mittitur ad instantiam Fisci, solvantur dietae super bonis inquisiti, si repertus sit culpabilis, si secus, a Fisco.

A Capitulis vero nec domum nec lectum nec quidquam recipiant.

Si vero Commissarius mittatur ad instantiam partis querelantis, ista tenebitur facere depositum pro dictis; et si inquisitus repertus fuerit innocens, solvet pars querelans de proprio.

Pro caeteris vero decretis, praesentatis scripturarum copiis et aliis provisionibus, solvatur, prout dictum est de causis civilibus.

Fop. Pro accessu Judicis vel Actuarii ad petendum remitti vel relaxari aliquem carceratum nihil.

Fop. In causis pauperum et miserabilium personarum nihil.

Fop. Pro accessu Chirurgi ad instantiam Fisci pro illum visitando, num possit torqueri, nihil.

PRO BENEFICIALIBUS.

Cap. III.

Pro actu et decreto praesentationis factae et admissae, si et in quantum, cum ordinatione, quod expediatur citatio per Edictum, Vic. gr. 30, Canc. gr. 10.

Pro citatione per Edictum contra interesse praetendentes vel habentes aliquid contra Vic. gr. 20, Canc. gr. 20.

Arig. Pro productione processuum in causa jurispatronatus solvantur grana decem pro quolibet folio.

Innocentiana. Pro sententia in causa praesentationis, quando decernitur praesentatum esse instituendum, existente Promotore fiscali in judicio pro libertate, duos scutos aureos vel aequivalentem summam in moneta Regni.

Innoc. Si vero lis sit inter Patronos vel praesentatos super jure praesentandi, reputabitur tanquam causa civilis, et observentur, quae dicta sunt de sententia in rubrica de civilibus; verum non excedat Vic. duc. 5, Canc. duc. 2, gr. 50.

Si vero causa supradicta sit gravior, taxabitur arbitrio Archiepiscopi vel Episcoporum, cum reputetur tanquam causa civilis.

Innoc. Pro decreto aliisque expeditionibus, quando beneficium est conferendum auctoritate Apostolica in forma dignum, non excedat Cancellarius pro suo labore scutum unum aureum vel summam aequivalentem in moneta Regni.

Quod si adsit contradictor, causa reputetur veluti civilis.

Arig. Pro captura possessionis alicujus Dignitatis vel Canonicatus intus Civitatem solvatur accessus Vicarii et Cancellarii,

prout dictum est de civilibus; et ultra accessum solvatur a Cancellario instrumentum possessionis. a

Arig. Pro subscriptione bullarum ob absentiam Archiepiscopi Vicario nihil.

Pro fidei professione facta Canc. gr. 10.

Pro literis approbationis concurrentium ad Parochiales, quae transmittuntur ad Romanam Curiam, Canc. gr. 15.

Arig. Pro qualibet sententia definitiva in causis jurispatronatus, in quibus, constito de fundatione et dote et aliis requisitis, venit ferenda sententia canonizatoria jurispatronatus, solvantur Vic. duc. 5, Canc. duc. 2 gr. 50.

Arig. Pro bulla Oeconomatus cum registratione Vic. gr. 35, Canc. gr. 40.

Fop. Pro copia actus resignationis beneficii in manibus Ordinarii Canc. gr. 10.

Fop. Pro declaratione subreptionis literarum Apostolicarum in casibus a jure permissis Vic. gr. 20, Canc. gr. 20.

Fop. Pro literis seu bulla unionis perpetuae alicujus beneficii cum alia Ecclesia nihil.

Verum si Notarius non habeat salarium ex publico, detur ei aliquid pro suis laboribus, ita ut non excedat unum aureum, et dummodo ex hac pecunia nihil prorsus percipiat Episcopus vel Vicarius [1]. b

DE EXTRAORDINARIIS.

Cap. IV.

§. 1. *De Matrimonialibus.*

Innoc. In contrahendis matrimoniis pro justificatione status liberi, vel quod non adsit canonicum impedimentum, solum Cancellarius possit exigere mercedem proportionatam pro suo labore, tam quando recipiuntur testes deponentes non adesse impedimentum inter Cives, quam quoties necesse est etiam constare de morte alterius conjugis, sive etiam quomodolibet pro statu libero exterorum, dummodo merces in unoquoque supradictorum casuum, non excedat julios decem monetae Romanae vel aequivalentem valorem in moneta Regni, Canc. duc. 1.

Servetur tamen consuetudo circa gallinas dandas Episcopis in signum laetitiae [2]. c

Innoc. Non tamen comprehenduntur causae contentiosae super validitate matrimonii vel separatione tori; nam istae reputantur tanquam causae judiciales.

Fop. Pro licentia, quod fiant publicationes matrimonii, nihil.

Fop. Pro literis superviventiae alicujus capta informatione Canc. duc. 1.

Pro executione literarum Apostolicarum super dispensatione in gradibus prohibitis solvantur Cancellario pro examine testium et decreto julii decem monetae Romanae vel aequivalens summa in moneta Regni; cum declaratione, quod non intelligantur inclusi labores, quos acciderit fieri alio titulo non tangente officium Cancellarii, et dummodo de iis Episcopi vel Vicarii nihil participent.

Fop. Pro fide paupertatis computatis omnibus Vic. gr. 50, Canc. gr. 50.

§. 2. *De Ordinum collatione.*

Pro mandato publicandi in Ecclesia eos, qui ad minores vel majores Ordines promoveri volunt, nihil. d

Innoc. Pro actis et justificatione veritatis et sufficientia patrimonii vel beneficii, ad cujus titulum quis debet promoveri, solvantur labores Cancellarii, et non excedant scutum unum auri, vel solvatur aequivalens valor in moneta Regni.

In requisitis, quae debet promovendus ad ordines deducere in Curia, salvi sint labores cujusque, ad quos respective spectat tam in exemplandis scripturis quam dandis aliis attestationibus et aliis hujusmodi laboribus, dummodo nihil participet Cancellarius vel Vicarius.

Innoc. Pro scriptura bullae cujusvis Ordinis Canc. gr. 15.

Arig. Pro literis commendatitiis et dimissorialibus ad finem celebrandi extra Dioecesim Vic. gr. 10, Canc. gr. 20.

Pro licentia celebrandi primam missam nihil.

[1] Sac. Congr. apud Fagn. cap. 1. n. 31. de Simonia.

[2] Decis. S. C. apud Fagn. in c. 1. n. 41. de Simonia.

Pro licentia celebrandi missam, quae datur exteris, nihil.

Pro literis recipiendi ordines ab alienis Episcopis servetur, prout dictum est, quando necesse est probare patrimonium vel beneficium.

Fop. Pro reassumptione habitus clericalis incluso processu et decreto Vic. duc. 3, Canc. duc. 2.

§. 3. *De Censuris.*

Innoc. Pro quolibet monitorio ad finem revelandi unum julium monetae Romanae vel aequivalens summa in moneta Regni Canc. gr. 10.

Pro decreto fulminationis censurarum inclusa commissione, quae datur Parocho loci, ut ad illam procedat, Vic. gr. 20, Canc. gr. 20.

Solvitur etiam sigillum, ut dicetur in ejus rubrica.

Arig. Pro processu fulminatorio auctoritate Apostolica Canc. g. 80.

Pro decreto, quod concedatur copia revelationum, Vic. gr. 10, Canc. gr. 10.

Arig. Pro copia revelationum pro quolibet teste Canc. gr. 5.

Fop. Pro aggravatione excommunicationis etiam cum invocatione brachii secularis nihil.

Arig. Pro scriptura cujuslibet interdicti Canc. gr. 10.

§. 4. *De alienatione bonorum Ecclesiae.*

Pro decreto alienationis vigore *cap. Terrulas*, comprehensis omnibus actis, unus aureus, qui cum copia decreti authentica facit in totum Vic. duc. 1, Canc. gr. 70 [1].

In causis vero, quando annuus reditus est carolenorum decem et infra, Vic. gr. 20, Canc. gr. 50.

Si vero proceditur auctoritate commissaria, servetur, prout dictum est in superioribus de causis commissariis.

Fop. Pro Regularibus in causis commissariis alienationum ut supra nihil.

§. 5. *De Confraternitatibus et aliis locis piis.*

Pro diplomate erectionis Confraternitatis in pergameno cum registro Canc. duc. 1 gr. 50.

Pro literis Archiepiscopi vel Vicarii, quae mittuntur ad almam Urbem pro obtinenda aliqua aggregatione Confraternitatum, nihil.

Fop. Pro juramento de fideliter administrando et reddendis rationibus Canc. gr. 10.

Pro decreto, quod liceat implicare pecuniam Cappellae in emptionem stabilium vel annuorum introituum, Vic. gr. 20, Canc. gr. 20.

Pro decreto, quod liceat vendere animalia minus utilia in Nundinis vel alio tempore, inclusa commissione, quae datur Vicario foraneo vel Archipresbytero loci, ut assistat in recognitione animalium vendendorum, vulgo lo scarto, Vic. gr. 20, C. g. 20.

Quod si licentia detur pro uno vel altero animali, et summa sit tenuis, non excedens ducatos sex, Vic. gr. 10, Can. gr. 10.

Pro dispungendis rationibus Administratorum Cappellarum aliorumque locorum piorum et Confraternitatum:

In hac civitate et Archidioecesi servetur edictum Eminentissimi Metropolitani latum sub die 23. Decembris 1691.

Pro Dioecesibus vero Provinciae servetur solita taxa, dummodo correspondeat operi et labori, et Ratiocinator non sit familiaris vel domesticus Episcopi.

§. 6. *De Monialibus.*

Innoc. Servetur in hac materia in omnibus Taxa Innocentiana, et contententur illis comestibilibus, quae sint proportionata usui et consumptioni propriae intra tres dies [2].

§. 7. *De Visitatione.*

Procurationes in sanctis Visitationibus recipiantur moderate; salvae tamen sint conventiones firmatae cum Capitulis et aliis Ecclesiis et Cappellis de dandis victualibus in pecunia [3].

[1] Nicol. verbo taxa.

[2] Sac. Cong. Episc. Saler. 17. Ap. 1682.

[3] Pro Archidioecesi servetur bulla Pauli PP. III. anno 1538. 10. Kal. Sept., quod Procuratio solvatur in pecunia numerata juxta solitum.

Pro copia decretorum Visitationis, si Notarius non habeat aliud salarium, solvatur granum unum pro quolibet decreto.

Arig. Advertendum tamen est, quod pro visitatione Ecclesiarum Parochialium non exigat Notarius ultra carolenos quinque, Not. gr. 50.

Arig. Et pro visitatione aliarum Ecclesiarum minorum Not. gr. 30.

Pro copia Actorum Visitationis solvantur a visitatis grana quinque pro quolibet folio duarum paginarum, quando similiter Notarius non habet aliam provisionem; et hoc pro labore scripturae tantum, nec Notarius recipiat praesentatas bullarum [1].

Pro prorogatione termini in adimplendis decretis sanctae Visitationis nihil.

DIVERSORUM.

Cap. V.

Arig. Pro absolutione a juramento ad effectum agendi, quilibet solvat carolenos quinque Vic. gr. 20, Canc. gr. 30.

Et si fuerint plures, non excedant carolenos quindecim.

Fop. Pro literis patentalibus Vicarii foranei Canc. duc. 3.

Pro licentia examinandi Clericos in testes coram Judice laico in civilibus tantum Vic. gr. 10, Canc. gr. 10.

Idem servetur pro licentia, quae datur Clericis, qui volunt causam propriam criminalem, sed citra poenam sanguinis exponere coram Judice laico, Vic. gr. 10, Canc. gr. 10.

Pro licentia, quae datur Clericis agendi coram Judice laico causam civilem propriam vel suorum consanguineorum in primo vel secundo gradu vel pauperum vel Ecclesiae, ad mensem gratis.

Si vero velit adire Curiam laicalem pro causa extraneorum, tunc pro singulis quatuor mensibus Vic. gr. 10, Canc. gr. 10.

Pro licentia, quae datur Capitulis et aliis Ecclesiis, acceptandi onera missarum gratis, et solum solvitur labor pro copia, dummodo non excedat, Canc. gr. 10.

Pro approbatione ad audiendas confessiones nihil.

Pro licentia administrandi Sacramenta nihil.

Pro licentia inserviendi beneficiis nihil.

Pro licentia sepeliendi defunctos in Ecclesia nihil.

Pro licentia colligendi eleemosynas nihil.

Pro literis patentalibus alicujus Eremitae nihil.

Pro testamento vulgo dicto dell'anima a ducat. 50 supra Canc. duc. 1.

A duc. 50 et infra Canc. gr. 50.

Pro scriptura diplomatis impositionis primarii lapidis consecrationis Ecclesiae vel Altaris in pergameno, inclusis omnibus pro labore Notarii aureus unus vel aequivalens summa in moneta Regni; dummodo Notarius non habeat aliud salarium, qui aureus in moneta Regni valutatur, Canc. duc. 1 gr. 60.

Pro literis patentalibus Cursoris Canc. duc. 1 gr. 20.

Pro literis patentalibus Diaconi sylvatici Canc. gr. 50.

Fop. Pro salvo conductu seu *non gravetur* ex quavis justa causa nihil.

Fop. Pro pace facienda in actis ante tres dies in casibus permissis Canc. gr. 10.

Fop. Pro attestatione styli Curiae Canc. gr. 20.

Pro quacunque dispensatione auctoritate ordinaria, quae conceditur, etiam causa cognita, nihil.

Fop. Pro cautione eorum, qui admittuntur in Seminario, nihil.

Pro attestatione admittendorum in Seminario nihil.

Pro licentia discedendi a Dioecesi ad tempus Canc. gr. 11.

Fop. Pro licentia transportandi cadaver ab uno loco ad alium Vic. g. 10, Canc. gr. 20.

Fop. Pro praesentatione fidei infirmitatis vel alterius legitimi impedimenti illius, qui non potest interesse Synodo Dioecesanae sive Provinciali, Canc. gr. 20.

JURA PRO SIGILLO.

Cap. VI.

Arig. Pro qualibet bulla beneficii vacantis per mortem, resignationem vel quovis alio modo Canc. duc. 1 gr. 40.

a *Arig.* Pro qualibet citatione per edictum in causa jurispatronatus Canc. gr. 20.

Pro gratia facta ab Archiepiscopo pro arbitrio juxta qualitatem causae.

Pro qualibet citatione per edictum in causis civilibus vel criminalibus Canc. gr. 20.

Pro licentia examinandi testes coram Judice laico in civilibus tantum Canc. gr. 10.

Pro licentia, quae datur Clericis volentibus adire Curiam laicalem pro quacunque causa civili tam propria quam Ecclesiae, tam consanguineorum quam pauperum, Canc. gr. 10.

Pro licentia exponendi querelam criminalem citra poenam sanguinis Canc. gr. 10.

Pro literis superviventiae alicujus Canc. gr. 10.

Pro bulla Oeconomatus Canc. g. 50.

Pro absolutione a juramento, etiamsi sint plures, Canc. gr. 20.

Pro literis dimissorialibus, quae conceduntur Presbyteris ad alienas Dioeceses transituris, nihil.

Pro literis recipiendi ordines ab alienis Episcopis nihil.

b Pro licentia audiendi confessiones nihil.

Pro licentia administrandi Sacramenta nihil.

Pro licentia deserviendi beneficiis curatis nihil.

Pro licentia erigendi Capellas nihil.

Pro licentia colligendi eleemosynas nihil.

Pro licentia sepeliendi cadavera in Ecclesia nihil.

Pro mandato publicandi initiandos ad minores ordines sive majores nihil.

Pro dispensationibus ad duo beneficia nihil.

Pro literis approbationis concurrentium ad Parochiales nihil.

Arig. Pro quolibet mandato cum clausula justitiae extra Civitatem Canc. gr. 10.

Arig. Pro literis citatorialibus Canc. gr. 10.

Arig. Pro literis inhibitorialibus et compulsorialibus Canc. gr. 20.

Pro literis monitorialibus generalibus Canc. gr. 10.

Arig. Pro literis executorialibus a decem ducatis infra C. gr. 10.

Arig. Et a decem ducatis usque ad quinquaginta Canc. gr. 40.

Arig. Et a duc. 50 usque ad quamlibet summam Canc. gr. 50.

Pro literis commissionalibus in Dioecesi Canc. gr. 10.

c *Arig.* Pro qualibet provisione in Dioecesi Canc. gr. 10.

Quando apponitur in imploratione brachii secularis, C. g. 30.

Quando apponitur in cedulonibus ad instantiam partis, Canc. gr. 30.

Pro literis patentalibus Vicarii foranei Canc. gr. 20.

Arig. Pro literis commendatitiis et dimissorialibus Canc. gr. 10.

Pro quolibet monitorio ad finem revelandi Canc. gr. 20.

Pro quolibet processu fulminatorio auctoritate Apostolica Canc. gr. 20.

DE PROCURATORE ET ADVOCATO FISCALI.

Cap. VII.

Arig. Habeat Procurator fiscalis pro compositionibus in posterum faciendis ducatos quinque pro quolibet centenario, quae quantitas detrahatur a compositione persolvenda ab ipso delinquente, non autem ab extra, prout hactenus servatum fuit; nec dictus Procurator ultra dictam mercedem possit petere aliquod viaticum seu emolumentum.

d Quando vero Procurator fiscalis accedit ad oppida nostrae Dioecesis causa capiendi informationem contra delinquentes, si inquisitus absolvatur, dictus Procurator nihil possit petere pro suo viatico.

Cum vero accedit Advocatus Fiscalis, serventur, quae dicta sunt de Vicario Generali.

DE VICARIIS FORANEIS.

Cap. VIII.

In omnibus actis, quae fiunt coram ipsis ex delegatione Curiae Archiepiscopalis, nihil ultra exigant a partibus nisi emolumenta juxta hanc taxam Tribunalis. Pro labore autem ipsius Vicarii et Cancellarii detrahant ex ipsis emolumentis sic perceptis quartam partem inter eos aequaliter dividendam.

Quando tamen opus erit voto Consultoris, ex ipsis actis, quibus accedit opera Consultoris, detrahant tertiam partem emolumentorum inter ipsum Vicarium, Consultorem et Cancellarium aequaliter dividendam.

[1] Gavant. de visit. Episcop. §. 2. annot. circa 17.

Reliqua vero emolumenta una cum actis ad Curiam Archiepiscopalem transmittant cum nota distincta: utque ex omni parte consulatur indemnitati litigantium, notent Cancellarii locorum in calce cujusque expeditionis, quantum pro illa solutum est.

In causis, quae fiunt oretenus, tam coram Vicario Generali quam coram Vicariis foraneis, servetur ut infra.

Pro mandato seu cartella de solvendo a carolenis viginti usque ad 30 Canc. gr. 3.

A carolenis decem usque ad 20 Canc. gr. 2.

A decem et infra Canc. gr. 1.

Pro termino dilationis praetoriae ad solvendum Canc. gr. 1.

PRO POENA INSTRUMENTALI.

Cap. IX.

Arig. Pro incusatione instrumentorum nulla exigatur poena, prout per prius exigebatur.

Animadvertendum tamen est, quod Sacra Rota damnavit stylum Curiarum Ecclesiasticarum sive etiam Constitutiones Synodales approbantes ritum liquidandi instrumenta secundum formam ritus M. C. V.; nihilominus licitum est cuilibet Episcopo in sua Dioecesi propriam constitutionem facere et in ea apponere poenam pecuniariam ob perjurium debitoris in non solvendo juxta juramento promissa et modum in executione paratissima ejusdem instrumenti indicere.

DE MERCEDE BARONCELLI

et aliorum in executionibus personalibus.

Cap. X.

Arig. Pro omni captura personali facta in Civitate vel extra usque ad pontes pro causis civilibus Baron. gr. 10.

Et in diebus Nundinarum Bar. g. 30.

Ultra pontes tam pro territorio quam extra pro una dieta pro se et uno executore seu soldato Bar. gr. 50.

Et si Baroncellus non accedit de persona, habeant executores, qui ibunt, gr. 20 per quemlibet pro singula dieta, et Baronc. nihil.

Pro qualibet captura personali in causa criminali intus Civitatem et extra usque ad pontes Bar. g. 10.

Ultra pontes per totum territorium et extra pro una dieta pro se et uno milite Bar. g. 50.

DE MERCEDE

pro executionibus realibus

Cap. XI.

Arig. Pro qualibet executione reali tam in Civitate quam in ejus territorio grana tria pro quolibet ducato, et extra territorium et in reliquo Dioecesis gr. quinque pro quolibet ducato, dummodo non excedat in totum summam duc. quatuor tam in Civitate quam in Dioecesi pro qualibet summa, in qua non comprehendatur taxa carolenorum quinque pro dieta ut supra.

Arig. Facta executione reali, non possit praetendi merces pro executione personali.

Arig. Merces executionis realis non possit praetendi, si fiat et fit de re minima.

Si executio realis non sit facta pro toto credito seu pro majori parte, solvatur pro rata.

Si vero facta sit pro re minima, nihil possit praetendi ut supra.

Quando executor incedit per Provinciam pro causis civilibus et criminalibus, dentur eidem caroleni octo pro qualibet dieta et caroleni duo pro quolibet serviente seu famiglio et etiam expensae victus.

Arig. Quando accedit per Dioecesim, et locus distat ultra dietam, etiam dentur caroleni octo pro qualibet dieta, incluso etiam equo: et insuper habeat mercedem pro executione reali, quam fecerit modo, quo supra expressum est.

Quoties citatur aliquis et sponte comparet, licet postea carceretur a Judice, vel habilitetur per Palatium vel alibi, Baroncello nihil detur.

Pro qualibet associatione ad effectum capiendi possessionem vel pro sequestro aut dissequestro tam in Civitate quam in a territorio et Dioecesi dentur Baroncello caroleni quinque, non obstante, quod actus, qui expletur, importat quamcunque summam.

DE CUSTODE CARCERUM.

Cap. XII.

Arig. Pro quolibet carcerato tam pro causa civili quam criminali ad instantiam partis vel Curiae solvantur custodi carcerum pro prima die gr. quinque, Cust. g. 5.

A prima die usque ad dies 15 solvantur gr. tria pro quolibet die, Cust. gr. 3.

Et si ultra dies 15 usque ad quodcunque tempus, solvantur in totum custodi carcerum carol. quinque, Cust. gr. 50.

Et si occurrat ponere compedes vel manicas ferreas de ordine Officialium, habeat carolenos 2. Et si casus erit, ut apponat et auferat, non solvantur nisi pro prima vice Cust. car. gr. 20.

Pro qualibet empara sive arresto Cust. carc. gr. 10.

b Quando Vassalli mensae Archiepiscopalis carcerabuntur, solvant pro medietate mercedes supra taxatas; caveant ab extorsionibus quocunque modo.

PRO MANDATARIIS SEU JURATIS.

Cap. XIII.

Arig. Pro qualibet citatione verbali in Civitate et extra usque ad pontes medietas unius grani, vulgariter un tornese, Jur. g. dimid.

Et a pontibus per territorium Jur. gr. 5.

Pro quolibet mandato, citatione vel intimatione facta in scriptis intra Civitatem Jur. gr. 1.

Extra Civitatem usque ad pontes Jur. gr. 2.

Quando ibit per Dioecesim ad citandum aliquem ad instantiam partis, solvantur caroleni tres quolibet die, Jur. gr. 30.

In casu supradicto ultra dietam carolenorum trium nihil aliud solvatur pro citatione, quam fecerit ea die in loco, ubi moratur, ultra supradictos carolenos tres.

c Pro exequutione, quam faciunt intus Civitatem pro causa civili usque ad carolenos triginta, solvatur illis merces pro medietate.

DE ADVOCATIS ET PROCURATORIBUS.

Cap. XIV.

Arig. Advocati et Procuratores sub quovis praetextu non possint petere pro eorum patrocinio quantitatem aliquam ad rationem pro centenario, cum id sapiat pactum de quota litis et Canonis Constitutionibus adversetur, sed sint contenti de eo, quod partes illis antea solverint; dummodo non in ingratitudinis vitium incurrant, quid minimum solvendo, sed habita ratione causae et litigantium, arbitrabitur bonus Judex.

Die 14. Mensis Aprilis 1693.

d Retroscripta taxa recognita et approbata fuit per nos infrascriptos Commissarios ad hoc specialiter a S. Synodo Provinciali deputatos, mediante Decreto in Congregatione secreta lato sub die nona currentis Mensis et in fidem etc.

Fr. Vinc. Maria Card. Archiep. Metrop.
J. Baptista Episcopus Telesinus Commissarius.
Franciscus Antonius Episcopus Asculanus Commissarius.
Dominicus Episcopus Lucerinus Commissarius.
Fabritius Episcopus Guardiensis Commissarius.

Quoniam supradicta taxa fuit mediante Decreto Sac. Concil. Provincialis, lato in hac tertia sessione, approbata, mandatumque illam publicari et observari debere, hinc cognoscentes, quod querulae subditorum voces quandoque per Archidioecesis Dioecesumque loca sparguntur et ad nos perveniunt, per quas conqueruntur maximas summas in emolumentis fori Ecclesiastici se in suis causis expendisse; et tamen nota sportularii Curiae id non esse verum demonstrat; facileque est negotium, ut pecunia litigantium per alienas manus transiens diminutionem patiatur; mandamus propterea, ut praesens taxa typis detur; illiusque copiae non

solum affixae semper maneant in Cancellaria fori Metropolitani a et Episcopalium nostrae Provinciae ac serventur in ipsarum Curiarum Archivis, sed et consignentur Capitulis Cathedralium, ut inviolabiliter observentur, et sciat unusquisque quantitatem expensarum necessariarum in expeditione negotiorum, et insuper praecipimus, ut Advocati, Procuratores aliique negotiorum gestores fideliter pro unoquoque negotio ab ipsis expedito mittant suis Clientulis notulas expensarum erogatarum et propriarum functionum, prout etiam servant Curiales Almae Urbis; quodsi eas non respondentes sportulario Curiae invenerimus, sciant sibi postulandi munus fore interdicendum, aliasque poenas pro modo culpae se daturos pro arbitrio nostro et Reverendissimorum Coepiscoporum in suis Dioecesibus, et ita etc. omni etc. Datum hac die 16. Aprilis 1693. in tertia Sessione Conciliari.

Fr. Vinc. Maria Card. Archiep. Metrop.

J. Foder. Secr. Synodi.

Methodus Totius Actionis,

quae praecessit, comitata et subsequuta est Concilium Pro- b vinciale celebratum diebus 11., 13. et 16. Mensis Aprilis 1693. in S. Metropolitana Ecclesia Beneventana Eminentiss. et Reverendiss. in Christo Patris ac Domini D. Fr. Vincentii Mariae Ord. Praedic. miser. Div. Tit. S. Sixti S. R. E. Presbyteri Cardinalis Ursini Archiepiscopi Metropolitae jussu edita.

De iis, quae celebrationem Concilii antecedunt.

§. I. *De Publicatione et Indictione Concilii.*

1. Concilii Provincialis publicatio in die Epiphaniae inter caetera Festa tam in Metropolitana quam in Cathedralibus Provinciae et aliis Ecclesiis subjectis.
2. Litterae Indictionis ad XVIII Patres Comprovinciales cum Edicto et litteris credentialibus ad eosdem.
3. Delatio dictarum litterarum per deputatos eorumque instructiones.
4. Litterae invitatoriae ad Cathedralium Capitula per Cursores c Concilii deferendae eorumque instructiones.
5. Notificatio per edictum omnibus, qui de jure vel consuetudine accedere tenentur.
6. Publica documenta Metropolitae transmitti debent de hujusmodi litteris et notificationibus acceptis.
7. Per duos vel saltem unum mensem ante diem Concilii affixio Schedulae manu Cancellarii subscriptae ac diei ejusdem indictivae ad valvas Ecclesiae Metropolitanae.
8. Edicta per Civitatem et Dioecesim, quibus et Concilii tempus significatur et publicae instituuntur supplicationes ac preces.
9. Item collecta de Spiritu Sancto quotidie in Missa, et ejusdem Missa solemnis in omnibus V. Feriis usque ad Concilii consummationem.
10. Praemonitio Cleri et aliorum, qui interesse debent per Praefectos Ecclesiasticae disciplinae.
11. Tribus proximis Dominicis ante Concilium in Metropolitana per Concionatorem et in Parochialibus per Parochos populus excitetur, ut pie oret et Sacramenta frequentet.
12. Congregatio privata *praeparationis* Concilii per Metro- d politam ut infra §. seq.
13. Processio Conciliaris solemnis indicatur universo Clero Seculari et Regulari.
14. Festivus campanarum sonus praecipitur omnibus Ecclesiis Civitatis sub vespera ante celebrationem Concilii et in ipsa die usque ad ingressum Metropolitae et Patrum ad Ecclesiam.
15. Pridie tandem diei Concilii prae foribus Aulae conciliaris Archiepiscopii et Ecclesiae metropolitanae duae affiguntur tabellae, quarum una publicas indicit congregationes, altera celebrationem Concilii in crastinum notificat.

§. II. *De Congregatione praeparationis Concilii habenda per Metropolitam.*

1. Metropolita cum aliis, quos voluerit, ad aulam Congregationum.
2. Item Caeremoniarius et Notarii.
3. Oratio *Adsumus* per Metropolitam stantem, genuflectentibus omnibus.
4. Deputantur 1. sequentes Concilii Officiales et Ministri.
   1. *Judices excusationum.*
   2. *Judices querelarum et controversiarum.*
   3. *Promotores Concilii.*
   4. *Magister Caeremoniarum cum sociis.*
   5. *Secretarii duo.*
   6. *Notarii duo.*
   7. *Ostiarii.*
   8. *Cursores et Nuncii Concilii.*
5. Exhibentur 2. et considerantur Methodus praesens, Tabellae et dispositio Congregationum Conciliarium et consessus.
6. Eliguntur 3. duo ex Canonicis Subdiaconis pro associatione Patrum advenientium ad publicas Congregationes.
7. Familiae tandem et Hospitia singulorum Patrum distincte et nominatim describuntur cum eorum Praefectis.

§. III. *De ordine, quo recipi debent Patres Comprovinciales ad Concilium accedentes.*

1. Proximus Comprovincialis Patris adventus per nuncium significetur.
2. Vicarius Generalis cum uno ex Protonotariis de familia Metropolitae obviam eat per duo vel tria milliaria.
3. Ad aliquem Conventum extra moenia eum ducat.
4. Comprovincialis Pater ibidem se componit et induit, scilic. Mantello cum manicis pendentibus supra breviorem vestem et Mozzetta.
5. Eodem comitatu procedit ad Metropolitanam Ecclesiam populo interim per viam occurrenti benedicens ex concessione Metropolitae.
6. Capitulum et Clerus dictae Metropolitanae Ecclesiae ei ad valvas occurrunt.
7. Quatuor vero Canonici cum Clericis haec agunt, quando in choro divinae persolvuntur preces.
8. Comprovincialis aspergit se et circumstantes.
9. Accedit ad Altare SS. Sacramenti et deinde ad Altare majus, praecedentibus Clericis et Canonicis subsequentibus.
10. Interim pulsantur campanae et etiam organa, nisi divina celebrentur.
11. Absolutis orationibus super genuflexorio ibidem parato cum tapete et pulvinaribus, ab iisdem comitatur usque ad aulam Sancti Barbati, ut ad Metropolitam accedat.
12. In aditu aulae majoris Archiepiscopii et supradictae S. Barbati per Metropolitae familiares ad Archiepiscopium ducitur.
13. In fine aulae majoris humaniter excipitur a Metropolita et ad interiores aedes ducitur.
14. Ad suum tandem hospitium comitatur.

§. IV. *De Congregatione, quae privatim a Patribus haberi debet.*

1. Metropolita cum Mozzetta ad aulam solitae Congregationis.
2. Item Patres cum rocchettis et mozzettis eodem accedunt.
3. Oratio *Adsumus* per Metropolitam, qua finita omnes sedent.
4. Primo distribuuntur materiae a Patribus discutiendae, singulas singulis assignando cum suis Theologis et Canonistis.
5. Secundo proponitur ordo servandus in principio Concilii, progressu et fine.
6. Caeremoniarius exhibet praesentem Methodum et alias tabellas.
7. His a Patribus approbatis omnes genuflectunt.
8. Gratiarum actio in fine per Metropolitam.
9. Omnium discessus.

§. V. *De prima Congregatione publica a Patribus habenda ante Concilii sessionem, hora pomeridiana.*

1. Publicarum Congregationum dispositio consessus.
2. Accessus Metropolitae et Patrum hoc ordine.
   1. *Familiarium et domesticorum Patrum et Metropolitae comitatus.*
   2. *Procuratores Capitulorum Cathedralium Provinciae cum eorum insignibus.*

3. Procuratores Patrum legitime absentium habitus Ecclesiasticos et chorales gerentes. a

4. Promotores, Secretarii et Notarii.

5. Mazzerius.

6. Cruciferarius cum Cruce.

7. Metropolita cum mozzetta et stola rubra.

8. Canonici Diaconi cum habitu canonicali Metropolitam hinc inde comitantes.

9. Patres ordine suarum promotionum cum rocchetto et mozzetta et Caudatario usque ad dissolutionem Concilii.

10. Duo Canonici Subdiaconi dictos Patres comitantes et excipientes, quando singillatim veniunt.

3. Omnes in consessu sedebunt ordine quo infra.

1. Procuratores Capitulorum Cathedralium.

2. Procuratores Patrum in sedilibus contra solium Metropolitae; his vero primum occupantibus locum.

3. Promotores juxta parietem solii in sinistra parte.

4. Secretarii inter parietem dexterum solii et Patrum sedilia, servato competenti recessu.

5. Notarii contra dictos Secretarios.

6. Cruciferarius cum Cruce in medio Areae.

7. Metropolita cum suis Diaconis in propria Sede Pontificali.

8. Patres in sedibus cameralibus hinc inde rectam lineam facientibus.

9. Duo Canonici Subdiaconi juxta parietem solii in dextera parte.

4. Oratio *Adsumus* per Metropolitam, Patribus stantibus, caeteris genuflectentibus.

5. Concio ad Patres *januis clausis.*

6. Promotores cum Caeremoniario ad Metropolitam et Patres.

7. Exhibent instrumentum suae deputationis.

8. Item instant *pro inchoatione Concilii* et sua petunt loca.

9. Notarii et unus ex Secretariis ad Metropolitam et Patres pro votorum rogatione.

10. Iterum ad Metropolitam pro relatione.

11. Lectio decreti de *Initio Concilii* et fores aperiuntur.

12. Secretarius statim de mandato Metropolitae alta voce dicit: *RR. DD. Si quis vestrum, qui ad hanc Sanctam Synodum* c *aliquid referre velit, datur ei libera facultas dicendi.*

Eadem dicuntur vulgari idiomate per Notarium.

13. Mora aliqua adhibita, vocantur omnes distincte et ordinatim pro audientia hoc ordine.

14. Procuratores Episcoporum his verbis: *Accedant Procuratores Reverendissimorum Episcoporum absentium, qui volunt audiri.*

15. Per primum Diaconum introducuntur hac formula adhibita: *Eminentissime et Reverendissime Pater et Domine, Adsunt Procuratores Reverendissimorum Episcoporum NN. etc. absentium, qui habent, quod ad hanc Sanctam Synodum referant.*

16. Singuli accedunt ad Metropolitam et exhibent suae procurationis instrumenta.

17. Procuratores Capitulorum deinde vocantur his verbis: *Accedant Procuratores Capitulorum, qui volunt audiri.*

18. Per eundem Diaconum introducuntur dicendo: *Eminentissime, et Reverendissime Pater et Domine, Adsunt Procuratores Capitulorum NN. etc., qui volunt audiri.*

19. Singuli accedunt et sua procuratoria exhibent.

20. Vocantur Canonici sic: *Accedant Canonici, qui volunt audiri;* et si qui adsunt, praesentantur et audiuntur.

21. Vocantur Parochi iisdem verbis, mutatis mutandis.

22. Vocantur Clerici, ut supra.

23. Vocantur Laici his verbis: *Accedant Laici et alii, quicunque volunt audiri.*

24. His expeditis jussu Metropolitae omnes excluduntur, qui admitti non debent, per Secretarium dicentem: *RR. DD. exeant omnes praeter Procuratores Reverendissimorum Episcoporum et Capitulorum.*

25. Januae iterum clauduntur.

26. Promotores cum Caeremoniario ad Metropolitam.

27. Protestatio eorundem, ut non admittantur Procuratores, nisi ex benignitate et gratia, et quin prius constet de sufficienti mandato.

28. Iidem ad propria loca.

29. Interim Notarii cum Secretario ad Metropolitam et Patres pro votorum rogatione.

b 30. *Votum,* si placeat, *ut admittantur et recognoscantur mandata per Judices deputatos.*

31. Ad Metropolitam pro relatione.

32. Interrogatio Metropolitae Patribus facienda, *An sciant abesse aliquem, qui voti decisivi jus vel privilegium habeat.*

33. Responsio Patrum.

34. Secretarius de mandato Metropolitae legit instantias et decreta primae sessionis una cum Catalogo Ministrorum Concilii.

35. Rogantur vota Patrum his verbis: *Reverendissimi Patres, decreta et alia modo lecta placentne vobis?*

36. Secretarius cum Notariis ad Patres pro responsione.

37. Metropolitano refertur.

38. Secretarius de mandato ejusdem dicit: *Decreta modo lecta placuerunt Patribus* (si fuerunt approbata); *de eorum ergo assensu illa statuimus, ut lecta sunt.*

39. Gratiarum actio in fine per Metropolitam.

40. Januae aperiuntur.

41. Omnes ordine, quo venerant, discedunt.

§. VI. *De aliis publicis Congregationibus subsequentibus ad Patrum arbitrium.*

1. Accessus, vocatio et admissio, ut supra §. antecedenti.

2. Relatio causarum, si adsint. Discussio earum et vota Patrum.

3. Decreta Metropolitae de consensu Patrum et publicatio eorum per Secretarium.

4. Lectio instantiarum et Decretorum secundae vel tertiae sessionis respective per Secretarium modo, quo supra. §. antecedenti.

* *Quae deinceps de sessionibus concilii provincialis dicuntur, quum tantummodo uberiorem caerimoniarum, quae in Pontificali Romano praescribuntur, descriptionem continent: secundum institutum nostrum, quod in praefatione indicavimus, hic omittenda censemus.*

CONCILIUM PROVINCIALE SECUNDUM BENEVENTANUM[1],

Quod Fr. Vincentius Maria Ordinis Praedicat. tunc Tituli S. Sixti S. R. E. Card. Ursinus, modo Episcopus Tusculanus, Archiepiscopus Metropolita habuit Anno a Christo nato MDCXCVIII. Diebus X. XIV. XIX. Mensis Maii.

EPISTOLA SYNODICA AD SS. D. PP.

Innocentium XII., cujus auctoritati hoc Concilium submittitur.

Sanctissime Pater.

Superna benedictionis fluenta, quibus Sanctitas Vestra superiorem nostram Provincialem Synodum anni millesimi sexcentesimi nonagesimi tertii Paterno irrigavit affectu, perenni ferme decursu in Secundam quoque derivata conspexi. Hanc siquidem, cum Sacris Canonibus, Tridentini Concilii decretis et constanti hujus Metropolis consuetudini pro viribus inhaerens, tum praecipue benignissimis Sanctitatis Vestrae litteris, datis die decimasexta Januarii sequentis Anni MDCXCIV., quibus Provincialium Synodorum aliis Metropolitis celebrationem nostrae humillimae Provinciae exemplo insinuare non dedignabatur, ne segnior apparerem, vehementer excitatus, nuperrime coegi: et omnes ejusdem Provinciae Patres, quatuor exceptis, canonico impedimento praepeditis, una cum inferioribus Praelatis hilari promptoque animo convenere, quorum coetu legitime congregato, secundam Provincialem Synodum diebus decima, decimaquarta et decimanona Maji unanimi omnium assensu et consensu celebravimus. Multiplici Decretorum editioni temperatum est, paucis dumtaxat pro novis emergentibus emanatis; omni contentione et studio in illud cumprimis incumbentes, ut tum ad faciliorem superioris Synodi observantiam via planior sterneretur, tum, ut oecumenici Chalcedonensis Concilii Patres monuere, ne multae, quae correctione opus habent, Ecclesiasticae res negligerentur, et controversiae, quae in dies, ut humana fert conditio, exoriuntur, componerentur. Quaecunque tamen pro nostro imbecilli modulo constituta sunt, Ego et Fratres mei, quanta maxima possumus reverentia, humilitate et obedientia, ad Sanctitatem Vestram, Ejus judicio et censurae emendanda subjicientes mittimus. Deo interim Vota persolvimus, ut Sanctitatem Vestram, cuius salute magna ex parte Orbis Terrarum tranquillitas continetur, diutissime servet incolumem, ad cujus Apostolicum Thronum provoluti Paternam benedictionem, tantorum bonorum feracissimam, nobis, gregibus nostris et universae nostrae Provinciae precamur.

Datum Beneventi die XIX. Mensis Maji MDCLXXXXVIII.

a Humillimi, Obsequentissimi ac Devotissimi Filii et Servi vestri, Archiepiscopus, Episcopi et alii Praelati inferiores Ordinarii in Concilio Beneventano canonice congregati.

Fr. Vincentius Maria Cardinalis Archiep. Praeses.

De mandato Sacri Concilii Provincialis Samnitium Provinciae.

Franciscus Antonius Canonicus Finy a Secretis.
Julianus Boricellus Presbyter a Secretis.

Breve Sanctissimi Domini Nostri, Clementis Papae XI.,

Quo secundum hoc Provinciale Concilium, mense Maji Anno 1698. celebratum et ab Eminentissimo Domino Cardinali Ursino Archiepiscopo Metropolita nuper Sanctitati Suae humiliter submissum, benignissime commendatur.

Foris Venerabili fratri nostro Vincentio Mariae Episcopo Tusculano S. R. E. Cardinali Ursino nuncupato.

b *Intus vero* Clemens Papa XI.

Venerabilis Frater Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Eximiae illius ac vere Pastoralis vigilantiae, qua praeter egregias animi dotes te Dei munere praeditum esse iampridem novimus, novum ac praeclarum specimen desumpsimus ex Zelo, quo incumbis, ut Provincialis ista Synodus congruis statisque temporibus cogatur, in qua videlicet tum tuo ipsius, tum communi convenientium Antistitum studio, quae ad Divini Cultus incrementum Animarumque salutem pertinent, provide statuantur. Compertum itaque tibi esse volumus, Pontificiam Nostram erga te benevolentiam hoc etiam nomine cumulari, quam tibi luculentis documentis explicare, ubi suppetent occasiones, non omittemus. Cupimus autem, ut perspecta sit Episcopis caeterisque Praelatis, qui tecum allaboraverunt in novissima Synodo, cujus Acta ad Nos deferri curasti, praecipua charitas, qua eos omnes et singulos hac praesertim de causa prosequimur, quibus propterea tibique inprimis, Venerabilis Frater Noster, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die xix. Januarii MDCCI. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Ulysses Jos. Archiepiscopus Theodosien.

---

[1] * Ex Synodic. Dioecesano S. Beneventanae Eccl. Beneventi 1723. tom. II. pag. 45.

CONSTITUTIONES
SECUNDAE SYNODI PROVINCIALIS BENEVENTANAE.

Fr. Vincentius Maria Ord. Praed. miseratione Divina Tituli S. Sixti S. R. E. Presbyter Cardinalis Ursinus, S. Beneventanae Ecclesiae Archiepiscopus Metropolita, de consilio et assensu Reverendissimorum DD. Coepiscoporum nostrorum, qui ad Dei gloriam et honorem in hanc Secundam Provincialem Synodum convenerunt, haec statuimus et sancimus.

TITULUS I.

De Constitutionibus.

CAP. I. Superioris Provincialis Concilii observantia injungitur.

In nomine Sanctae et Individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Haec Sancta Synodus probe cognoscens, omnium legum potissimam esse earundem legum observantiam, Episcopos omnes cumprimis obtestatur, ut, quae in Superiore Provinciali Concilio statuta sunt, et ipsi impensius exequantur, et subditis suis sedulo commendent, omneque studium et diligentiam adhibeant, ut illis omnibus sint obsequentes; frustra enim terrae semen illud commissum est, quod fructum suum non affert in tempore suo.

CAP. II. Pianae Constitutionis contra Episcopalis Archivi, sede vacante, violatores observantia inculcatur.

Ejusmodi est, quod non sine acerbissimo doloris sensu S. Synodus accepit, nullam videlicet Constitutionis B. Pii V. CXXI., quae incipit: *Muneris nostri,* quamque superiore Concilio Tit. XV. *de fide Instrumentorum* Cap. IV. serio inculcavit, rationem habitam fuisse, sed in hoc quinquennii interstitio non defuisse, qui, Cathedrali suo viduata Pastore, in Episcopale Archivum, conniventibus, qui custodire tenebantur, manus injecisse; et ne delictorum cognitio vel vindicta uspiam consequatur, processus surripuisse et occultasse: proinde omnibus mandat Episcopis, ut contra hujusmodi violatores eorumque fautores et Notarium inquirant et poenis in praefata Constitutione inflictis pro exemplo coerceant, ut nefarium hoc facinus e nostra Provincia omnimodis eliminetur.

CAP. III. De Provincialis Concilii publicatione, observantia et interpretationis reservatione, ad superius Concilium remissive.

Infra sex menses a die completae impressionis Provincialis Concilii decreta ab Episcopis in suis Dioecesibus evulganda: infra tres menses ab evulgatione servanda: ambiguitates ad Metropolitae interpretationem sunt deferendae, prout in Superiore Concilio Tit. eodem Capitulo II. latius et plenius continetur.

a **CAP. IV. Capitularia Metropolitani Capituli pro forma Statutorum aliis Capitulis proponuntur.**

Quod in eodem Superiore Provinciali Concilio decretum fuit, ut Capitula, quae Statutis carebant, ea conderent et suis Episcopis examinanda et probanda deferrent, cum nonnulla Capitula, normam in eisdem condendis desiderantia, nondum exequutioni demandarint: Capitularia nostri Metropolitani Capituli, a nobis in vim praefati Concilii edita et in hoc secundo a Patribus probata et confirmata, illis S. Synodus proponit, ut, aptatis aptandis, sua eisdem conforment, ne de caetero ullus excusationi sit locus.

b

TITULUS II.

De electione.

CAP. I. Ambitiosi a molestis fautoribus sibi comparandis avertuntur.

Nihil est, quod Ecclesiae Dei magis officiat, quam quod Beneficiorum Collatores sua libertate ob importunas et molestas preces, quae deinde in gravamina desinunt, non utuntur: cui morbo Gregorius X. in Generali Concilio Lugdunensi necessariam volens adhibere medelam, Constitutione, quae incipit: *Sciant cuncti,* sancivit, quatenus qui personas Ecclesiasticas, ad quas spectat electio, pro eo quod rogatae eum, pro quo rogabantur, eligere noluerint, vel Consanguineos earum persequendo gravare praesumpserint, se
c ipso facto excommunicationis sententia noverint innodatos. Quia vero nemo cum suae animae jactura in tantum importunitatem dilaberetur, nisi, quia ambitiosa cupiditate inducti molestos illos rogatores, postmodum gravatores, provocarent, Sancta Synodus, volens his incommodis ac praejudiciis occurrere, necnon taliter sibi viam ad extorquenda potius quam obtinenda beneficia parantes tanquam indignos coercere, eadem censura deterrere decrevit.

CAP. II. Testimonia de idoneitate aut institutiones nonnisi examine probatis fiant.

Nulli pro Canonicatu aliove beneficio, etiam simplici, obtinendo attestationes de idoneitate fiant, nullus-

que praesentatus instituatur, nisi ab Episcopo per examen, si alias idoneus non judicetur, approbari meruerit. a

TITULUS III.

De Eremitis.

CAP. I. Eremitarum vitae et honestati consulitur. S. Mennas et B. Joannes in Samnio solitarii proponuntur.

Ad floridum Ecclesiae Statum pertinet, ut solitudo, quam Eremitae incolunt, in nostra Provincia efflorescat: prout olim eximiis S. Mennae, B. Gregorii Papae laudibus celebris, necnon B. Joannis de Tufaria virtutibus laetata est. Quapropter S. Synodus sequentia circa eorundem vitam et honestatem praecipit obser- b
vanda.

CAP. II. Solitariam vitam eligentium propositum exploretur.

Quicumque Deo inserviendi vel agendae poenitentiae studio Eremiticam vitam elegerunt, Episcopo se praesentent, a quo eorum propositum, priusquam habitum induant, discutiatur.

CAP. III. Qui habitus Eremitae conveniat.

Habitus quoad formam a Regularium vestium forma discernatur, et caputium praesertim nullo pacto illorum caputiis assimiletur.

CAP. IV. Ab Episcopo habitus imponatur et Oratorium assignetur, idque patentibus literis constet. c

Episcopus ipse sive alius de ejus mandato habitum imponat, et Oratorium sive Ecclesiam assignet, deque hujusmodi impositione et assignatione patentales literae expediantur.

CAP. V. Collectarum eleemosynarum ratio reddenda.

Ne solitarii, quorum conversatio in Coelis est, ad terrae lucra convertantur, de eleemosynis, quas praesertim Ecclesiarum intuitu colligunt, Episcopis aut Vicariis quolibet anno rationem reddere teneantur.

CAP. VI. Plures quam duo in uno Oratorio non sint.

Quae Provincialibus Conciliis sub Praedecessoribus nostris Fr. Hugone de Bruxeo, Ordinis nostri, et Hu- d
gone II. Guidardio sancita sunt, haec S. Synodus repetens mandat, ne in quolibet Oratorio duorum numerus excedatur.

CAP. VII. Oratoriorum distantia praescribitur.

Loca ipsorum per unum saltem milliare inter se distent, alias pro uno loco habeantur.

CAP. VIII. Ter in anno Episcopis, et remotiores Vicariis foraneis se praesentent.

Quarto quoque mense Episcopis aut eorum Vicariis se praesentent, de suis actibus rationem reddituri: quodsi longius a Civitatibus distent, id coram Vicariis foraneis praestabunt, qui Curiam faciant certiorem.

CAP. IX. Fidei rudimentis imbuantur.

Singulis saltem Dominicis diebus ad proprias Parochias accedant, ut Christiana doctrina erudiantur.

CAP. X. Sacramentorum frequentia commendatur.

In eisdem Parochiis Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta frequentent, saltem semel in mense.

CAP. XI. Hospitem ultra unum diem non admittant.

Nullum hospitem, nisi per unum diem, admittant absque Episcopi sive ejus Vicarii facultate.

CAP. XII. Foeminarum consortium inhibetur.

Cum Eremitis foemina nulla convivat, ne Uxor quidem. Uxorati Conjugalibus obnoxii oneribus ad propria remittantur.

CAP. XIII. Instabilitas coercetur.

Nulli Eremitarum liceat, postquam in uno loco habitare coeperit, alio se transferre, nisi Episcopi aut ejus Vicarii facultate intercedente.

CAP. XIV. Voluntarius discessus et regressus ejectione multatur.

Si e Dioecesi absque praedicta facultate quovis praetextu discesserint, non amplius in eadem admittantur.

CAP. XV. Poena in contumaces statuitur.

Contravenientes vel carcere vel ejectione pro contumaciae modo plectantur.

CAP. XVI. Acephali et Vagi rejiciuntur.

Qui vero sua sponte habitus suscepere et ad sui libitum accedunt et recedunt ac ut locustae sine Rege vagantur, si post praesentium publicationem moniti, praemissis subjacere noluerint, tanquam meri laici rejiciantur, ne immunitatis praetextu in criminum immanitatem, ut non raro accidit, dilabantur.

CAP. XVII. Parochis et Vicariis solitariorum cura demandatur.

Parochi et Vicarii foranei hujusmodi solitudinis solicitudinem habeant et contumacium nomina deferant ad Episcopos, qui eosdem statis poenis coerceant.

CAP. XVIII. Haec omnia vulgari idiomate tradantur, ut serventur.

Statuta haec in maternam linguam traducantur et sic traducta in quolibet prostent Eremitorio pro omnimoda eorundem observantia.

TITULUS IV.

De Sepulturis.

CAP. UNICUM. Extrema inter Comprovinciales obsequia pro iis, qui nuper defunctis successere, invocantur.

Ea est humanae ratio mortalitatis, ut quinque ex Patribus nostrae Provinciae, quorum quatuor superiori Concilio, nempe *Antonius de Sangro, Clericus Regu-*

laris, Episcopus Trojanus eligens, Joannes Baptista de Bellis, Episcopus Telesinus, Fr. Joannes Bonilla y Soria, Ordinis Carmel., Episcopus Arianen., Fabritius Cianci, Episcopus Guardien., praesentes, et *Lucas Tisbia, Clericus Regularis minor, Episcopus Trivicanus,* tunc aegrotans, per specialem Procuratorem, interfuerunt, suaque doctrina et religione sacrum coetum exornarunt, e vivis discesserint, quorum memoria in benedictione est: idcirco hanc nostrae quotidie morientis vitae conditionem S. Synodus considerans, quae in praefato Concil. *Tit. eodem Cap. XII.* de mutuo Episcoporum in extremis obsequio instituta sunt, utpote pietati maxime consentanea, pro Episcopis, qui enunciatis successerunt, innovavit firmavitque, prout praesenti Constitutione sub poena ibidem expressa innovat et confirmat.

TITULUS V.

De Regularibus.

CAP. Unicum. Praeter scientiam vitae integritas in Confessariis, etiam Regularibus, requirenda.

Irrefragabili Sac. Trid. Concil. decreto sancitum est, nullum, etiam Regularem, posse Confessiones saecularium audire nec ad id idoneum deputari, nisi ab Episcopo per examen, si illi videbitur esse necessarium, aut alias idoneus esse judicetur [et] approbationem obtineat. Cum autem praeter scientiam praecipua ministri Sacramenti Poenitentiae qualitas sit vitae integritas aut morum honestas, de hac quoque Episcopus ab alio Episcopo, in cujus Dioecesi quis antea Confessiones audierit, certior fieri poterit: quodsi commode fieri nequeat, et admissus et probatus in ea inciderit, per quae rationabili Episcopi judicio videatur a Confessionibus suspendendus, potest Episcopus Regulares a se ipso probatos suspendere aut repellere a Confessionibus audiendis, prout in Constit. sanct. mem. Clementis PP. X., quae incipit: *Superna,* plenius continetur.

TITULUS VI.

De Religiosis Domibus, ut Episcopis sint subjectae.

CAP. I. Sanctiones pro recta locorum piorum moderatione indicantur.

Cum Superiore Provinciâli Concilio [1], quae ad salubre Confraternitatum piorumque locorum regimen spectant, Episcopis et ostensa et injuncta sint; omnia siquidem et Sacri Tridentini Concilii decretis et Constitutione sanct. mem. Clementis PP. VIII., quae incipit *Quaecumque,* plenissime continentur: Pastorali solicitudini nihil, nisi ut ea exequutioni demandentur, reliquum est.

CAP. II. De recta Administratorum electione.

Novi Confraternitatum Administratores nonnisi ipsorum Confratrum, quorum nomina in libro ad hoc de-
a stinato descripta fuerint, et qui spiritualia earundem Confraternitatum exercitia frequentaverint, legitimis votis eligantur; secus facta electio irrita habeatur.

CAP. III. Administratores, expleto munere, novis Administratoribus satisfaciant.

Locorum piorum oeconomi, administratione expleta, et a consuetis Ratiocinatoribus, ab Episcopo datis, significati, novis oeconomis, quod debent juxta significatorias latas, omnino solvant; quodsi contumaces fuerint, servatis servandis, censuris coerceantur.

CAP. IV. Licitatio fructuum ad pia loca spectantium quomodo facienda.

Quoniam vero in nonnullis Provinciae locis in ven-
b dendis bonorum ad pia loca spectantium fructibus fraudes non raro exoriuntur, ut scilicet, dum lana, coria et alia hujusmodi in ipsis locis licitationi exponuntur, inter vendentes et ementes collusiones fiunt: ad has evitandas acta in Dioecesi coram Vicario foraneo, et in Civitate coram Vicario generali sive de ejus mandato conficiantur.

TITULUS VII.

De celebratione Missarum et Divinis Officiis.

CAP. Unicum. Sacro novendio Natale Christi praecedenti pro Rege nostro preces addantur.

Serenissimus Rex noster Carolus, hoc nomine qui-
c dem, sed singulari in gloriosam Dei Genitricem religione nulli secundus, devota considerationis indagine perscrutatus de illa dictum: *per me Reges regnant,* eidem se commendatum in omnibus Regnorum suorum Ecclesiis peroptans, datis per Civitates literis, pios sui Catholici pectoris hac de re sensus aperuit. Tantam itaque illius pietatem prosequendo, placuit Sanctae Synodo, ut singulis annis in novendiali sacro Jesu Christi Domini nostri Nativitatem praecedente, quod in omnibus Provinciae Ecclesiis fieri consuevit, pro felicibus praefati Regis ejusque regiminis progressibus praecipuae ad Deum preces in ejus Sanctissimae Genitricis honorem sedula devotione fundantur, et sacris operantes Collectam pro Rege in Missa decantent:
d nec desint Episcopi sive eorum vice Concionatores, qui morum reformationem in populo promoveant, ut oratio tanto sit efficacior, quanto de puriore corde promanarit, et veniens Dominus paratam sibi in omnibus comperiat mansionem.

TITULUS VIII.

De Reliquiis et veneratione Sanctorum.

CAP. I. Sanctarum Reliquiarum cultui in Praedecessorum Provincialibus Conciliis plenissime consultum, sed defuit executio.

In Provincialibus Conciliis sub Hugone II. Guidardio, Cardinali Sabello, Maximiliano de Palumbaria et Joanne Baptista Foppa, Archiepiscopis Praedeces-

[1] Eod. tit. c. 1.

soribus nostris, ea circa Sanctarum Reliquiarum, quae Spiritus Sancti Templum et viva Christi membra, ab ipso ad aeternam vitam suscitanda, extitere, decentem conservationem piumque cultum sancita, ut, si executioni demandata fuissent, nihil reliquum esset desiderandum; sed tanta est vel temporum injuria vel incuria hominum, ut multa Provinciae loca variis de causis invisentes, non exiguam tanta in re negligentiam deprehenderimus.

CAP. II. Circa SS. Reliquias decenter habendas Metropolitae in sua Civitate et Dioecesi refertur exemplum.

Quapropter hanc denuo Provinciam S. Synodus assumens, excitata praesertim Metropolitae exemplo, qui Reliquias omnes, quibus Metropolitana Civitas sive in Secularibus sive Regularibus Ecclesiis mirifice ditatur, postquam terrae motus ipse cum illis omnino innocens fuit, prius recognitas, diligentissime pariter atque elegantissime reaptavit, quasdam in antiquis, quamplurimas in novis capsulis, thecis, arculis, ostensoriis, vasculis componens, et sic compositas suo sigillo munivit, solemnique habita supplicatione, ad suas quasque Ecclesias honorificentissime collocavit, et ut generalis hujus reaptationis et compositionis perennis esset memoria, et fideles quoque singula SS. pignora, quibus proteguntur, intelligant, generalem Catalogum tum Reliquiarum tum Ecclesiarum, quae illis gaudent, ordine digessit et in sua duodecima Synodo de anno 1697. legendum exhibuit, quod pariter in Dioecesi universa circa SS. Reliquias persolvit, quarum Catalogum in decima tertia Dioecesana Synodo, Deo dante, evulgabit, sequentia circa praedicta sancivit.

CAP. III. Extra capsam Reliquiae non ostendantur, sed ipsae, diligenter aptatae, sigillis muniantur.

Eadem S. Synodus, Constitutioni Innocentii PP. III. in Concilio generali, quae incipit: *Cum ex eo* [1], firmiter inhaerens, mandat, ut quilibet Episcopus, quas habet in Civitate et Dioecesi, SS. Reliquias prius recognitas, in suis deinde capsulis et vasculis, vel antiquis vel ab integro, si opus sit, construendis, diligenter aptet, et sic aptatas suo muniat sigillo, ita ut extra capsas nullatenus possint ostendi, nec ulli deinceps liceat eas immediate deosculari.

CAP. IV. Datur aptationis instructio.

In aptandis autem Reliquiis ea cautio adhibeatur, ut cineres ab ossibus secernantur; vasa item vitrea cum operculis, si bene in suis capsulis firmentur, ad easdem Reliquias mundissime servandas optima sunt.

CAP. V. Locus quomodo honestandus.

Locus, in quo ipsae capsulae et thecae servantur, sit admodum decens et conspicuus, et si in pariete extet, tabulis serico vel linteo, vulgo *sangallo,* ornatis

[1] Cap. 2. eod. tit. (III, 45).

a interius vestiatur, ne humiditate laboret et sensim sordescat.

CAP. VI. Idem locus quo pacto muniendus, et a quibus claves custodiendae.

In quo loco sacrae asservantur Reliquiae, nihil ultra apponatur; ideoque armarium ipsum vel crate ferrea vel ligneo ostiolo claudatur, duabus diversis clavibus adhibitis, quarum altera ab Episcopo, si in Cathedrali sit, altera a Thesaurario, si haec Dignitas extet, sin minus a prima Dignitate servetur. Tertiam vel plures etiam laicis, si consuetudo id ferat, Episcopus permittat. In Dioecesi vero penes Ecclesiae Rectorem et alterum Presbyterum, quem Episcopus
b elegerit, dictae claves sint.

CAP. VII. Lampas ardens non desit.

Ante armarium sic aptatum lampas, quantum fieri potest, continuo ardeat, sed longe a pariete, ne illum proxima suffumigatione denigret.

CAP. VIII. Reliquiarum inventaria praescribuntur.

Unaquaeque Ecclesia suarum Reliquiarum habeat Inventarium, in quo, quaecumque extant documenta illarum certitudinem probantia, transscribantur, ipsorumque Inventariorum duplicata ad Episcopale Archivum mittantur, ubi in unum collecta librum conficiant, totius Dioecesis Reliquiarum notitiam amplectentem. Tabella insuper eorum Sanctorum nomina festosque dies,
c quorum Reliquiae venerationi habentur, contineat et in unoquoque Sacello publicae lectioni exponatur.

CAP. IX. Quando et quo ritu publicae venerationi Reliquiae exponendae.

Publicae venerationi non passim, sed in eorum festis, quorum sunt Reliquiae, et in solemnioribus diebus exponantur; idque a Presbytero, superpelliceo et stola induto, accensis duobus saltem luminibus, et praevio campanarum festivo sonitu necnon antiphonae et orationis cantu, thurificatione quoque adhibita, persolvatur.

CAP. X. Quaestus proscribitur. Quae Reliquiae ad infirmos deferri valeant, declaratur.

d Nullius quaestus gratia expositio fiat, neque ad infirmos, nisi causa ab Episcopo cognita, Reliquiae deferantur: quae si ejusmodi fuerint, ut hic biretum S. Philippi Nerii et Luceriae Galerus B. Augustini Episcopi, si, qua utrobique consuevit veneratione, id fiat, permissum habeatur.

CAP. XI. Sacras Reliquias laici non tangant.

Laici meminerint, Reges olim et Principes cilicio indutos et cum timore quodam ac tremore ad Sacra Martyrum limina procubuisse, ut hinc colligant, Sanctorum Reliquias ab eis attrectari non debere nec tangi; quod a sacrilegio sejunctum esse vix posse, Gregorius Magnus asseruit.

CAP. XII. Novas Reliquias, inconsulto Episcopo, evulgantes, a **sive ab eo obsignatas resignantes, aut de Ecclesia ad libitum transferentes, anathemate deterrentur.**

Nemo, etiamsi Regularis aut quantumvis exemtus existat, novas Reliquias, nisi prius ab Episcopo recognitas suoque sigillo munitas, evulgare aut populo venerandas exhibere, neve ab eodem Episcopo obsignatas solvere et resignare, sive uni Ecclesiae assignatas ad aliam pro libito traducere praesumat: quod si attentarit, anathemate ferietur.

SUBMISSIO

Omnium Sanctae Apostolicae Sedi.

Omnia et singula in hac Sancta Synodo statuta, decreta atque acta, qua decet obedientia et reverentia, auctoritati, correctioni S. R. Ecclesiae, omnium Ecclesiarum Matris et Magistrae, semper emendanda et corrigenda subjicimus.

Ego Fr. Vincentius Maria Ordinis Praedicatorum Cardinalis Archiepiscopus Metropolita de consensu et assensu Reverendissimorum DD. Coepiscoporum meorum definiens subscripsi.

Ego Fr. Coelestinus Labonia Ordinis Eremit. Discalc. S. Augustini Episcopus Montis-Marani consentiens subscripsi.

Ego Joseph Cleric. Reg. Min. Episcopus Alliphanus consentiens subscripsi.

Ego Franciscus Episcopus Abbellinensis, Frequentinen., Aquaeputridae seu Mirabellae et Quintodecimi consentiens subscripsi.

Ego Angelus Episcopus Bovinen. consentiens subscripsi.

Ego Franciscus Antonius Episcopus Asculanus et Herdonien. consentiens subscripsi.

Ego Franciscus Antonius Episcopus Bujanensis et Supinen. consentiens subscripsi.

Ego Joseph Episcopus Larinen. consentiens subscripsi.

Ego Dominicus Episcopus Lucerinus, Florentinus et Turtibulensis consentiens subscripsi.

Ego Michael Episcopus Termolanus consentiens subscripsi.

Ego Pompejus Episcopus Vigilien., ad votum decisivum a Sac. Conc. admissus et etiam vice Metropolitani Capituli Abbatis Oppidi S. Lupi nullius, consentiens subscripsi.

Ego Franciscus Episcopus Trivicanus consentiens subscripsi.

Ego Blasius Episcopus Telesinus consentiens subscripsi.

Ego Aemilius Jacobus S. Troianae Ecclesiae Episcopus eligens subscripsi consentiens.

Ego Hyacinthus Cler. Reg. Episcopus Arianen. consentiens subscripsi.

Ego D. Vitus Antonius Pastorale Abbas Generalis Congregationis Montis Virginis Ordinis S. Benedicti et Ordinarius Jurisdictionis ejusdem Sac. Montis nullius, Provinciae Beneventanae eligens, consentiens subscripsi.

Ego D. Augustinus Fantetta Vicarius Generalis et Ordinarius Terrae Alberonae pro Sac. Religione Hierosolymitana consentiens subscripsi.

Ego Jacobus Antonius de Antonellis Primicerius Cathedralis Ecclesiae S. Agathae Gothorum, Procurator specialis Illustriss. et Reverendiss. D. Jacobi Circi Episcopi S. Agathae Gothorum, *ejus nomine interfui et subscripsi, et omnia et singula in hac S. Synodo acta, decreta, edita et promulgata ejus et Ecclesiae suae nomine recipio.*

Ego Antonius America Archipresbyter Terrae Mot-
b *tae Montis Corvini ac Protonotarius Apostolicus, Procurator specialis Illustrissimi et Reverendissimi* Domini Dominici Sorrentini Episcopi Vulturariensis et Montis Corvini, *ejus nomine interfui et subscripsi, et omnia et singula in hac S. Synodo acta et decreta, edita et promulgata ejus et Ecclesiae suae nomine recipio.*

Ego Nicolaus Scorfa Presbyter Oppidi Turris Majoris, Procurator specialis Illustrissimi et Reverendissimi Domini Caroli Felicis Matta Episcopi Sancti Severi, Civitaten. et Dragonarien., *ejus nomine interfui et subscripsi, et omnia et singula in hac S. Synodo acta, decreta, edita et promulgata ejus et Ecclesiae suae nomine recipio.*

Ego Jacobus Antonius Florentinus Canonicus Ca-
c *thedralis Ecclesiae Guardiae Alferiae, Procurator specialis Illustriss. et Reverendiss.* Domini Philippi de Corduba Episcopi Guardiensis, *ejus nomine interfui et subscripsi, et omnia et singula in hac S. Synodo acta, decreta, edita et promulgata ejus et Ecclesiae suae nomine recipio.*

In quorum fidem

Ego Franciscus Antonius Canonicus Finy Protonotarius Apostolicus Secretarius subscripsi.

In Dei Nomine. Amen.

Praesenti hoc publico Instrumento cunctis ubique pateat
d evidenter et notum sit, qualiter in prima sessione Sac. Conc. Provincialis secundi, habita in Ecclesia Metropolitana die Sabbati decima currentis Maji 1698. de mane, post Missam Pontificalem decantatam ab Eminentissimo et Reverendissimo in Christo Patre et Domino, Domino Fr. Vincentio Maria Ordinis Praedic. Miseratione Divina Tit. S. Sixti S. R. E. Presbytero Cardinali Ursino, S. Beneventanae Ecclesiae Archiepiscopo Metropolita, et caeteras preces in Pontif. Roman. praescriptas sermonemque habitum in Ambone per eundem, fuerunt publicata per Illustr. et Adm. Rev. Dominum Franciscum Antonium Finy, ejusdem Ecclesiae Metropolitanae Canonicum, Prot. Apost., Sac. Conc. supradicti Secretarium, ex altero Ambone prima decreta, videlicet: *De inchoanda Synodo: De ratione vivendi in Synodo: De Ministris Synodalibus: De praejudicio non afferendo: De non discedendo: De vocatione PP.* In secunda vero sessione, celebrata die Mercurii decima quarta ejusdem mensis Maii 1698. pariter de mane, post Sacrum Pontificaliter ab Illustrissimo et Reverendissimo Domino Josepho Lazaro Cler. Reg. Min., Episcopo Alliphano, persolutum aliasque preces in eodem Pontif. Rom. de-

scriptas ac sermonem habitum in Ambone ab Illustrissimo et a Reverendissimo Domino Æmilio Jacobo Cavalieri, Episcopo Trojanen., per praefatum Dominum Secretarium fuit publicatum decretum: *De lectione decretorum et Constitutionum*, quod incipit: *Bullas multas, etc.* ut videre est ex actis ejusdem: et successive publicatae, et promulgatae fuerunt ejusdem Sac. Concilii Provincialis Constitutiones, usque ad Tit. VI. *De Religiosis Domibus, ut Episcopis sint subjectae,* inclusive. In tertia vero sessione, habita die Lunae decimanona ejusdem mensis Maii 1698. itidem de mane, persolutis Missa Pontificali de more celebrata ab Illustrissimo et Reverendissimo Domino Hyacintho de Calce Guevara, Episcopo Arianen., caeterisque precibus statis in antecedenti Pontificali Rom., habitoque pariter sermone in solito Ambone ab Illustrissimo et Reverendissimo Domino Pompejo Sarnellio, Episcopo Vigilien., ad votum decisivum admisso et vice Metropolitani Capituli Abbatis Oppidi S. Lupi nullius, idem deputatus Secretarius prosecutus est promulgationem omnium reliquarum praedictarum Constitutionum subsequentium usque b ad Tit. VIII. *De Reliquiis et veneratione SS.* et Decretum submissionis Sanctae Apostolicae Sedi, pariter inclusive: et in eadem tertia sessione, continuata eadem die decima nona supradicti mensis Maii currentis 1698 post Vesperas, latum fuit decretum: *De subscribendo,* et demum omnes et singulae Constitutiones praedictae, in praesenti Sac. Provinciali Concilio contentae, celebratae et promulgatae, lectae, latae et gestae ac in nostrum praesentia subscriptae in cornu Evangelii Arae maximae fuere a praedicto Eminentissimo et Reverendissimo Domino Cardinali, Archiepiscopo Metropolita, omnibusque Illustrissimis et Reverendissimis PP. Coepiscopis caeterisque Praelatis Ordinariis assistentibus in memorata S. Metropolitana Ecclesia coram Reverendiss. Metropolitano Capitulo, Collegiis atque Cleris, Urbano et foraneo, et deinde a Procuratoribus quatuor Illustriss. et Reverendiss. Episcoporum absentium. Clausa est sessio oratione gratulatoria, habita ab Illustrissimo et Reverendissimo Domino Fr. Coelestino Labonia Ordinis Erem. Discal. S. Augustini, Episcopo Montis Marani. c

Super quibus omnibus et singulis petitum fuit a Nobis Notariis publicis infrascriptis, ut unum vel plura, publicum seu publica conficere atque tradere deberemus Instrumentum vel Instrumenta, prout opus fuerit, et requisiti erimus.

Actum Beneventi in memorata Ecclesia Metropolitana hac praesenti die decima nona mensis Maji millesimo sexcentesimo nonagesimo octavo Indict. sexta, praesentibus, audientibus, intelligentibus et inspicientibus Venerabilibus Presbyteris Dominico Trasente et Bartholomaeo Berlingieri ac Clerico Dominico de Auria et Ignatio Bertucci Beneventanis, testibus ad haec specialiter vocatis, habitis atque rogatis.

Unde nos in praemissorum fidem de praedictis omnibus rogati et requisiti hic subscripsimus et consuetis signis signavimus.

Ita est. Paduanus Sanctorius, Insignis Collegii Sancti Spiritus Beneventi Canonicus, publicus Apostolica auctoritate Notarius et Curiae Archiepiscopalis Cancellarius.

Locus † signi. d

Ita est. Martius Lizza, Sac. Basilicae Divi Bartholomaei Apostoli Canonicus, publicus Apostolica auctoritate et praesentis Sac. Provincialis Concilii Notarius, de praedictis rogatus signavi. Locus † signi.

Ita est. Clericus Dominicus Fontanella, publicus Apostolica auctoritate et praesentis Sac. Conc. Notarius, rogatus et requisitus signavi. Locus † signi.

CATALOGUS

Illustrissimorum et Reverendissimorum Dominorum Episcoporum, qui praeter Suffraganeos Concilio huic Provinciali honoris causa interfuerunt sacrasque functiones honestarunt.

Timotheus Agnellini Archiepiscopus Mardinensis in Mesopotamia.
Franciscus Vignola Episcopus Minerbinensis.
Nicolaus Antonius Thura Episcopus Sarnensis.
Alphonsus Pacelli Episcopus Muranus.
Joannes Franciscus de Laurentiis Episcopus Venusinus.
Fr. Marcellus de Cavaleriis Ord. Praedicatorum Episcopus Gravinensis.
Fr. Vincentius de Magistris Ord. Praedicatorum Episcopus Cassanensis.
D. Carolus Cutillus Ordinis S. Benedicti Congregationis Montis-Virginis Episcopus Minorensis.
Josephus Schinosi Episcopus Casertanus.

CATALOGUS THEOLOGORUM

pro causis et materiis Synodalibus destinatorum.

Adm. Rev. Patres.

Joannes Jordanus U. I. et Sac. Theol. Doctor Prot. Apostolicus Canonicus Abellinen.
Michael Ramamondi S. Th. Doctor Prot. Apostolicus Presbyter Lucerinus Theologus Illustrissimi Domini Episcopi Trojani.
P. Nicolaus Squillante Presbyter Congregationis Oratorii Sac. Th. Professor.
Laurentius Pirone S. Theol. Doctor Presbyter Oppidi Boneae hujus Dioecesis.
P. Jo. Baptista Mongio Sac. Th. Prof. Ord. S. Benedicti Congregationis Coelestinorum Prior.
P. Fr. J. Baptista Spada Ursinus Sac. Th. Magister, Exprovincialis Ordinis Praedic.
P. Fr. Gregorius Maria Smeriglio Sac. Th. Magister Vicarius Generalis Congregationis Sanitatis Ord. Praedic.
P. Fr. Joannes Michael de Cavaleriis S. Th. Magister Ord. Praed. Visitator Generalis.
P. Fr. Petrus Antonius Caballus S. Th. Magister Ord. Praedic. Sancti Officii Vicarius.
P. Fr. Sebastianus Jascone Ordinis Min. S. Francisci de Observantia S. Th. Lector jubilatus et Exminister Provincialis.
P. Fr. Anselmus Sabbatinus S. Th. Magister, Exprovincialis Ord. Min. Convent. S. Francisci.
P. Fr. Albertus Annubba Sac. Th. Magister et Doctor, Exprovincialis Ord. Carmelitarum Prior.
P. Dominicus Viva Sac. Theol. Prof. Soc. Jesu.
P. Michael Angelus Rogerius Sac. Th. Prof. Soc. Jesu.
P. Fr. Hieronymus a Sancto Nicolao Exdefinitor Ord. Carmelitarum Discalceatorum Sac. Theol. Magister.

CATALOGUS DECRETALISTARUM

pro causis et materiis Synodalibus destinatorum.

M. R. D. Thomas Antonius Cacpolla U. I. D. Prot. Apostolicus Vicarius Generalis, Abbas Collegiatae Ecclesiae Oppidi Paduli.
Perillustris et Adm. Rev. Dominus Joannes de Nicastro U. I. D. Prot. Apostolicus S. Metropolitanae Ecclesiae Archipresbyter Eminentiss. Archiepiscopi Auditor.
M. R. D. Dominicus Ammirato U. I. D. Prot. Apostolicus Vicarius Generalis Montis-Marani.
M. R. D. Dominicus la Ratta U. I. et Sac. Th. Doctor Prot. Apostolicus Vicarius Generalis Termolanus.
M. R. D. Ludovicus Foschino U. I. D. Prot. Apostolicus Archipresbyter Telesinus.
M. R. D. Petrus Giamei U. I. D. Archidiaconus Telesinus.
M. R. D. Michael Rossi U. I. D. Primicerius Alliphanus.
M. R. D. Franciscus Morelli U. I. D. Canonicus Lucerinus.
M. R. D. Stephanus Damiano U. I. D. Canonicus Trojanus.
M. R. D. Vitus Antonius Scenga U. I. ac Sac. Th. D. Archipresbyter Sancti Thomae Civitatis Foggiae Dioecesis Trojanae.
Clericus Carolus de Aureliis U. I. D. Protonotarius Apostolicus Arianensis.
Perillustris Dominus U. I. D. Franciscus Advocatus Schinosi.
Perillustris Dominus U. I. D. Joseph Advocatus Ursolupus.

APPENDIX AD CONCILIUM BENEVENTANUM A. 1698.

I. Edictum synodale,

quod celebrationem festorum, disciplinam chori aliasque functiones ecclesiasticas et doctrinam christianam in ecclesiis provinciae moderatur.

* *Versio Latina ex Italico.*

Fr. Vincentius Maria etc.

Quum in Nostro secundo Concilio provinciali memoriale proponeretur, quod varios abusus et negligentias in celebratione festorum, disciplina chori, cantu Gregoriano, functionibus s. hebdomadae et processionibus, aliaque indecentia, quae in quibusdam ecclesiis nostrae provinciae fiunt, et simul detestandam multorum parochorum incuriam in doctrina christiana tradenda, in anima infirmorum commendanda et in exequiis defunctorum peragendis indicabat: his omnibus ab eadem Synodo bene consideratis, unanimi sententia decretum fuit, ut a Nobis, prout hoc edicto synodali facimus, praecepta infra scripta publicarentur.

CAP. I. De festis in ecclesiis tum parochiarum tum confraternitatum aliisque sacellis rite celebrandis.

Quia Domino non placet, festa in suum honorem instituta oblectamentis et vanitatibus mundanis celebrari, quare ore Isaiae declarat: *Solemnitates vestras odivit anima mea; factae sunt mihi molestae; laboravi sustinens* (I, 14); et ejusdem rei poenas per Amos prophetam minatur hisce verbis: *Convertam festivitates vestras in luctum et omnia cantica vestra in planctum:* a S. Concilio diserte praecipitur:

1) Eleemosynae vel reditus ecclesiarum, confraternitatum vel sacellorum, si in iis festa celebrentur, ad epulas magnis sumptibus struendas, ad figuras sericas dispensandas vel ad alias vanas ostentationes faciendas ne expendantur.

2) Neve ad emendum pulverem impendantur, qui faciendis ignibus artificiosis vel fragoribus mortariorum bellicorum consumatur.

3) Neve ad cursum vel certamen instituendum expendantur, unde saepe nonnulla scandala oriuntur, quum populus, ut certamini vel cursui adsit, ecclesiam vacuam relinquat, et ministri sanctuarii functiones ab Ecclesia praescriptas negligant, vel in iis ritus convenientes non observent, omnia praecipitantes.

4) Ad s. festa (verba Apostoli sunt) *„in Domino"* celebranda a parochis vel ab iis, ad quos spectat, pro quavis ecclesia in solemnitatibus, quibus populus magis est devotus, indulgentiae procurentur, quas S. Sedes ad septennium concedere consuevit, ter in ecclesiis cathedralibus, bis in collegiatis vel parochialibus et semel in aliis minoribus quotannis lucrandas.

5) Literis harum indulgentiarum obtentis, eaedem cum praevia licentia Ordinariorum die festivo, proxime festum celebrandum praecedente, publicentur, et proximo vespere ante ipsum diem festum clericus, ad majorem notitiam populo ingerendam, campanulam pulsans per vias loci mittatur.

6) Advocetur numerus sufficiens confessariorum, ne populo opportunitas confitendi et postea devote communicandi desit, id quod parochi vel alterius, qui curam horum festorum gerit, charitas et industria providebit.

7) In Missa, quae cantatur, accurate omnes ritus in caerimoniali et rubricis generalibus missalis praescripti observentur; vetatur cantus unius et alterius horae canonicae, quamquam permittitur Vesperas ea ratione cantare, quam Patres Oratorii
a S. Philippi Nerii sequi consueverunt, qui in festis solas Vesperas cum Missa cantant.

8) In hisce solemnitatibus magister caerimoniarum adsistere nequaquam negligat, qui omni loco ab Episcopo sit destinatus, adsignato ei congruo stipendio (si fieri potest) vel saltem hac conditione proposita, ut in illis functionibus duplum portionis, quae aliis ministris in iisdem inservientibus dari solet, accipiat.

9) In ecclesiis vel sacellis, ubi canonice confraternitates sunt erectae, confratres die festo ibi celebrando sacco induti accedant ad sacram communionem devote recipiendam.

10) Quoad ejus fieri possit, provideatur, ut illo die festo populus cibo verbi divini pascatur, id quod parochus omnibus in festis suae ecclesiae parochialis facere debebit, nisi alium praedicatorem invitaverit.

CAP. II. De disciplina in choro servanda.

1) Praefectus chori et magister caerimoniarum cujusque ecclesiae meminerint bene observare et observanda curare, quae in proximo Concilio provinciali Tit. 21. *De Praebendis, Dignitatibus et Canonicis* sunt praescripta.

b 2) In choro, quum divinum officium recitatur, nullae, ne ecclesiasticorum quidem, confessiones sacramentales ullo praetextu audiantur.

3) In suo quisque stallo sedeat; et quum genuflectendum sit, genuflectat; quum sedendum, sedeat; quum standum, pedibus insistat; quo fiat, ut illae actiones uniformiter instituantur.

4) In choro ne confabulentur neve rideant, sed unusquisque meminerit cum omni compositione et modestia, etiam oculorum, „sapienter psallere", ut S. Psalmista dicit.

CAP. III. De cantu Gregoriano.

1) Episcopi meminerint observandum curare caput 7. laudati Tituli 21. supradicti Concilii provincialis, in quo praescriptum fuit, ut Canonicis et omnibus servitio chori addictis idoneus terminus praescriberetur ad cantum Gregorianum discendum.

2) Contumaces ab iisdem Episcopis privatione distributionum quotidianarum mulctentur.

3) Crescente illorum contumacia, majoribus eos poenis afficiant, ut tandem aliquando necessaria scientia illius cantus addiscatur, cui in choro adscripti fuerint, quum minime sit ferenc dum, ut cum ejus incuria et auditorum scandalo Domino serviant et absque ullo incommodo reditibus ecclesiasticis fruantur.

4) Omnino instituatur ab Episcopis peritus magister, qui laudatum cantum docere possit, eique, etiam ex reditibus Canonicorum, provisio sufficiens adsignetur, in quam rem ipsae mulctae contumacium simul impendi poterunt.

CAP. IV. De functionibus sacrae Hebdomadae.

1) Quum in lucem ediderimus libellum veluti normam functionum principaliorum hebdomadae majoris in usum earum ecclesiarum parochialium, quae solummodo a parocho ejusque clerico parochiali curantur, qui libellus, quum revisus sit et decreto ejusdem Concilii provincialis approbatus atque mandato ipsius sacri Concilii denuo prelo subjectus: ad evitandos multos errores et negligentias in illis sacris functionibus diserte praecipitur, ut quisque parochus et rector ecclesiarum provinciae sibi eundem libellum procuret et, quaecumque in illo perspicue et facile sunt praescripta, accurate observet, sub poenis, quas Episcopi proprii constituent.

Ut tamen singillatim erroribus magis pervulgatis et in laudato memoriali significatis prospiciatur, haec visum est statuere:

2) In Dominica Palmarum harum benedictio in altari ecclesiae omnino fiat, minime vero ad cruces foris erectas, aut intra muros civitatis vel loci.

3) Facta benedictione et distributione Palmarum in ecclesia, si forte consuetudo haec jam vigeat, processio ad illas cruces permittatur, Evangelii vero, quod jam in benedictione in ecclesia cantatum fuerit, cantus repetitus prohibetur.

4) Si processio hoc modo ad illas cruces fiat, nihil ibi cantetur, sed eundo et redeundo solae antiphonae in missali et rituali Romano notatae canantur, quum reapse ut superstitiosi proscribendi sint abusus quorundam locorum, in quibus clerus et populus, postquam ad illas cruces venerunt, primum simul genuflectunt, et dein stantes quosdam ramos palmarum jam benedictarum ipsis crucibus affigunt, unde eos non dissolvunt, nisi die Parasceves, quum in ecclesia crux discooperitur, vel Sabbato sancto ad primum sonum campanae.

5) Praeterea alius superstitiosior abusus vetatur, quo putamina ovorum die Paschatis benedictorum colligi et frondibus illorum ramorum ita misceri solent, ut deinceps super illas cruces disseminentur, quibus indecentibus rebus parochi locorum accurate prospiciant, ut rudis populus a similibus actibus abominabilis superstitionis arceatur.

6) Eadem processio, a rubrica praescripta, (ubi non viget antiqua consuetudo ad illas cruces eundi) non ultra progrediatur, quam usque ad fores ecclesiae, ubi statim ordine disponendus erit clerus in uno vel pluribus circulis secundum ejusdem cleri numerum, et subdiaconus vel clericus crucifer in externo gradu portae ipsius ecclesiae se sistet.

7) In ecclesiis cathedralibus, collegiatis et principalibus diaconus et subdiaconus, qui functionibus inservient, induant planetas plicatas, si suppetant, sin minus (ut in Ecclesiis inferioribus), amictum, albam, cingulum, manipulum et diaconus stolam, quum usus dalmaticarum et tunicellarum diserte prohibeatur.

8) Cantores Evangelii passionis in supradictis ecclesiis induti sint amictu, alba, cingulo, manipulo et stola, nunquam vero dalmaticis vel tunicellis, nec solummodo superpelliceo et stola.

9) Cereus paschalis, semel Sabbato sancto benedictus, ne iterum anno sequenti adjuncta nova cera benedicatur, nisi haec nova cera adjuncta majoris sit quantitatis quam vetus.

10) Vetus cereus, si quidem major quantitas novae cerae adjungi nequeat, aut in confraternitate Sanctissimi Viatici consumatur, aut vendatur, ut novus ematur, quia propter ritus significationem supradicta benedictio cum cereo novo necessario quotannis renovari debet.

11) Ille cereus semper in functionibus accendatur, in quibus eum rubricae accendi jubent.

12) Tres candelae trianguli ne accendantur, nisi die Sabbati sancti in solis functionibus matutinis, post quas candelae statim exstinguentur, et triangulum ab altari removebitur.

CAP. V. De Processionibus.

1) Secundum praescripta caerimonialis Episcoporum et ritualis Romani in processionibus, in quas praeter clerum ecclesiae cathedralis conveniunt clerus collegiatarum et parochialium, regulares et confraternitates, hae primae incedant, debito ordine servato, cum vexillis, si habeantur, vel saltem cum crucibus.

2) Subsequantur dein regulares cum sua cruce, praecedentia hucusque consueta inter eos observata.

3) Dein universus clerus cum cruce ecclesiae cathedralis, eo quidem ordine, ut omnes bini procedant: clerici, subdiaconi, diaconi, presbyteri, parochi, postea Canonici ecclesiarum collegiatarum, ultimo Canonici cathedralis.

4) Ubi consuetudine est praescriptum, ut singularum ecclesiarum collegiatarum et parochialium cruces deferantur: ecclesiastici, his ecclesiis adscripti, suas quique cruces sequantur, et ultimo clerus ecclesiae cathedralis cum sua cruce, quam qui defert, medius sit inter duos acolythos cum ceroferariis.

5) Sive hac sive illa ratione clerus in processiones convenit, inter eundem praecedentia secundum antiquitatem ordinis et gradus, tum inter Canonicos tum inter Curatos aliosque observetur.

6) Quum in nonnullis locis clerici sint tam parvi, ut non intelligentes eam decori rationem, qua in ejusmodi sacras functiones conveniendum sit, saepe non solum ordinem non servaverint, sed per plateas transeuntes constiterint, ut fructus emerent emptosque in processione manducarent: praecipitur, ut tale genus clericorum in publicas illas et communes processiones non conveniat, sed potius in servitium suarum parochiarum vel aliarum ecclesiarum, quibus sunt adscripti, remanere jubeantur.

7) Magistri caerimoniarum et praefecti disciplinae processionum (qui in hunc finem omni loco ab Episcopis sunt constituendi) curent, ut omnes eant per alas psallentes, i. e., ea ratione, ut, qui ad dextram sint, alterum chorum faciant, et qui ad sinistram, chorum alterum, quum, docente experientia, vocum concentum male efficiat is psallendi mos, ut clerici praecedentes alterum versiculum, subsequentes alterum canant; quia propter magnam distantiam alii ab aliis difficile audiuntur.

8) Canonici cum Canonicis psallant, et sacerdotes cum sacerdotibus, regulares vero uniuscujusque Religionis separatim psallant cum regularibus ejusdem Religionis.

9) Unaquaeque confraternitas procedat, SS. Rosarium vel litanias B. Virginis recitans, dirigente parocho vel sacerdote vel clerico aliquo perito, qui a magistro caerimoniarum sit instructus.

10) In litaniis majoribus omnino litaniae Omnium Sanctorum canantur, quodsi non sufficiat, dum ad locum praefixum veniant, psalmi poenitentiales canantur, prout magister caerimoniarum indicabit.

11) In processione SS. Sacramenti illi hymni et psalmi canantur, qui in rituali sunt praescripti, iidemque, quum necessarium sit, repetantur.

12) In aliis processionibus, quae secundum devotionem locorumque fiunt necessitatem, praeter litanias OO. Sanctorum certi psalmi canantur, qui antea semper a magistro caerimoniarum praescribantur, ne canentium arbitrium pariat confusionem.

13) Quotiescunque una cum processione sive pro devotione populi sive pro rubricae praescripto Missa est cantanda, diserte praecipitur, ut processio Missam semper praecedat, exceptis processionibus, in quibus SS. Sacramentum portatur, quia hasce Missa necessario praecedit, in qua SS. Eucharistia dein in processione portanda consecretur.

14) Omnes ecclesiastici advertant, ne quem in processione euntes salutent, neve intra ecclesiam neve foris.

15) Quamdiu intra ecclesiam versantur, nudo capite eant, et egressi caput biretto cooperiant neque salutandi gratia aperiant; procedant vero cum omni modestia et meminerint, ne in viis oculos huc illuc conjiciant.

16) Laici clerum in processione subsequantur, ea tamen ratione, ut nullo modo viri eant cum mulieribus permixti, cui rei ille parochus, sacerdos vel clericus prospiciat, qui ad Rosarium cum populo recitandum erit destinatus, atque, ut is hanc sexuum separationem possit efficere, incedat proxime post viros, ubi series mulierum incipiunt.

17) Provideant denique Episcopi vel eorum nomine magistri caerimoniarum, ut processionum praefecti constituantur (quum sine eorum ministerio rectus illarum ordo servari nequeat), qui ea, quae hic praescribuntur, observanda curent et delinquentes Episcopis denuncient, ut puniantur.

CAP. VI. De Missis celebrandis et disciplina ecclesiastica in sacristiis servanda.

1) In prima Missa neopresbyterorum celebranda in ecclesiis mundanae salutationes ne fiant. Diserte vero vetamus, bellaria aliave dulciola dispensari, id quod tumultum parit ordinemque turbat in sancta domo orationis.

2) Episcopi onera Missarum uniuscujusque Ecclesiae recognoscant, dein tabulas illico confici jubeant, in quas eadem onera inscribantur, prouti approbata fuerint.

3) Quae tabulae approbatae et subscriptae in forma lignea includantur et in sacristia maneant palam collocatae.

4) Neve desint ibidem libri, in quibus ipsi, qui celebrarint, quotidie notent, se oneribus satisfecisse Missarum, et quidem in altero privatarum, in altero vero solemnium, cui rei major sacrista ecclesiae vel ejus rector accurate prospiciat.

5) Neve in sacristiis laicorum confessiones audiantur, quum minime sit permittendum, ut in his locis, qui altaris ministrorum dumtaxat orationi et praeparationi sint destinati, laici quid factitent.

6) Laicorum confessiones in solis ecclesiae confessionalibus

audiantur, quae ubi in majore populi concursu non sufficiant, sacerdotes in sellis arcuatis confessiones excipiant laicorum, minime vero feminarum. a

7) Sacerdotes, diaconi et subdiaconi advertant, ne sacris vestibus induti unquam confiteantur; quodsi necesse foret, prius eas deponant.

CAP. VII. De doctrina Christiana.

1) Episcopi prospiciant, ut parochi accurate edictum observent synodale, quod quidem in appendice primi Concilii provincialis reperitur, de facili puerorum in doctrina Christiana instituendorum ratione.

2) Parochis secundum laudatum edictum non licet, sibi absentibus laicos ignorantes substituere, qui doctrinam Christianam tradant, quamquam, si sint idonei et in illo ministerio exercitati, admitti possunt, ut classium sint magistri, ea tamen conditione, ut semper aliquis sacerdos vel clericus in hac re bene instructus adsistat, qui toti exercitationi praesit.

3) Episcopi poenis, quas illud edictum ipsorum arbitrio relinquit, contumaces afficiant. b

4) Ut adulti, qui doctrinam Christianam, quamvis ignorent, ut plurimum tamen simul cum pueris discere erubescunt, in iis erudiantur, quae quisque scire necessario debet, parochi quolibet die Dominico et festo in Missa parochiali, Evangelio cantato, populum sermone vernaculo hasce res doceant: 1) signum S. Crucis; 2) mysterium SS. Trinitatis et Incarnationis; 3) symbolum fidei; 4) orationem dominicam; 5) salutationem angelicam; 6) decalogum; 7) quinque Ecclesiae praecepta; 8) septem Sacramenta; 9) actum contritionis.

5) Si praeter parochialem altera Missa celebratur, sacerdos celebrans omnia, quae n. 4) praescribuntur, observet, ut malitiae prospiciatur ignorantium, qui Missam sui parochi fugere solent, ne ibi in doctrina Christiana addiscenda remorentur.

6) Severe agant Episcopi contra eos, qui haec praecepta non servent, etiam contra patres ac matres et heros, qui negligant vel impediant, quominus filii vel famuli vel alii sibi subditi, quibus doctrina Christiana opus sit, ad eandem discendam mittantur. c

CAP. VIII. De animarum moribundorum commendatione.

1) Episcopi provideant, ut parochi, quibus cura animarum immediate horum pastorali regimini subditarum commissa est, hanc eis curam illo praesertim temporis puncto impendant, cui propter maximum periculum adjumentum debetur praecipuum, cujusmodi illud ipsum est, in quo anima jamjam a corpore est separanda.

2) Infirmos, postquam iis extremae unctionis Sacramentum administraverunt, minime deserere, sed contra iis recitatione precum et orationum in rituali praescriptarum assistere debent, quoad moriens animam in manus Creatoris reddiderit.

3) Ubi infirmus animam agit, parochus illud charitatis officium praestet, ut campanam ecclesiae suae pulsandam curet, quo populus pro eodem animam agente aliquas precationes faciat.

4) Parochi, alia occupatione urgente, omnino alterum Sacerdotem probum, et hoc quoque deficiente, aliam piam personam, quae illud ministerium, quemadmodum oportet, exequi possit, sibi substituere debet. d

5) Episcopi, si quem forte parochum ignorantem inveniunt, qui sibi persuaserit, se ad animas morientium commendandas non teneri, diligentiam adhibeant, ut doctrina vera imbuatur, et contumaces etiam poenis afficiant, ut juniores hujusmodi errorem et stolidam opinionem deponere studeant.

CAP. IX. De exsequiis defunctorum.

1) Quod ad ritum exsequiarum defunctorum attinet, parochi accuratissime observent, quaecunque in rituali Romano praescribuntur.

2) Ipsi parochi omnem curam et charitatem in eo ponant, ut exsequiae pro cadaveribus defunctorum pauperum fiant, quoniam pro iis saepe iste ritus ideo non integre usurpatur, quod debitam eleemosynam contribuere nequeunt; et diserte praecipitur, ne in quatuor angulis tumbae quatuor candelas ponere omittant.

3) Pro iisdem defunctis pauperibus campanae eadem ratione pulsentur, qua pro iis, qui solvunt pecuniam.

4) Neve ii sacerdotes vel clerici impediantur, qui gratis misericordiam istam exercere velint, quominus cum parocho cadavera pauperum ad sepulcrum deducant.

5) Denique parochos exhortamur, ut saltem unam Missam de Requiem, praesente cadavere, gratis celebrare velint, quando defunctus vere sit miserabilis.

Conclusio.

Episcopi igitur pastorali sollicitudine curabunt, ut hoc edictum synodale observetur, nec solummodo in civitatibus, sed omnibus dioecesis locis, et eos, qui violarunt, pro contumacia poenis afficiant. Quod edictum, ut notum fiat omnibus, parochi curati provinciae inter Missam parochialem primo die festo, postquam ejus notitiam acceperint, et praeterea bis quotannis, altera Dominica mensis Januarii et festo SS. Trinitatis, publicare jubentur, quod qui neglexerint, poena secundum arbitrium Ordinarii infligenda afficiantur.

Datum in ecclesia Nostra metropolitana sessione tertia synodali d. 19. Maji 1698.

Fr. Vinc. Maria Card. Archiepiscopus Metropolita.
Fr. A. Finy Secretarius Concilii.

II. Decreta S. Congregationis S. Officii

ad tres Episcopos Provinciae missa, quibus Parochi, licentia ab Episcopo non prius obtenta, nec statu libero contrahentium probato, matrimonio suorum parochianorum assistere vetantur, quorum tertium Eminentissimo, ut praeceptum servandum curet, ab eadem S. Congregatione transmissum est.

* *Versio Latina ex Italico.*

1. *Foris.* Illustri et Reverendissimo Domino ut fratri, Episcopo Montis-Marani!

Intus vero. Illustris et Reverendissime Domine ut frater!

Quum Eminentissimis meis collegis, Cardinalibus generalibus Inquisitoribus, nomine promotoris fiscalis Vestrae Dominationis memorialis de quibusdam abusibus propositus esset, qui in ipsius dioecesim quoad nuptias irrepserunt: Eminentissimi illud approbaverunt, quod D. V. eo edicto, quo instructiones ejusdem S. Congregationis de hujusmodi rebus datas observari jussit, se jam fecisse asserit, quum dubium esse nequeat, quin Episcoporum sit, probatione admissa, parocho licentiam dare, ut matrimonio dioecesanorum adsistat, parochi autem huic rei se minime immiscere debeant. Urgebit igitur D. V., ut hoc observetur. Et cumulatissimam de coelo pacem eidem auguror.

Romae d. 9. Mart. 1675.

Dom. Vestrae ut frater
F. Cardinalis Barberinus.

Domino Episcopo Montis-Marani.
Loco † sigilli.

2. *Foris.* Illustri et Reverendissimo Domino ut fratri, Domino Episcopo Alliphano!

Intus vero. Illustris et Reverendissime Domine ut frater!

Quoniam memorialis promotoris fiscalis Curiae Vestrae Episcopalis, ut instructio S. Congregationis Sacri Officii de matrimoniis in locis Dioecesis contrahendis observetur, tantopere instat: Eminentissimi mei Collegae, Domini Cardinales Inquisitores, dixerunt, ut D. V. in omnibus et per omnia eam velit non solum a peregrinis, sed etiam ab indigenis loci observandam curare, quum licentia ab Episcopo danda secundum eandem instructionem hujusmodi contractus praecedere debeat. Deus ipsi prosperet.

Romae d. 29. Jan. 1695.

Dominationis Vestrae ut frater
Cardinalis Cybo.

Domino Episcopo Alliphano.
Loco † sigilli.

3. Feria V. die 20. Martii 1697.

Relato dubio, a Sac. Congregatione Concilii ad hanc Sacram Congregationem S. Officii pro resolutione remisso: ut liceat parochis dioecesis Thelesinae conjungere in matrimonium proprios parochianos et cives sine licentia Episcopi et absque probatione

a status liberi: Eminentissimi dixerunt, quod instructio S. Officii, emanata de anno 1670., omnimode et punctualiter observetur.

Joseph Bartholus
S. Romanae et Universalis Inquisitionis Notarius.
Loco † sigilli. Reg. fol. 319.

III. Decretum Sac. Congregationis Episcoporum et Regularium pro observantia Taxae Fori Metropolitani.

Thelesanum, de Curia Episcopali et quibusdam Subditis.

Servandam esse Taxam Innocentianam, in quibus ipsa disponit, et in caeteris Metropolitanam. Ita reperitur in parvo regestu Sac. Congregationis, negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositae, habitae die 19. Aprilis 1697. In quorum fidem etc. hac die 11. mensis Maji dicti anni.

M. Archiepiscopus Athenarum, Secretarius.
Adest sigillum.

Literae Majestatis catholicae Caroli II., Regis Hispaniae, quibus epistolae synodicae secundi Concilii provincialis Beneventani respondetur.

Foris.

Al muy Reverendo en Xsto Padre Cardenal Ursino, mi muy caro y amado Amigo.

Intus.

El Rey.

Muy Reverendo en Xsto Padre Cardenal Ursino Arzobispo de Venabente!

En Carta de 19. de Mayo de este año, days quenta de haver celebrado con otros Obispos una segunda Sinodo Provincial en esa Metropoli, para Reformacion de costumbres, y confirmacion forzosa de las Santas Disciplinas, y Reglas; y que actuandose en el la solene elevacion, y translacion del Cuerpo de San Bartolome de la Yglesia arruynada por el terremoto, à la nueba Basilica, donde sus Reliquias quedaron en deposito; mintras se le fabricase Capilla nueba, pareciò al tiempo de colocar la Urna, y ponerla en otra mas segura, hacen reconocimiento de ellas, y se hallaron los huesos del sagrado Cuerpo de este Apostol, con la candidez, y lustre, que ponderays; anadiendo el comun alborozo, que ay' ha causado este caso. Y enterado de lo que decis, os manifiesto la gratitud, que me han devido estas noticias.

De Madrid à 26. de Octubre de 1698.

Yo El Rey.

Pardinas Villar defrancos Secret.

Vidit Guerrero Reg.
Vidit Rubinus Reg.
Vidit Araciel Reg.
Vidit Jurado Reg.
Vidit Marcianus Reg.

b ** Foris.*

Reverendissimo in Christo Patri Cardinali Ursino, meo carissimo et amantissimo Amico.

Intus.

Rex.

Reverendissime in Christo Pater Cardinalis Ursine Archiepiscope Beneventane!

Literis 19. Maji hujus anni significasti, celebrasse Te cum aliis Episcopis secundam Synodum provincialem pro morum reformatione et necessaria sanctarum constitutionum et regularum confirmatione; et quum in illa fieret solemnis elevatio et translatio corporis S. Bartholomaei ex ecclesia terrae motu diruta in novam basilicam, ubi ejus reliquiae, dum novum sacellum exstrueretur, depositae sunt, visum esse tempus ad urnam
c collocandam et in loco securiori ponendam opportunum; recognitione vero reliquiarum facta, sacri corporis illius Apostoli ossa cum eo candore et nitore inventa esse, quem descripsistis, simul asserentes commune gaudium, quod hic eventus excitavit. Quo nuntio accepto, gratum Vobis animum significo, ad quem me istae literae obligarunt.

Madriti d. 26. Octobris 1698.

Ego Rex.

Pardinas Villar defrancos Secretar.

Vidit Guerrero Reg.
Vidit Rubinus Reg.
Vidit Araciel Reg.
Vidit Jurado Reg.
Vidit Marcianus Reg.

CONCILIUM PROVINCIALE NEAPOLITANUM

ab Eminentiss. ac Reverendiss. Dom. D. Jacobo Tituli SS. Marcellini et Petri S. R. E. Cardinali Cantelmo, Archiepiscopo Neapolitano, in Sancta Metropolitana Ecclesia Neapolis celebratum Dominica Pentecostes ac duobus insequentibus Festis, VII. et VIII. et IX. Junii, Anno Domini MDCXCIX, Innocentio XII. Pontifice Optimo Maximo [1].

SANCTISSIMO DOMINO INNOCENTIO XII. PONTIFICI MAXIMO.

Cum primum, indicto seculari Jubilaeo, Beatissime Pater, christianam pietatem vehementius excitare Ecclesiamque universam Tibi commissam, quam summis consilii et charitatis argumentis ornaveras, divinae Misericordiae ubertate foecundare statuisses: ad salutares huic Provinciae labores nostram quoque sollicitudinem evocasti, ut tantae vigilantiae pro viribus obsequentes, Provincialem Synodum, Domino adjuvante, celebraremus. Cujus constitutiones Tuae Providentiae potissimum insistentes, Nominis quoque Tui patrocinio consecrandas existimamus, ut, quo Duce conceptae sunt, eo quoque Auspice ad virtutum omnium incrementum integerrima gregis nostri disciplina retineantur. Ita enim futurum rati sumus, ut, cum sese in omnia Christi membra Apostolicus Tuae sollicitudinis ardor infunderet, hanc Provinciam non solum saluberrimis institutis, sed auspiciis etiam sanctissimis maxime tuereris, unde ad sacrum totius mundi regimen ascendisti, eaque cunctis virtutum exemplis cumulatius aucta splendesceret, quibus, Te Metropolitanam hanc Sedem obtinente, jam latissime floruisset. Ad cujus utilitatem ac disciplinae clericalis augmentum, ut nihil Tibi reliquum faceres, Metropolitano Seminario opulentissimam S. Joannis Majoris Abbatiam, quo idoneis sacrorum ministris redundaret, munificentissime addixisti. Maximum igitur, Beatissime Pater, operae pretium fecerimus, si Te, quem universalis Ecclesia Patrem et Petri Cathedra Magistrum veneratur, Patronum etiam praesentissimum Provincialis haec Synodus nanciscatur; ut uberius manatura, ad locum, unde exeunt, flumina revertantur. Ac Sanctitatis Tuae pedibus provoluti, Apostolicam benedictionem humiliter imploramus.

Neapoli Pridie Kal. Augusti Anno Jubilaei Secularis MDCC.

Sanctitatis Tuae

Humillimi, Addictiss. et Obsequentiss. Servi et Filii

Jacobus Card. Cantelmus Archiepisc. Neapolitanus.
Fr. Daniel Episcopus Nolanus.
Innicus Episcopus Aversanus Exemtus.
Lucas Episcopus Isclanus.
Fr. Joseph Episcopus Puteolanus.
Fr. Benedictus Episcopus Acerranus.

Synopsis methodi Synodalis.

Sacrorum Canonum institutis ac Metropolitici muneris partibus Eminentissimus Archiepiscopus facturus satis, post Dioecesanam Synodum anno 1694. celebratam obitamque iterum et saepius universae Dioecesis visitationem ad cogendum etiam Provinciale Concilium, post alterum a Mario Carafa Archiepiscopo Neapolitano habitum jam ab annis usque tribus ac viginti supra centum in hac
a *Metropolitana Ecclesia intermissum, animum appulit. Ac saluberrimum opus suscipiendum potissimum ratus, instante anno Magni Jubilaei, atque urgentibus sacratissimis imminentis seculi auspiciis, datis literis aliquot ante mensibus, rem omnem Provincialibus Episcopis significavit; quibus alacri animo ejus sollicitudini obsequentibus, stato die inter Missarum solemnia de more ab Hebdomadario Metropolitanae Ecclesiae, Pluviali induto, S. Synodus Provincialis in sacrum proximae Pentecostes diem ex ambone denunciata est. Mox ad Sacrorum Canonum praescriptum, quicumque ad illam convenire atque interesse deberent, sequenti edicto advocati sunt.*

EDICTUM

Indictionis Synodi Provincialis.

In nomine Sanctae et Individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Jacobus Miseratione Divina Tit. SS. Marcellini et Petri S. R. E.
b Presbyter Cardinalis Cantelmus, Archiepiscopus Neapolit.

Etsi nihil antiquius in pastorali nostra sollicitudine habuimus, quam ut Sacrosancti Concilii Tridentini mandata faceremus, quibus saluberrimum Provincialium Conciliorum institutum restituendum promovendumque commendatur: optatissimo tamen Jubilaei anno munere Divinae pietatis appetente, velut oblata divinitus rei bene gerendae opportunitate, vehementius excitati sumus, ut ad Provincialem Synodum inchoandam Comprovinciales nostros Episcopos, datis ad singulos literis, ad Metropolitanam nostram Ecclesiam Neapolitanam in festum diem proximae Pentecostes evocaremus. In eo enim, qui vocavit Nos in sortem ministerii hujus, fore speravimus, ut, parata salutaribus praeceptis via Domini, in tempore accepto et die salutis ad tribunal misericordiae majori cum fiducia accederemus, et largiorem populis divinae propitiationis abundantiam imploraremus.

Ne quis autem vel rei ignorantiam obtendat, vel se neglectum aut contemtum conqueratur, omnibus et singulis, qui de
c jure aut consuetudine ad idem Concilium convenire tenentur ac debent, et universis, qui sua interesse quacumque ratione censuerint, id ipsum hoc publico Edicto indicimus ac denunciamus, poenis contra non accedentes propositis, quae canonicis sanctionibus decretae sunt.

Qui vero aliquid in ipsa proxima Provinciali Synodo corrigendum vel decernendum pro suae conscientiae et prudentiae dictamine in Domino judicaverint, mature ad Nos et Synodales congressus, ipsam Synodum praecedentes, scripto deferre non omittant, ut pro rei gravitate, quod fuerit expediens, salubriter decernatur.

Fideles autem omnes obsecramus in Domino, ut assiduis precibus a Luce ipsa et fonte luminis implorent, ut illuminet vultum suum super nos, ac de excelso mittat ignem in corda nostra, ut, quae ad aedificationem corporis Christi novit magis profutura, ad ea capessenda mentes nostras et sensus inflammet.

In quorum omnium et singulorum fidem hoc Edictum jussimus promulgari, illudque, in nostrae Metropolitanae ac Cathe-

---

[1] Dabimus acta et decreta hujus Concilii secundum editionem Romanam a. 1700. (*ex typographia Rev. Camerae Apostolicae.*)

dralium Ecclesiarum valvis aliisque locis consuetis affixum, volumus omnes et singulos, quorum interest, afficere perinde, ac si foret ipsorum cuilibet personaliter intimatum.

Datum ex nostro Archiepiscopali Palatio Neapolitano die 8. Aprilis anno Domini 1699., Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris et D. N. D. Innocentii Divina Providentia Papae XII. Anno octavo.

J. Card. Cantelmus Archiep. Metrop.

Loco † sigilli.

Antonius Bottone pro Curia Act. Mag.

Eo igitur in Metropolitana Ecclesia inter Missarum solemnia promulgato atque omnium Cathedralium totius Provinciae Ecclesiarum valvis aliisque consuetis locis affixo, ad Spiritus S. opem implorandam preces typis editae ad omnes Ecclesias transmissae sunt.

Die autem vigesimaquarta Maji, convenientibus in Archiepiscopalis Palatii Sacello Provincialibus Episcopis, a Metropolitano honorificentissime acceptis, necnon Procuratoribus Capitulorum et S. Synodi Consultoribus, Congregationes praeliminares haberi coeptae sunt. Quarum initio Eminentissimus Archiepiscopus gravi oratione Patres ad animarum salutem concordi studio capessendam cohortatus est. Mox, quaecumque ad totius Provinciae disciplinam conducerent, penitus discussa, controversiaeque nonnullae ad Patres delatae partim diremtae, partim, quod diuturniorem excussionem flagitarent, quibusdam ex Patribus componendae demandatae sunt.

Cum vero sacratissimus Pentecostes dies illuxisset, in Archiepiscopale Palatium Clerus universus Secularis, cum quatuor Mendicantium Ordinibus ad supplicationem habendam edicto advocatus, frequens convenit. Hanc Episcopi numero decem et octo, tum Provinciales, tum qui honoris causa futuris quoque sessionibus interfuere, prosequebantur, Eminentissimo Metropolita ordinem claudente, et subsequentibus Procuratoribus Capitulorum et Consultoribus Synodalibus.

Ubi ad Metropolitanam Ecclesiam reditum est, in magno omnium Ordinum ac frequentissimi populi concursu, concessa praesertim a Sanctissimo Domino plenaria Indulgentia iis, qui aliquo ex tribus Festis Pentecostes eam Ecclesiam visitassent: Eminentissimus Archiepiscopus, solemne sacrum faciens, post Evangelium concionem de Episcopalis muneris partibus ad Patres habuit. Sacris peractis, ac decretis praeliminaribus et ministris Synodalibus renunciatis, editaque ad Tridentini normam fidei professione, Synodales Constitutiones per Canonicum Neapolitanum S. Synodi Secretarium promulgari coeptae, nec sessio in pomeridianum (+ quoque) tempus continuata est. Tum indicta in posterum diem sessione altera, precibusque solemniter persolutis, Patres et universus consessus dimissus est.

Postridie illius diei post Missam a Canonico Neapolitano solemniter celebratam decretorum lectio mane et vesperi continuata, et futura in crastinum sessio indicta est. In qua servatis ut alias omnibus, Eminentissimus Archiepiscopus et Provinciales Episcopi, S. Synodi Constitutiones unanimi consensu probantes, in Ara maxima eamdem sua manu subscripserunt. Cumque Eminentissimus Metropolita Episcopos omnes ad osculum pacis admisisset, Gratiis Omnipotenti Deo peractis, Synodalis conventus magna cum animorum concordia sanctaque laetitia discessit.

ORATIO

habita ab Eminentiss. ac Reverendiss. Domino Cardinali Archiepiscopo Metropolita in primae Sessionis initio.

Si diligitis me, mandata mea servate. Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis: ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis. *(Joan. 14, 15. 16.)*

Coelesti Patri luminum, qui seculum nostrum in illuminatione vultus sui adversus potestates tenebrarum benignissime propugnavit, intimo cordis affectu innumeras agamus gratias, Amplissimi Praesules; praesertim cum Nos dominici Gregis Pastores, vigilias noctis custodientes, in hac diu exoptata Provinciali Synodo Sacrosancti Concilii Tridentini monitis et exemplo congregare dignatus sit, sub ipso jam labentis et mox resurgentis seculi limine; ut pro saluberrimo mentium nostrarum documento, exuta seculi vetustate, spiritus novitatem induti, ad vitam
a venturi seculi pro nostra et concreditarum animarum felicitate alacriter capessendam impigro labore ferventique zelo incumbere satagamus. Idcirco operae pretium erit serio perpendere, quae sit voluntas Dei, omnia disponens fortiter et suaviter, in hoc gravissimi momenti negotio, cum convenientes in unum de summa rerum acturi, nempe de spirituali universae Provinciae incolumitate nostris conatibus reparanda, spectaculum facti sumus Deo, Angelis et hominibus.

Aemulamini igitur in hac auspicatissima Spiritus Sancti Paracliti festivitate charismata meliora, proferentes de Divinae Sapientiae thesauris nova et vetera, quae in reformandis capite et membris, in eliminandis abusibus, in evellendis vitiorum vepribus, in restauranda ecclesiasticae disciplinae observantia infirma confirment, disrupta consolident, depravata convertant ad majorem Dei gloriam sub auspiciis Sanctissimi Domini Nostri Innocentii XII., qui nuper in hac Metropolitana Ecclesia sancte feliciterque administrata luculentum praebuit exemplar Pastoralis sollicitudinis, qua nunc totum terrarum Orbem mirifice complectitur: quin etiam patrocinante eximia Regis nostri pietate, qui
b avito Augustissimi Austriaci sanguinis zelo Regiam hanc et fidelissimam Urbem, a primordiis legis Evangelicae et praedicatione D. Petri Apostoli, propria manu nobilissimos Neapolitanos Cives sacro baptismate regenerantis, praeclaro religionis cultu praefulgentem, majori in dies incremento inclarescere vehementer exoptat, ut ad ejus normam reliquae Regni Provinciae mores componere discant.

Quapropter cum maxime rationi consentaneum sit, *ut Judicium incipiat a Domo Dei*[1], cumque ex sapientissimo Apostoli monitu habeamus, quod, *si nosmetipsos judicaremus, non utique judicaremur, judicamur autem, cum a Domino corripimur*[2]: opus erit, ut, perlustratis praecipuis Episcopalis muneris partibus, quid de implemento vel defectibus censendum sit, Sacerdotali, qua par est, ingenuitate fateamur. Et quamvis *omnis Pontifex ex hominibus assumtus, humana circumdatus sit infirmitate*[3], cui magnus ille Pontifex *Sanctus, innocens, impollutus et excelsior Coelis factus*, benigne *compatitur: pro hominibus* tamen *constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis*[4], et tamquam mediator Dei et hominum, in omnibus seipsum
c praebeat exemplum bonorum operum; idcirco ab Evangelista *sal terrae* et *lux mundi*[5] appellatur, ut, in specula praefulgens virtutum radiis vitaeque innocentia, *luceat omnibus, qui in Domo Dei sunt.*

Porro cum Domus Domini fundata sit supra verticem montium, ubi Praesul sicut *fortis armatus custodiens atrium suum*[6] diu noctuque pro muro Israel excubare tenetur, quam maxime absonum esset, si, derelicto concreditae arcis regimine, ad ima descenderet, ad temporalia scilicet, tamquam peregre proficiscens, extra suam Dioecesim saepe saepius diverteret obtentu valetudinis, rei familiaris, charitatis erga consanguineos vel alterius inventi, quo Ecclesiasticorum quoque corda de mundano pulvere sordescere non reformidant, imo praepostero et valde alieno a mente Apostoli exemplo ex aberrantibus pedibus adversus incustoditum Gregem pulverem excutiunt, merito monente D. Ambrosio[7] sacrum prodigentes patrimonium, quia recedunt ab Ecclesia! Stantes igitur sint pedes nostri in atriis Jerusalem, in propria utique residentia, quam parum abfuit quin Concilium Tridentinum[8] de jure divino esse definiret. Tunc enim *quam*
d *speciosi erunt pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona*[9], quamque inhaerentes vestigiis Salvatoris Nostri, qui, antequam Coelum conscenderet, Apostolis praecepit: *Vos autem sedete in Civitate, ut induamini virtute ex alto!*[10]

Quandoquidem Episcopus residentiae pertaesus Ecclesiasticas virtutes nancisci et in praxim redigere nequit. Virgane pastoralis vigilabit, si deficient oculi Pastoris? De uberrimo messis

---

[1] 1. Petr. 4, 17.
[2] 1. Corinth. 11, 31. 32.
[3] Hebr. 5, 1. 2.
[4] Hebr. 7, 26. 4, 15. 5, 1.
[5] Matth. 5, 13. 14.
[6] Luc. 11, 21.
[7] Lib. 7. n. 213. in Luc. 15, 12. Opp. S. Ambros. Ed. Migne vol. II. col. 1757. A.
[8] Sess. 23. de reform. cap. 1.
[9] Rom. 10. 15.
[10] Luc. 24, 49.

proventu spes erit, si, aberrante villico, ex jactis bonae frugis (a) seminibus aliud secus viam, aliud super spinas, aliud in petram cecidit? Nonne plaga tumens in morbido pecore contabescet, si, absente medico, non est circumligata neque fota oleo? Enim vero satis compertum est, quod evigilans Praesulis praesentia cultum, nitorem sacrasque caeremonias in templis, erga egenos subsidia ex Ecclesiae facultatibus, quae sunt vota fidelium, pretia peccatorum ac patrimonia pauperum, rectissimam causarum expeditionem tantum justitiae Numini dicatam, Ecclesiasticae jurisdictionis viriliter propugnandae tutelam, suas et adjutrices ministrorum manus, numquam turpis lucri gratia vel munerum illecebris sordidandas, in excolenda vinea Domini atque praevalida divinae legis sepe munienda desiderari non patitur.

Quin etiam statutis Sanctae Visitationis temporibus impigra sedulitate peragendae vultum gregis singillatim agnoscere, spiritualibus aegrotantes morbis exemplo coelestis Medici, qui *ad vulnera nostra descendit* [1], indesinenti charitate curare, Viros Ecclesiae mancipatos atque in sortem Domini vocatos totis viribus ad Ecclesiasticae disciplinae normam efformare non praetermittet. Hinc enim praecipuum, imo altissimum ministerii nostri munus (b) aeternaeque vitae momentum pendere quis dubitet? Profecto si deficient lapides sanctuarii, angulares, electi, virtutum non minus fragrantia quam sacro chrismate delibuti, quis poterit de superextructa mole aedificii, ubi Deus inhabitare dignetur, bene augurari? Si luxit antemurale, et murus pariter dissipabitur, Templumque Domini ruina dehiscens in offensionis lapides dissolvetur; super quo Coeli obstupescent, et portae ejus vehementer desolabuntur. Et quia Ecclesiasticae militiae, quae veluti *castrorum acies ordinata* [2] militantem Ecclesiam ad coelestem Jerusalem manu ducit, Duces sunt, uti immediati animarum directores, Parochi et Confessarii, quisque nostrum serio recogitet, quanto studio incumbere oporteat ad eos eligendos, quos adeo doctrinae, probitatis, prudentiae caeterarumque virtutum dotibus excellere necesse est, ut juxta mentem Sancti Gregorii *quisquis ipsis jungitur, quasi ex salis tactu aeternae vitae sapore condiatur; sal enim terrae non sumus, si corda audientium non condimus* [3]; idcirco repellendi sunt, qui, Ecclesiasticae doctrinae expertes, terrena sapiunt neque factores sunt legis, sed auditores tantum et, quod verbis dicunt, moribus contradicunt; quique infatuato (c) sale moralis nimis laxae vel in speciem tantum severioris, sed reipsa per spiritualia nequitiae in conscientiarum perniciem vergentis (juxta Ezechielis effatum) *consuunt pulvillos sub omni cubito manus et faciunt cervicalia sub capite universae aetatis ad capiendas animas* [4]; vel qui ambitu, potentium favore et temporalis lucri aucupio sacrum ministerium praeripientes, mox tamquam mercenarii injuncti oneris immemores, in pastorali munere obeundo, praesertim in Sacramentorum administratione, in consulendo pauperum Ecclesiaeque necessitatibus, in rudimentis sanctae fidei explanandis, in frangendo parvulis evangelico pane, in publicis scandalis amovendis, in arcendis vulpibus, quae vineam Domini demoliuntur, desides evadunt suaeque villicationis rationem reddere negligunt, quamvis de manibus eorum districtus Judex et animarum jacturae Vindex in die irae sanguinem requiret.

Altera satis ampla et laboriosa Episcoporum sollicitudo universi Cleri mores, honestatem, scientiam, exercitationes et disciplinam, quibus potior et sanctior dominici Gregis portio praestare debet, singillatim complectitur. Quae omnia praemium erga (d) bonos, animadversio in malos atque exacta in sacris ordinationibus Canonum observantia quam utilissime componere valent. Si igitur Episcopus tamquam dispensator fidelis dignitates et beneficia Ecclesiastica collaturus, prae oculis tantum habeat merita promovendi, quaerens, *non quae sua sunt, sed quae Jesu Christi* [5], utique non accendet lucernam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, exemplumque praebeat rectae retributionis, immeritis numquam elargiendae; et praesertim eos, qui laude caeteris anteire student, ad fastigium arduae virtutis alliciet.

[1] S. Ambros. Lib. V. n. 46. in Luc. 6, 17. Opp. S. Ambros. Ed. Migne vol. II. col. 1648. D.
[2] Cant. 6, 9.
[3] Homil. 17. in 10. Luc. [Hom. in Evang. L. I. hom. 17. n. 9. Opp. S. Greg. Ed. Migne t. II. col. 1143. B.]
[4] Cap. 13, 18.
[5] Phil. 2, 21.

Si Praesul induat pro thorace Justitiam et accipiat pro galea Judicium certum, cum crimina plectere cogitur, praeferatque media validiora nimis frequentibus pecuniariis poenis, quae servilem quandam et novis lapsibus obnoxiam socordiam potius pariunt quam timorem; eo quod saltem ambigitur, ne cum zizania evellatur et triticum: nemo inficias ibit, quin publicae indemnitati, justitiae et Ecclesiastici fori integritati optime consulatur; si demum omnes, qui Clericali militiae nomen dare contendunt, manus Episcopi ad instar Moysis in Coelum erectas et numquam ob humanos respectus ad terram declinantes conspiciant; adeo ut nullus pateat aditus ad sacram manuum impositionem impetrandam, nisi in moralium virtutum tyrocinio satis clarum indolis Ecclesiasticae specimen praebuerint; et primae tonsurae initiandi juxta laudabilem hujus Metropolis morem patrimonia, unde honeste vivant, certis documentis diligentissime discutiendis constituant; neque ad multiplicandam gentem, quae, non multiplicata spirituali laetitia, gens sancta et genus electum appellari nequeat; neque ad commodum familiarum, quod ut plurimum in onerosum reipublicae incommodum vertitur, sed ad necessitatem et utilitatem tantum Ecclesiarum (juxta apertissimam Tridentini [1] mentem) absque personarum acceptione assumantur: complures non habentes vestem nuptialem neque stolam primam induentes a limine absterrerentur; atque Ecclesiasticus ordo, ob excedentem Clericorum numerum morum corruptela, reatibus, habitus vanitate aliisque notis seculum redolentibus labefactatus, decorem induens et virtute praecinctus, utique immunis esset a gravissima D. Bernardi censura, hisce verbis acriter conquerentis: *Quid sibi vult, quod Clerici aliud esse, aliud videri volunt? nempe habitu milites, quaestu Clericos, actu neutrum exhibent: nam neque pugnant ut milites, neque ut Clerici evangelizant; cujus ordinis sunt? cum utriusque esse cupiunt, utrumque deserunt, utrumque confundunt. Vereor*, subjungit S. Doctor, *istos non alibi ordinandos, quam ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat* [2].

Avertat Deus hanc labem ex hac Religiosissima Provincia, ubi Praedecessores mei praestantissimo zelo flagrantes Neapolitano Clero, optimis moribus et eximiis virtutibus praedito, Metropolitanam Ecclesiam exornare enixi sunt; sicut et Vos, vigilantissimi Praesules, pari conatu Dioeceses vestras condecorare studetis; obsequentes praesertim saluberrimae regnantis Summi Pontificis nuper editae constitutioni [3], qua absolutissimus modus proprios subditos ad sacros Ordines promovendi atque ab alienis abstinendi juxta Sacrorum Canonum scita ad amussim praescribitur; quibus vel in minimo refragari enorme foret piaculum. Verum cum et nimiae Clericorum redundantiae et Ecclesiarum necessitati, ubi messis multa, Operarii autem pauci, consulere oportet; maxime si desint, qui ab adolescentia morum candore et scientiarum lacte imbuti, uberrimos valeant fructus facere in tempore suo; cumque mystica Turris Ecclesiasticae disciplinae, unde mille virtutum clypei pendent, firmum, ne corruat, exigat fundamentum: ideo sapientissimi PP. Tridentini [4], Sancti Spiritus lumine afflati, monita et media suppeditantes pro firmissimis fulcris substernere studuerunt Seminariorum fundationes: quae si in singulis Provinciae nostrae Cathedralibus, uti fas est, sedulo erigantur aut jam erecta ad perfectionis culmen perducantur, quisque nostrum, praecellenti D. Caroli, Episcoporum Prototypi, exemplo adhaerens, spirituali aedificio coronidem imponeret sub sacris secularis Jubilaei auspiciis; in quo praestantiora Episcopalis muneris opera edere tenemur, praesertim in charitatis officiis et peregrinorum hospitalitate, Summi Pontificis hortationibus et exemplo morem gerentes, ut, accedentibus quoque votis Amplissimorum Praesulum, quorum venerabili praesentia praeclarissima haec corona insignitur, eo libentius supremi hujus Provinciae SS. Tutelares super acta et decreta praesentis Synodi coelestem impetrent benedictionem, offerentes ante thronum Agni librum sigillis septem, perpetua scilicet observantia, obsignatum et *phialas plenas odoramentorum, quae sunt orationes Sanctorum* [5].

Tu igitur Sancte Januari, clementissime Protector, *sicut Aquila provocans ad volandum pullos suos et super eos voli-*

[1] Sess. 21. de reform. cap. 2.
[2] Lib. 3. de consid. cap. 6. [al. c. 5. Opp. S. Bern. Ed. Migne t. I. col. 771. B.]
[3] Innoc. XII. Constit. 54. *Speculatores.* d. 4. Nov. 1694.
[4] Sess. 23. cap. 18. de reform.
[5] Apoc. 5, 8.

tans[1], sub umbra alarum tuarum protege nos, et Provincialem hanc Synodum tuo numini dicatam ante Solem Justitiae sistere ne dedigneris, ut implorato Spiritus Sancti lumine feliciter absolvatur, et, qui de nostris laboribus proficere debent, abjicientes opera tenebrarum, arma lucis induant in universa hac Provincia; ubi insignia pluribus in locis inclyti martyrii tui trophaea erexisti, cum, post edita in Beneventana Ecclesia sanctissima Episcopalis sollicitudinis argumenta ad coelestem et civicam coronam evocatus, e Nolanae fornacis flammis illaesus evadens per totam fere Campaniam triumphantis Christianae religionis currum, quamvis crudeliter devinctus, in Puteolani montis capitolium deduxisti, ubi, cicurata in leonibus ad pedes blandientibus ethnicae superstitionis perfidia, prope Phlaegram, dato capite, ipsasmet inferorum potestates strenue perdomuisti: sacrasque ampullas, licet vitreas, adamantis fortitudine praeditas, in quibus fontem vivi sanguinis in vitam aeternam salientis fidelissimo cultu veneramur, ceu delapsa e Coelo Ancilia adversus eructantis Vesuvii incendia aliasque calamitates benignissime opposuisti. Tu tanquam aurum obrizum, igne examinatum, ignito Evangelicae veritatis calculo labia et corda nostra inflamma, ut, quia omnia possumus in eo, qui nos confortat, instruere et emundare valeamus Clerum et Populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Nam quae utilitas in sanguine tuo, si labentis seculi corruptionem non evadimus? Quod tamen firmiter sperandum, quia vox sanguinis tui clamore valido pro nobis ad Coelum quotidie clamans exaudita est pro sua reverentia.

[1] Deut. 32, 11.

* Concilium Neapolitanum a. 1576. celebratum, quod supra commemoratum est, et cujus decreta a Synodo Neapolitana a. 1699. saepe laudantur, a Joanne Dominico Mansi in *Supplemento ad Concilia Veneto-Labbeana* (tom. V.) editum est.

CONSTITUTIONES SYNODI PROVINCIALIS NEAPOLITANAE.

Nos Jacobus, Miseratione Divina tituli SS. Marcellini et Petri S. R. E. Presbyter Cardinalis Cantelmus, Archiepiscopus Neapolitanus Metropolita, de consilio et unanimi assensu omnium DD. Coepiscoporum nostrorum, qui ad hanc S. Synodum convenerunt, haec ad Omnipotentis Dei laudem statuimus et decernimus:

In nomine Sanctae et Individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Ut *vineae florentes* [1], quae per universam hanc Provinciam assiduis christianae virtutis exemplis *dederunt odorem* suum, uberiores parturiant *fructus honoris et honestatis* [2], nec eas singularis ferus diabolicae nequitiae depascatur [3]: Sacrosancti Concilii Tridentini mandatis obtemperans Provincialis haec Synodus in Spiritu Sancto congregata est; ubi tamquam Cherubim ante Paradisum voluptatis flammeum Apostolicae charitatis gladium arripientes Episcopi custodiant vineam Domini; ac si quid *in agro Dei sui aut neglectu incultum aut fraude surreptum* [4] invenerint, evellant et dissipent, aedificent et plantent [5]. Duo igitur haec S. Synodus ad Dei laudem animarumque salutem sibi obeunda constituit: primum, ut Concilii Tridentini aliorumque Sacrorum Canonum Decreta ac Summorum Pontificum Constitutiones, sicubi forte neglecta fuerint, fortiter assereret et suaviter promoveret; deinde, ut, quae idem Tridentinum in Provincialibus Conciliis transigenda et componenda decrevit, in Domino fideliter exequeretur.

TITULUS I.

De Fide catholica.

Textus Tridentini sess. XXV. cap. 2.

Praecipit Sancta Synodus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis et omnibus aliis, qui de Jure aut consuetudine in Concilio Provinciali interesse debent, ut in ipsa prima Synodo Provinciali post finem praesentis Concilii habenda ea omnia et singula, quae ab hac Sancta Synodo definita et statuta sunt, palam recipiant; necnon veram obedientiam Summo Romano Pontifici spondeant et profiteantur; simulque haereses omnes, a Sacris Canonibus et generalibus Conciliis praesertimque ab hac eadem Synodo damnatas, publice
a *detestentur et anathematizent; idemque in posterum quicumque in Patriarchas, Primates, Archiepiscopos Episcoposque promovendi in prima Synodo Provinciali, in qua ipsi interfuerint, omnino observent.*

CAP. I. De Fide profitenda.

1. Cum Sacrosanctae Catholicae Fidei in hac Metropolitana Ecclesia Regiaque Urbe, *fidelissimae* cognomento praefulgente, prima jecisset fundamenta B. Petrus Apostolorum Princeps, *dignus certe, qui aedificandis in Domo Dei populis lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clavis ad Regnum:* super hanc firmissimam petram Beatus Januarius, Praesul et Martyr inclytus, praesentissimo patrocinio ac
b Divino Sanguinis miraculo murum pro Domo Israël fortiter opposuit, atque in caeteris hujus Provinciae Ecclesiis viri, Sanctitate ac Evangelica Doctrina insignes, Turres Jerusalem tantarum virtutum gemmis aedificarunt, ut vere hac in Provincia esse videatur ex lapide pretioso omnis circuitus muri ejus. Par igitur aequumque est, ut Episcopi tantum Fidei depositum, ab iis per manus traditum, sartum tectumque satagant custodire. Quamobrem de illorum Fidei integritate decet cum maxime eos esse certiores, quos pascendis Ovibus Christi in communionem gravissimi oneris advocarint. Episcopi igitur in prima Synodo Dioecesana*) Fidei Professionem ad formam Constitutionis Pii IV., juxta quam in hac Sancta Synodo ediderunt, et ipsi emittant et ab aliis emitti faciant.

c 2. Provisi etiam de Beneficiis quibuscumque curam Animarum habentibus coram Episcopo vel ejus Vicario Generali Fidei Professionem ad formam ejusdem Bullae Pii IV. intra duos menses a die adeptae possessionis emittant. Qui vero in Cathedralibus Canonicatus aut Dignitates obtinuerint, eam intra idem tempus etiam in Capitulo edere teneantur. Aliter hi omnes, nulla possessione suffragante, fructus suos non faciant, ut Tridentinum statuit.

---

[1] Cantic. 2, 13.
[2] Eccles. 24, 23.
[3] Psal. 79, 14.
[4] S. Bernard. lib. 3. de consid. cap. 5. (Opp. Ed. Migne. I, 770. A.)
[5] Jerem. 1, 10.

Cap. I. 1) S. August. [serm. 29. de Sanctis n. 4. Opp. S. Aug. Ed. Bened. V. Append. col. 338. A.]

*) Trid. sess. 25. de reform. cap. 2.

2) Trid. sess. 24. cap. 12. Conc. Mediol. IV. p. 1. t. 1. de prof. fide. Pii IV. const. 89. *Injunctum nobis.* d. 13. Nov. 1564. Trid. cap. 2. cit. Pii IV. const. 89. cit.

3. Praedicatores verbi Dei, tam Seculares quam a Regulares, et literarum ac liberalium artium Professores, quique ad Doctoralem aut alium quemcumque disciplinarum gradum ascendunt, eandem Fidei Professionem sine ulla mutilatione integram emittant; qua non semel pro singulis muneribus emissa, ad ea obeunda non aggrediantur.

CAP. II. De Fidei Rudimentis tradendis.

1. Quoniam sine scientia salutis nec viam vitae invenire nec semitam mandatorum currere quisquam potest, Pastores Animarum, quos in Christo Jesu genuerunt Infantes, Christianae Doctrinae lacte enutrire non omittant.

2. Praecipit igitur Sancta Synodus, ut Parochi et b omnes curam animarum gerentes singulis Dominicis festisque diebus, crebrius vero per Adventum et Quadragesimam, pueris rudibusque aliis, pomeridianis horis, campanulae signo collectis, Christianae Fidei rudimenta, ab iisdem memoriter ediscenda, tradant et explanent.

3. Quicumque ad ordines promoveri volunt, in hoc Doctrinae Christianae tradendae munere Parochum assidue adjuvent, donec ad Presbyteratum fuerint assumti, aliter ad ordines non promovebuntur. Ac pro eo rite obeundo certas Clericis suis regulas Episcopi in prima Synodo Dioecesana praescribant.

4. Cum ad hujus saluberrimi operis frequentiam et assiduitatem promovendam Indulgentias locupletissimas Summorum Pontificum benignitas largita sit iis, c qui Fidei rudimenta docuerint, praesertim si Archiconfraternitatibus Doctrinae Christianae vel Confraternitatibus Archiconfraternitati aggregatis fuerint adscripti: idcirco Parochi eas saepe Populo proponant. Episcopi vero curabunt, ut ad eas lucrandas Confraternitates ejusmodi, in suis Dioecesibus erectae, Archiconfraternitati Romanae, si nondum aggregatae fuerint, aggregentur.

5. Parentes et Dominos ejusmodi erga liberos subditosque obligationi satisfacere negligentes tum Concionatores in Adventu et Quadragesima gravissimis animadversionibus tum Confessarii salutaribus poenitentiis injunctis pro virili deterrere curabunt. d

6. Ludimagistri meminerint, sese etiam gravissimo Lateranensis Concilii decreto obligari, ut singulis hebdomadis Fidei rudimenta suos discipulos doceant.

7. Iis potissimum erudiendis accuratius Parochi instabunt, quos rudiores aut alia quavis ope destitutos deprehenderint, nullius hebetudinem vel conditionem fastidientes aut aversantes, sed charitate omnia sufferente illos ab aliis seorsum aut opportuniori alias condicto die instruant.

8. Ut autem crassioribus ejusmodi ingeniis amplius consulatur, Parochi Casalium festis diebus, populo ante Missae celebrationem conveniente, Symbolum Apostolorum, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Praecepta Decalogi et Ecclesiae vernacula lingua, populo singula repetente, clara voce recitent.

9. Ne qua in explicandis Fidei Mysteriis aut diversitas obrepat aut novitas, ea docendi ratio teneatur, quam in suo Doctrinae Christianae libello, Clementis VIII. jussu edito, Cardinalis Bellarminus persecutus est.

10. Praeterea eorum vitiorum horror inuratur, in quae conditio aut aetas pronior esse consuevit, perjurii praesertim et blasphemiae.

11. Nemo unquam, nisi necessariis Fidei Mysteriis instructus, aut ad Poenitentiae Sacramentum aut pro patrino in Baptismo vel Confirmatione admittatur. Turpe est enim, ut, quae quis ignoraverit, alios docere profiteatur. Hujusmodi autem Mysteriorum scientiam, nisi aliunde Parochus et Confessarius perspectam habuerit, ipse diligenter prudenterque secretis interrogationibus explorabit ejusque defectui salubri remedio occurret.

12. Si qui Infideles ad agnitionem veritatis et Christi Fidem venire cupiunt, Parochi, in quorum Paroecia degunt, antequam baptizentur, rem ad Ordinarium deferant juxta Rituale Romanum; caeteraque serventur praescripta in Decreto Sac. Congregationis in appendice adscribendo.

CAP. III. De Praedicatione Verbi Dei.

1. Quia *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi,* neque enim credent ei, quem non audierunt, neque audient sine praedicante: propterea et Apostolos suos misit Dominus in mundum universum docere omnes gentes et praedicare Evangelium omni creaturae, et Episcopis, qui pro iis Patribus Ecclesiae nati sunt filii, coelestis seminis commisit dispensationem. Commendatas igitur sibi Oves verbo Dei pascere per sese debent Episcopi aut per alios ad eam rem idoneos, si legitimo excludantur impedimento.

---

3) Ex decr. S. Congr. Conc. S. Caroli instr. praed. p. 4. (Acta Eccl. Mediol.) Conc. prov. Firmanum sub Sigismundo Giannettino Archiep. anno 1591. hoc tit.

Cap. II. 1) 1. Corinth. 4, 15.

2) Trid. sess. 24. cap. 4. de reform. Pii V. const. 137. §. 2. *Ex debito pastoralis.* d. 6. Octob. 1571. Conc. Neap. sub Mario Carafa Archiep. 1576. cap. 4. Concil. Mediol. I. p. 1. tit. 4. de fidei initiis.

3) Cap. *Ut quisque.* 3. de vita et honest. cler. (III, 1). Conc. Mediol. IV. p. 2. t. 7. de sacris ordin.

4) Pii V. const. 137. §. 2. *Ex debito pastoralis.* d. 6. Octob. 1571.

5) S. Carolus in Conc. Mediol. V. p. 1. t. 2. de doctr. christ. et liter. circul. S. Congr. Conc. 19. Januar. 1619.

6) Conc. Later. sess. 9. can. 7. sub Leone X. et const. 21. *Supernae majestatis.* d. 19. Dec. 1516. Conc. Neap. ubi supra.

7) S. August. de catech. rudibus 13. (Opp. Ed. Bened. VI, 276.)

8) Decr. S. Congr. Episc. 11. Jan. 1600. in Lesin. et juxta literas encycl. S. Congr. Conc. 19. Jan. 1619. Conc. Mediol. V. p. 1. t. 2. de doctr. christ.

9) Urban. VIII. const. 167. §. 6. *Ex debito.* d. 22. Febr. 1633.

10) Trid. sess. 5. de reform. cap. 2. et sess. 24. cap. 4.

11) Can. *Ita diligere.* 1. XXX. q. 3. Can. *Vos ante omnia.* 105. dist. 4. de consecr. Conc. Aurel. IV. cap. 19.

12) Cap. *Majores.* 3. de baptismo (III, 42). Conc. Neap. cap. 13. Rit. Rom. de bapt. adult. §. 3. S. Congr. 24. Aug. 1688.

Cap. III. 1) Roman. 10, 17. Marc. 16, 15. Nicol. I. tom. 3. Conc. [Ep. ad Michaelem imper. *Proposueramus.* Hardouin, V, 171. A. Can. fin. dist. 43.]

2. Ad praescriptum Tridentini praebenda Theologalis in singulis Ecclesiis, quas idem Concilium expressit, pro Sacrae Scripturae lectione constituatur, servatis omnibus, quae ab eodem Concilio tum de ratione constituendi tum de personae idoneitate aliisque remediis praecipiuntur. Eadem quoque lectio habeatur in Monasteriis Monachorum, ubi commode fieri potest; sicubi vero Abbates negligentes fuerint, locorum Episcopi tamquam Sedis Apostolicae Delegati eos ad id opportunis remediis compellant. In caeteris Regularium Conventibus, in quibus studia commode vigere possunt, eadem lectio non omittatur.

3. Praedicationis officium Parochi ex praecepto ejusdem Sacrosancti Concilii Tridentini singulis diebus Dominicis et festis populo praestent, germanum Evangelii sensum potissimum explanantes. Si quem autem id saepe omittere deprehenderit, Oeconomum in ejus Paroecia constituat Episcopus.

4. Sine Ordinarii facultate nemo, quamvis Regularis et exemtus, audeat in hac Provincia praedicare; *quomodo* enim *praedicabunt, nisi mittantur?* Idque Parochi et Sacrorum locorum Praepositi impune fieri non patiantur.

5. Regulares, qui in Ecclesiis sui Ordinis praedicare voluerint, ab Episcopo Dioecesano benedictionem petant; praedicare tamen possunt, quamvis illam non obtinuerint. Quodsi Episcopus benedictionem nedum non concesserit, sed etiam contradixerit, nec in praedictis quidem Ecclesiis liceat Regularibus praedicare. Contravenientes vero ab Episcopo tamquam Sedis Apostolicae Delegato censuris aliisque poenis Ecclesiasticis in vim Constitutionum Gregorii XV. et Clementis X. coerceantur. Episcopus vero sine justa et rationabili causa contradicere non debet. Et hujusmodi benedictionem teneantur etiam Regulares petere, si in quibuscumque Oratoriis sui Ordinis sermonem coram populo vel in Ecclesiis aut ad Crates Monasteriorum Sanctimonialium eorum jurisdictioni subjectarum, licet clausis januis et nullus Secularis ibi intersit, habere voluerint; ut in dicta Constitutione Clementis X. expresse praecipitur.

6. Pro facultate aut benedictione praedicandi largienda aut pro expeditione literarum patentium nihil omnino exigatur.

7. Quisquis Evangelicae Doctrinae munus profitetur, inanes fabulas a veritate auditum avertentes et
a profanum ambitiosae eloquentiae apparatum minime sectetur, sed in ostensione Spiritus et virtutis Christum praedicet et hunc Crucifixum, qui dabit voci suae vocem virtutis.

8. Curiosas et supervacuas quaestiones, quae ad serenda potius dissidia quam ad charitatem fovendam conferre solent, penitus amputandas Sancta Synodus decernit; argumenta etiam vel in speciem tantum composita vel absurda et ridicula, quibus Dei verbum et Sanctorum laudes traducuntur potius quam celebrantur, et quidquid denique perniciosae vaniloquentiae in hanc aetatem erupit; cui S. Congregatio encyclicis literis ex mandato fel. record. Innocentii XI. occurrere curavit, quas cuncti Praedicatores ob oculos habeant.
b Ordinarii vero pro Pastoralis sollicitudinis officio implere non negligant, quod in iisdem literis de compescenda detrectantium licentia praecipitur.

9. Quamobrem adversus praesentem praedicationis usum, ut iisdem literis praescribitur, Antistites cum per se in cathedralibus tum in aliis Ecclesiis serio animadvertant et in Dioecesi Vicariis foraneis aliisque Ministris probisque viris, a quibus ea super re relationes exigant, vigilantiam demandent, ac, si Concionatores normam ejusmodi transgressos compererint, eos a praedicationis munere ad tempus bene visum suspendant aliave ratione pro modo culpae plectere curent ad aliorum exemplum.

10. Crescentem in dies Concionatorum quorundam
c confidentiam inhibere cupiens Sancta Synodus omnes hortatur in Domino, ut in commendandis Sanctorum factis audaciores comparationes devitent, quibus temere aliorum Sanctorum ac Divinarum rerum dignitas in discrimen adducitur.

11. Porro cum se veritatis et Evangelii praecones esse profiteantur, historias et miracula suspectae fidei populo non obtrudant, neque ad illum commovendum ludicra quaedam terricula adhibeant imaginibus signisque a tanti muneris dignitate prorsus alienis.

12. Ut autem uberrimum Deoque acceptissimum laborum suorum fructum capiant, Praedicatores studeant non verbis tantum, sed moribus etiam id docere, quod praedicant; *non* enim *habet auctoritatem*
d *sermo, qui non juvatur exemplo:* ne cum aliis praedicaverint, ipsi reprobi efficiantur, sed potius, cum fecerint et docuerint, magni habeantur in Regno Coelorum.

13. Quare ad hoc Apostolicum munus ii dumtaxat ab Episcopis assumantur, qui non temporalibus commodis inhiantes et evangelicae doctrinae et charitatis

---

2) Trid. sess. 5. cap. 1. de reform. Conc. Later. IV. can. 11. Conc. Firman. cap. 4. anno 1591.

3) Trid. sess. 5. de reform. cap. 2. et sess. 24. de reform. cap. 4. et sess. 22. de sacrif. Missae cap. 8.

4) Leo X. in Conc. Later. sess. 11. constitut. 1. *Supernae majestatis.* d. 19. Dec. 1516. Trid. sess. 5. de reform. cap. 2. et sess. 24. cap. 4. Gregor. XV. const. 8. (al. 26.) *Inscrutabili.* d. 22. Junii 1622. Clem. X. const. 7. *Superna.* d. 21. Jun. 1670. Innoc. X. const. 32. *Cum sicut.* d. 14. Maji 1648. Conc. Neap. cap. 5.

6) Juxta Taxam Innoc. XI. const. 40. *Essendosi.* d. 8. Oct. 1678. §. 8. *Per la licenza ò patente di predicare.*

7) Ex actis Eccl. Mediol. part. 4. instr. praed. de materia concionum. Ed. Lugdun. 1683. p. 398. Conc. Colon. (a. 1536.) part. 6. c. 13. Conc. Trevir. (a. 1549.) cap. 4. Trid. ubi supra. 1. Corinth. 2, 12. Psal. 67, 35.

8) Trid. cit. sess. 24. de reform. cap. 4. — Conc. Neap. cap. 5. — Ex literis S. Congr. Conc. de mand. Innoc. XI. 6. Jul. 1680. — Leo X. in Conc. Later. cit. sess. 11.

9) Ex cit. literis de mand. Innoc. XI.

11) Conc. Colon. (a. 1536.) p. 6. cap. 23. Ex actis Eccl. Mediol. ubi supra.

12) Cap. *Inter.* 15. de offic. Jud. ord. (I, 31). S. Greg. lib. 4. moral. cap. 21. (?) et lib. 6. cap. 25. (al. 17. vel 37. Opp. ed. Migne I, 760.) Cassiod. Variarum l. 11. ep. 8. (Opp. Cassiod. Ed. Migne I, 835. B.) 1. Cor. 9, 27. Matth. 5, 19.

13) Psal. 49, 16. Isa. 58, 1.

expertes assumunt testamentum Domini per os suum, sed qui ad lucrifaciendas animas loquuntur sermones Dei et in verbo veritatis annunciant populo suo scelera eorum.

14. Sacrae scripturae loci secundum vulgatam editionem producantur, nec iis contra SS. Patrum mentem novi sensus affingantur, sed ad Ecclesiae interpretationem exigantur et explicentur.

15. Quas corruptelas vel ex Parochi vel ex alterius fide digni significatione gravius inolevisse et frequentiores in populo esse resciverint, in eas vehementius invehantur; caveant tamen, ne quemquam aperte notent neve ita circumscribant, ut denotasse videantur.

16. Quaecumque Ordinariorum animadversione indigere judicaverint, ad ipsos exacto praedicationis curriculo deferant, nisi praesentius remedium rei gravitas postulaverit.

17. Eleemosynas vel pro se vel pro sociis nemo petere in concionibus audeat, pro aliis vero, nonnisi venia ab Ordinario impetrata.

18. Si quis autem quodvis ex praedictis decretis transgressus fuerit, ad praedicandi munus non amplius admittatur.

19. Atque ut omnia, quae praecepta sunt, rite observentur, Parochi haec S. Synodi mandata Concionatoribus, antequam praedicare aggrediantur, legenda exhibeant.

CAP. IV. De blasphemiis et superstitionibus.

1. Ne venenum aspidum sub labiis eorum, qui ponunt in Coelum os suum et acuunt linguas suas sicut serpentis, ut divinarum rerum Sanctitatem maledictis appetant et proscindant, Provinciae hujus integritatem audeat attentare; atque ut pereat de terra nostra memoria eorum, qui superstitiosis artibus immolant Daemoniis, in quibus habent fiduciam et non Deo: Ecclesiasticis poenis tamquam camo et fraeno maxillas eorum constringendas S. Synodus decrevit.

2. Atrocissimum crimen blasphemantium Deum aut Beatam Virginem, si id coram pluribus supra quatuor ex prava consuetudine perpetraverint, sit Ordinariis reservatum.

3. Teterrimam hujus facinoris gravitatem Parochi subinde et Concionatores populo detestandam proponant, identidem suggerentes tum Parentibus Dominis-
a que, ut in filios ac subditos blasphemantes graviter animadvertant, tum universis, ut proferentes haereticalem blasphemiam ex Sacrorum Canonum praescripto denuncient.

4. Quae in Bulla Pii V. gravissimis poenis propositis contra Clericos blasphemantes constituta sunt, Ordinarii hujus Provinciae fideliter exequantur.

5. Quicumque ad superstitiosos aut ridiculos sensus sacrae Scripturae verba detorserit, gravissimis poenis, contra violatores verbi Dei canonice praescriptis, aliisque arbitrariis coerceatur.

6. Qui signa aut verba etiam sacra ad medendi usum adhibuerint, et omnes universim remedii fiduciam collocantes in rebus naturali sanandi virtute de-
b stitutis superstitiosi sunt et propterea denunciandi; sicut et ii, qui cabalisticam artem exercent aut necromantiam, astrologiam judiciariam, artem magicam profitentur, juxta terminos Bullae Xysti V.

7. Excommunicationis sententiae, Ordinario reservatae, ipso facto subjaceant omnes utriusque sexus personae, quae Daemoni spondent obsequium, thus et sacrificia offerunt, quamvis sine errore intellectus; insuper, quicumque sive suo sive alterius nomine condunt aut condere faciunt imagines, annulos aut quodvis aliud artefactum, in quo Daemonem constringant.

8. In eandem excommunicationem, Ordinario reservatam, ipso facto incidant, quicumque vel per se
c vel per alium (÷ de) Sanctissimo Altaris Sacramento, Chrismate, Oleo Sancto sive quacumque alia re consecrata ad veneficia, divinationes, sortilegia aut *ad* alium usum, quam fuerint ordinata, quomodolibet abutantur, quique de praedictis ad praedictos fines aliquid alicui dederint aut datum acceperint, etiam abusu minime secuto.

9. Venefici etiam et Veneficae omnes, Necromantes, Divinatores, Sortilegi, Lamiae, Striges, sive quovis alio nomine nuncupentur ex utroque sexu, qui cum expressa Daemonis invocatione ad captandam dilectionem vel odium concitandum sive ad inveniendos Thesauros aut ad alium finem utuntur incantationibus aliisque maleficiis, sive etiam ligaturis a naturali et legitimo matrimonii usu conjuges avertunt; ac scienter in prae-
d fatis cooperantes aut quovis modo consentientes.

10. Circulatores, qui praestigiis quibusdam et fallaciis vulgus suspensum detinent, procul ejiciantur.

---

14) Leo X. in Conc. Later. sess. 11. constitut. 1. Conc. Neapol. cap. 5. — Trid. sess. 4. in decr. de editione et usu sacr. lib.

15) Conc. Later. sess. 11. — Trid. sess. 5. de reform. cap. 2. et sess. 24. cap. 4. — Conc. Mediol. I. p. 1. t. 6. de praed. — Conc. Firman. cap. 2.

16) Cap. *Inter.* cit. de offic. Jud. ord.

17) Decr. S. Congr. Episc. 20. Jul. 1619. in Placentina. — Conc. Neapol. ubi supra. Conc. Med. I. p. 1. t. 6. de praed. et VI. t. 2. quae ad conc. pertinent.

Cap. IV. 1) Psal. 13, 3. 72, 9. et 139, 4.

3) Can. *Non putes.* 36. XXIII. q. 5. Can. *Error.* 3. dist. 83. Conc. Neap. c. 9. Pii V. const. 5. *Cum primum.* d. 1. April. 1566.

4) Pii V. const. cit.

5) Trid. sess. 4. de edit. et usu libr. in fine. Conc. Neap. c. 2.

6) Can. *Illud.* 6. §. 1. *Ad hoc genus.* XXVI. q. 2. Can. *Non observetis.* 16. XXVI. q. 7. Cap. *Ex tuarum.* 2. de sortil. (V, 21). Sixt. V. const. 17. *Coeli et terrae.* d. 5. Jan. 1585. Urban. VIII. const. 113. (al. 144.) *Inscrutabilis.* d. 1. April. 1631. Clem. VIII. const. 20. *Cum Hebraeorum.* d. 28. Febr. 1593. Conc. Later. V. sess. 9. in bulla de reform. curiae. cap. 3. Conc. Neap. cap. 17.

8) Joann. XXII. const. 13. *Super illius.* d. Avenione.

9) Conc. Carth. IV. cap. 89. — Conc. Roman. I. sub Greg. II. c. 12. et IV. sub Damaso cap. 4. [Mansi III, 642. A.] Innoc. VIII. const. 1. *Summis desiderantes.* d. 5. Dec. 1484. Sixt. V. const. 17. *Coeli et terrae.* d. 5. Jan. 1585.

10) Conc. Neap. cap. 41.

CAP. V. De editione Librorum.

1. Populus Christi ne unquam offendat ad lapidem pedem suum, aut in laqueum cadat, quem adversarii paraverunt pedibus ejus: Episcopis mandavit Dominus, ut custodiant illum in omnibus viis suis. Caveant igitur, ne in libris docentibus perversa Diabolus insidietur in abscondito, quasi Leo in spelunca sua, et simpliciores rapiat, dum perniciosae curiositatis lenocinio attrahit illos.

2. Noverint igitur universi, excommunicationis sententiae aliisque poenis, a Leone X. in Concilio Lateranensi statutis, obnoxios esse, quicumque librum aliquem impresserint sine Ordinarii aut Deputati facultate, scripto danda et in editione libri praefigenda.

3. Quaecumque Tridentinum sess. IV. contra impressores aut retentores librorum de rebus Sacris tractantium sine nomine auctoris, necnon contra eos, qui scripto illos communicant vel evulgant, antequam examinati fuerint et probati, sub anathematis aliisque poenis constituit; quaeque in Bulla Coenae Domini contra legentes libros haereticorum aliosque ibi expressos praescripta sunt; necnon, quae Pii V. et Gregorii XIII. constitutionibus sancita sunt contra famosorum libellorum auctores: sancte et inviolabiliter observentur.

4. Libros vel de re divinatoria vel ex professo de rebus lascivis tractantes aut ad lasciviam aditum aperientes vel alios quoscumque prohibitos si quis legere ausus fuerit aut retinere, cum mortalis peccati labe sese constrictum noverit, tum gravissima Episcopi animadversione corripiendum.

5. Qui facultatem retinendi legendique vetitos libros obtinuerint, eos, exacto tempore in concessa facultate definito, neque retinere neque legere audeant.

6. Qui facultatem ejusmodi a Sacra Congregatione postulant, caveant, ne in supplici libello quidquam falsum vel circa aetatem vel circa studia vel circa alias necessarias conditiones exponant; facultas enim eo pacto obtenta surreptitia est, et mentitur iniquitas sibi.

7. Biblia sacra vulgari lingua ne cum Ordinarii quidem facultate retineri possunt; iis enim ex Apostolico mandato ademta est potestas ejusmodi facultatem largiendi.

8. Omnes Litanias praeter eas, quae in Missali et Breviario Romano continentur, et officia a Sacra Con-
a gregatione non approbata abolet et rejicit Sancta Synodus.

9. Ne in Bibliothecis venalium librorum ullus habeatur liber quolibet pacto prohibitus, per viros ab Episcopo deputandos crebro visitentur, et contra Bibliopolas in eo delinquentes poenae sub X. regula Indicis contentae adhibeantur.

TITULUS II.

De Divinis Officiis.

Textus Trident. sess. 24. cap. 12.

Caetera, quae ad debitum in Divinis officiis regi-
b *men spectant, deque congrua in his canendi seu modulandi ratione ... simulque de omnibus Ecclesiae Ministris, quae necessaria erunt, et si qua hujusmodi, Synodus Provincialis pro cujusque Provinciae utilitate et moribus certam cuique formulam praescribet.*

CAP. I. De horis Canonicis.

1. Canticum novum, quo sedes coelitum jugi canore resultat, tunc feliciter aemulantur Ecclesiae Ministri, qui in atriis domus Dei nostri tota die et nocte non tacebunt laudare nomen Domini, cum non labiis tantum Deum honorant, sed, depulsis secularibus curis, ita laudant nomen ejus in choro, ut psallentes spiritu psallant et mente, ac, servata rituum, coeremoniarum universaeque hierarchiae concordia, tamquam in cym-
c balis bene sonantibus, laus ejus sit in Ecclesia Sanctorum.

2. Praecipit igitur Sancta Synodus, ut Episcopi in prima Dioecesana Synodo horas pro diversis anni temporibus statuant, quibus in choro divina officia celebrentur, aut eas jam statutas nullo pacto inverti perturbarique patiantur. Quod autem in iis celebrandis institutum Cathedrales servaverint, id quoque inferiores Ecclesiae, quoad fieri potest, amplectantur.

3. Statis horis ad tertium campanulae signum omnes, superpelliceo aut aliis pro dignitatum diversitate indumentis ornati, e Capitulo vel Sacristia decenter progredientes, paulisper ad Altare flexis genibus orent, mox suum quisque locum in choro teneant, nec
d ab uno ad alium transeant.

4. Sub poenis in Jure constitutis inter Divinorum officiorum celebrationem nulla prorsus colloquia mi-

---

Cap. V. 1) Psal. 90, 12. 56, 7. 10, 9.

2) Leo X. in Conc. Later. sess. 10. et const. 12. *Inter sollicitudines.* d. 4. Maji 1515. Trid. sess. 4. de edit. et usu libr. Regula 10. indicis libr. prohib. — Conc. Neap. cap. 2. — Conc. Senon. in decretis morum cap. 33.

3) Trid. loc. cit. Ex bulla coenae Domini. Pii IV. const. 76. *Cum pro munere.* d. 24. Mart. 1564. Pii V. const. 147. *Romani Pontificis.* Greg. XIII. const. 4. *Ea est rerum* d. 1. Sept. 1572. Can. *Quidam maligni.* 2. V. q. 1.

4) Regul. 9. Indic. libr. prohib. Ex bulla Pii IV. — Sixti V. const. 17. *Coeli et terrae.* d. 5. Jan. 1585. Urban. VIII. const. 144. (al. 113.) *Inscrutabilis.* d. 31. Mart. 1631. §. de rebus lascivis. in regula 7. indicis

7) Ex decreto s. Roman. et univers. inquisit. ad 4. regul. indicis.

8) Clem. VIII. const. 122. *Sanctissimus.* d. 6. Sept. 1601. — In indice libr. prohib. verbo *Litaniae.* — Ex decreto S. Congr. d. 27. Sept. 1659. num. 5.

9) Regul. 10. indic. Conc. Senonen. in decret. morum cap. 34. — Leo X. const. 12. *Inter sollicitudines.* d. 4. Maji 1515. — Pii IV. const. 76. *Cum pro munere.* d. 24. Mart. 1564.

Cap. I. 1) Apoc. 5, 9. Isa. 62, 6. Matth. 15, 8. Psal. 149, 3.

2) Conc. Agath. c. 30. Cap. *Convenit.* 13. dist. 5. de consecr. — Conc. Mediol. I. p. 2. t. 50. communia de rat. offic. et t. 53. quomodo versandum in choro. — Clement. cap. *Gravi.* 1. de celebr. Miss. (III, 14). — Conc. Mediol. I. p. 2. tit. 55. de matutino et prima. — Conc. Tolet. XI. cap. 3.

3) Conc. Raven. I. sub Honor. IV. cap. 5. — Conc. Mediol. I. p. 2. ut supra.

4) Conc. Mediol. I. p. 2. tit. 53. quomodo versandum in choro. — Conc. Colon. (a. 1536.) p. 3. cap. 6. Conc. Mogunt. (a. 1549.) cap. 52. Conc. Turon. I. cap. 7. et IV. cap. 4.

sceantur, nec ullus ab aliis seorsum recitet vel privatim aliquid legat nec aliud quidquam contra loci officiique dignitatem admittat.

5. Pro ea etiam, quae celebrandis officiis debetur attentio, par est, ut nemo horas canonicas, dum Missa conventualis celebratur, privatim recitet.

6. Per vices sive per turnum vel per eos, ad quos pertinet, juxta probatam cujusque Ecclesiae praxim divina officia celebrentur. Ordinem autem in iis persolvendis constitutum sicut et ritus in coeremoniali Romano praescriptos nemo audeat violare.

7. Episcopi judicio unus aliquis in choro Praefectus constituatur, qui eorum, quae ad chori disciplinam pertinent, observantiam tueatur ac, si quidquam indecenter fieri contigerit, aut ipse corrigendo emendet, aut pro rei gravitate ad Ordinarium deferat.

8. Duo ad punctationes notandas assumantur, alter ab Episcopo, alter a Capitulo, vel unus a Capitulo electus ab Episcopo confirmetur. Qui si forte munus suscipere detrectaverint, Ordinarii auctoritate cogantur. Horum partes erunt, ut eos, qui a Divinis officiis eorumve partibus abfuerint, in peculiari libro adnotent, quem tamen, ab Episcopo vel Capitulo requisiti, statim exhibebunt. De munere autem fideliter administrando ex Decreto Sac. Congregationis, huic Synodo subjiciendo, coram Ordinario jusjurandum praestent; praestetur autem juxta formam S. Caroli in appendice adscribendam. Cellararii vero aut ii, qui revisores eliguntur, nullo pacto de justa vel injusta punctatione sententiam ferre audeant, sed in distributionibus partiendis punctationes in libro adnotatas fideliter exequantur.

9. Iidem Cellararii, elapso administrationis tempore, sub poena ineligibilitatis in posterum ipso facto incurrenda, rationem administrationis suae reddere non omittant.

10. Coeremoniarum Magistri officia celebranda antea denuncient atque unumquemque in obeundi muneris coeremoniis instruant; sedendi, standi genuque flectendi tempora edoceant, et, ne quid contra Ecclesiasticam coeremoniarum normam admittatur, diligenter invigilent.

11. Scholae Magistri libros ad divina officia canenda necessarios poni curent et reponi; ac studeant, ne in cantu aut vocum dissonantia aut praecipiti celeritate divinarum rerum majestas et gravitas perturbetur.

12. Thesaurarii sive Oeconomi, sive alio quovis nomine nuncupentur, ad quos bonorum aut ornamen-
a torum Ecclesiae custodia pertinet, curent, ut ea integra decentiaque serventur. Ac Reliquiae praesertim Sanctorum summa diligentia et religione custodiantur.

13. Sacristae aquam benedictam singulis saltem hebdomadibus renovent. Pauperes impediant ex Bulla Pii V., ne mendicantes per Ecclesiam vagentur, sub poena ducatorum sex in pios usus erogandorum. Colorum et ornamentorum varietatem pro festorum diversitate adhibere curent; neque eorum quidquam, quae ad Missarum celebrationem et Ecclesiarum reverentiam pertinent, negligant.

14. Divinorum autem officiorum dignitas postulat, ut non Ecclesiastici modo, sed alii etiam, quicumque ad eorum solemnitatem arcessiti fuerint, parem in iis
b peragendis Dei cultum exhibeant. Quapropter Musici, qui in Divinis laudibus celebrandis debitam religioso muneri modestiam servare neglexerint, ad canendum in Ecclesiis in posterum non admittantur.

15. Si inter divinorum officiorum solemnia in aliqua hujus Provinciae Ecclesia contigerit, sonos cantusque ab eorum Religione abhorrentes admitti, aut profanas cantiunculas vel vulgari lingua compositas decantari: poenae, in singulis Dioecesibus praescriptae aut Ordinarii judicio praescribendae, tum quoad cantores tum quoad Ecclesiam adhibeantur. Si vero id temporis Sacrosancta Eucharistia exposita sit aut ita velata, ut in expositionibus per quaedam temporis intervalla fieri consuevit: etiam contra Rectores Eccle-
c siarum, id fieri permittentes, eadem poena adhibeatur; id quod Regularibus signanter vetuit S. R. C.

16. In hebdomade majori Passio Domini, quoad personam Christi et Evangelistae, a solis Diaconis aut Presbyteris sacris vestibus indutis cantetur; et quae invaluerat corruptela, ut a Musicis etiam laicis cantaretur, penitus aboleatur. Cantetur igitur cantu dumtaxat Gregoriano et gravi absque ulla levitate, nullatenus vero cantu figurato neque cum symphoniis musicorum instrumentorum.

17. Quoniam autem quidam, musicae dumtaxat suavitati studentes et spiritualis dulcedinis obliti, psalmos, hymnos atque alia sacra cantica mutilare et versiculum unum aut alterum, caeteris praetermissis, inter divina officia decantare non verentur: Sancta Synodus
d districte praecipit, ne quis posthac tantam divinis laudibus irreverentiam audeat irrogare, ut, quod ad animarum pabulum est salubriter institutum, ad aurium dumtaxat lenocinium adhibere non erubescant. Si quando igitur temporis angustiis non omnes possint psalmi musicos modos admittere, Gregoriano saltem

5) Conc. Londin. I. cap. 1. — Conc. Mogunt. IV. cap. 53.

7) Conc. Mediol. I. p. 2. tit. 37. de offic. ejus, qui choro praesidet, et t. 39. de offic. magistr. chori et caerem.

8) Pii V. const. *Susceptae*. d. 10. Maji 1567. — S. Congr. Conc. d. 17. Mart. 1619. — Conc. Neap. cap. 27. — Conc. Mediol. I. p. 2. t. 42. de offic. punct.

9) Conc. Neap. cap. 47.

10) Conc. Mediol. I. p. 2. t. 37. de offic. ejus, qui choro praesidet, et t. 39. de offic. magistr. chori et caerem.

12) Post Conc. Tolet. VIII. can. *Perlectis*. 1. dist. 25. — Conc. Mediol. I. p. 1. t. 9. de Sanct. reliq. veneratione.

13) Conc. Tolet. I. cap. 9. — Conc. Mediol. I. p. 2. t. 40. de offic. sacristae.

14) Trid. sess. 22. de observ. et vitand. Juxta edictum de mand. Alex. VII. pro Urbe in Sanct. visit. Apost. pro music. d. 30. Jul. 1665.

15) Ad extravag. unic. de vita et honest. cler. (III, 1). — Trid. loc. cit. Caeremon. Episc. lib. 1. cap. 28. Ex decr. S. Rit. Congr. a. 1603. et juxta Alex. VII. const. 38. (al. 36.) *Piae sollicitudinis*. d. 23. April. 1657. — Conc. Mediol. I. p. 2. t. 51. de musica.

17) Conc. Mediol. I. loc. cit. (p. 2. t. 51).

cantu clare distincteque ab iisdem musicis decantentur. a
Contravenientes vero poenis arbitrariis ab Episcopo coerceantur.

18. Poenas in sua Dioecesi praescriptas aut Ordinarii arbitrio praescribendas incurrant Sacerdotes, qui ordinis sui insignibus induti laicis Ecclesiarum Magistris aut locorum Gubernatoribus inter divinorum officiorum celebritatem thus adhibuerint; quod officium Ministris solo superpelliceo indutis relinquatur.

19. Arbitrio Episcopi puniantur, qui sine Apostolicae Sedis privilegio divina officia cum solemni apparatu et sedibus cameralibus ausi fuerint celebrare.

CAP. II. De Celebratione Missarum.

1. Ut in odorem suavitatis ascendat Sacrificium b
immaculatum, quod veteris olim piaculi cautionem, cum in ara Crucis immolaretur, pio cruore detersit et, soluta peccatorum captivitate, in admiranda nos commercia Divinitatis admittit: stolam innocentiae et galeam salutis induant Sacerdotes; ne facientes opus Dei negligenter induant maledictionem pro benedictione, et arguat eos Dominus in sacrificiis suis. Episcopi autem, quibus dedit Dominus *fungi Sacerdotio et habere laudem in nomine ipsius,* ea omnia abolere conentur, quae forte in ministerium omnium maximum vel irreverentia vel avaritia invexit.

2. Ut Sacerdotes hostiam Sanctam ac tremendum sacrificium immolaturi, quam maxima fieri potest, munditia praeparent animam suam eamque decenti corpore c
ris habitu compositoque prae se ferant: mandat Sancta Synodus primum, ut in omnibus sacristiis locus idoneus sacra aliqua imagine et consuetarum precum tabella instructus praeparetur, ubi Sacerdos, alienis curis sepositis, secum reputet peragendi mysterii dignitatem, sacrisque peractis, gratias agat Deo suo.

3. Deinde ne ullus audeat ad sacrum faciendum accedere sine veste talari, sub poena ducatorum sex, piis usibus applicandorum, in singulas transgressiones; quam etiam dabunt Sacristae, qui Sacerdotes contrafacientes ad rem divinam peragendam admiserint; denunciatores vero tertiam poenae partem consequantur. Si vero Sacristae Regulares fuerint aut quomodolibet exemti, ad formam Decreti S. Congregationis adstringantur. d

4. Inhaerens Sancta Synodus edicto Sanctissimi Domini Nostri Innocentii XII. pro Urbe, eandem contra Sacerdotes poenam constituit, si pallio vel palla succincti, quae vulgo dicitur *faldiglia,* Sacrum facere praesumserint, necnon contra Sacristas id in suis Ecclesiis fieri permittentes; eandemque mercedem denunciatoribus proponit.

5. Ne quis sacrarum Missae coeremoniarum ignarus ad celebrandum accedat, decernit Sancta Synodus, ut nemini liceat celebrare sine Ordinarii facultate; sine qua si quis primam Missam celebraverit, poenam carceris aliasque arbitrarias incurrat.

6. Si exteri Sacerdotes, etiam Regulares, contra Decreta Sacrae Congregationis sine praedicta facultate ad celebrandum admittantur, Sacrista arbitrariis poenis subjaceat.

7. Ejusmodi facultas rei Divinae faciendae exteris non permittatur, nisi Ordinariorum suorum testimoniales literas, duobus ante mensibus nec amplius datas, attulerint, et sacrarum coeremoniarum peritiam testimonio ejus, qui ab Ordinario deputabitur, probaverint. Si vero Sacerdotes Ultramontani fuerint, tempus ejusmodi Ordinarii arbitrio relinquatur.

8. Qui vero latino ritu non utuntur, Fidei etiam professionem ad normam Constitutionis Gregorii XIII. emittant, vel Romae emisisse per legitima documenta probent et, quaecumque in Constitutione *Sanctissimus* Clementis VIII. praecipiuntur, implevisse.

9. Qui a Schismaticis Episcopis ordinati sunt, ne in aliis quidem ordinibus, si quos a Catholico Episcopo rite susceperunt, ministrare permittantur, nisi abjuratis erroribus ordinantium, Romanae Ecclesiae reconciliati, irregularitatis ea occasione contractae dispensationem obtinuerint, aliasque Apostolicae Sedis sanctiones observaverint.

10. Sacri Concilii Tridentini auctoritate prohibet Sancta Synodus, ne quis sine Apostolico privilegio, sive Secularis sive Regularis, ante auroram (solemni Missa in nocte Dominicae Nativitatis excepta) vel post meridiem sacrum faciat, sub poenis Ordinarii arbitrio infligendis.

11. Nullus in pagis hujus Provinciae celebrare audeat ante Missam Parochialem, vel dum concioni populus interest vel ad eam advocatur. Parochialis autem Missa duabus post solis ortum horis, praeter quam vindemiae et messis temporibus, celebretur.

12. Sacerdotes sub poenis arbitrariis statim, sacris pro certo onere peractis, in libro, quem ad eam rem in omnibus Sacristiis retinendum Sancta Synodus praecipit, Missam a se pro dicto onere celebratam esse, suae manus subscriptione testentur. Hunc autem librum una cum indiculo Missarum non celebratarum quotannis Praepositi Ecclesiarum exhibeant Deputatis ab Ordinario, sub poenis ad ejusdem arbitrium.

Cap. II. 1) Eph. 6, 17. Eccles. 45, 19.

2) Trid. sess. 13. cap. 7. — Conc. Mediol. I. p. 2. t. 5. de Sacrif. Miss. — Conc. Neap. cap. 24.

3) S. Congr. Conc. in Neap. 17. Aug. 1630. — In Bonon. 1. Jun. 1620.

4) Ex edict. de mand. Innoc. XII. pro Urbe d. 20. Nov. 1691. in ejus bullario.

6) Trid. sess. 23. de reform. cap. 16. — Literae circul. S. Congr. univ. inquis. 26. Jan. 1692. — Conc. Firman. a. 1591. t. de Miss. celebr. cap. 8. §. *Vagus.*

8) Gregor. XIII. const. 33. *Sanctissimus.* d. 3. Febr. 1576. — Clem. VIII. const. 37. (al. 34.) *Sanctissimus.* d. 31. Aug. 1595.

9) In const. supra cit.

10) Trid. sess. 22. ubi supra. Pii V. const. 4. *Sanctissimus.* d. 20. Mart. 1566. S. Rit. Congr. in Pisaur. 20. April. et 7. Decemb. 1641. etiam quoad commun. fidel. — Conc. Mediol. I. p. 2. t. 5. quae pertinent ad celebr. miss.

11) S. Congr. Episc. 14. Maji 1581. — Conc. Colon. sub Paulo III. p. 7. cap. 24. — Conc. Senon. cap. 15.

12) Ex literis S. Congr. Conc. de mand. Alex. VII. 15. Decemb. 1663. Conc. Mediol. IV. p. 2. loc. cit.

13. Si quis in eo libro Missam non celebratam falso descripserit aut falsam fidem de Missarum celebratione, etiam privatam, fecerit, praeter poenas Juris ipso facto suspensionem Ordinario reservatam incurrat.

14. In omnibus Sacristiis affixa tabella retineatur, in qua descripta sint onera Missarum celebrandarum aliorumque divinorum officiorum, expresso tempore, loco et beneficio, quibus ea annexa sunt. Nullus autem Sacerdos, juxta Decretum Sac. Congregationis Concilii, aut altare aut diem, cui Missarum onus addictum est, mutare audeat.

15. Qui Missas Conventuales per vices sive per turnum, etiam in Cathedralibus, celebrare debent, illas pro Ecclesia sua applicent, juxta Decretum ejusdem Sac. Congregationis.

16. Perpetua Missarum onera sine scripta Ordinarii facultate non recipiantur, sub poena interdicti ab ingressu Ecclesiae ipso facto incurrenda; neque recipiantur manuales eleemosynae pro Missis celebrandis, nisi prioribus obligationibus ita persolutis, ut intra modicum tempus possint nova onera adimpleri, vel nisi aliud de Benefactoris voluntate constiterit.

17. Sacerdotes, qui ratione Beneficii, Cappellaniae, Legati aut stipendii quotidie Missas per se ipsos celebrare debent, in diebus licitae vacationis non possunt Missam pro seipsis vel pro aliis praeterquam pro fundatoribus celebrare; neque pro aliis celebrando possunt pro hujusmodi celebratione stipendium accipere. Sacerdotes vero, ut supra, obligati ad quotidie celebrandum, si non habeant onus celebrandi per se ipsos, nunquam a celebratione vacare possunt, quae omnia per Decretum Sac. Congregationis in fine apponendum definita sunt.

18. In privata Missa Calicis abstersio et sequentes coeremoniae non fiant a Ministro inserviente, sed ab ipso Sacerdote celebrante; neque ulli liceat vel cum duobus Ministris inservientibus vel cum quatuor candelis sine Pontificia concessione privatam Missam celebrare.

19. Sacerdos sacris operaturus non in altari vel prope, sed in Sacristia sacris se vestibus induat; vestes autem et vasa, praesertim vero corporalia, quae ad Sacrosanctam Eucharistiam conficiendam adhibentur, in qua est *Candor lucis aeternae et speculum sine macula Dei majestatis*, nec vetustate nec sordibus sint deformata, sed mundissima atque ad illius dignitatem quam decentissima.

20. Poenis Episcopi arbitrio reservatis puniantur minores Clerici, qui in Ecclesiasticis ministeriis obeundis vestibus majorum ordinum usi fuerint, quamvis sine stola et manipulo inservierint.

21. In Sacristia ab omnibus quidem, sed maxime a Sacerdotibus et sacris praesertim vestibus indutis, *silentium*, in quo est *cultus justitiae*, servetur. Hi autem, dum ad Altare procedunt vel in eo consistunt, studeant, ut *modestia* sua *nota sit omnibus hominibus, Dominus enim prope est.*

22. Privata Oratoria ab Ordinariis locorum minime recognita et approbata Sancta Synodus ipso facto interdicta declarat, Sacerdotem vero, qui ibi sacrum facere ausus fuerit, ipso facto suspensum a Divinis aliisque arbitrariis poenis obnoxium. Quas poenas Apostolica auctoritate extendit tum ad Oratoria ipsa, tum ad Sacerdotes quolibet modo exemtos, cum in Oratoriis privatis, etiam recognitis et approbatis, celebraverint, si eadem die per alium Sacerdotem ibidem Sacrificium fuerit oblatum. Quod ne ullus cujusvis exemtionis praetextu violare audeat, Sac. Congregationis Decretum in fine apponendum diligenter observetur.

23. Si festis Diebus solemnioribus quibusdam celebritatibus consignatis, Nativitatis atque Epiphaniae Domini, Paschatis, Pentecostes, Annunciationis et Assumtionis B. M. V., Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et Commemorationis omnium Sanctorum, ex Decreto Sac. Congregationis aliisque in Synodali cujusque Dioecesis Decreto expressis, in privatis Oratoriis sacrum fiat: tum quoad Sacerdotem celebrantem tum quoad Oratoria ipsa eadem suspensionis et interdicti respective sententia vigeat.

24. Qui solemnem Missam aut cum cantu quomodolibet in privatis Oratoriis celebraverit, arbitrariis poenis coerceatur.

25. Ut autem nulla privilegia aut taciti Ordinariorum consensus aut non expressae contradictionis obtentu sustineantur, Sancta Synodus auctoritate Tridentini praesenti Decreto expresse contradicit, atque illa tamquam irrita non amplius sustineri posse declarat.

26. Plura Sac. Congregationis Decreta de Missarum celebratione edita et in hujus Synodi appendice adjecta ab omnibus inviolabiliter observentur et in omnibus Sacristiis affixa retineantur ad formam earundem Constitutionum.

CAP. III. De Sacris processionibus.

1. Viscera misericordiae Dei Nostri cum suppliciter deprecantes fideles Christi Civitates circumeunt seseque

14) Ex literis S. Congr. Conc. ut supra. — Conc. Mediol. I. p. 2. t. 40. de offic. sacristae c. unic. — S. Congr. Conc. in Romana. 4. Aug. 1654.

15) Urban. VIII. const. 43. *Cum saepe*. d. 21. Jun. 1625. sive Dec. Gen. S. Congr. Conc. de celebr. miss. 21. Jun. 1625., ad quod S. Congr. Conc. in Alexan. 26. April. 1658. et 7. Febr. 1664. in Fulgin., in Caesenat. 24. Maji 1681.

16) Ex decr. S. Congr. Conc. 21. Jun. 1625. de celebr. miss. et ex declar. ejusdem S. Congr. in respons. ad dub. 11. 12. et 15.

17) Cap. *Significatum*. 11. de praebend. (III, 5). — Conc. Mediol. IV. hoc tit. S. Congr. Conc. in Collen. 18. Sept. 1683.

18) Ex decr. S. Rit. Congr. de mand. Alex. VII. 27. Sept. 1659. et 12. Januar. et 20. Jul. 1660.

19) Cap. *Relinqui*. 2. de custod. Euch. (III, 44). Can. *Altaris palla*. 39. Can. *Vestimenta*. 42. dist. 1. de consecr. — Conc. Mediol. I. p. 2. t. 50. de offic. sacrist. Sap. 7, 26.

21) Conc. Mediol. I. loc. cit. Isa. 32, 17. Philipp. 4, 5.

22) Can. *Missarum*. 12. dist. 1. de consecr. Trid. sess. 22. decr. de observ. et evitand. in celebr. miss. S. Congr. Conc. de mand. Pauli V. 10. Mart. 1615. — S. Congr. Conc. in Neapolit. 30. Maji 1699.

23) S. Rit. Congr. 17. Nov. 1617. Cap. *Si quis etiam*. 35. dist. 1. de consecr. — Conc. Agath. cap. 21.

in via mandatorum Dei fideliter ambulare palam profitentur, caveant, ne cujus Majestatem in Coeli terraeque conspectu veneraturi procedunt, irreverentia immodestiaque lacessant, ac spectantium animos, quos tanto Religionis cultu ad pietatem accendere atque ad divina mysteria recolenda excitare deberent, turbis clamoribusque ad contemtum potius risumque commoveant. Quamobrem absint contentiones, quae aut de praecedendi dignitate aut alia de causa misceri solent. Ordinarii vero processiones, in quibus jurgia ejusmodi ac discordias exarsisse noverint, in posterum fieri minime permittant.

2. Publicis processionibus intersint cujuscumque Ordinis Regulares, qui etiam per edictum vocari possunt, iis, qui in arctiori clausura perpetuo vivunt, et aliis Apostolica auctoritate exceptis; aliter juxta decretum Tridentini compellantur ab Ordinario.

3. Sine Ordinarii facultate in scriptis concedenda nullae unquam processiones habeantur, sub poena, etiam quoad exemtos, interdicti Ecclesiae, a qua exierint, et ad quam perrexerint.

4. Sub eadem poena interdicti vetat Sancta Synodus, ne fiant extra Ecclesias processiones, sive dum Sacramentum in Sepulchro reponitur, sive alia quacumque occasione, praeter eas, quae per octavam Corporis Christi Ecclesiastica institutione fieri consueverunt.

5. Confusionis vitandae studio crucem quisque non in egressu solum, sed etiam in reditu ad Ecclesiam usque sequantur, unde primum procedere coeperunt, nisi aliter in edicto cautum fuerit.

6. A sacris processionibus omnes ludicrae repraesentationes, praesertim choreae puerorum puellarumque varia Mysteria exhibentium, amoveantur, sub poena interdicti Ecclesiarum aut Oratoriorum, a quibus vel ad quas ejusmodi supplicationes procedunt, aliisque arbitrariis.

7. Cum Venerabile Eucharistiae Sacramentum processionaliter defertur, neque Parochi fines suae Paroeciae excedant, neque alii praeter deferentem ipsum duosque assistentes sacra indumenta nisi solum superpelliceum gestent, sub poenis ad arbitrium Ordinarii.

8. Sclopi, radii aliaque ignea tormenta non nisi tanta post processionem distantia explodantur, ut nulla populo associanti perturbatio afferatur.

9. Crucem cum appenso velo omnes in processionibus praeferant, praeter Capitulum et eos, ad quos de Jure spectat.

a

CAP. IV. De funeribus et sepulturis.

1. Quorum *animae in manu Dei sunt* et mors *pretiosa in conspectu Domini,* etiam in pace corpora sepelienda sunt, ut, cum anima reversa fuerit in requiem suam, *corruptibile* quoque, quod *induere* debet *incorruptionem,* ad *beatam spem et adventum gloriae magni Dei* religiosa honorificentia recondatur, et iis, qui praecesserunt cum signo Fidei et dormiunt in somno pacis, locum refrigerii supremis christianae charitatis officiis comprecemur. Quae quidem ita decet celebrari, ut, dum dormientibus conferuntur ad suffragium, etiam viventibus exhibeantur ad documentum.

2. In funeribus igitur prosequendis Clerici omnes et Sacerdotes talarem habitum gestent cum mundis et
b
decentibus superpelliceis et Clericali bireto. Modestiam quoque et religionem incessu, oculis et ore prae se ferant, ac psalmos precesque consuetas devote decantent, ut spectantes ad spem vivam et resurrectionis memoriam excitentur.

3. Sine proprii Parochi et crucis Parochialis interventu neque Seculares neque Regulares exequias audeant celebrare, sub poena ducatorum centum ab associantibus Presbyteris solvenda et piis usibus applicanda, interdicti vero Ecclesiae, etiam Regularium, in qua cadaver ita delatum fuerit receptum, nisi forte Cathedralis Ecclesiae Capitulum ad eas accesserit.

4. Pauperum cadavera Parochi sumtibus decenter sepeliantur, aliter is poena suspensionis a divinis et
c
centum librarum cerae elaboratae coerceatur. Poena vero arbitraria puniantur, qui pro ejusmodi personarum exequiis eleemosynas colligere vel de illis quoque modo participare ausi fuerint, cum satis earum miseriae per Parochorum pietatem consultum esse videatur; ne aliorum fidelium misericordia requiratur, ubi paterna Parochi viscera debent potissimum commoveri.

5. Sub poenis pecuniariis, in unaquaque Dioecesi decretis aut decernendis et piis locis applicandis, aliisque ad arbitrium, nullius controversiae praetextu officium sepulturae fidelium cadaveribus retardetur. Si quae autem controversiae emerserint, id servetur, quod fuit saepe a Sacra Congregatione Concilii definitum, juxta Decreta in appendice adjicienda.

d
6. Ante solis ortum vel post occasum defunctorum corpora, etiam a Capitulis Cathedralium humanda, non deferantur nisi ex facultate Ordinarii.

Cap. III. 2) Conc. Later. sub Leone X. sess. 11. et const. 17. (al. 22.) *Dum intra.* d. 19. Dec. 1516. — Trid. sess. 25. de regul. cap. 13. — S. Rit. Congr. in Neapol. 24. Nov. 1668.

3) S. Rit. Congr. in Caballicen. 27. Aug. 1615. et 18. Febr. 1617. et in Camerinen. 24. Aug. 1619.

4) S. Congr. Episc. 6. Aug. 1591.

5) Conc. Mediol. I. p. 2. t. 58. de process.

6) Conc. Mediol. loc. cit.

7) Can. *Ecclesias.* 1. XIII. q. 1.

8) S. Congr. Episc. in Albintimil. 2. Jul. 1613.

9) S. Rit. Congr. 14. Januar. 1617.

Cap. IV. 1) Sap. 3, 1. Psal. 115, 15. 1. Cor. 15, 53. Tit. 2, 13.

2) Conc. Neap. cap. 47. Ex Conc. Tolet. relato in can. *Qui divina.* 28. XIII. q. 2.

3) Conc. Neap. ibid. S. Rit. Congr. in Catanien. 18. Octob. 1619. et in Vercell. 26. Febr. 1611. — S. Congr. Episc. in Montispel. a. 1581. Conc. Lateran. III. tit. de sepult. cap. 4. S. Congr. Conc. 11. Dec. 1615.

4) S. Congr. Episc. in Cassan. 5. Maji 1617. Rit. Rom. in rubrica de exequiis. §. *Pauperes.* — Conc. Neap. cit. — Conc. Firman. a. 1591. hoc. tit. cap. 25.

5) Conc. Neap. loc. cit. S. Congr. Conc. 3. Febr. 1666. et 29. Jun. 1682, inserta in Brevi Apost. Innoc. XI. d. 20. Jun. 1682. et in Neapol. 16. Maji 1682. S. Congr. Episc. in Cotron. 18. Sept. 1617. et in Cassan. cit. Taxa Innoc. XI. const. 40. *Essendosi.* d. 8. Octob. 1678. §. 7. *Come anche in modo alcuno.*

6) Conc. Neap. loc. cit. — Conc. Mediol. VI. tit. 17. quae ad funera pertinent, in fine.

7. Juxta formam Ritualis Romani nullum corpus a
sepeliatur, praesertim si mors repentina fuerit, nisi post debitum temporis intervallum, ita ut nullus omnino de morte relinquatur dubitandi locus. Itaque decernit Sancta Synodus, ut duodecim saltem horis, postquam spiritum exhalaverit, corpus sepulturae mandetur; si quem autem de improviso mors aut morbi repentina vis occupavit, is non ante vigesimam quartam a repentino eventu horam sepeliatur, nisi aliter Episcopo videbitur.

8. Eleemosynas funerum neque in itinere neque in Ecclesia Cellararii distribuant, sub poena carceris formalis. Qui strepitum coram Populo super distributione facienda excitaverit, poenam dabit ducatorum sex,
piis locis applicandorum, in singulas vices; qui vero b
transgressorem denunciaverit, tertiam hujus poenae partem feret.

9. Neque Parochi praetextu consensus praestiti pro humandis fidelium cadaveribus in sepultura ab illis electa aliquid praeter jura Parochialia exigant, sub poena centum librarum cerae aliisque ad arbitrium. Neque quidquam supra consuetum exigatur praetextu, quod defunctus sit exterus, juxta Decretum Sac. Congregationis; neque praetextu Terrae Sanctae existentis in Ecclesia, sub poena interdicti ejusdem Ecclesiae quoad exemtos, librarum vero quinquaginta cerae quoad caeteros.

10. Contra Parochos, qui cum turpissima sui muneris labe etiam a viventibus, qui ad aliam Paroeciam c
commigrare volunt, aliquid sepulturae nomine exigere ausi fuerint, gravissimas poenas suo arbitrio reservatas adhibeant Episcopi.

11. Si Regulares, in quorum Ecclesia defuncti cadaver jure electionis inferendum est, summam exorbitantem exigere voluerint, tunc pro opportuno remedio Ordinarius consulatur.

12. Sub poenis interdicti et excommunicationis respective observetur Constitutio Pii V. *Cum primum*, ne cadaverum conditoria parietibus Ecclesiarum aut Cappellarum adhaereant. Poena vero ad arbitrium Ordinarii puniantur, qui pro sepeliendis corporibus pavimenta Ecclesiarum aut Sacristiarum scindi permi-
serint sine facultate Ordinarii gratis concedenda; qui d
si laici fuerint, Ecclesia interdicto subjiciatur.

CAP. V. De Sacrosanctis Ecclesiis.

1. *Jerusalem novam descendentem de Coelo a Deo* ut *paratam* retineant custodes ejus, *sicut sponsam ornatam viro suo:* Sancta Synodus universos hortatur, ut, quanta deceat sanctitudo *tabernaculum Dei cum hominibus,* in quo *habitabit cum eis,* identidem sibi proponentes, ab ea studeant amovere, quidquid oculos Divinae Majestatis offendit.

2. Mandata literarum Sacrae Congregationis et poenas ibidem contentas exequantur Ordinarii circa ingressum mulierum, praesertim occasione festivitatum, intra septa Monasteriorum; necnon invitationes laicorum ad Ecclesias Regularium aut Sanctimonialium, poenis constitutis in literis ejusdem Congregationis in fine apponendis, etiam interdicto earundem Ecclesiarum, omnino aboleri curent.

3. Sacristae et Praefecti Ecclesiarum, quibus Domus Dei custodia commendata est, in eam rem omnem vigilantiam conferant, ut non modo tumultus rixaeque, ubique locorum a christiana professione abhorrentes, verum etiam clamores, deambulationes, judiciorum strepitus aliaeque profanae actiones absint ab Ecclesia. Contrafacientes igitur graviter commonere et, si resipiscere negligant, ad Ordinarios deferre non praetermittant, ut sacrarum constitutionum poenis eorum temeritas coerceatur.

4. Qui intra Ecclesias aut earum Sacristias vel Coemeteria caedes ediderint aut membrorum mutilationes, ipso facto excommunicationem Ordinario reservatam incurrant.

5. Qui aliquem graviter percutere in supradictis locis aliisque adjacentibus immunitate gaudentibus ausi fuerint, excommunicationis sententiam subeant; arbitrio vero Ordinarii puniantur, qui in Ecclesiis vel Oratoriis clamores aut rixas excitaverint, ibi enim *Domus orationis est,* et vocabitur aula Dei.

6. Ne autem ulli irreverentiae et contemtui aditus pateat, juxta Decretum Sac. Congregationis neque ante auroram clare dilucescentem neque post horam vigesimam quartam apertae Ecclesiae retineantur.

7. Sub poena Excommunicationis nemo in hac Provincia sine praecedenti Ordinarii facultate Ecclesias vel altaria de novo erigere audeat; eaque sic erecta ipso facto interdicta sint, poenisque arbitrariis puniatur, qui divina ibi officia celebraverit.

8. Superiores Ecclesiarum Regularium et exemtarum, cum nullam in populo jurisdictionem habeant, eas interdicere non praesumant, juxta Decreta Sac. Congregationis in calce apponenda.

9. Supra Ecclesias et Oratoria non aedificentur cubicula aut deambulacra; neque Ecclesiarum Gubernatores aut Rectores, ut fabricetur aut quidquam innovetur in Ecclesiis aut adjacentibus partibus, ullo

10) Cap. *Significavit.* 5. de parochis et alienis parochianis (III, 29).
11) S. Rit. Congr. in Neapol. 16. Januar. 1677.
Cap. V. 1) Apoc. 21, 2. 3.

2) S. Congr. 2. Maji 1679. S. Congr. Episc. de mand. Innoc. XI. 21. Jul. 1679. S. Rit. Congr. in Oriol. 30. Sept. 1628. de mand. Innoc. XI. In Neap. 22. Januar. 1677. et 20. Sept. 1683.
3) Trid. sess. 22. de observ. et evitand. Can. *In oratorio.* 7. dist. 42. Can. *Mos antiquus.* 6. dist. 65. et Can. *Quoniam.* 7. dist. 65. Cap. *Decet.* 2. de immunitate ecclesiar. (III, 23.) in sexto. Pii V. const. 5. *Cum primum.* d. 1. April. 1566.
5) Can. *Nullus.* 19. XVII. q. 4. ex conc. Ilerd. Luc. 19, 46.
6) S. Congr. Episc. de mand. Innoc. XI. in Neapol. d. 22. Januar. 1677. et 20. Sept. 1683. et 1. Octob. 1684. Conc. Neap. cap. 10.
7) Can. *Placuit.* 26. et can. *Nemo.* 9. dist. 1. de consecr. — Conc. Lateran. in append. tit. *Ne clericus.* cap. 5. — Conc. Neap. cap. 6.
8) S. Congr. Episc. in Neapol.
9) Juxta edict. Pii V. pro Urbe d. 28. Nov. 1596. S. Congr. Episc. in Jerem. (?) d. 26. Jun. 1613. in Melfict. d. 2. Octob. 1626. in Neapol. d. 13. April. 1646.

modo permittant, sub poenis et censuris ad arbitrium a
Ordinarii.

10. Pluribus Sac. Congregationis constitutionibus inhaerens haec Sancta Synodus praecipit, ut fenestrae atque aditus in quibusvis Ecclesiis pro Missis et Divinis officiis audiendis muro pleno protinus obstruantur.

CAP. VI. De festorum dierum cultu.

1. *Laudabile nomen Domini et miserationes ejus super omnia opera ejus* etsi grata recordatione jugiter commendare debeamus, festis tamen diebus, divinorum beneficiorum memoria consecratis atque ad Dei misericordiam uberius eliciendam salubriter institutis, impensius et religiosius benedicere et praedicare
debemus; itaque indignum est, eorum solemnitates ita b
celebrari, ut, grassante comessationum ludorumque licentia, in animarum potius perniciem Deique ultionem gravius ciendam evadant.

2. Parochi igitur, cum juxta Urbani VIII. Constitutionem enunciabunt dies festos per hebdomadam ex praecepto servandos, Populum edoceant, ita Sabbata sanctificari, si Divinis officiis et Missae sacrificio devote intersint, piis operibus ferventius insistant atque a profanis negotiis, contractibus, judiciorum strepitu atque omnibus servilibus operibus abstineant; quae si quis exercere ausus fuerit, noverit, se secundum Pii V. Constitutionem esse multandum.

3. Theatrales ludos, larvarum ludicra aliasque pu-
blicas id genus nugas nec festis diebus ante vesperas c
nec omnino tempore Quadragesimae nec prope Ecclesias ullus audeat exhibere. Circulatores vero sive histriones contrafacientes ab Ordinariis excommunicentur.

4. Vicarii foranei et alii, ad quos pertinet facultatem tribuere servilia aliaque vetita opera diebus festis exercendi, illam non nisi gravi instante necessitate concedant; quam tamen, ea vigente, gratis largiantur; non enim Dei obsequium pecunia redimendum est. Neque ullo sese praetextu tueantur, sive contributionis Episcopo persolvendae, a qua is omnino abstinere debet, sive quaestus ad pios usus applicandi. Contrafacientes vero subjaceant poenae carceris formalis et privationis ad arbitrium.

5. Detestabilem illam consuetudinem, quae jamdiu d
inter Mulieres potissimum invaluit, festis diebus Ecclesiam non adeundi, quaesitis in speciem praetextibus, Pastores animarum exhortationibus divinorumque suppliciorum comminationibus penitus aboleri curent.

CAP. VII. De jejunio.

1. Tum castigatio corporis assumta ad vegetationem transit animarum, cum non solum *corpori esca subtrahitur*, sed *mens* etiam *ab iniquitate revocatur.* Illud igitur erit in jejunio sanctificando praecipuum, ut dissolvat homo colligationes impietatis; tale enim jejunium elegit Dominus.

2. Parochi propterea, cum pro muneris sui obligatione fidelibus enunciabunt dies jejunio consecrandos, illud potissimum doceant, quod *verum jejunium* sit ab *omnibus esse vitiis alienum.*

3. Atque, ut frangant esurienti panem suum, inculcare non praetermittant, *in distributione eleemosynarum et cura pauperum pinguescere christiana jejunia,* ut *fiat abstinentia fidelium cibus pauperum.*

4. Quisquis vetitorum ciborum esum sine gravi necessitate praesumserit attentare, quadragesimalibus praesertim diebus, qui totius anni decimae censentur, reus est juxta Sacros Canones Dominicae Resurrectionis. Illi vero, quos languor extenuat aut aetas incurvat aut necessitas arctat, non ante prohibita violare praesumant, quam ex medici testimonio et confessarii consilio ab Ordinarii Deputato permissum percipiant.

5. Medicos autem Sancta Synodus enixe hortatur, ne carnem et sanguinem respicientes sese alienae laqueis pravitatis obstringant, necessitatem suo testimonio facile comprobantes iisque animi remissione indulgentes, qui, cum charitate potius quam corpore languescant, ad praeceptorum observantiam valetudinem causantur, cum caeteroqui supervacuis pravisque curis non abstineant, quibus vires vehementius atteruntur.

6. Nemini liceat cibos prohibitos diebus jejunii venales habere, nisi venia ab Ordinario impetrata, gratis omnino concedenda. Caupones vero et quicumque hospitia exercentes nemini eos apparare audeant, nisi ipsis obtenta ab Ordinario facultas constiterit.

TITULUS III.

De Sacramentis Ecclesiae.

Text. Trid. sess. 7. in princ.

Consentaneum visum est de Sanctissimis Ecclesiae Sacramentis agere, per quae omnis vera justitia vel incipit vel coepta augetur vel amissa reparatur.

10) S. Congr. Episc. in Favent. d. 15. Febr. 1619. in Hierac. d. 6. Dec. 1612. in Veron. d. 15. Junii 1655. S. Congr. Conc. in Lusit. d. 16. Mart. 1652. Juxta Edict. Pii V. cit. Conc. Neap. cap. 24. et Firman. cap. 12. §. *Fenestras.*

Cap. VI. 1) Psal. 112, 3. 144, 9. Can. *Comessationes.* 1. dist. 44. Trid. sess. 25. de invoc. et venerat. Sanct. S. Joan. Chrysost. hom. 1. de Lazaro (c. 7. Opp. S. Chrys. ed. Montfaucon I, 717). S. Basil. in c. 1. Isai. n. 30. (Opp. S. Basil. Ed. Garnier. I, 403.)

2) Urban. VIII. const. 52. (al. 291.) *Universa.* d. 20. Sept. 1642. Trid. sess. 25. de dieb. festis. — Conc. Neap. cap. 10. Can. *Omnes fideles.* 62. Can. *Missas.* 64. dist. 1. de consecr. — Pii V. const. 5. *Cum primum.* d. 1. April. 1566.

3) Pii V. const. cit. — Conc. Neap. loc. cit. Can. *Irreligiosa.* 2. dist. 3. de consecr. Can. *Nullus Episcoporum.* 1. XV. q. 4. Cap. *Conquestus.* 5. de feriis (II, 9).

4) Juxta Urban. VIII. const. cit. §. *Ut vero.* et ex cap. *Licet.* 3. de feriis (II, 9).

5) Conc. Neap. cap. 10. — Conc. Mediol. III. hoc tit. 1.

Cap. VII. 1) S. Leo serm. 4. de quadr. cap. 2. (Opp. S. Leon. Ed. Ballerini I, 157.) Is. 58, 6.

2) S. Basil. hom. 1. de jejunio (cap. 10. Opp. S. Basil. Ed. Garnier II 9. B).

3) S. Leo serm. 11. de quadr. cap. 6., idem serm. 9. de jejunio decimi mensis cap. 3. (Opp. S. Leon. I, 188. 63.)

4) Can. *Jejunia.* 17. dist. 5. de consecr. — Concil. Tolet. VIII. can. 9. Can. *Jejunia.* cit. et Can. *Quadragesima.* 16. loc. cit.

5) Can. *Contraria.* 21. dist. 5. de consecr. — Conc. Neap. cap. 11.

6) Conc. Tolet. VIII. loc. cit. — Conc. Mediol. V. — Conc. Firman. cap. 8.

CAP. I. De Sacramentorum administratione.

1. Ut crescat *in Templum sanctum in Domino* fidelium aedificatio, extructa super *columnas septem*, quas in orbe terrarum Sapientia excidit; Custodes Domus Israel Episcopi, quos *oportet sine crimine esse, sicut Dei dispensatores,* ita ea, quae in Sacramentis administrandis servanda sunt, studeant impleri, ut fideles servos atque prudentes se exhibeant, quos *constituit Dominus super familiam suam, ut* dent *illis cibum in tempore.* Eorum igitur partes erunt, ut sitientibus aquam salutis *de fontibus Salvatoris* salubriter consulatur, nihil operae praetermittendo, ut idoneos ubique Sacramentorum Ministros constituant.

2. Nemo audeat sine Ordinarii permissu extra necessitatem in aliena Paroecia Sacramenta ministrare.

3. Accersiti quocumque tempore Parochi summa alacritate ad animarum subsidium accurrant, ne, si quemquam sua incuria Sacramentorum praesidio destitui contingat, divinae sese indignationi et gravissimis Ordinarii poenis obnoxios efficiant.

4. Paribus poenis afficiantur Parochi, qui agonizantium animas commendare neglexerint; ad quod summae charitatis officium alios etiam Sacerdotes, quos Sancta Synodus enixe hortatur, advocare curabunt.

5. Ut omnis quaestus species a Sacramentorum administratione deleatur, vetat Sancta Synodus, ne pro iis administrandis quidquam ab ullo petatur, sed *qui sitit, veniat, et qui vult, accipiat aquam vitae gratis.*

6. Noverint Sacramentorum Ministri, sibi necessariam esse cumprimis tum conscientiae puritatem et morum sanctitatem, quanta decet *Ministros Christi et dispensatores Mysteriorum Dei,* tum scientiam non solum earum rerum, quae ad Sacramentorum substantiam pertinent, verum etiam rituum et coeremoniarum, quarum religiosam observantiam Episcopalis cura promoveat.

7. Ut cuncta, quae sacramentis inserviunt, cultum munditiamque prae se ferant, vestium vasorumque sacrorum nitor necnon suscipientium habitus ornatusque totus sit ad religionem compositus. Ideirco viri positis armis, feminae velato capite accedant.

8. Quoniam ad uberiorem Sacramentorum suscipiendorum cultum summopere confert nosse eorum institutionem, fructus et praecipuas rituum significa-
a tiones: propterea Parochi ea populo ex Romano Catechismo vulgari sermone explanabunt.

CAP. II. De Sacramento Baptismi.

1. *Per lavacrum regenerationis in verbo vitae renatos ex aqua et Spiritu Sancto* et consepultos cum Christo *per Baptismum in mortem* ita in novam parit gratia mater infantiam, ut non aliter *introire in Regnum Dei* atque in spem vivam resurgere quisquam possit. Quare Sancta Synodus summum in Baptismi dilatione periculum atque aeternam in illius omissione jacturam subesse reputans, gravissimas poenas Ordinarii arbitrio infligendas decernit contra Parochos, quorum negligentia quispiam sine Baptismo decesserit.

b 2. Parentes vero, qui ultra octavum ab ortu diem sine Ordinarii facultate gratis concedenda infantis Baptismum differunt, gravissimis poenis ab Ordinario puniantur; eosque ita delinquentes Parochi ad Ordinarium deferant.

3. Nulla femina sub poena Excommunicationis obstetricandi munus exerceat, nisi a proprio Parocho ad Baptismum in necessitate conferendum fuerit approbata. Parochi vero approbationis fidem gratis faciant easque quotannis ad examen arcessant et instruant; aliter poenam dabunt ducatorum sex, piis usibus applicandorum.

4. Solum in Parochiali Ecclesia et interdiu Baptisma conferatur, ita ut nemini liceat ante solis ortum
c vel post occasum, sub poena suspensionis aliisque arbitrariis, illud ministrare.

5. Plures Patrini in Baptismo non adhibeantur, sed unus vel una aut ad summum unus et una. Hi vero de contracta cognatione atque obligatione susceptum erudiendi a Parocho admoneantur.

6. Sanctorum tantum nomina Baptizatis imponantur; ac Baptismus collatus statim a Parocho, antequam Baptizatus discedat ab Ecclesia, in libro consueto, quem paratum prope Baptisterium retineat, adscribatur, iis omnibus servatis, quae in Rituali Romano praescribuntur.

7. Hujusmodi Baptismorum liber clave, apud solum Parochum diligenter servanda, custodiatur; qui in singulis paginis Parochi manu subscriptus quotannis in Sancta Visitatione exhibeatur, ab Ordinarii Deputato
d recognoscendus.

8. Veteres libri praedecessorum a novo Parocho diligenter conquirantur et fideli custodia serventur.

Cap. I. 1) Ephes. 2, 21. Tit. 1, 7. Matth. 24, 45. Isa. 12, 3.
2) Conc. Later. V. sess. 11. Clement. cap. ***Religiosi.*** 1. de privilegiis (V, 7). Greg. XV. const. 8. (al. 18.) ***Inscrutabili.*** d. 5. Febr. 1622. Trid. sess. 24. de reform. cap. 13.
3) Can. ***Quicumque.*** 22. dist. 4. de consecr. Trid. sess. 23. de reform. cap. 2. — Conc. Later. III. can. 13.
4) S. Congr. Episc. 14. Sept. 1579. in Tropien.
5) Taxa Innoc. XI. const. 40. ***Essendosi*** d. 8. Octob. 1678. §. 6. ***Parimente per una regola generale.*** — Conc. Senon. in decr. mor. cap. 2. — Conc. Mediol. I. p. 2. t. 1. Apoc. 22, 17.
6) Can. ***Ipsi sacerdotes.*** 91. Can. ***Neque.*** 95. et Can. ***Per Isaiam.*** 98. I. q. 1. 1. Corinth. 4, 1.
7) Can. ***Licet.*** 15. VIII. q. 1. Conc. Aurel. III. cap. 28. S. Carolus instr. pro administr. sacr. Ex lit. encycl. Innoc. XI. a. 1685. Nicol. I. ad consulta Bulg. cap. 58.
8) Decr. S. Congr. Conc. jussu Innoc. XI. 12. Febr. 1679.

Cap. II. 1) Tit. 3, 5. Ephes. 5, 26. Joan. 3, 5. Rom. 6, 4. Joan. loc. cit.
2) Rit. Rom. hoc tit. §. ***Opportune.*** — Conc. Neap. cap. 13. — Conc. Mediol. I. p. 1. t. 2. — Eugen. IV. const. 23. ***Cantate.*** §. 13. d. 4. Febr. 1442. — Conc. Neap. loc. cit. Can. ***Baptizari.*** 3. dist. 5.
4) Conc. Neap. loc. cit. Clement. un. de baptismo et ejus eff. (III, 15). Rit. Rom. loc. cit. — Conc. Mediol. I. loc. cit.
5) Trid. sess. 24. de ref. matr. c. 2. Pii V. const. 24. ***Cum illius*** d. 28. Nov. 1566. — Conc. Neap. loc. cit. Can. ***Non plures.*** 101. dist. 4. de consecr.
6) Rit. Rom. Conc. Neap. et Conc. Mediol. I. loc. cit. Catech. Rom. cap. 2. hoc tit. Trid. sess. 24. de reform. matr. cap. 2.
7) Rit. Rom. loc. cit. §. ***Baptisterium.*** — Conc. Mediol. IV. p. 2. t. 2. — Conc. Neap. loc. cit.

9. Ne ulla superstitionibus praebeatur occasio, servent etiam Parochi gossypium, candelas atque id genus alia, quae in conferendo Baptismo adhibuerunt.

CAP. III. De Sacramento Confirmationis.

1. Colluctantes non *adversus carnem et sanguinem, sed contra spiritualia nequitiae in coelestibus*, ut confirmaret nos Dominus, *unxit et signavit nos et dedit pignus spiritus in cordibus nostris*, ut rugientibus adversariis *fortes in Fide* resisteremus; Spiritus enim Sanctus, *qui in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum praestat ad gratiam, et, qui in Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam.* Convenit propterea nosse fideles, quanta in nos munerum suorum charismata effundat Dominus unctione misericordiae suae, et quanta cum pietate et religionis ardore ad hoc Sacramentum deceat accedere, *ut, dum caro ungitur, anima consecretur;* ne, quibus mysteriis initiamur ad vitam, iisdem per contemtum mancipemur ad mortem. Neque enim Spiritus Sanctus intrabit in animam malevolam, *nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Quae omnia Parochi populo sibi commisso diligenter proponant, ubi tempus hujus Sacramenti administrandi per edictum Ordinarii resciverint.

2. Ne Sacramentorum sanctitas aut turpiter ignorari aut nefarie contemni videatur, damnat Sancta Synodus impudentem earum licentiam, quae seculi luxu et procaci corporis cultu ac satanae pompis affluentes, quibus in Baptismo renunciarunt, ad Confirmationem accedunt; easque repellendas esse decernit, sive Confirmandae sint sive Matrinae.

3. Nemo ad Confirmationem admittatur, nisi a proprio Parocho testimonium idoneitatis, gratis faciendum, attulerit una cum schedula, in qua nomina confirmati ejusque Parentum et Patrini aut Matrinae et patriae conscripta sint. Quas magister coeremoniarum aut is, ad quem spectat, in peculiari libro digestas describat; eumque librum, exacto administrandae Confirmationis tempore, Deputatis ab Ordinario exhibeat, sub poena ad arbitrium Ordinarii imponenda.

4. Mares a solis maribus, feminae a solis feminis in Confirmatione suscipiantur; neque ulli liceat plures, quam duos eadem die in Confirmatione tenere sine Ordinarii facultate.

5. Qui non sunt natu majores Confirmandis aut nondum ipsi confirmati sunt, pro patrinis in hoc Sacramento non admittantur.

9) Rit. Rom. de sacris oleis. §. *Sal.* S. Carolus in instr. de servandis post baptis. (Acta eccl. Med. p. IV. Ed. Lugd. p. 417.)

Cap. III. 1) Ephes. 6, 12. 2. Corinth. 1, 22. 1. Petr. 5, 9. S. Hilar. Arelat. in serm. de Pentecoste. Tertull. lib. de resurr. cap. 8. (Opp. Tertull. Ed. Migne II, 806. A). Sap. 1, 4.

3) Conc. Mediol. I. p. 2. t. 3. de his, quae pertinent ad sacr. conf. Conc. Rothom. a. 1581. hoc tit.

4) S. Carolus in instr. de confirm. de patrinis. §. *Id denique.* (Acta eccl. Mediol. pars IV. p. 421.) et §. *Nemo.* (p. 599.)

5) Can. *In baptismate.* 102. dist. 4. de consecr. Conc. Later. III. in append. cap. 144.

a

CAP. IV. De Sanctissimo Eucharistiae Sacramento.

1. Quoniam non est *alia natio tam grandis, quae habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest* nobis, qui, aedificata sibi Ecclesiae Domo, *miscuit vinum et proposuit mensam suam,* ut *torrente voluptatis* suae et *de petra melle* satiatos esurientes pauperes repleret bonis: idcirco convenit fideles Christi, a fructu frumenti et vini multiplicatos, ita epulari *in azymis sinceritatis et veritatis,* ut *sicut novellae olivarum in circuitu mensae* Domini sacrificent hostiam laudis et, memoriam passionis ejus recolentes, resonent in voce exultationis. Itaque in pane Angelorum sumendo aut deferendo aut asservando, in quo *memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Domi-* b *nus* atque esse nobiscum *usque ad consummationem seculi* dignatus est, ut parem reverentiam charitatemque prae se ferant, haec servanda Sancta Synodus praecipit.

2. Ii, qui nondum manna absconditum gustaverunt, non prius ad sacrum convivium accedant, quam a proprio Parocho facultatem, praevio examine, obtinuerint.

3. Quum panis filiorum non sit mittendus canibus, neque margaritae projiciendae ante porcos: a Coena Dei et Agni foras canes, id est publici peccatores aut Ecclesiasticis censuris constricti, arceantur; Conjuges etiam sine causa cohabitare detrectantes, praevia tamen participatione Ordinarii; atque ii, qui mente capti usu rationis destituuntur.

c 4. Ne ulla ignorantia idoneas suscipientium dispositiones impediat, Parochi bis saltem in mense festis diebus pomeridiano tempore populum de iis, quae ad Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae rite suscipienda necessaria sunt, accurate instruant.

5. Et quoniam indignum est, Christianos, quibus *unus esse deberet dolor hac esca privari,* adeo seculi voluptatibus sese ingurgitare, ut ad Coenam magnam invitati venire et futurae gloriae pignus accipere recusent: Parochi ad frequentiorem hujus Sacramenti usum eos suis adhortationibus accendant.

6. Maxima vero eorum cura et sollicitudo erit, ne quis in Paschate saltem illud sumere omittat; quare in libro ad eam rem comparato nomina aetatemque d omnium, qui in sua paroecia degunt, describant; a quibus singulis, exacto praecepti tempore, schedulas exigant, quae communicantibus distribui solent; eos

Cap. IV. 1) Deut. 4, 7. Prov. 9, 2. Psal. 35, 9. 80, 17. 1. Corinth. 5, 8. Psal. 127, 3. 110, 4.

2) S. Carolus in instr. de Eucharist. tit. qui ad sacr. commun. §. *Nec vero.* (Acta Eccl. Mediol. pars IV. p. 424.)

3) Marc. 7, 27. Matth. 7, 6. Can. *Qui scelerate.* 24. dist. 2. de consecr. S. Carolus loc. cit. Can. *Per Isaiam.* 98. I. q. 1.

4) Catechism. Rom. p. 2. cap. 1. de sacr. in genere.

5) S. Joan. Chrysost. hom. 60. ad popul. Antioch. (al. hom. 82. in Matth. Opp. S. Chrys. Ed. Montfaucon VII. 788. E). Trid. sess. 24. cap. 7. Decr. de commun. quotid. 12. Febr. 1679. — Conc. Neap. cap. 15.

6) Trid. sess. 13. can. 9. Rit. Rom. tit. de comm. pasch. Conc. Neap. loc. cit. — Conc. Later. cap. *Omnis utriusque sexus.* 12. de poenit. et remiss. (V, 38). — Conc. Firman. cap. 15. Rit. Rom. tit. de comm. pasch. §. *Ut igitur.*

vero, quos praeceptum non servasse compererint, intra decem dies post tempus praecepti ad Ordinarium deferant. Quos autem transgressores diligenter inquisitos rescire nequiverint, publice ab Ordinariis declarari enuncient in poenas a Concilio Lateranensi cap. *omnis utriusque sexus* constitutas incurrisse; qui vero Parochi vel in catalogo conficiendo juxta Rituale Romanum fideliter exacteque vel in transgressoribus deferendis fuerint negligentiores, Ordinarii arbitrio puniantur.

7. Ut nulla in schedulis distribuendis fraus subesse possit, mandat Sancta Synodus, ut solum a Clericis in sacro ordine constitutis distribuantur.

8. Ab annuae communionis praecepto non excusantur neque carceribus detenti neque adversa valetudine decumbentes. Qui vero diuturno morbo conflictantur, a Parocho saepius visitentur, atque ad hoc Sacramentum singulis saltem mensibus percipiendum admoneantur, ut pervenire mereantur usque ad montem Dei in fortitudine cibi illius, quem *quicumque manducaverit, vivet in aeternum.*

9. Ut in deferenda Eucharistia debitus devotionis ardor effulgeat, praedicent Parochi Indulgentias concessas iis, qui hoc Sacramentum, cum ad infirmos defertur, associaverint; ut sacram Metropolitanae Ecclesiae magnificentiam in eo cultu exhibendo, quam aliae Ecclesiae in Domino commendant, etiam eo adjuvante suscipiant.

10. Inhaerens autem Edicto Sanctissimi Domini Nostri Innocentii XII. pro Urbe proposito, Sancta Synodus Ecclesiasticos universos, ad hujus potissimum Sacramenti religionem divinitus advocatos, etiam atque etiam hortatur, ut umbellae aut baldacchino deferendo ipsi prae caeteris superpelliceo induti accurrant, ut, ubi *omnis plenitudo divinitatis corporaliter inhabitat,* propiores sint corpore, qui sunt etiam ministerio conjunctiores. Episcopi vero eos ad ordines et confessiones audiendas facilius et libentius assumant, quos ex Parochi testimonio in Eucharistiae associatione frequentiores et ferventiores fuisse cognoverint.

11. Feminae, dum Sanctissimam Eucharistiam comitantur, Sacerdotem deferentem non praecedant, sed illarum sanctarum mulierum pietatem imitentur, quae a longe Dominum sequebantur. Noctu vero ne sequantur quidem, sed domi sese contineant, ibique humi stratae, Dominum Angelorum venerantes, charitatis potius quam corporis passibus comitentur.

12. Eucharistia in Parochialibus dumtaxat, Collegiatis et Conventualibus Ecclesiis, vel quibus concessum
a privilegium est, asservetur, et quidem argentea Pyxide, intrinsecus una cum operculo inaurata et serico albi coloris conopaeo contecta; quae in tabernaculo decenter elaborato custodiatur, extrinsecus quidem vel auro vel aliis pretiosis ornamentis insignito cum conopaeis pro temporum varietate mutandis, intrinsecus vero sericis tegumentis ornato.

13. Stratum sit etiam tabernaculum corporali mundo, quolibet saltem bimestri mutando, super quo duae positae sint Pyxides, quarum minor Eucharistiae ad infirmos deferendae inserviat, major vero particulas servet populo communicaturo ministrandas, ea quidem copia, ut nunquam deficiant, sub poenis ad arbitrium Ordinarii. Particulae vero pro variis anni tem-
b poribus semel aut bis in hebdomada renoventur.

14. Clavicula inaurata tabernaculum sit perpetuo munitum; quae juxta Lateranense Concilium in Parochialibus Ecclesiis a solo Parocho custodiatur, in aliis vero saltem a constituto in sacris; quod ut Regulares etiam observare non negligant, eos Sancta Synodus enixe hortatur. Qui vero illud apertum reliquerint, poenis canonice constitutis puniantur.

15. Diu noctuque ante Sacrosanctam Eucharistiam lampas accensa colluceat; Custos vero, cujus negligentia extingui contigerit, poenas dabit Ordinarii arbitrio infligendas.

16. In nulla unquam Ecclesia, nisi facultate ab Ordinario concessa, Eucharistia exponatur, neque ex
c causa publica, nisi ab Ordinario approbanda; quod etiam Regularibus expresse Sacrae Congregationis decreto prohibetur; in expositionibus vero idoneus accensarum candelarum numerus resplendeat. Regularibus autem et Confratribus vetitum sit in suis Oratoriis aut Congregationibus condere sepulchra Feria V. in Coena Domini et Sacrosanctam ibi Eucharistiam adorandam reponere.

CAP. V. De Sacramento Poenitentiae.

1. *Custodes super muros Jerusalem* Episcopos constituit Dominus, ut stent super vias et interrogent *de semitis antiquis, quae sit via bona;* propterea, cum a christiana poenitentiae disciplina perniciosa quorundam
d indulgentia desciverit, Sancta Synodus obsecrat Pastores animarum per viscera misericordiae Dei nostri, qui animam suam posuit pro ovibus suis, ut eas ad pascua salutis atque arctam viam, quae ducit ad vitam, non in latam inducant, *quae videtur homini recta, et novissima ejus ducunt ad mortem.* Multi enim Prophetae insipientes, *qui sequuntur spiritum suum et ni-*

7) Card. Palaeottus in act. eccl. Bonon. pars III. de sacr. euch.

8) S. Carolus in instr. de praefect. spirit. carcer. (Acta eccl. Mediol. pars IV. p. 568.) Cap. *Pervenit.* 29. dist. 2. de consecr. Joan. 6, 59. Innoc. XI. d. 1. Octob. 1688. Innoc. XII. const. 55. *Debitum pastoralis.* d. 5. Januar. 1695.

10) Edictum de mand. Innoc. XII. 2. Febr. 1695. — Conc. Neap. cap. 15. — Conc. Mediol. I. p. 2. t. 4. de iis, quae pertinent ad sacr. euch. Coloss. 2, 9.

11) Edict. de mand. Innoc. XII. ut supra. Marc. 15, 42.

12) Cap. 1. de custod. euch. (III, 44). S. Congr. Conc. in Urbinat. 22. Mart. 1594. S. Congr. Episc. 5. Januar. 1619. S. Rit. Congr. in Ascul. 3. April. 1632.

13) Cap. ult. de custod. euch. (III. 44). Cap. *Tribus gradibus.* 23. dist. 2. de consecr. Conc. Neap. cap. 15.

14) Cap. *Sane.* 10. de celebr. miss. (III, 41). Cap. 1. de cust. euch. (III, 44). S. Rit. Congr. in Hispal. 29. Mart. 1637.

15) Conc. Neap. loc. cit. Conc. Mediol. I. ubi supra p. 2. t. 4.

16) S. Congr. Conc. in Neap. 17. Aug. 1630. S. Rit. Congr. in Neap. 24. Jul. 1659.

Cap. V. 1) Isa. 62, 6. Jerem. 6, 16. Alex. VII. in Congr. gen. S. Inquis. 24. Sept. 1665. Joan. 10, 15. Prov. 16, 25. Ezech. 13, 3. 2. Timoth. 4, 3. Psal. 140, 4. Jerem. 2, 13. Thren. 2, 14.

hil vident, sanam doctrinam non sustinentes, *sed prurientes auribus,* relictis purioris disciplinae fontibus, *ad excusandas excusationes in peccatis, foderunt sibi cisternas dissipatas,* nec populo aperiunt iniquitatem ejus, ut eum ad poenitentiam provocent.

2. Universi igitur hujus Provinciae Confessarii, ne in tantam labantur laxitatis perniciem, ab instructione Sancti Caroli, in calce hujus Synodi adscribenda, in qua specimen antiquae disciplinae effulget, quoad ejus fieri potest, minime recedant.

3. Quum autem extinguendis aliorum putoribus minime idoneus sit, qui fuerit vitiis infatuatus, neque aliis dirigendis aptus, qui erraverit a via veritatis: propterea hujus Sacramenti ministri eligantur ii, qui cum sanae doctrinae tum probatae vitae testimonio commendantur. Et quoniam scientia et probitas temporis diuturnitate aut acquiritur aut probatur, provectae aetatis Sacerdotes juxta literas Sac. Congregationis in calce apponendas ad hoc munus assumantur.

4. Atque, ut nullo scientiae comparandae adjumento destituantur, praecipit Sancta Synodus, ut in omnibus Dioecesibus hujus Provinciae singulis quibusque hebdomadibus die et loco ab Ordinariis designando conferentiae casuum conscientiae habeantur; ad quas convenire teneantur tum Confessarii tum ii saltem per biennium, qui ad confessiones audiendas assumi volunt, alias non admittendi; ad quorum absentiam notandam, deputatus ab Ordinario constituatur, qui absentes in peculiari libro describat, ejusque libri testimonio, qui ejusmodi conferentiis interesse neglexerunt, in confessionum facultate petenda repellantur; reliquos etiam Sacerdotes, ut ibi frequentes intersint, Sancta Synodus hortatur.

5. Decretum fel. recordationis Innocentii XI. contra eos, qui sine Ordinarii facultate venialium confessiones excipere ausi fuerint, exequantur Episcopi.

6. Pro sacramentalis sigilli secreto custodiendo caveant Confessarii, ne quidquam enuncient aut gestu prodant, quod ex scientia sacramentali prodiisse censeri possit; imo etiam obtenta a poenitentibus venia, non nisi necessitate postulante, et magna cum cautione utantur. Concionatores quoque caveant, ne, cum in quaedam peccata invehuntur, confessionis notitia abuti populo videantur.

2) S. Carolus de instr. confess. (Acta eccl. Mediol. pars IV. pag. 644—668), quae novissime de mand. Innoc. XII. intimata et publicata fuit in Urbe anno jubilaei 1700.

3) S. Congr. inquis. encyclica de mand. Innoc. XII. 4. Dec. 1694. Conc. Neap. de sacra poenit. cap. 16. S. Greg. Pastoralis curae p. 2. cap. 3. (Opp. S. Greg. Ed. Migne III, 28.) Catech. Rom. p. 2. de sacr. poen. §. 73.

4) S. Congr. Conc. 11. Jul. 1620. S. Congr. in Ferrarien. 13. Octob. 1593. S. Carolus in Conc. Mediol. I. p. 2. t. 29. de vicar. foran. pag. 21. Card. Palaeott. de Bononiae eccl. admin. p. 3. de sacr. poen. de cong. casuum conscient. habend. pag. 115.

5) Innoc. XI. in decr. S. Congr. Conc. de comm. quotid. 12. Februar. 1679.

6) Can. *Sacerdos.* 2. de poenit. dist. 6. S. Carolus in instr. confess. Ex decr. S. Congr. Inquis. 18. Nov. 1682.

a 7. In peccati gravitate objurganda et salutaribus poenitentiis injungendis zelum aeque et prudentiam praestet Confessarius, ut in virga ferrea nullius pravitati blandiatur, atque in spiritu lenitatis omnibus omnia factus omnes Christo lucrifaciat.

8. Abstineat ab alienis et supervacuis interrogationibus, praesertim in simplicibus rudibusque percontandis, ne, quae peccata inquirit, edoceat.

9. Ne quando existiment laici, dona Dei pecunia possideri, omnis avaritiae et quaestus suspicio a sacro confessionum audiendarum munere amoveatur. Si quis autem Confessarius intuitu confessionis quidquam pro se petierit, noverit, se ab audiendis confessionibus praeter eas poenas, quae in singulis Dioecesibus con-
b stitutae sint, ipso facto esse suspensum, ut alias in Synodo hujus Provinciae constitutum est.

10. Nemo audeat extra Ecclesiam, seclusa necessitate, poenitentiae Sacramentum ministrare nisi Sacerdotibus, qui in Ecclesia commode confiteri non possunt, sub poena inhabilitatis ad audiendas confessiones aliisque arbitrariis.

11. Mulierum confessiones audiantur in confessionalibus, quae crate ferrea angustis foraminibus terebrata eas a Confessario dirimant, ita ut vocem tantum transmittant. Quare vimineas crates ac ligneas atque etiam ferreas ampliora foramina intercipientes, juxta Sacrae Congreg. Decreta, Sancta Synodus prohibet. Si quis vero, etiam Regularis et quomodolibet exem-
c tus, contra quamlibet hujus decreti partem confessiones audierit, ab audiendis confessionibus suspendatur.

12. Mandat etiam Sancta Synodus, ut confessionalia in patentibus locis exposita sint, neque unquam in subobscura loca vel abditos sacellorum recessus conjiciantur, ad praescriptum Sac. Congregationis. Ne ullum unquam subsit periculum violandi confessionale secretum, ferreae crates confessionalium ostiolo ligneo ab interiori parte, qua Confessarius assidet, occludantur.

13. In excipiendis aegrotantium mulierum confessionibus cubiculi ostium apertum sit, ita ut conspici quidem, non autem audiri possint, aliter Confessarius poena suspensionis ab audiendis confessionibus puniatur.

d 14. Qui hoc Sacramentum infirmis contulerit, Pa-

7) S. Gregor. Pastoralis curae p. 2. cap. 9. et p. 3. admon. 18. (Opp. S. Greg. III, 44. 77.) S. Aug. serm. 45. de temp. [vel potius sermo 54. De verbis Dom. Opp. Ed. Bened. V, 685. D.] S. Carolus in instr. conf. (Acta eccl. Med. p. 644—668).

8) S. Carolus ubi supra. Conc. Firman. hoc tit.

9) S. Carolus in inst. confess. S. Congr. Conc. 1. Febr. 1593. — Conc. Neap. de sacra poen. cap. 16. — Conc. Mediol. III. hoc tit. 8.

10) Conc. Neap. loc. cit

11) Conc. Mediol. I. p. 2. t. 6. quae pertinent ad sacr. poen. S. Congr. Episc. et Reg. 21. Jun. 1620. et ex literis ejusd. ad Em. Card. Caracciolum Archiep. Neap.

12) S. Carolus in instr. de fabr. eccl. lib. I. (Act. eccl. Mediol. p. IV. pag. 486.) S. Congr. ubi supra. S. Congr. Inquis. in lit. encycl. de mand. Innoc. XII. 4. Dec. 1694.

13) S. Congr. ibid. S. Congr. Sanctae visitat. pro Urbe de mand. Urban. VIII. 10. Jul. 1625. In registro S. Congr. Episc. fol. 101. S. Congr. Episc. 29. April. 1611.

14) S. Congr. Episc. 1. Jul. 1606. Decr. Urban. VIII. cit. Clem. X. const. 7. de 21. Jun. 1670. S. Congr. Episc. 13. Sept. 1641. in reg. fol. 162.

rocho id per schedulam significet, quo is possit iisdem caetera Sacramenta ministrare.

15. Medici, qui mandata Pii V. et Innocentii XI. de infirmis ad confitenda peccata inducendis vel alias destituendis servare neglexerint, a solis Ordinariis absolvi possint. Parochi vero quotannis tempore Quadragesimae una cum praecepto annuae confessionis hoc etiam Sanctae Synodi decretum inter missarum solemnia promulgabunt.

16. Declarat Sancta Synodus, Confessarios, etiam Parochos, sive in confessione sive immediate ante vel post, quemcumque ad turpia sollicitantes, excommunicationis sententiam Ordinario reservatae ipso facto incurrere.

CAP. VI. De Sacramento extremae Unctionis.

1. Cum callidus serpens calcaneo fidelium insidiaturus veniet habens iram magnam, tunc maxime Sacramentorum praesidio muniendi sunt milites Christi; ut, cum bonum certamen certaverint, cursumque consummaverint, ad coronam pervenire, quam reddet Dominus justus Judex, et, detersis peccatorum vestigiis, in eam Civitatem ingredi mereantur, in quam nihil intrabit coinquinatum. Quare constitutas a Sacris Canonibus poenas aliasque arbitrarias dabit Parochus, cujus negligentia aegrotus sine sacro extremae Unctionis antidoto decesserit.

2. Sub poenis arbitrio Ordinarii reservatis solus Parochus hoc Sacramentum administret vel, necessitate cogente, aut Parocho mandante, alius Sacerdos, nulla excommunicatione aut suspensione constrictus.

3. Regulares vero sub poena excommunicationis latae sententiae et Sedi Apostolicae reservatae non audeant hoc Sacramentum laicis aut clericis contra sacrorum canonum decreta ministrare.

4. Salutares Sacrae Unctionis fructus et necessariae suscipientis dispositiones explicentur infirmo, antequam Sacramentum conferatur, ut praemissa peccatorum confessione quam dignissime illud suscipiat.

5. Caveat Parochus, ne iterati laboris vitandi studio non in ea morbi gravitate Sacram Unctionem perficiat, in qua ejus Sacramenti subsidium conferendum est. Tunc enim usui erit, cum prudenti judicio aegrotantis
a timetur interitus, ut oratio Fidei alleviet infirmum. Illud etiam sedulo curabit Parochus, ne adeo Sacra extremae Unctionis medicina, non solum animae, sed corpori etiam salutaris, differatur, ut aegrum sensibus omnino destitutum inveniat.

6. Iis, qui, tametsi alia Sacramenta non susceperint, usum tamen rationis et discretionis habent, et amentibus a nativitate, si lucida tamen habent intervalla, extrema Unctio non denegetur.

7. Ne qua per diabolicas artes injuria sacratissimis rebus afferatur, neve ulla in his custodiendis ministrorum incuria divini judicii districtione coarguatur: mandat Sancta Synodus, ut sanctum Oleum summa diligentia patenti in loco ac decenter ornato a cornu
b Evangelii prope aram maximam clave muniatur, eaque a solo Parocho servetur, sub poenis ad arbitrium Ordinarii; ostiolo vero inscribatur *sacra olea.*

8. Gossypium, quod abstergendis infirmi partibus sacro Oleo inunctis usui fuit, diligenter servet Parochus et statim comburat.

9. Sacrum Oleum quotannis renovetur, neque pro eo quidquam Episcopales ministri accipiant; contrafacientes vero noverint, gravissimas poenas Ordinarii arbitrio infligendas se subituros.

10. Solis Parochis aut Sacristis Ecclesiarum, in quibus sacrum Oleum asservatur, Monialium vero aut Sacristis aut Confessariis tradatur; eorumque nomina una cum die, mense et anno diligenter in peculiari
c libello Ordinariis exhibendo describant ii, qui in Cathedralibus hujus Provinciae sacri Olei distribuendi curam gerunt.

CAP. VII. De Sacramento Ordinis.

1. Christus Dominus, qui *non seipsum clarificavit, ut Pontifex fieret,* sed *a Deo appellatus* est *Pontifex juxta ordinem Melchisedech,* ne videret *gentes ingressas sanctuarium Dei, de quibus* praeceperat, *ne intrarent in Ecclesiam* suam, cum *missurus Apostolos prius oravit et solus oravit,* aperte docuit, praecipue Episcopos esse debere in ordinatione sollicitos. Et Apostolus testatur *coram Deo et Jesu Christo et electis Angelis,* ut *manus cito nemini* imponant, neque communicent *peccatis alienis,* quippe electorum *crimina in illorum*
d *caput redundant, qui eos elegerunt.*

2. Et quoniam *non quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron:* diligenter pri-

15) Cap. *Cum infirmitas.* 13. de poen. et remiss. (V, 38). — Conc. Later. sub Innoc. III. Pii V. const. 3. *Super gregem.* d. 8. Mart. 1566. Cujus executio commendata fuit ab Innoc. XI. cum lit. S. Congr. Episc. 30. Sept. 1682. Ex cap. *Omnis utriusque sexus.* 12. de poen. et remiss. Ex eisdem literis.

16) Can. *Omnes.* 8. cum duobus sequent. XXX. q. 1.

Cap. VI. 1) 2. Timoth. 4, 7. Apocal. 21, 27. Conc. Mediol. V. p. 1. t. 11. quae pert. ad sacr. extr. unct.

2) Catech. Rom. p. 2. de sacr. extr. unct. § 27. Conc. Mediol. V. hoc tit. 11. Eugen. IV. in conc. Florent. in decr.

3) Clement. cap. 1. de privil. (V, 7). Clement. cap. *Dudum.* 2. de sepult. (III, 7).

4) Innoc. I. ad Decentium c. 8. relatus in can. *Illud superfluum.* 3. dist. 95. Catech. Rom. p. 2. de extr. unct. §. 28.

5) Trid. sess. 14. cap. 3. Eugen. IV. in conc. Florent. decr. S. Thom. in IV. dist. 23. quaest. 2. art. 2. Innoc. I. ubi supra. Trid. ubi supra cap. 2. Conc. Mediol. V. hoc tit. S. Carolus in instr. de extr. unct. (Acta eccl. Mediol. p. IV. pag. 448—454.)

6) Rit. Rom. de sacr. extr. unct. S. Carolus in instr. hoc tit. S. Thom. in IV. dist. 23. quaest. 2. art. 2. quaestiun. 4.

7) Conc. Parisiense a. 1557. Cap. *Statuimus.* 1. de custod. euch. (III, 44). Rit. Rom. hoc tit. Conc. Arelat. VI. a. 813. can. 18.

8) Rit. Rom. ubi supra et in ord. min. §. *Deinde.*

9) Conc. Carthag. IV. can. 36. relat. in can. *Presbyteri qui.* 4. dist. 95. S. Rit. Congr. 7. Sept. 1601. Conc. Mediol. II. tit. 1. decr. 9.

Cap. VII. 1) Hebr. 5, 5. 10. Thren. 1, 10. S. Gregor. lib. 2. epist. 48. rel. in can. *Estote.* 119. I. q. 1. 1. Timoth. 5, 21. S. Joan. Chrysost. hom. 3. in Act. Apost. (Opp. S. Chrys. Ed. Montfaucon. IX, 30. A).

2) Hebr. 5, 4. S. Bernard. declamat. in evang. *Ecce nos reliquimus.* §. 13. [vel potius Gaufridi declam. Opp. S. Bern. Ed. Migne III, 445.] Trid. sess. 23. de reform. cap. 4. Conc. Mediol. V. p. 3. t. 2. de examinand. rat. fol. 212.

mum Episcopus inquirat, quo quisque spiritu ad petendos ordines rapiatur; atque ad primam tonsuram eos dumtaxat admittat, quos probabili conjectura constet hoc vitae genus elegisse, ut Deo fidelem cultum praestent. Quamobrem clericalem habitum per sex menses Episcopi facultate gratis concedenda gestantes antea probentur; ii vero repellantur, qui vel secularis judicii declinandi fraude vel lucri cupiditate aut aliis temporalibus commodis inhiantes, nullo coelestis gratiae instinctu supernaque vocatione adducti, ut disperdant et rapiant, non per ostium intrare, sed aliunde in Ecclesiam irrumpere moliuntur. Illi etiam ab ordinibus arceantur, qui talarem habitum et tonsuram ad praescriptum Sacrorum Canonum deferre negligunt, sed in vestibus prope laicalibus laicalem animum prae se ferunt.

3. Cum *professio clericorum vita coelestis* sit, et *Sacerdotes ac ministros, qui Altari et sacrificiis deserviunt,* oporteat *integros esse et immaculatos: eorum, qui in sacro sunt ordine collocandi, prius vitam moresque* discutiant Episcopi, *et, ut dignos huic officio adhibere* possint, *non* illis *potentia aut supplicatio quarumlibet subrepat personarum. Ante omnia autem cautos esse oportet, ut nulla proveniat in ordinatione venalitas, ne (quod absit) et Ordinatis et Ordinantibus periculum majus immineat.*

4. Tituli praeterea Ordinandorum accuratissime discutiantur; plerique enim inventi sunt, qui, fictis et emendicatis titulis ad Sacerdotii dignitatem evecti, eandem turpiter prostituere coacti sunt. Qua in re Sancta Synodus, Sac. Tridentini Concilii praeceptis inhaerens, mandat, ut nemo ad sacros Ordines promoveatur, nisi Ecclesiasticum Beneficium ad sustentationem sufficiens juxta taxam Synodalem suae Dioecesis pacifice possederit. Ad titulum vero patrimonii ii solum ordinentur, ad quos admittendos aut necessitas aut utilitas Ecclesiae compulerit. Perniciosam enim illorum facilitatem detestatur Sancta Synodus, qui *pompam multitudinis* quaerentes cito manus imponunt, minime cogitantes *ex inordinata et indisciplinata multitudine Sacerdotum hodie contemtui* dari *Redemptoris nostri Venerabile Sacramentum.*

5. Ne quis Clericatu initiatus et sufficienti deinde sustentationis titulo destitutus aut ab Ecclesiastico statu turpiter recedere aut cum ejusdem dedecore mendicare aut sordidum aliquem quaestum exercere cogatur: mandat Sancta Synodus, ut inviolabilis observantia Dioecesis Neapolitanae de non admittendo ad primam tonsuram quemquam, nisi de beneficio conferendo aut
a patrimonio constiterit, ad totam Provinciam extendatur, juxta tamen taxam Synodalem cujuscumque Dioecesis.

6. Qui falsum, fictum aut fiduciarium patrimonium ad ordines suscipiendos subjecerit, ipso facto suspensionem a susceptis ordinibus Ordinario reservatam incurrat, ejus vinculo nunquam, nisi reali patrimonio constituto, relaxandus. Consulentes autem aut quomodolibet cooperantes gravissimis poenis, a Summis Pontificibus, sacris Canonibus et in qualibet Dioecesi constitutis aut constituendis, puniantur.

7. Qui patrimonium aut beneficium, cujus titulo ad ordines promotus fuit, aut alienaverit aut resignaverit, alio sufficienti patrimonio vel beneficio facultate Ordinarii non subrogato, noverit, se in suspensionem
b ab ordinibus exercendis constitutam a sacris Canonibus incidisse, atque actum esse ipso jure nullum.

8. Illi, quos Episcopus discutiendis ordinandorum requisitis praefecerit, ea diligenter observent, quae in instructione in appendice adscribenda praecipiuntur, ac solius Dei gloriam spectantes, fidelem operam in exploranda eligendorum idoneitate Ecclesiae praestent. Ordinandi autem ad hos Deputatos duobus ante ordinationem mensibus omnium requisitorum legitima afferant documenta, quo maturius discutiantur.

9. Qui attestationes requisitas facientes aut gratificandi studio aut alia quacumque causa quidquam mentiti fuerint, arbitrio Ordinarii puniantur.

10. Si vero hujusmodi Deputati atque etiam Exa-
c minatores quidpiam directe vel indirecte, ante vel post requisitorum discussionem vel examen acceperint, poenam suspensionis a Divinis una cum ipsis tribuentibus incurrant.

11. Cum ad revocandam Sacrorum Canonum ac praesertim Tridentini disciplinam circa subditos tantum ordinandos et amputandas omnis fraudis et controversiae occasiones eorumque temeritatem compescendam, qui alienis Episcopis ad ordines obrepere moliebantur, inter praeclarissima Summi Pontificatus instituta Sanctissimi Domini Nostri Innocentii XII. saluberrima constitutio manaverit, in fine hujus capitis apponenda: quaecumque in ea praescripta sunt, inviolabiliter observentur.

d 12. Sancta Synodus Ordinarios in Domino obsecrat, ut interstitiorum observantiam negligi non patiantur; neque, posthabito temporum munerumque exercendorum praescripto, praeproperae ordinandorum cupiditati facile indulgeant, ne ii *forte semper esse desinant, quod immature esse festinant.* Cum igitur exequutio Indul-

3) Cassiod. lib. 8. epist. 24. (Opp. Cassiod. Ed. Migne. I. 758. A). S. Cyprian. lib. 2. epist. 1. (al. ep. 72. ad Stephanum. Ed. Baluz. p. 128). S. Greg. lib. 2. epist. 48. (al. l. 3. ep. 49. Opp. S. Greg. Ed. Migne. III, 644. C).

4) Trid. sess. 21. de reform. cap. 2. Ex lit. encycl. S. Congr. Conc. de mand. Innoc. XI. 13. Maji 1679. S. Congr. Conc. 6. Febr. 1597. S. Congr. Episc. in Ugenti. 6. Octob. 1617. Trid. sess. 21. de reform. cap. 2. Cap. *Tuis quaestionibus.* 23. et cap. *Episcopus.* 4. de praebendis (III, 5). S. Ambros. in quod. serm. [quem, frustra in opp. S. Ambr. quaesitum, in libro a Caillau edito: S. Aug. Serm. ined. Append. p. 234., inveni.]

5) Can. *Sanctorum.* 2. et can. *Neminem.* 1. dist. 70.

6) Trid. sess. 21. de reform. cap. 2. S. Congr. Conc. 27. Nov. 1610. Urban. VIII. const. 35. *Secretis* pro Ultramont. d. 11. Dec. 1624. Pii V. const. 75. *Romanus Pontifex.* d. 14. Oct. 1568. Conc. Neap. cap. 19.

7) Trid. sess. 21. de reform. cap. 2. Cap. *Per tuas.* 37. de simonia (V, 3).

10) Conc. Neap. supra cit. cap. 19. p. 32. et 33.

11) Innoc. XII. const. 54. *Speculatores.* d. 4. Nov. 1694.

12) Trid. sess. 23. cap. 12. Can. 1. 2. 3. et 8. dist. 77. Coelestinus Papa ad Episc. Galliae epist. 2. cap. 3. [ep. ad Episc. Vienn. c. 4. Coustant, Epist. Rom. Pont. 1069. A.] S. Congr. de mand. Innoc. XII. 14. Dec. 1693.

torum Apostolicorum suscipiendi ordines extra tempora a Jure statuta juxta decreta Sanctissimi Domini Nostri Innocentii XII. jussu edita, huic Synodo subjicienda, eorum arbitrio permissa sit, onerata eorundem conscientia: ipsi, quod in Domino expedire censuerint, in illis admittendis decernant.

13. Juxta decretum S. Congregationis in fine apponendum literae dimissoriales eorum, qui in Regno Neapolitano ad primam tonsuram et minores ordines promovendi sunt, dirigantur uni tantum et certo Ordinario ad electionem concedentis, et pluribus directae nullae sint. Si quis vero contra formam praesentis decreti ad primam tonsuram aut minores ordines fuerit promotus, ab exequutione collati et a susceptione superioris ordinis perpetuo suspensus sit, et ulterius condignis poenis puniatur. Ordinans vero vel dimissorias concedens ultra divinam indignationem, quam incurret, a collatione ordinum per annum eo ipso suspensum se noverit, ex forma ejusdem decreti.

14. Ad majores ordines nemo promoveatur, nisi prius in religiosa aliqua domo ab Ordinario designanda per decem dies spiritualibus exercitiis vacaverit juxta Encyclicas literas datas die 9. Octobris 1682. mandato fel. record. Innocentii XI., ac in eadem domo diu noctuque commoratus fuerit.

Sanctissimi Domini Nostri Innocentii Papae XII.

Constitutio, qua plura declarantur ac praescribuntur pro tollendis abusibus et fraudibus circa Ordinationes alienorum Subditorum.

INNOCENTIUS Episcopus Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Speculatores Domus Israel, quae est Sancta Dei Ecclesia, per ineffabilem Divinae Bonitatis abundantiam constituti, eo potissimum ab ipsis Pontificatus Nostri primordiis Pastoralis vigilantiae nostrae studia convertenda esse duximus, ut, qui in sortem Domini vocantur sacrisque addicuntur ministeriis, quippe quos irreprehensibiles esse convenit, ut praeesse valeant corrigendis, ac in quos tanquam in speculum reliqui oculos conjiciunt ex iisque sumunt, quod imitentur, tales sint, qui digne possint Dominica Sacramenta tractare ac aedificent cunctos tam fidei scientia quam operum disciplina.

1. Sane hoc inito consilio, non alios, quantum fieri potest, quam qui in sanctitate et justitia per ordinatissimos Ecclesiasticae Militiae gradus statis intervallis ambulaverint ac pie et fideliter in ministeriis anteactis se gesserint, ad Sacerdotium assumi, sacrasque ordinationes juxta priscum Ecclesiae morem praescriptis a jure temporibus orationi et jejunio consecratis haberi cupientes, severiorem quamdam in concedendis Indultis suscipiendi sacros Ordines extra tempora hujusmodi,

a et interstitiis ad id designatis minime servatis, ultro Nobis proposuimus adhibendam rationem; qua videlicet servata, ante meritum laboris, ante tempus examinis, ante experientiam disciplinae Sacerdotalis honor non probatis minime tribuatur, nec unquam heri sacrilegi, hodie Sacerdotes, heri profani, hodie sacrorum Antistites, veteres vitio, virtute rudes et recentes, discipuli simul ac Magistri pietatis creentur; sed ii tantum, juxta constitutas a Majoribus Leges, ab humili gradu fidelis Populi ad sacrarum administrationum sublimitatem promoveantur, qui post mutatum habitum secularem diuturna conversatione inter Clericos fuerint comprobati ac multo tempore didicerint, quae postmodum alios docere tenentur. Caeterum per ea ipsa Indulta, quae
b super praemissis parcius quidem ac ex certis tantum et magis rationabilibus causis concedere decrevimus, contraria quavis illorum interpretatione penitus improbata, salutarem illam, quam sacri Generalis Tridentini Concilii Decreta de non ordinandis ad patrimonii titulum nisi illis, quos Episcopi pro necessitate vel commoditate suarum Ecclesiarum assumendos judicaverint, praescribunt disciplinam, nequaquam relaxatam intelligi; quinimo nec unquam ad Indulta hujusmodi exequenda Episcopos ipsos arctare, sed illorum executionem arbitrio semper eorundem Episcoporum, quorum conscientias hac in re strictissime oneratas volumus, prorsus relinquere declaravimus; sperantes in Domino, eos, qui juxta Apostoli monitum nemini cito manus imponendas esse probe
c norunt, sibi et universo gregi attendentes, in quo eos posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei, reverenda ipsis spiritibus Angelicis ministeria ab hominibus sine consideratione apprehendi nunquam permissuros nec temere praeripi passuros, quae vita probata dumtaxat accipere promeretur.

2. Omnes insuper et singulos, cujuscumque tandem gradus, ordinis et dignitatis fuerint, quibus ex hujus Sanctae Sedis gratia sacros Ordines praefatos extra eadem tempora conferendi vel aliis, ut illos sic conferre valeant, indulgendi potestas fieri consuevit, cum Divinos Ordines largiri districti semper esse judicii oporteat, serio monitos volumus, ut praescriptos sibi desuper in suis quique facultatibus terminos religiose
d custodiant, nec eos cujusvis consuetudinis aut exempli praetextu ullatenus transgrediantur.

3. Verum, quo impensius Apostolicae gubernationis curam et cogitationes in haec intendimus, eo majori cum animi nostri dolore ex quamplurium Venerabilium Fratrum nostrorum Archiepiscoporum et Episcoporum, in diversis Regionibus existentium, delatis ad Nos querelis accepimus, graviora quotidie malignari inimicum in Sancto, sacrilega scilicet illorum impudentia in dies crescente, qui propriae salutis immemores, Clericales Ordines sibi forsan a propriis Praesulibus denegatos, seu quos, aliquibus canonicis sibi obstantibus impedimentis, denegari merito verentur, ab alienis Episcopis, non quae Jesu Christi, sed eas, quae ad ipsos non pertinent, Oves in animarum suarum perni-

13) S. Congr. 22. Jun. 1623.
14) S. Congr. lit. encycl. de mand. Innoc. XI. 9. Octob. 1682.

ciem quaerentibus nec tot canonicas damnationes contra usurpantes alienae plebis hominem latas perhorrescentibus, absque suorum Praelatorum commeatu, hoc est dimissoriis commendatitiisve eorum literis destituti, quinimmo eis insciis et saepe etiam invitis, sub minus legitimis Beneficii Ecclesiastici, Originis, Domicilii seu etiam familiaritatis ac continuae Ordinantium Episcoporum commensalitatis quaesitis titulis in sacrarum legum fraudem et contemtum illegitime suscipiunt, atque ita non intrantes per ostium et nihilominus Tabernaculum Domini cum macula inhabitare non dubitantes, sacrificium in sacrilegium convertunt, judicium absque misericordia sibi consciscunt, Deoque minime placentes et tamen placare velle praesumentes, non modo eum non placant, sed magis irritant, dum videntur in cordibus suis dicere: Non requiret.

4. Hinc est, quod Nos ex commissae Nobis divinitus Apostolicae servitutis munere abusus, fraudes ac scandala hujusmodi penitus et omnino e medio tollere ac irreligiosam contrafacientium audaciam, quantum Nobis ex alto conceditur, compescere et reprimere volentes, nec non fel. rec. Urbani VIII. contra male ordinantes et male ordinatos, quae incipit: *Secretis,* aliorumque Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum ac etiam Conciliaribus hac in re editis Constitutionibus et Ordinationibus inhaerentes illasque, quoad ea, quae praesentibus non adversantur, quatenus opus sit, innovantes; de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium ejusdem Concilii Tridentini interpretum, qui, quaecumque antehac super praemissis ab ipsorum Cardinalium Congregatione in particularibus casibus edita decreta, declarationes seu responsa ad earumdem praesentium limites reducenda esse censuerunt, consilio ac etiam Motu proprio et ex certa scientia et matura deliberatione nostris deque Apostolicae potestatis plenitudine, ad Omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiae utilitatem, veteris disciplinae instaurationem totiusque Christiani populi aedificationem, hac generali nostra et perpetuo valitura Constitutione decernimus et declaramus:

5. Nulli Episcopo seu cujusvis loci Ordinario, tametsi Cardinalatus honore fulgeat, licere exterum quempiam ac sibi ratione Originis seu Domicilii, juxta modum inferius declarandum legitime contracti, non Subditum ad Clericalem tonsuram promovere cujusvis Beneficii Ecclesiastici ei statim, ac tonsura hujusmodi insignitus fuerit, conferendi, seu ad quod is a Patronis jam praesentatus seu nominatus fuerit, praetextu, etiamsi Beneficium praedictum de novo ea expresse adjecta lege fundatum fuisse constiterit, ut quis immediate post Clericalem characterem susceptum ad illud instituatur.

6. Praeterea Clericum, qui legitime jam a proprio Episcopo ad eamdem Clericalem tonsuram seu etiam ad minores Ordines promotus fuerit, non posse ab alio Episcopo ratione ac titulo cujuscumque Beneficii in illius Dioecesi obtenti ad ulteriores Ordines promoveri, nisi ante eorumdem susceptionem Testimoniales literas
a proprii Episcopi tam Originis quam Domicilii super suis natalibus, aetate, moribus et vita sibi concedi obtinuerit, easque Episcopo Ordinanti in actis illius Curiae conservandas exhibuerit. Licet vero Clericus ratione cujusvis Beneficii in aliena Dioecesi obtenti subjici dicatur Jurisdictioni illius Episcopi, in cujus Dioecesi Beneficium hujusmodi situm est, eam tamen de caetero hac in re inconcusse servari volumus Regulam, ut nemo ejusmodi subjectionem ad effectum suscipiendi Ordines acquirere censeatur, nisi Beneficium praedictum ejus sit reditus, ut ad congruam vitae sustentationem sive juxta Taxam Synodalem sive, ea deficiente, juxta morem Regionis pro promovendis ad Sacros Ordines, detractis oneribus, per se sufficiat,
b illudque ab Ordinando pacifice possideatur, sublata quacumque facultate supplendi, quod deficeret, fructibus ejusdem Beneficii cum adjectione Patrimonii, etiam pinguis, quod ipse Ordinandus in eadem seu alia quavis Dioecesi obtineret; ac Episcopus sic ordinans tam de praedictis Testimonialibus Literis quam de reditu Beneficii hujusmodi expressam in consueta collatorum Ordinum attestatione mentionem facere debebit.

7. Caeterum Subditus ratione Originis is tantum sit ac esse intelligatur, qui naturaliter ortus est in ea Dioecesi, in qua ad Ordines promoveri desiderat, dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occasione nimirum Itineris, Officii, Legationis, Mercaturae vel cujusvis alterius temporalis morae seu permanentiae
c ejus Patris in illo loco, quo casu nullatenus ejusmodi fortuita nativitas, sed vera tantum et naturalis Patris origo erit attendenda. Quodsi quis tanto temporis spatio in eo loco, in quo ex accidenti, sicut praemittitur, natus est, moram traxerit, ut potuerit ibidem canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab Ordinario ejus loci literas Testimoniales, ut supra, obtinere illasque Episcopo ordinanti, per eum in collatorum Ordinum Testimonio similiter recensendas, praesentare teneatur. At si pater in alieno loco, ubi ejus filius natus est, tamdiu ac animo permanserit, ut inibi vere Domicilium de Jure contraxerit, tunc non origo Patris, sed Domicilium per Patrem legitime, ut praefertur, contractum pro Ordinatione ejusdem filii attendi debeat.

d 8. Subditus autem ratione Domicilii ad effectum suscipiendi Ordines is dumtaxat censeatur, qui, licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut, vel per decennium saltem in eo habitando, vel majorem rerum ac bonorum suorum partem cum instructis aedibus in locum hujusmodi transferendo ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit, et nihilominus ulterius utroque casu se vere et realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmet. Si quis tamen a propriae originis loco in ea aetate discesserit, qua potuerit alicui canonico impedimento obnoxius effici, etiam Ordinarii suae originis testimoniales literas, ut

supra, afferre debebit, ac de illis expressa similiter a
mentio in susceptorum Ordinum Literis facienda erit.

9. Ad haec nullus Episcopus alienae Dioecesis Subditum Familiarem suum ad aliquos Sacros seu Minores Ordines vel etiam primam tonsuram promovere seu ordinare praesumat absque ejus proprii, originis scilicet seu Domicilii, Praelati Testimonialibus literis, ut supra, et nisi ad praescriptum Concilii Tridentini praefati sess. XXIII. cap. IX. de Reform. Familiarem praedictum per integrum et completum triennium in suo actuali servitio secum retinuerit ac suis sumtibus aluerit; Beneficium insuper, quod ei ad vitam sustentandam juxta modum superius praefinitum sufficiat, quacumque fraude cessante, statim, hoc est saltem intra terminum unius mensis a die factae ordinationis, re b
ipsa illi conferat, ac in Ordinationis hujusmodi Testimonio expressam itidem familiaritatis ac literarum praedictarum mentionem facere teneatur.

10. Porro, ut quicumque fraudibus aditus omnino praecludatur, volumus et Apostolica Auctoritate statuimus atque decernimus, ut Episcopus quilibet suos ratione originis sive Domicilii Subditos Clericos quoscumque ab alienis Episcopis quavis auctoritate, etiam cum suis commendatitiis literis, promotos, nedum ad formam Concilii Tridentini supradicti sess. XIV. cap. III. de Reformat. quoad scientiam examinare valeat, verum etiam Ordinum eis collatorum testimoniales literas, gratis tamen, recognoscere ac diligenter perquirere, an quoad illos praesentis Constitutionis forma et dispositio c
adimpleta fuerit, assignato sic promotis termino competenti ei magis beneviso ad docendum de ejusmodi adimplemento, ita ut, quos, eo termino elapso, id minime praestitisse compererit, a susceptorum Ordinum exercitio, si ita et quamdiu ei expedire videbitur, suspendere illisque, ne in Altari aut in aliquo Ordine ministrent, interdicere possit.

11. Ita vero praemissa omnia et singula perpetuo ac inviolabiliter observari atque adimpleri volumus, ut, si quid in iisdem praemissis seu eorum aliquo secus fiat, Ordinans quidem a collatione Ordinum per annum, Ordinatus vero a susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, eo ipso suspensus sit, aliisque insuper gravioribus poe- d
nis, pro modo culpae Nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio infligendis, uterque subjaceat.

12. Decernentes pariter, easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime et inviolabiliter observari, sicque et non aliter per quoscumque Judices ordinarios et delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos ac Sedis praefatae Nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

13. Non obstantibus praemissis ac Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica aut quavis firmitate alia roboratis Statutis et Consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis et literis Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus in genere vel in specie seu alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur et insererentur, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, eisdem praesentibus pro expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus caeterisque contrariis quibuscumque.

14. Volumus autem, ut praesentes Literae in Valvis Ecclesiae Lateranensis et Basilicae Principis Apostolorum necnon Cancellariae Apostolicae ac in Acie Campi Florae de Urbe, ut moris est, publicentur et affigantur, sicque publicatae et affixae, omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctent et afficiant, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent; quodque earumdem praesentium transsumtis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis et sigillo alicujus personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio quam extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

15. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum Decretorum, Declarationis, Voluntatis, Statuti et Derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo nonagesimo quarto Pridie Nonas Novembris, Pontificatus Nostri Anno quarto.

B. Card. Prodat. J. F. Card. Albanus.

Visa de Curia J. Sacripantes.

Loco † Plumbi. *D. Ciampinus.*

Registrata in Secretaria Brevium.

CAP. VIII. De officio Exorcistae.

1. Quicumque in digito Dei Daemonia ejicere atque eos, qui a spiritibus immundis vexantur, in Christi nomine curare aggreditur, oratione et jejunio instructus, scutum Fidei assumat, ut tela nequissimi hostis ignea extinguat, et portae inferi sacrae vocis imperio contremiscant. Episcopi igitur iis tantum id muneris commendent, quos morum sanctitas et vitae integritas effecerit Diabolo terribiles.

2. Si quis autem sine Ordinarii facultate illud susceperit, suspensione a Divinis ipso facto aliisque arbitrariis poenis coerceatur, si quidem Secularis fuerit; si vero Regularis, tum arbitrio Ordinarii puniatur, tum facultatem audiendarum confessionum, si obtinuerit, ipso facto amittat, neque ad illam in posterum admittatur.

3. Arbitrio quoque Ordinarii puniatur, qui vel exorcismis usus fuerit in Rituali Romano minime praescriptis vel extra Ecclesiam vel summotis arbitris contra ejusdem Ritualis formam, vel horis nocturnis exorcismos adhibuerit.

4. At si quis ministerii sanctitate abusus, aliquem ad turpia illius occasione induxerit, sit ipso facto excommunicatus, aliisque in eum corporalibus poenis graviter animadvertatur.

CAP. IX. De Sacramento Matrimonii.

1. Indignum est, Sanctorum filios more gentium, quae Deum ignorant et errant, Sacramentum magnum celebrare, quo charitas eximia, qua Christus Dominus dilexit Ecclesiam, Sponsam non habentem maculam neque rugam, mystice significatur. Quare Pastoribus animarum curae erit, ut fideles Matrimonii sanctitatem intelligant serventque inviolatam. Quandoquidem *habet potestatem Daemonium,* sicut Angelico docemur hortatu, *super eos, qui ita conjugium suscipiunt, ut Deum a se et a sua mente excludant.* Igitur fideles ad illud celebrandum puri mundique accedant ac per Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae nuptiali divinae gratiae veste ornent animas suas, ut sit *honorabile connubium in omnibus,* secundum Apostolum, *et thorus immaculatus.*

2. Ante denunciationes in Ecclesia faciendas Parochi, in quorum Paroecia degunt, Sponsorum voluntatem et libere praestandum contrahendi Matrimonii consensum explorent; simulque eos de Fidei rudimentis percontentur; quos si minus instructos deprehenderint,
a sedulo erudire non negligant, sub poenis arbitrio Ordinarii imponendis.

3. Cognita utriusque Sponsi voluntate, ac, si concubinarii fuerint, etiam thori et domicilii separatione comperta, tribus festis diebus, quoad fieri potest, inter se distantibus, in populi conventu ab ipsis Parochis clara voce Matrimonium contrahendum proclametur, et nomina denunciatorum in valvis Ecclesiae affigantur.

4. Si impedimentum aliquod sive certum sive dubium subesse Parochus, aliquo deferente, resciverit, ulterius progredi aut ad denunciationes peragendas aut ad assistendum Matrimonio non audeat; sed rem ad Ordinarium primo quoque tempore deferat. Sponsis
b vero in diversis Paroeciis degentibus, in utraque Paroecia tribus statutis denunciationibus Matrimonium publicetur.

5. Ut dubitationibus, quae ex domicilii mutatione suboriri solent, consulatur, in nulla Paroecia tres ejusmodi proclamationes fiant, nisi uterque vel alter Sponsus saltem quatuor ante mensibus ibi domicilium collocarit; breviori autem elapso tempore, una quidem in ea, ad quam recens commigrarunt, duae reliquae, unde discesserunt, peragantur.

6. Ne quis fortasse impedimentum aliquod delaturus temporis angustiis excludatur, hortatur Sancta Synodus, ut eadem die, qua suprema denunciatio facta est, Matrimonium non celebretur.

c 7. Poenas in sua Dioecesi constitutas aut constituendas incurrat, quisquis aut falsum impedimentum imposuerit aut verum sibi compertum reticuerit.

8. Si Matrimonium intra duos menses a peractis denunciationibus non contrahatur, iterum denunciationes instituantur, nisi aliter Ordinarius censuerit.

9. Observetur ad amussim instructio Sac. Congregationis pro examine testium, qui inducuntur ad probandum statum liberum contrahere volentium Matrimonia, ac etiam pro ipsorum Sponsorum depositionibus recipiendis, in calce Synodi apponenda.

10. Cum indignissimum sit Matrimonii sanctitatem in obtentum et occasionem admittendae turpitudinis cedere, poenis in sua cujusque Dioecesi decretis aut
d decernendis afficiantur Sponsi et Sponsae, post inita sponsalium foedera, sed ante Matrimonium legitime contractum carnalem inter se copulam habentes; paribusque poenis coerceantur parentes, consanguinei aut affines,

---

Cap. VIII. 1) Luc. 11, 20. Marc. 9, 28. Ephes. 6, 16. Conc. Mediol. IV. p. 2. t. 1. quae ad sacramentalia.

2) S. Congr. Conc. 1. Jul. 1606. S. Congr. Episc. in Florentina. 22. Febr. 1625. Conc. Mediol. ubi supra. Conc. Mediol. IV. p. 2. t. 1. quae ad sacramentalia ... pertinent. Can. *Tabernaculum.* 2. dist. 1. de consecr.

4) Rit. Rom. in rubr. de exorcizan. §. *Mulierem.*

Cap. IX. 1) Ephes. 5, 32. Trid. sess. 24. de reform. matr. cap. 1. Catech. Rom. p. 2. cap. 8. et cap. 1. §. 1. Tob. 6, 17. Trid. loc. cit. Conc. Neap. cap. 40. Rit. Rom. in rubr. de sacr. matr. §. *Admoneantur.* Hebr. 13, 4.

2) Conc. Mediol. loc. cit. Rit. Rom. in rubr. de sacr. matr. §. *Has autem.* Conc. Mediol. V. p. 3. hoc tit. 17. S. Carolus in instr. matrim. tit. de parochi diligent. in fine (Acta eccl. Mediol. p. IV. pag. 457).

3) Trid. sess. 24. cit. Conc. Londin. sub Paschali II. et sub Innoc. III. a. 1102. et 1200. Conc. Colon. sub Paulo III. p. 7. cap. 43.—45.

4) Rit Rom. ubi supra. Conc. Mediol. III. hoc tit. 17. Conc. Aquen. a. 1585. tit. de matrim. Conc. Narbon. a. 1609. Conc. Ravennat. II. sub Clem. V. rub. 19.

5) Rit. Rom. loc. cit.

6) Conc. Mediol. III. loc. cit. Conc. Neap. cap. 40.

7) Conc. Later. IV. rel. in cap. *Cum inhibitio.* 3. de cland. despons. (IV, 3). Conc. Mediol. III. loc. cit. t. 17.

8) Conc. Mediol. V. t. 17. quae ad matr. pertinent.

10) Conc. Mediol. VI. t. 27. quae ad matr. pertinent. et II. t. 1. decr. 27. S. Carolus in instr. de sacr. matr. (Acta eccl. Mediol. p. IV. pag. 457. seqq.). Conc. Aquen. a. 1585. Trid. sess. 24. de reform. matr. cap. 1.

eorum copulam, cohabitationem aut pernoctationem permittentes.

11. Parochi accurate exequantur, quae in Rituali Romano praescribuntur, praesertim de nominibus contrahentium et testium in peculiari libro describendis; idemque servetur circa librum custodiendum, quod de baptizatorum libro servando praeceptum est.

12. Cum Polygamiae interdum, discordiarum aliorumque malorum occasiones emersisse compertum sit ex eorum intoleranda temeritate, qui Canonicas sanctiones et statutas a sacro Tridentino Concilio solemnitates parvipendentes Matrimonium contrahunt, etiam Parocho per vim aut dolum adducto: propterea ad illam compescendam ultra ea, quae statuta sunt in *cap. I. de Matrimonio contra interdictum Ecclesiae celebrato*, excommunicationis sententiam ipso facto incurrendam decernit Sancta Synodus tum adversus ita contrahentes tum adversus eos, qui ad tam nefarium ausum consilium opemque contulerint; Parochus vero, cujus supina in ea re negligentia constiterit, poenam dabit aureorum centum, piis usibus addicendorum, aliasque arbitrarias.

13. Excommunicationis sententia, cedulonibus publicanda et Ordinariis reservata, ad mentem Tridentini coercendos mandat Sancta Synodus eos, qui concubinas retinuerint, atque ipsas etiam concubinas, si admonitionibus Juris ordine praemissis, a nefaria consuetudine minime recesserint; si autem excommunicatio promulgata non fuerit, iidem a Confessariis non possint absolvi, nisi, facta reali separatione et thori et domus, per duos se menses continuerint, vel nisi certo aut valde probabiliter constet, factos physice aut moraliter impotentes ad recidendum vel paulo post esse inter se Matrimonium contracturos, modo realiter sint separati.

TITULUS IV.

De Sanctorum Invocatione et Veneratione.

Text. Trid. sess. 25. in Decreto de Invocatione Sanctorum.

Mandat S. Synodus omnibus Episcopis et caeteris docendi munus curamque sustinentibus, etc. ut in primis de Sanctorum intercessione, invocatione, reliquiarum honore et legitimo Imaginum usu fideles diligenter instruant, etc. Quodsi aliquis dubius aut difficilis abusus sit extirpandus, vel omnino aliqua de iis rebus gravior quaestio incidat: Episcopus, antequam controversiam dirimat, Metropolitani et Comprovincialium Episcoporum in Concilio Provinciali sententiam expectet.

11) Trid. sess. cit. cap. 1. Rit. Rom. in ritu celebr. matr. in fine. Conc. Neap. cap. 40.

12) Trid. sess. 24. cit. Conc. Remen. a. 1583.

13) Trid. sess. 24. de reform. matr. cap. 8. Conc. Neap. cap. 40. S. Carolus in instr. confess. (Acta eccl. Mediol. p. IV. pag. 644—668). Conc. Roman. V. sub Greg. VII. can. 7. Conc. Later. II. sub Innoc. II. can. 22.

a **CAP. I. De Reliquiis Sanctorum.**

1. Sanctorum exuvias, qui *per fidem vicerunt Regna* et coronas triumphales meruerunt, velut Christianae fortitudinis monumenta, ita decet venerari, ut et viva Christi membra et templum Spiritus Sancti fuisse agnoscamus et militantis Ecclesiae incitamenta ad victoriam, quae vincit mundum, atque ad evertendos Principes tenebrarum et seculi potestates. Iis propterea ut debitus honor quam sanctissime deferatur, vetat Sancta Synodus, ne ullae exponantur Reliquiae, nisi Ordinarii judicio vel antiquissimo populi cultu fuerint approbatae.

2. In earum autem expositione tum omnem lucri cupiditatem praecipit esse fugiendam, tum decentiam
b religionemque in omnes partes observandam. Itaque nunquam, nisi idonea causa suadente, et cereis hinc inde ardentibus, exponantur nec, nisi iisdem praelucentibus, gestentur.

3. Eas autem solus Sacerdos gestet, superpelliceo et stola indutus, qui post expositionem antiphonam, versiculum et orationem congruentem recitabit.

4. Nova miracula per Sanctorum reliquias edita non promulgentur, sed a Parochis vel Ecclesiarum Rectoribus ad Ordinarium deferantur, legitimis documentis ab eodem comprobanda et publicanda, si visum fuerit expedire.

5. Thecis quam ornatissimis et sigillo Ordinarii obsignatis Sanctorum Reliquiae custodiantur; Thecae
c vero in Armariis tuto decentique loco muniantur clave ab Ecclesiae Praefecto vel Thesaurario servanda; quibus inscribatur epigraphe *Reliquiae Sanctorum*. Tabella etiam cum reliquiarum nominibus in conspicua templi parte affixa retineatur.

6. Intra tres menses ab hujus Synodi promulgatione omnes Ecclesiarum Praepositi, etiam exemti, ad Ordinarium deferant indicem Reliquiarum in ejus archivio reponendum; ut curam, sibi tamquam Sedis Apostolicae Delegato a Tridentino commendatam, diligenter exequatur.

7. Quoniam Sancta sancte tractanda sunt, nemo nisi in sacris constitutus Reliquias attrectare audeat.

8. Episcopi in Sancta Visitatione Sanctorum Reli-
d quias accurate recognoscant et, quae ad decentem earum custodiam cultumque pertinent, diligenter constituant.

Cap. I. 1) Hebr. 11, 33. Trid. sess. 25.

2) Trid. sess. 25. de reliq. et vener. Sanctor.

3) S. Carolus in Conc. Mediol. I. p. 1. t. 9. S. Greg. lib. 4. epist. 30. Opp. Ed. Migne VIII, 701 seqq. Sixt. V. const. 88. *Dominus*. d. 13. Nov. 1588.

4) Urban. VIII. const. 37. (al. 41.) *Sanctissimus*. d. 4. April. 1625. S. Rit. Congr. de mand. Urban. VIII. 12. Mart. 1631. quod decret. confirmatum fuit ab Innoc. XI. a. 1678.

5) Cap. *Cum ex eo*. 2. de reliq. et vener. Sanctor. (III, 45). Conc. Mediol. I. p. 1. t. 9. cit. Card. Paleott. p. 6. de visitat. 495. Acta eccl. Mediol. p. 4. lib. 1. c. 16. §. *Tabella*. pag. 477.

6) Trid. sess. 25. cit. Mediol. IV. p. 1. t. 2. §. *qua omni*.

8) Conc. Mediol. I. p. 2. t. 30. B. de visit. §. *An Sanctorum*. Conc. Bonon. I. p. 4. de reliquiis certis et incertis. [Card. Paleott. de Bonon. eccl. admin. p. 229.]

CAP. II. De Sacrarum imaginum cultu.

1. Ut visibilium aspectu animus ad invisibilia raperetur et mysteriorum exemplis in oculos incurrentibus ex his, quae novit, surgeret ad incognita, quae non novit: Sacras Imagines retinendas et colendas a primaevis Christianae Religionis temporibus constituit Ecclesia. Pastores igitur sedulo curabunt, ne ullae falsi dogmatis Imagines et rudibus periculosi erroris occasionem praebentes statuantur, neve procaci venustate ornatuque depingantur. Quare nullae unquam in quavis Ecclesia, etiam exemta, insolitae collocentur Imagines, nisi ab Episcopo fuerint approbatae ex Decreto Tridentini; omnes vero ad formam Ritualis Romani benedicantur, quae in Altaribus collocandae sunt.

2. Nemini liceat Sacras Imagines alia forma habituque efformare, contra quam Ecclesia consuevit, ut Urbani VIII. constitutione praescribitur; neque typis impressas sine Ordinarii facultate evulgare, si novi miraculi historiola aut oratiuncula subjecta sit.

3. Quae Altaribus aut Imaginibus offeruntur votivae tabellae, cujuscumque materiae sint, ibi perpetuo fixae dependeant.

4. Parochi et quicumque Ecclesiarum Praepositi, ubi resciverint, populum frequentiorem ex increbrescente novi miraculi rumore ad Sacram aliquam Imaginem confluere, sine mora ad Ordinarium deferant.

5. Agnos cereos nemo nisi Sacris Ordinibus initiatus attrectet. Si quis autem eos vel pinxerit vel inaurarit, noverit, se juxta Gregorii XIII. Constitutionem excommunicationis sententiae subjacere.

TITULUS V.

De Indulgentiis et Eleemosynis.

Text. Trid. sess. 25. in Decreto de Indulgentiis.

Sacrosancta Synodus Indulgentiarum usum, Christiano populo maxime salutarem et Sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet et praecipit, etc. Abusus vero, qui in his irrepserunt, etc. Mandat omnibus Episcopis, ut diligenter quisque hujusmodi abusus Ecclesiae suae colligat, eosque in prima Synodo Provinciali deferat, ut, aliorum quoque Episcoporum sententia cognita, statim ad Summum Romanum Pontificem deferantur.

CAP. I. De Indulgentiarum evulgatione.

1. Qui charitate jungente membra sunt Christi, ut de plenitudine ejus accipiant, atque ad eluendas peccatorum reliquias Sanctorum meritis adjuventur: locu-
a pletissimum Indulgentiarum thesaurum Ecclesiae suae potestate distribuendum largitus est Dominus, ut temporalis etiam poenae vincula solveret captiva filia Sion.

2. Praecipit autem Sancta Synodus, ut Apostolicae constitutiones, praesertim de amovenda ab evulgatione atque usu Indulgentiarum lucri cupiditate, ad amussim observentur. Itaque mandat, ut non solum nulla mercedis spe promulgentur, verum etiam ut earum diplomata aut summaria a locis, ubi capsulae ad eleemosynas colligendas collocatae sunt, removeantur.

3. Tridentini sanctionem, ne ullis liceat, quacumque exemtione fruentibus, Indulgentias sine Ordinarii facultate promulgare, pro virili tueantur ac servari studeant Episcopi; neque in Ecclesiis quomodolibet
b exemtis Indulgentias aut earum summaria exponi patiantur, nisi, iis antea recognitis, exponendi facultatem ipsi concesserint.

4. Mulieres intra Regularium claustra ingredi non audeant occasione Indulgentiarum, etiam pro utriusque sexus Christifidelibus Oratorium visitantibus, aut cappellam intra eorum claustra existentem, ut Decreto Sac. Congregationis in fine adscribendo cautum est, sub poena violatae clausurae.

CAP. II. De Anno magni Jubilaei.

1. Ad relaxanda facinora plebi Israel et convertendam peccatorum captivitatem de cunctis locis, appropinquat dies redemtionis novae; cum monitis Sac.
c Congregationis specialiter deputatae propositis pro imminente Anno Jubilaei Pontificia Sanctissimi Domini Nostri Innocentii XII. charitas cunctos, qui christiana professione censentur, paratos exoptat, ut *ad thronum gratiae* adeuntes *misericordiam* consequantur et *gratiam* inveniant *in auxilio opportuno.* Igitur ad montem Domini *in vertice montium,* ad quem *fluent omnes gentes,* ut hujus Provinciae Christifideles quam frequentissimi ascendant, inhaerens ejusdem Sac. Congregationis mandatis, haec Sancta Synodus universos hortatur et obsecrat, ut quaerant Dominum, dum inveniri potest, et, generali anteactae vitae confessione praemissa, emundentur ab omnibus inquinamentis suis.

2. Episcopos autem cumprimis admonet Sancta Synodus, ut, quae futura sint id temporis, sollicitudinis
d suae munera intelligant; atque impigra sedulitate omnia praestare satagant, quae reliquorum fidelium charitatem opera et exemplo promoveant; largius itaque opes suas in peregrinantium subsidium erogent; et suae

---

Cap. II. 1) S. Greg. hom. 11. in evang. (Opp. S. Greg. Ed. Migne. II. 1115). Trid. sess. 25. de invoc. Sanct. Urban. VIII. const. 51. (al. 288.) *Sacrosancta.* d. 15. Mart. 1642. Rit. Rom. de bened. imag.

2) Urban. VIII. const. 32. (al. 132. vel 180.) *Coelestis Jerusalem.* d. 5. Jul. 1634. Trid. sess. 25. cit.

4) Can. *Placuit* 26. dist. 1. de consecr. Conc. IV. can. 42.

5) Greg. XIII. const. 2. *Omni certe.* d. 25. Maji 1572.

Cap. I. 1) Joan. 1, 16. Isa. 52, 2.

2) Trid. sess. 21. de reform. cap. 9. et sess. 25. Pii V. const. 30. *Etsi dominici.* d. 8. Febr. 1567. et const. 99. *Quam plenum.* d. 2. Januar. 1570. Conc. Mediol. V. p. 1. t. 5. B. de indulg. §. *Ne indulgentiae.*

3) Trid. ubi supra. sess. 21. de reform. cap. 9. Conc. Neap. cap. 5.

4) Pii V. const. 20. *Regularium.* d. 24. Octob. 1566. Greg. XIII. const. 28. *Ubi gratiae.* d. 13. Jun. 1575. S. Rit. Congr. in Oriol. 30. Sept. 1628. S. Congr. super indulgentiis. 2. Maj. 1679.

Cap. II. 1) Jerem. 29, 14. Ad formam const. Innoc. XII. (const. 118. *Regi saeculorum.* d. 17. Maj. 1699.) Hebr. 4, 16. Isa. 2, 2. S. Congr. particularis de mand. Innoc. XII. a. 1699. Isa. 55, 6.

2) Can. *Mos est.* 30. XII. q. 2. Conc. Turon. a. 1588. tit. 12. de episc. Card. Paleott. de Bonon. eccl. admin. p. 6. fol. 467.

Dioecesis hospitia pro peregrinis liberaliter excipiendis diligentissime visitent; omniaque in iis composita et instructa esse curent; ut hospitalitas inter christianas et Episcopales virtutes praecipua idoneis argumentis eluceat.

3. Illud etiam curabunt, ut Parochi et Concionatores populo accurate explanent, quam sancta sit et salubris Jubilaei institutio, et quantas in eo Dominus misericordiae suae divitias benignus effundat.

4. Quanta praeterea in itinere instituendo pietas, quantum Christianae humilitatis propositum vigere debeat; *mites* enim *docebit* Dominus *vias suas*, et ambulabunt in semitis ejus. Nullus igitur luxus in vestibus, nullum in cultu corporis seculi studium appareat. Procul ab iis, *qui ambulant in lege Domini*, omnis scurrilitas, jurgia, convicia, sed in ore eorum dulcis resonet divinarum laudum sonus; ut, Angelo Dei comite, ad salutis portum pervenire feliciter mereantur.

5. In Confraternitatum itinere dirigendo Praefectisque deputandis, qui ad mentem Sac. Congregationis aetate et consilio praestent, animum sedulo intendant; ac studeant, ut in xenodochiis feminae a viris segregatae hospitentur; et ibidem per Ecclesiasticos viros instructio habeatur ad peregrinos, qua per Dei verbum in sancto proposito confirmentur, et dirigantur viae eorum ad custodiendas justificationes suas. Nihil denique praetermittatur, quo Sanctissimi Pontificis de ovium suarum salute solliciti desiderium adimpleatur, quod in ejusdem Bulla disertissime proponitur.

CAP. III. De Quaestuariis.

1. *Ut non vituperetur ministerium nostrum*, nec avaritiae labes, *quae est Idolorum servitus*, Vineam Domini demoliatur, Tridentinum Concilium, afflante Spiritu Sancto, omnem diligentiam adhibendam censuit, ut Quaestuantium immoderata cupiditas coerceretur. Ejus igitur exemplis et mandatis inhaerens, haec Provincialis Synodus spiritualibus poenis in unaquaque Dioecesi constitutis afficiendos decernit laicos, qui pro Ecclesiis aut Missarum Celebratione aut aliis pietatis operibus, etiam in die Commemorationis omnium Defunctorum, sine Ordinarii permissu eleemosynas quacumque ratione corrogare ausi fuerint.

2. Eremitae, qui in aliqua hujus Provinciae Ecclesia vel Cappella sine Ordinarii venia commorari vel eremiticam vestem deferre ausi fuerint, poena carceris formalis aliisque arbitrariis coerceantur.

3. Vicariis foraneis et Parochis Sancta Synodus injungit, ut intra mensem a promulgatione harum con-
a stitutionum deferant ad Ordinarium quisque suum nomina moresque omnium eremitarum intra Vicariatus aut Paroeciae suae fines degentium.

4. Quicumque Eleemosynarii sine Ordinarii sui facultate, gratis concedenda, aut Sedis Apostolicae, quae ab Ordinariis recognoscatur, quaestuare non audeant; aliter poenis ad arbitrium Ordinarii puniantur aut constitutis in unaquaque Dioecesi. Ne vero ea facultate obtenta ullo modo abutantur, poenam carceris formalis aliasque arbitrarias Sancta Synodus constituit contra eos, qui praescriptos in ea limites excesserint; omnemque potestatem iisdem interdicit Indulgentias aut oratiunculas venditandi, ne apocryphas, ut saepe usuvenit, simplicibus obtrudant.

b

CAP. IV. De Confraternitatibus laicorum.

1. Convenientes fratres in unum Dominicam Coenam manducare, in oratione unanimiter perseverare, Indulgentias lucrari aliisque piis operibus jugiter instare tunc rite poterunt, cum mutuam inter se charitatem et vinculum dilectionis servare studebunt, nullum spirituale aedificium in Domino coalescere posse reputantes, nisi in perfecta charitate solidetur.

2. Atque ut omnes dissidiorum occasiones praecidantur, vetat Sancta Synodus, ne Administratoribus, Oeconomis aliisque Officialibus Confraternitatum sine facultate Ordinarii ultra annum administratio vel officium prorogetur aut confirmetur; cunctasque ejusmodi
c prorogationes aut confirmationes nullas irritasque esse decernit.

3. Prohibet etiam Sancta Synodus, ne Confraternitates sine Ordinarii permissu a Confratribus aut eorum cognatis bona emere praesumant, neve bona Confraternitatis, sive mobilia sive immobilia, venditionis vel locationis vel emphyteusis titulo aut Confratribus eorumve consanguineis usque ad secundum gradum inclusive concedantur ullo pacto, neque aliis quibuscumque sine praemissis proclamationibus aliisque de Jure servandis, ita ut plus offerenti tradantur.

4. Bona Confraternitatum eorumque reditus in eos usus, quibus fuerint addicta, vel in quos testatores aut Benefactores contulerint, expendantur; quorum vo-
d luntas ut summa fide impleatur, tum in Oratorio in conspicua tabella tum in peculiari libro satisfactiones consignentur; earum autem et universae quoque administrationis ratio quotannis reddatur Deputatis ab Ordinario, quorum recognitio gratis fiat juxta taxam Innocentianam.

4) Psal. 24, 9.

5) Card. Paleott. de Bonon. eccl. admin. p. 4. de ord. servando, a confrat. fol. 331. Ad formam instruct. S. Congr. partic. ut supra. Psal. 118, 5.

Cap. III. 1) 2. Corinth. 6, 3. Gal. 5, 20. Trid. sess. 21. de reform. cap. 9. Conc. Later. sub Innoc. III. cap. 62. relat. in cap. *Cum ex eo.* 14. de poen. et remiss. (V, 38).

2) Can. *Quidam.* 17. XVI. q. 1. S. Congr. Episc. in Catanien. 22. Januar. 1588. et Fundana 17. Januar. 1594.

4) Clement. *Abusionibus.* 2. de poenit. et remiss. (V, 9). Trid. loc. cit.

Cap. IV. 1) 1. Corinth. 11, 20.

2) S. Congr. Episc. 18. Jul. 1594. Conc. Neap. cap. 37.

3) Juxta decr. S. Congr. de mand. Innoc. XII. pro Urbe. 1. Septembr. 1699.

4) Ex lit. S. Congr. Conc. de mand. Alex. VII. 15. Dec. 1663. Trid. sess. 22. de reform. cap. 8. Conc. Neap. loc. cit. Trid. sess. 22. cap. 9. Clement. *Quia contingit.* 2. de religiosis domibus. (III, 11). Conc. Neap. loc. cit.

a

5. Confraternitates omnes Sacerdotis alicujus ab Ordinario approbandi consilio in dubiis rebus cunctisque Confratrum actibus dirigantur; hujusmodi vero Directores Confratrum processiones non audeant comitari cum stola aut pluviali, sub poena suspensionis ab audiendis confessionibus aliisque arbitrariis. Nullus autem laicus hujusmodi Directoris in spiritualibus munus audeat exercere.

6. Poenam interdicti ipsis Oratoriis, Praefectis vero et Oeconomis privationis officii ipso facto incurrendam decernit Sancta Synodus, si absque Apostolico indulto almutias sive mozzettas nisi laneas deferre praesumserint vel habitum ejusve formam, Ordinario inconsulto, propria auctoritate mutare.

b

7. Quoniam ad Christianae humilitatis exemplum saccis talaribus induti Confratres incedere consueverunt, caveant, ne illos ita forma incompositos aut vetustate detritos gestent, ut contemtum et irrisionem commoveant; neque processionaliter incedant, qui saccum non gestant; neque unquam saccis induantur, qui non sunt inter Confratres conscripti.

8. Confraternitatis Sacra vasa numquam apud laicos domi retineantur. Comessationes sumtibus Confraternitatis penitus aboleantur, in ipsis autem Oratoriis, etiam privatis sumtibus alicujus Confratris aut aliorum.

c

9. Nullae in hac Provincia Confraternitates erigantur, etiam in Monasteriis Regularium, sine approbatione Ordinarii. Quaecumque autem jam erectae non utantur regulis nisi ab eodem recognitis et probatis. Contravenientes vero ad ejus arbitrium puniantur. Universi autem noverint, Confraternitates ab Ordinario non erectas et approbatas, et quae regulas approbatas non habent, nullis Indulgentiis aut privilegiis posse gaudere.

TITULUS VI.

De Episcopis.

Text. Trid. sess. 25. cap. 1. de Reform.

d

Optandum est, ut ii, qui Episcopale Ministerium suscipiunt, quae suae sint partes agnoscant, ac se non ad propria commoda, non ad divitias aut luxum, sed ad labores et sollicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant; nec enim dubitandum est, et fideles reliquos ad Religionem innocentiamque facilius inflammandos, si Praepositos suos viderint, non ea, quae mundi sunt, sed animarum salutem et Coelestem patriam cogitantes.

5) Conc. Neap. loc. cit. Conc. Mediol. V. p. 3. t. 17. quae ad confratres etc. et Conc. Mediol. VI. t. 29.

6) S. Congr. Episc. 6. Dec. 1616.

8) Conc. Neap. loc. cit. Conc. Mediol. I. p. 3. t. 1. de pior. loc. administr.

9) Conc. Later. III. can. 9. Clem. VIII. const. 115. *Quaecunque.* d. 7. Dec. 1604. S. Rit. Congr. 7. Octob. 1617. Conc. Neap. loc. cit.

Item sess. 24. cap. 5.

Minores causae Episcoporum in Concilio tantum Provinciali cognoscantur et terminentur vel a Deputandis per Concilium Provinciale.

CAP. I. De vita et munere Episcopali.

1. Quos dedit Dominus in lucem gentium, ut praecincti lumbos suos lucernas ardentes gestent in manibus, tanta decet gloria virtutis excellere, ut, qui bona eorum opera viderint, glorificent Patrem, qui in Coelis est; ut, cum ipsi *facti* fuerint *forma gregis ex animo, integritas praesidentium salus sit subditorum:* eos igitur hortatur Sancta Synodus, ut non, *quae sua sunt,* quaerentes, sed *quae Jesu Christi,* vitam moresque suos ad Apostoli et Sacrorum Canonum ac praesertim Tridentini normam componant, ut sint irreprehensibiles, ne, *quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite.*

2. Et quoniam *Domus et conversatio* eorum, *tamquam in specula posita, magistra est publicae disciplinae,* studeant primum familiam suam rite componere, ut inde christiane vivendi normam omnes addiscant; curent igitur, ut verbo Dei frequentes intersint, Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta crebro percipiant, atque omnibus honestatis exemplis effulgeant; *si quis* enim *Domui suae praeesse nescit, quomodo Ecclesiae Dei diligentiam habebit.*

3. Recolentes, sese *esse firmissimas Ecclesiae columnas, quibus in Christo fundatis tota nititur multitudo credentium,* Episcopalem dignitatem ubique retinere ac summo studio tueri satagant, *ne, dum nimia servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas.*

4. Ecclesiae Jura sarta tecta custodiant, usurpata praedia et reditus aliaque ejusdem bona vindicent, ut gloriam a Domino tamquam fideles administratores et villici utiles consequantur.

5. Ejusdem etiam, cum sponsa sit, studeant ornatui, tum ut sacrorum vasorum vestiumque nitore caeterisque ornamentis resplendeat, tum ut sacrarum coeremoniarum rituumque Ecclesiasticorum observatione religiosaque magnificentia coelestem Jerusalem imitetur; ipsi vero pro Ecclesiae suae more Divinis officiis interesse vel ea solemniter celebrare non omittant.

6. In asserenda Evangelica disciplina Apostolicam assumant fortitudinem, ut valeant *virtute irrumpere iniquitates, ne forte* extimescant *faciem potentis* et ponant *scandalum in aequitate* sua. Neque fugiant a rectitudine justitiae aut animadversione perditorum tam-

Cap. I. 1) Luc. 12, 35. Matth. 5, 16. 1. Petr. 5, 3. Can. *Praecipue.* 3. XI. q. 3. Trid. sess. 24. de reform. cap. 1.

2) Hieron. ad Heliod. (ep. 60. Opp. S. Hier. Ed. Migne. I, 599). Conc. Mediol. VI. t. 21. de episcopo. Conc. Neap. de vita episc. cap. 20. 1. Timoth. 3, 5.

3) S. Prosper de vit. cont. cap. 2. Trid. sess. 25. de ref. cap. 17.

4) Conc. Milevit. cap. 24.

5) Clement. 1. de celebr. miss. (III, 14). Juxta Can. *Altaris.* 39. dist. 1. de consecr. Conc. Mediol. VI. t. 16.

6) Innoc. I. epist. 25. [al. 30. ad Conc. Milev. Coustant, Ep. Rom. Pont. 895]. Eccl. 7, 6. S. Bernard. ad pastores in synod. congr.

quam mercenarii *vel amore blandientis vel timore persequentis.*

7. Atque *ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere* de ipsis, meminerint verborum Domini, quoniam *munera excaecant prudentes, et subvertunt verba justorum;* et, *qui odit munera, vivet.*

8. Obedientia Episcopis statis juxta locorum consuetudinem temporibus inviolabiliter praestetur, ita tamen, ut a legitime absentibus nihil prorsus eo nomine exigatur.

9. *Pastoralis* se *regiminis necessitate* compulsos norint, *ut orphanorum, viduarum* pauperumque *causis sollertius quam caeteris* insistant. Atque in tanto pietatis officio Dei causam sese acturos arbitrentur, *cui derelictus est pauper,* quique *orphano* erit *adjutor;* aliter contra eorum negligentiam ipse *faciet Dominus judicium inopis et vindictam pauperum.*

10. Et quoniam *nullus omnino cultus perinde gratus est Deo ut misericordia,* pascant quidem spiritualiter gregem suum, sed ea negligere non debent, *quae corporis videntur substantiam continere; nam sicut homo* anima constat et corpore, *ita boni patris est utraque refovere; hoc* enim *plane decet Episcopum, hoc Sacerdotium commendat, ornat coronam, nobilitat dignitatem, si, quem ministerium prohibet esse pauperem, administratio probet pauperum amatorem.* Declinent igitur pauperi aures suas, et faciles cunctis ad sese esse patiantur accessus; atque ipsum imitentur *Pontificem magnum, qui penetravit Coelos, Jesum filium Dei, et discipulis pedes lavantem et pueris manus imponentem.*

11. Cum *altissima* sint *animarum negotia, quae si infirmi et imperiti suscipiunt, ipsa rerum magnitudine deprimuntur,* propterea *viros* provideant *de omni plebe timentes Deum, in quibus sit veritas, et qui oderint avaritiam,* quos ad curam animarum assumant; *necesse est* enim, *ut omnes culpae et negligentiae sibi imputentur, qui ministerium virtuti infirmae scienter committit.* Quare in Parochorum et confessariorum delectu omnem omnino diligentiam adhibeant, ne ruina animarum sit sub manu sua.

12. In Beneficiorum distributione exuant perniciosissimum erga propinquos suos carnis affectum, neque ea *quasi terrenae militiae officia* largiantur vel iis tribuant, *quorum sunt obsequiis deliniti;* sed qui sunt *propter disciplinae dona commendati; nescit* enim *religio nostra personas accipere nec conditiones hominum, sed animos inspicit singulorum.*

---

7) Tit. 2, 8. Exod. 23, 8. Prov. 15, 27.

8) Cap. *Cum non liceat.* 12. de praescript. (II, 26). Can. *Nulli episcoporum.* 62. XVI. q. 1.

9) S. Greg. lib. 1. epist. 62. (al. 64. Opp. S. Greg. Ed. Migne. III, 521. C). Psal. 10, 14. 139, 13.

10) S. Greg. Naz. orat. 10. (al. 14. n. 5. Ed. Benedict. I, 260). Cassiod. lib. 11. epist. 2. (Opp. Cassiod. Ed. Migne. I. 828. B). S. Bernard. epist. 100. (Opp. S. Bern. Ed. Migne. I. 235. D). Hebr. 4, 14. Orig. tract. 12. in Matth.

11) Conc. Tolos. a. 1590. in fine. S. Greg. lib. 1. in Isa. 3.?

12) S. Hier. adv. Jovinian. lib. 1. (n. 34. Opp. Ed. Migne. II, 258. A). Sap. 7, 14. S. Hier. epist. 34. (al. 118. n. 4. Opp. I. 963).

a CAP. II. De funere Episcopi.

1. Sicut Duces Israel, qui pro testamento Dei bonum certamen certaverunt, laxo sinu de praelio revertentes Civitas Coelestis excipiet, ita convenit, ut terrestris Jerusalem eosdem ad praemia Regni et coronam immarcescibilem conservatam in Coelis debita pietate et religione dimittat. Paternam igitur Sanctissimi Domini Nostri Innocentii XII. erga Neapolitani Regni Ecclesias et Ecclesiarum Pastores charitatem, sempiterno laudum praeconio celebrandam, debita cum grati animi significatione venerabunda complectens, haec Sancta Synodus praecipit Episcopis et Capitulis hujus Provinciae, ut sedulo tueantur observantiam saluberrimae constitutionis, quae incipit *Inscrutabili,* huic Synodo
b subjiciendae.

2. Episcopi Pontificia liberalitate ab onere spoliorum exemti, facultate sibi concessa designandi applicandique sua bona in favorem atque utilitatem Ecclesiarum Cathedralium aut, illis non indigentibus, Parochialium, diligenter inquirant, quanam potissimum egestate praedictae Ecclesiae laborent, ut in usus maxime opportunos atque ad Dei cultum necessarios illa erogentur. Id ipsum successoribus injungit, si praedecessores ad hujusmodi applicandorum bonorum designationem devenire noluerint aut nequiverint. Si vero illi ejusmodi usus designaverint, Successores cum Capituli scientia et consilio eorum voluntatem ad amussim exequantur.

c 3. Quoniam autem Pastorum in extremis agentium quieti et tranquillitati consulere Sanctissimus Dominus Noster praefata constitutione summopere studuit, idcirco Capitula et Canonici non audeant sive assecurationis sive sequestrationis praetextu ullam iisdem molestiam exhibere aut [eos] bonorum quorumvis usu et possessione privare; itaque sub poenis ad arbitrium Successorum irrogandis, bonorum inventarium non conficiant, nisi postquam iidem Praelati fuerint viam universae carnis ingressi, ut eadem constitutione provide cavetur.

4. Meminerint Successores, sibi curam datam esse, ut de inventarii spoliique fidelitate sedulo inquirant; contra eos igitur, quos ea in re deliquisse deprehen-
d derint, graviter animadvertant.

5. Episcopo lethali morbo aegrotante, tres primi praesentes de Capitulo viciniorem Episcopum aut eum, qui commodius haberi possit, arcessant, ut illi animam agenti assistat, opemque salutarem verbis et precibus afferat, ejusque funus, morte obita, una cum Seculari et Regulari Clero solemni more prosequatur; ut su-

---

Cap. II. 1) Beda serm. 18. de Sanctis. 1. Petr. 5, 4. Innoc. XII. const. 33. *Inscrutabili.* d. 28. Januar. 1693. [vel potius 30. Jan. 1694.]

2) Innoc. XII. const. cit. §. 2. *Cupientes.* et §. 5. *Quod si Archiepiscopi.*

3) Innoc. XII. const. cit. §. 1. *Hinc dum.* et §. 6. *Ad haec capitulis.*

4) Innoc. XII. loc. cit. Can. *Non liceat.* 43. 48. XII. q. 2.

5) Conc. Neap. de funere episc. cap. 46. Conc. Mediol. I. p. 2. t. 59. E. de funere episc. §. *Ut episcopo.* Conc. Mediol. VI. t. 21. B. de episc. et episc. jurisd. et foro. §. *Metropoli.*

perioris Synodi Provincialis Neapolitanae et Mediolanensis Ecclesiae actis sub Sancto Carolo praescribitur.

6. Curet Capitulum, ut Defuncti Episcopi corpus frequentes ex Clero circumstent precesque ad Deum pro illius anima fundant. Comprovinciales vero Episcopos statim, atque Episcopus ex hac vita migraverit, de illius morte certiores faciat, qui in suis Cathedralibus solemne Sacrum pro illius anima faciant. Anniversaria vero quotannis in Cathedrali Ecclesia defuncti Episcopi, quoad proximus ejus Successor in Episcopatu vixerit, celebrentur.

TITULUS VII.

De residentia.

Text. Trid. Sess. 23. cap. 1.

Tam Decretum de residentia sub Paulo III. quam hoc ipsum sub Pio IV. in Conciliis Provincialibus et Episcopalibus publicari, Sancta Synodus praecipit; cupit enim, quae adeo ex Pastorum munere animarumque salute sunt, frequenter omnium auribus mentibusque infigi, ut in posterum, Deo adjuvante, nulla temporum injuria aut hominum oblivione aut desuetudine aboleantur.

Mandato igitur Sacrosancti Concilii obtemperans haec Synodus Provincialis supradicta decreta hic publicari et exscribi decernit, ut tanti oneris gravitas, Spiritu Sancto docente, luculentius appareat.

DECRETUM TRIDENTINI

Sub Paulo III. sess. 6. cap. 1. editum.

[V. Conc. Benevent. a. 1693. t. XX. cap. 1. col. 46.]

DECRETUM EJUSDEM TRIDENTINI

Sub Pio IV. sess. 23. cap. 1. editum.

[V. Conc. Benevent. a. 1693. t. XX. cap. 1. col. 47. 48.]

Constitutio Urbani VIII.

Super residentia Episcoporum, Archiepiscoporum, Metropolitanorum et aliorum Ecclesiis Cathedralibus praefectorum, etiam Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium cum praefixione termini ad proficiscendum ad eorum residentias et determinatione poenarum ac prohibitione ab ipsis non discedendi absque Sedis Apostolicae licentia ex quibusvis etiam urgentissimis causis.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

1. Sancta Synodus Tridentina sub recolendae mem. Paulo Papa III. praedecessore nostro ad disciplinam Ecclesiasticam restaurandam provide statuit: ut omnes quacumque dignitate, gradu et praeeminentia fulgentes, Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis et Cathedralibus Ecclesiis quibuscumque quovis nomine et
a titulo praefecti apud eas personaliter residere deberent: alias, si per sex menses continuos abessent, amissionis quartae partis fructuum unius anni poenam ipso jure incurrerent: quod si per alios sex menses in absentia perseverarent, tunc aliam quartam partem fructuum hujusmodi eo ipso amitterent; crescente vero contumacia, Romanus Pontifex suprema ejus auctoritate in ipsos absentes animadvertere et Ecclesiis ipsis de Pastoribus utilioribus providere posset.

2. Deinde sub fel. rec. Pio IV. etiam praedecessore nostro eadem Synodus declaravit, omnes eisdem Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis et Cathedralibus Ecclesiis praefectos, etiamsi Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales forent, obligari ad perso-
b nalem residentiam in sua Ecclesia vel Dioecesi faciendam; nec abesse posse, nisi ob legitimas causas in scriptis approbandas. Et in eorundem Concilii decretorum executionem idem Pius IV. praedecessor per suas sub plumbo sub Dat. 7. Kalend. Decembris 1564. expeditas literas monuit eosdem praefatis Ecclesiis praefectos in virtute sanctae obedientiae, ac ultra poenas in eodem Concilio contentas sub privationis eorum a regimine et administratione ipsarum Ecclesiarum ac amissionis facultatum testandi et disponendi aliisque poenis suo et Romani Pontificis arbitrio imponendis mandavit eisdem, ut in Ecclesiis praefatis omnino personaliter residere deberent. Denique certior factus, quod multi eorundem Praefectorum erant inobedientes, Motu
c suo proprio commisit Camerae Apostolicae Auditori generali, ut contra illos usque ad sententiam procederet, et sibi deinde referret ad effectum in eos privationis et depositionis sententiam in suo Consistorio secreto pronuntiandi.

3. Successive alii etiam Romani Pontifices contra non residentes diversa edicta publicari fecerunt; ac piae mem. Gregorius XIII. etiam praedecessor noster per suum decretum Consistoriale declaravit, decreta ejusdem Concilii de personali residentia in Ecclesiis praedictis facienda etiam in Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus locum habere, quocumque titulo illis praeessent, ita ut a reatu et poenis in dicto Concilio statutis non excusarentur, nisi absentiae causa in scriptis approbata foret; scientiaque vel tolerantia non ex-
d cusaret eosdem Cardinales nec alios Episcopos.

4. Similis quoque mem. Clemens Papa VIII. etiam praedecessor noster per simile Consistoriale decretum pro observantia residentiae personalis ab eodem Concilio ordinatae addidit poenam inhabilitatis ad majores dignitates et Ecclesias obtinendas; prout in praefatis Conciliis ac literis Apostolicis Consistorialibusque decretis latius continetur.

5. Cumque etiam Nos edicta contra non residentes saepius publicari fecerimus, et tamen praeteritis mensibus aliqui, etiam Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, Metropolitanis seu Cathedralibus Ecclesiis ex concessione Apostolica praefecti, suae obligationis ad personalem residentiam in eis faciendam immemo-

6) Conc. Neap. loc. cit. Conc. Mediol. I. ibid. §. *Interea.* et in §. *Eidem.* Conc. Mediol. VI. loc. cit. §. *Si vero.* Conc. Neap. loc. cit. Coll. Lac. I.

res, in grave animarum suarum detrimentum ac ovium a
sibi creditarum praejudicium ab eisdem Ecclesiis abesse continuarent, etiam sub praetextu suorum titulorum Cardinalatus, praesertim Episcopalium prope Urbem seu in Urbis districtu respective consistentium, et quod in eadem Urbe in conspectu et praesentia nostra moram traherent: Nos pro nostro Pastorali debito, nedum animarum praefatarum, sed etiam Ecclesiarum indemnitati providere volentes in Consistorio nostro secreto declaravimus, eosdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, qui aliis Ecclesiis Metropolitanis et Cathedralibus praeerant et apud eas non resederant nec residebant, non fecisse nec facere illarum fructus suos, etiam sub praetextu, quod alicui ex dictis Ecclesiis Episcopalibus, quibus Cardinales in ordine priores esse solent, praesideant et ibi vel in Urbe commorentur, aut cujusvis tolerantiae vel facultatis, praeterquam per Breve speciale nostrum vel Romani Pontificis pro tempore existentis sibi concessae: ideoque eosdem Cardinales monuimus pro prima vice, ut ad residentiam hujusmodi statim se conferrent, sub amissionis fructuum eo ipso incurrenda et aliis Canonicis poenis, animo etiam procedendi ad ulteriora, si non paruissent, et prout in decreto nostro Consistoriali plenius habetur.

6. Quia vero ab inde citra non omnes, prout tenebantur, nostra mandata executi sunt: Nos, ut omnino debitum suum agnoscant, et animabus subjectis, quantum Nobis ex alto conceditur, magis consultum sit, ulterius providere volentes, Concilii Tridentini decretis et literis Apostolicis Motuique proprio ac Consistorialibus decretis praefatis inhaerentes illorumque tenore, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro plene insertis et expressis habentes, Motu simili et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris deque Apostolicae potestatis plenitudine praefata Concilii decreta literasque Apostolicas ac primo dictum Motum proprium decretaque Consistorialia praefata et in eis contenta quaecumque hac Nostra Constitutione perpetua confirmamus et approbamus et, quatenus foret opus, adversus quemcumque praetensum non usum vel contrarium usum innovamus et plenissime restituimus.

7. Insuperque omnes et singulos Ecclesiis Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, Archiepiscopalibus et Episcopalibus quocumque nomine seu titulo praefectos, etiam Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, a praefatis suis Ecclesiis absentes, in virtute sanctae obedientiae ac sub interdicti ingressus Ecclesiae amissionisque tam fructuum earundem Ecclesiarum pro tempore, quo absentia duraverit, quam facultatum testandi et disponendi de bonis suis a Sede Apostolica sibi alias concessarum, eo ipso absque alia declaratione incurrendis, necnon privationis a regimine et administratione suarum Ecclesiarum hujusmodi aliisque poenis nostro et Romani Pontificis pro tempore existentis arbitrio infligendis, districte praecipiendo monemus: ut omnibus postpositis quanto citius, in Romana Curia videlicet moram trahentes intra unum, extra eam vero in Italia intra duos, extra vero Italiam existentes intra quatuor menses a die publicationis praesentium in locis infrascriptis faciendae computandos, quos pro tribus Canonicis monitionibus peremtoriisque dilationibus et terminis respective eis assignamus et assignatos esse volumus, se itineri committere et legitimis itineribus ad Ecclesias seu dioeceses suas proficisci et se personaliter conferre ac ibidem, ut tenentur, residere debeant.

8. Eisdemque praefectis, postquam personaliter ad residendum se contulerint, necnon quibuscumque aliis apud suas Ecclesias quandocumque personaliter residentibus sub eisdem poenis etiam eo ipso respective incurrendis injungimus, ne ab eorum Ecclesiis b
discedant, nisi prius obtenta nostra et Romani Pontificis pro tempore existentis per Breve seu literas missivas licentia.

9. Illos etiam, qui in posterum per Nos seu Romanos Pontifices successores nostros alicui praefatarum Ecclesiarum Patriarchalium, Primatialium, Metropolitanarum, Archiepiscopalium et Episcopalium quovis nomine vel titulo praefecti fuerint, etiamsi Sanctae Rom. Eccl. Cardinales quandocumque fuerint vel sint, sub eisdem poenis, etiam eo ipso respective incurrendis, [monemus, ut] debeant et quilibet ipsorum debeat infra praefatum tempus, a die eorum promotionis ad aliquam Ecclesiarum praefatarum inchoandum, quod eis pro tribus monitionibus et dilationibus, ut praefertur, ex c
nunc assignamus, pariter se itineri committere et ad Ecclesias sive dioeceses sibi commissas ad personaliter in eis residendum conferre, et respective postquam residere inceperint, ab illis non discedere, nisi obtenta prius a Nobis et Romano Pontifice pro tempore existente licentia praefata.

10. A quarum poenarum incursu nolumus posse aliquem se excusare praetextu et ratione cujuscumque servitii quomodolibet praestiti et praestandi pro gerendis et tractandis negotiis quorumcumque Principum, etiam Imperatoris et Regum, aut Rerumpublicarum, Regnorum ac Provinciarum; nec ratione cujuslibet jussionis vel mandati eorum vel earum, quandocumque facti vel faciendi; nec etiam ratione prosecutionis seu d
defensionis quarumcumque litium seu controversiarum etiam Ecclesiasticarum; vel ineundi foederis aut cujuscumque alterius negotii etiam gravissimi et speciali mentione digni tractandi; vel distantiae locorum aut brevitatis temporis, ob quam non videatur exspectanda Sedis Apostolicae licentia praefata, antequam a suis Ecclesiis et dioecesibus discedant; aut ratione cujuscumque alterius causae vel occasionis, etiam publicae vel alias favorabilis et aeque piae, etiam cujuslibet utilitatis sive necessitatis Ecclesiarum et personarum: praeterquam personalis interessentiae in Synodis Provincialibus vel Congregationibus seu Assembleis generalibus, in quibus Ecclesiastici intervenire solent; vel ratione muneris aut Reipublicae officii, Episcopatibus,

vel Ecclesiis majoribus praefatis adjuncti, cujus ratione ad certum tempus occupari solent: et tunc pro tempore, quo illae Synodi, Congregationes et Assembleae exercitiumque muneris seu officii publici ipsis Ecclesiis adjuncti actu duraverint; quibus finitis, recto tramite ad Ecclesias praefatas sibi commissas se conferre debeant. Nec etiam a praedicta residentia et poenarum praefatarum incursu volumus excusari S. R. E. Cardinales nunc et pro tempore existentes alicui praefatarum Ecclesiarum praefectos seu praeficiendos, etiamsi tanquam in ordine priores aliquem ex dictis titulis Episcopalibus prope Urbem vel in ejus districtu consistentibus obtineant et in posterum obtinuerint, et in praedictis Episcopatibus titularibus Urbi proximis resederint vel in Romana Curia in suis titulis respective, etiam Nobis ac Romanis Pontificibus successoribus Nostris scientibus, videntibus et quomodolibet tolerantibus, moram traxerint, ita ut nulla nostra ac Romanorum Pontificum, successorum Nostrorum, conniventia, taciturnitate et ad quarumcumque functionum et actuum Pontificalium, etiam publicorum et solemnium, celebrationem receptione et admissione unquam tueri se possint.

11. Et pro praemissorum et infrascriptorum inviolabili observatione committimus et mandamus dilecto filio Camerae Apostolicae generali Auditori nunc et pro tempore existenti, quatenus contra omnes et singulos praedictos tam in Urbe quam alibi et ubique locorum nunc et pro tempore commorantes et in suis Ecclesiis seu dioecesibus non residentes per affixionem ad valvas Basilicae S. Petri ac in Acie Campi Florae, et quoad praesentes in Romana Curia ad abundantiorem cautelam, etiam domi dimissa copia, procedat: et constito sibi, quantum sufficere videbitur, summarie, simpliciter et de plano, sola veritate inspecta, et manu Regia, de contraventione et inobedientia praefatis usque ad sententiam exclusive procedat; et deinde Nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti referat, ut Nos ac Romanus Pontifex pro tempore existens in Consistorio ad sententiam declarationis incursus poenarum ac respective privationis seu depositionis aliarumque punitionum praefatorum inobedientium valeamus et ipse Pontifex Romanus pro tempore existens valeat procedere.

12. Volumus tamen, Episcopos, Archiepiscopos, Metropolitanos, Primates et Patriarchas, etiam S. R. E. Cardinales citra Montes vel Mare existentes per quatuor, alios vero ultra Montes vel Mare degentes per septem menses continuos a residentia in praefatis Ecclesiis facienda ad effectum visitandi limina SS. Apostolorum Petri et Pauli juxta sacros Canones ac Apostolicas Constitutiones pro qualibet visitatione excusari: ita tamen, ut tunc illis durantibus visitationis hujusmodi munus explere teneantur nec ad alios actus se divertant.

13. Cardinalibus vero nunc et pro tempore existentibus, qui in casu vacationis Sedis Apostolicae ad electionem Romani Pontificis faciendam accedere solent ad locum Conclavis ad hoc designati, concedimus licentiam
a discedendi ab Ecclesiis praefatis sibi commissis, habita tamen prius certa notitia vacationis ipsius Sedis Apostolicae, et extra residentiam in loco, in quo electionem hujusmodi celebrari continget, commorandi et permanendi usque ad peractam electionem ac etiam postea per duos menses, postquam Romanus Pontifex coronationis suae insignia susceperit: quo tempore elapso, praefati Cardinales, nisi illico, ut praefertur, ad Ecclesias praefatas, quibus praesidere eos contigerit, se contulerint, subjaceant poenis supradictis.

14. Praesentes quoque literas omniaque et singula in eis contenta de subreptionis, obreptionis ac cujuscumque nullitatis aut invaliditatis vitio intentionisque nostrae ac quocumque alio defectu quantumlibet
b substantiali: etiam ex eo, quod in praemissis quomodolibet interesse habentes vel praetendentes et praesertim iidem Ecclesiis praedictis nunc et pro tempore praefecti, etiam ejusdem S. R. E. Cardinales, praemissis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi; solemnitatesque et quaevis alia servanda et adimplenda nullatenus servata et adimpleta; et causae, propter quas praesentes emanaverint, adductae, verificatae seu alias sufficienter aut etiam in aliquo justificatae non fuerint; ac quocunque alio colore, praetextu, occasione et causa, etiam in corpore juris clausis, et alia quacumque quantumvis rationabili, justa et privilegiata; etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret: a quoquam notari, impugnari, retractari,
c in jus vel controversiam revocari aut ad terminos Juris reduci non posse; nec sub quibuslibet similium vel dissimilium Constitutionum sive dispositionum etiam Motu, scientia et potestatis plenitudine paribus etiam Consistorialiter aut alias quomodolibet per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores et successores Nostros ac etiam per Nos factarum et faciendarum, revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus, pro tempore quomodolibet factis, comprehendi, sed semper ab illis excepta perpetuoque valida firmaque et efficacia existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac per omnes et singulos, ad quos spectat, et quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari:

d 15. Sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque Judices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, Nuntios et praedictae S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos ac quoscumque alios quavis auctoritate et potestate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, declarandi, interpretandi et definiendi facultate, ubique judicari, interpretari, declarari et definiri debere: ita ut, si unquam aliquod dubium seu haesitatio super praemissis seu eorum aliquo oriri vel suscitari contingat, nullus praeter Nos ac Romanos Pontifices, successores Nostros, possit praesentes literas quovis modo interpretari et declarare: ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctori-

a tate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus:

16. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, etiam in Conciliis universalibus, generalibus, Provincialibus et Synodalibus editis et edendis, ac Cancellariae Apostolicae Regulis etiam primae et cujuslibet secundae editionis, et quatenus foret opus, de non tollendo Jure quaesito; statutis quoque etiam juratis et consuetudinibus etiam diuturnis et immemorabilibus Ecclesiarum praefatarum et cujuslibet earum et licentiis, alias quam, ut praefertur, impetratis, ac privilegiis et indultis etiam Apostolicis eisdem Ecclesiis earumque Praesulibus quomodolibet et ex quacumque causa hic forsan de necessitate exprimenda concessis, etiam Motu, scientia et
b potestatis plenitudine paribus, etiam Consistorialiter ac alias quomodolibet emanatis, ac quocumque juramento, per eosdem Ecclesiis hujusmodi praefectos sub quovis praetextu vel causa praestito et praestando: quod fuisse et fore nullum ac irritum et minime obstare neminique suffragari, quominus ab integra observatione praesentium in aliquo excusari possit, declaramus et, quatenus opus sit, decernimus; necnon omnibus et singulis, quae Praedecessores nostri praefati in suis literis et decretis praefatis voluerunt non obstare. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, ad effectum praesentium plenissime specialiterque et expresse derogamus, caeterisque contrariis
c quibuscumque.

17. Volumus etiam, quod ii, qui duabus vel pluribus Ecclesiis praefatis ex earum unione vel alias ex concessione seu dispensatione Apostolica quocumque nomine vel titulo praefecti sunt vel pro tempore erunt, a residentia et poenis hujusmodi excusentur, dummodo in earum altera, in qua de jure residere debent, vere et personaliter resideant; exceptis tamen, ut praefertur, Ecclesiis Episcopalibus Urbi proximis, quibus Cardinales in ordine priores praeesse solent: residentia enim, si quae apud praefatas Ecclesias titulorum Cardinalium fieret, aliquam excusationem eisdem Cardinalibus, ut praefertur, non praestaret, quominus ipsi in alia vel aliis Ecclesiis praefatis, quibus eos etiam pro tempore
d praefici contigerit, residere omnino teneantur.

18. Quodque, ut praesentes et in eis contenta quaecumque ad omnium notitiam amplius deducantur, et ne aliquis de eis ignorantiam praetendere possit, eaedem praesentes per aliquem seu aliquos ex Cursoribus nostris, ut praefertur, in valvis Basil. S. Petri, in Acie Campi Florae affigantur et publicentur: quae sic affixae et publicatae omnes et singulos, quos concernunt, afficiant et arctent, ut praemittitur, perinde ac si unicuique eorum personaliter intimatae et notificatae fuissent.

Dat. Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 12. Decembris 1634. Pont. Nostri Anno 12.

---

1. Haec autem omnia, quae in hisce constitutionibus praecepta sunt, ut rite observentur, et poenae ibidem statutae exequutioni mandari possint: haec Provincialis Sancta Synodus, superioris Synodi Provincialis Neapolitanae et Mediolanensis Ecclesiae sub Sancto Carolo, Catholicae Ecclesiae lumine, vestigiis inhaerens, mandat, ut Capitula Cathedralium Ecclesiarum bis quotannis Metropolitanum vel, eo absente, antiquiorem hujus Provinciae Episcopum certiorem faciant de Pastoris sui residentia vel absentia.

2. Episcopis vero injungit, ut ex vi praedictorum decretorum poenis in iis contentis aliarumque Apostolicarum constitutionum vigore Beneficiarios universos, qui vel ex animarum cura vel ex chori obligatione ad residendum tenentur, ad ejus oneris satisfactionem omnino compellant; quod ut sedulo perficiant, Parochi et Vicarii foranei significent Episcopis, quinam in Paroeciis aut Vicariatibus suis de Jure aut consuetudine ad residendum obligati residere detrectent.

3. Canonicis Cathedralium aut Collegiatarum Ecclesiarum, Hebdomadariis, Numerariis aut in his Ecclesiis portiones habentibus, non ultra tres menses abesse liceat, alioquin privatione fructuum juxta formam Trident. aliisque poenis puniantur; crescente vero contumacia, suis beneficiis, servata ejusdem Concilii forma, priventur, eaque dignioribus et in suo munere obeundo diligentioribus conferantur.

4. Perquisitis Beneficiorum erectionibus et oneribus, eos etiam Beneficiarios ad residendum opportunis remediis compellant, quibus hoc residendi onus, licet non ex cura animarum aut chori obligatione, tamen ex ipsa erectione aut alio Jure injunctum est.

TITULUS VIII.

De Sancta Visitatione.

Text. Trid. sess. 24. cap. 3.

A Metropolitanis etiam post plene visitatam propriam Dioecesim non visitentur Cathedrales Ecclesiae, neque Dioeceses suorum Comprovincialium, nisi causa cognita et probata in Concilio Provinciali.... Item si Visitator, quod absit, aliquid amplius accipere praesumserit, is praeter dupli restitutionem intra mensem faciendam aliis etiam poenis juxta constitutionem Concilii generalis Lugdunensis, quae incipit: Exigit, *necnon et aliis poenis in Synodo Provinciali arbitrio Synodi absque ulla spe veniae mulctetur.*

1) Conc. prov. Neapolit. c. 35. p. 58. S. Carolus in Conc. Mediol. I. p. 2. t. 27. de resident. §. *Statuimus etiam.*

2) Trid. sess. 6. de reform. cap. 2. ad mentem constit. Pii IV. 91. *In suprema.* d. 25. Nov. 1564. et const. Pii V. 65. *Cupientes.* d. 13. Jul. 1568. Conc. Mediol. V. p. 3. t. 8. de resident.

3) Trid. sess. 24. de reform. cap. 12. Cap. *Ad audientiam.* 15. de cleric. non resid. (III, 4).

4) Juxta Conc. Agath. c. 64. relat. in can. *Si quis in Clero.* 29. VII. q. 1. Conc. Paris. a. 1528. c. 11.

CAP. I. De Visitatione personali.

1. Ne fiant *greges in rapinam et oves in devorationem,* eo quod non quaesierint Pastores gregem Domini, Episcopi, legatione pro Christo fungentes eumque Episcopum et Pastorem animarum imitantes, qui circuibat castella in circuitu docens, quotannis visitent gregem suum, ne visitet Dominus super eos, vel, si legitime impediti fuerint, per idoneos Visitatores; totamque Dioecesim sedula inquisitione perlustrent, *et mala germina acuta succidere falce non cessent.* Indignum est enim, Pastorem, cujus sunt oves propriae, quique vigilare debet, tamquam rationem redditurus, ad eas visitandas torpescere, cum *Adversarius* noster *Diabolus tamquam leo rugiens* circumeat *quaerens, quem devoret. Studeant igitur cor suum terrenorum Pastorum imitatione succendere, qui hiemales noctes, nivibus geluque constricti, ducunt saepe pervigiles, ne vel una ovis et non forte utilis pereat.* Atque agnoscant haereditatem suam in Cruce Christi, ut, si labor terret, merces invitet, et, *cum apparuerit Princeps Pastorum, immarcescibilem gloriae coronam* percipiant.

2. Antequam Sanctam Visitationem ineat, Episcopus mittat operarios ante faciem suam in omnem Civitatem et locum, quo fuerit ipse venturus, qui Apostolicis missionibus parent viam Domini et rectas faciant semitas Dei Nostri. *Praedicatores enim suos Dominus sequitur, et cum praedicatio praevenit, tunc ad mentis habitaculum Dominus venit.*

3. *Visitatores,* ut monet Bernardus, *post aurum non abeant, sed Christum sequantur, nec requirant datum, sed fructum; ut redeant fatigati quidem, sed non suffarcinati.* Igitur modesto contenti equitatu famulatuque studebunt Episcopi quam celerrime, debita tamen cum diligentia, visitationem absolvere; et interim caveant, ne inutilibus sumtibus cuiquam graves onerosique sint; neve ipsi aut quisquam suorum aliquid procurationis causa accipiant contra decretum Tridentini, exceptis victualibus, quae sibi ac suis frugaliter moderateque pro temporis tantum necessitate et non ultra erunt ministranda. Sit tamen in optione eorum, qui visitantur, si malint solvere id, quod erat ab ipsis antea solvi certa pecunia taxata consuetum, an vero praedicta victualia subministrare; ita ut, ubi laudabilis consuetudo, qualis in hac Metropolitana viget, ne victualia quidem accipiendi, firma remaneat.

4. Cum, Episcopo legitime impedito, Visitatores pro eo visitaverint, victualia pro ratione personarum, nec aliter tribuantur. Cum vero Ecclesiae non visi-
a tantur, nulla prorsus procurationis pecunia exigatur juxta Concilii Provincialis superioris dispositionem. Taxa etiam Innocentiana fideliter observetur circa ea, quae ibi de actis Sanctae Visitationis et decretis gratis faciendis praescribuntur.

5. Diligenter igitur suos greges considerans inquirat Episcopus, qui mores sint Ministrorum Ecclesiae, an ejus servitio frequentes intersint, an cum Clericali habitu et talari incedant atque omnia observent, quae ad vitam honestatemque Clericorum pertinent; praesertim, quae cohabitationem eorum cum mulieribus spectant, in quibus nullam sibi supervacuam esse diligentiam existimet.

6. Ab universis Sacerdotibus susceptorum ordinum
b literas et celebrandi facultatem, an sint legitime promoti, Bullas Beneficiorum eorundem et, an fidei professionem emiserint, qui de Jure tenentur, a Vicariis vero et Confessariis approbationes sibi curet exhiberi, et tempus in illis definitum agnoscat.

7. Inquirat praeterea, quae sit Populi vita, qui mores, quae scandala extirpanda aut odia abolenda, quae divinorum mysteriorum Christianaeque doctrinae scientia, quae festorum dierum observatio, Sacramentorum divinique Verbi frequentia; et salutaribus monitis confortare manus dissolutas, opportunis praeceptis genua debilia roborare et pusillanimes spiritus novitate et Christiana fortitudine confirmare non omittat; ne ante Tribunal Christi audiantur querelae populorum,
c quorum vixit stipendiis, et quorum peccata non diluit.

8. Coelesti Eucharistiae pane sua manu populum pascat, et Confirmationis Sacramentum illis in locis conferat, unde non est facilis ad Cathedralem Ecclesiam accessus.

CAP. II. De Visitatione locali.

1. Illud erit praecipuum Episcoporum in Sancta Visitatione propositum, ut in loco Sancto suo gloria Domini decenti cultu resplendeat, atque atria Jerusalem, quam ipse fundavit Altissimus, et Tabernacula Domini virtutum sacro ornatu digna sint, quae Domini majestas inhabitet et mansionis suae claritate nobilitet.

2. Visitent igitur universas suae Dioecesis Eccle-
d sias, Cappellas et Oratoria ad formam Tridentini; ac, si quid in iis vel a ruina restituendum vel a labe reparandum vel indecorum inornatumque reformandum est, opportunis remediis consulant.

3. Ad collapsas Ecclesias instaurandas, si earum proventus et fructus non sufficiant, propositis in Tri-

Cap. I. 1) Ezech. 34, 8. 2. Cor. 5, 20. Matth. 4. et Luc. 8. Trid. sess. 7. de reform. cap. 8. et sess. 21. de reform. cap. 8. et sess. 24. de reform. cap. 9. Hieron. ep. 71. (al. LXXXVIII. Opp. S. Hier. Ed. Migne. I, 755). S. Greg. l. 2. ep. 33. (al. II, 48. Opp. S. Greg. Ed. Migne III, 590. A). 1. Petr. 5, 4.

2) Matth. 3, 3. S. Greg. hom. 17. in Evang. (Opp. S. Greg. Ed. Migne II, 1139. B).

3) S. Bernard. de considerat. ad Eugen. l. 4. c. 4. (Opp. Ed. Migne I, 781. 782.) Trid. sess. 24. de reform. cap. 3. Conc. Tolet. can. 4. Cap. *Cum Apostolus.* 6. de censibus (III, 39).

4) Cap. *Si Episcopus.* 6. de offic. ordinarii in 6. (I, 16).

5) Prov. 27, 23. S. Gregor. l. 2. ep. 29. ad Felicem Ep. (al. ep. 43. Opp. S. Greg III, 581). Cap. *Romana.* 1. §. *Sane* de censibus in 6. (III, 20).

7) Conc. Tolos. can. 4. S. Greg. loc. supra cit. Cap. *Romana.* supra cit

8) Conc. Tolos. supra cit.

Cap. II. 1) Clement. 1. de celebr. Miss. (III, 14). Dict. cap. *Romana.*

2) Can. *Decrevimus.* 10. X. q. 1. Trid. sess. 24. de reform. cap. 3.

3) Trid. sess. 21. de reform. cap. 8.

dentino remediis utantur, eos compellendo, qui fructus ab iisdem Ecclesiis percipiunt.

4. Privata Oratoria quoad loci decentiam et alia ad eamdem pertinentia perlustrent, et praesertim caveant, ne quis iis ad profana abutatur.

5. Sacrarum Reliquiarum inquisitionem recognitionemque diligenter perficiant, earum custodiam et Sacrarum Imaginum formam cultumque ad Sacros Canones et has Provinciales constitutiones exigant et agnoscant.

6. Parem observantiam in Coemeteriis et Sepulchris exquirant, in quorum titulis sive inscriptionibus, si quid christianae pietati absonum aut a loci religione alienum invenerint, statim delendum curent.

7. Sacra vasa, vestes, libros et alia id genus divinis officiis et ministeriis necessaria inspiciant; ac ne ejusmodi rerum defectus, Episcopi potissimum visitatione corrigendus, ulla ratione comprimatur, vetat Sancta Synodus, ne tempore Visitationis alienis vestibus, ornamentis aliisque supradictis aliunde arcessitis instruantur Ecclesiae.

8. Juxta formam Tridentini Regularium Monasteria, ubi Regularis observantia non viget, ubi vero viget, tamquam Sedis Apostolicae Delegati juxta terminos ab eodem Trident. statutos in Superiorum defectum negligentiamque visitent.

9. In Beneficiis visitandis collationis literas et onerum satisfactiones explorent; ne autem patrimonium pauperum dilapidetur, et haereditas Domini vertatur ad alienos, omnes Ecclesiastica beneficia possidentes intra sex menses ab hujus Synodi promulgatione repertorium sive inventarium omnium bonorum mobilium et immobilium, jurium, actionum et quorumcumque redituum, ad sua Beneficia pertinentium, conficiant juxta formam in peculiari instructione praescribendam; detrectantes vero opportunis remediis ab Episcopo compellantur; confectumque in Episcopali archivio reponendum exhibeant; quod inventarium tempore Visitationis consulatur, ut pateat, num quid ex iis, quae ibi descripta sunt, desit.

TITULUS IX.

De Ecclesiasticis Beneficiis et Dignitatibus.

Text. Trid. sess. 24. cap. 1.

Mandat Sancta Synodus, ut in Provinciali Synodo per Metropolitanum habenda praescribatur quibusque a *locis et Provinciis propria examinis seu inquisitionis aut instructionis faciendae forma, Sanctissimi Romani Pontificis arbitrio approbanda, etc. quae magis eisdem locis utilis atque opportuna esse videbitur, etc.*

Item sess. 21. cap. 3.

Cum Beneficia ad divinum cultum atque Ecclesiastica munia obeunda sint constituta, ne qua in parte minuatur divinus cultus, sed ei debitum omnibus in rebus praestetur obsequium, statuit Sancta Synodus in Ecclesiis Cathedralibus, etc.

CAP. I. De Beneficiorum collatione.

1. Merito *hic quaeritur inter dispensatores, ut fidelis* b *quis inveniatur,* cum non viris Beneficia et Dignitates, sed Dignitatibus et Beneficiis dari viros oporteat. In his igitur conferendis Episcopi non carnis et sanguinis sequantur affectum, sed judicium rationis. *Grave* enim *nimis est et absurdum, quod quidam Ecclesiarum Praelati, cum possint viros idoneos ad Ecclesiastica Beneficia promovere, assumere non verentur indignos, quibus nec morum honestas nec literarum scientia suffragatur.*

2. Nulla igitur prece aut pretio interveniente, nec ullius muneris, etiam sponte oblati, intuitu Ecclesiastica Beneficia distribuantur, sed electio, praesentatio, institutio et, quidquid ad eorundem collationem, resignationem, cessionem pertinet, juxta Sacros Canones gratis fiat, exceptis ministrorum emolumentis, juxta c taxam Innocentianam et non amplius tribuendis.

3. Rationabili aequitati et Sacrorum Canonum institutis consentaneum est, ut Cives exteris et indigenae alienigenis in Beneficiorum collatione praeferantur. Curent igitur Episcopi, ut, quoad vitae testimonium et meritorum ratio patitur, semper ad Beneficia ejusdem Civitatis aut Dioecesis respective Clerici assumantur.

4. Ecclesiastico proventu gaudentes meminerint ex Tridentino, ut non solum Beneficii sui munera exequantur, sed Ecclesiam etiam quoad omnes partes sartam tectamque et ornamentis ad divinum cultum necessariis instructam habeant.

5. Ad vacantes Parochiales aut, quocumque vocentur nomine, curatas Ecclesias per edictum publice d propositum vocentur ad concursum, quicumque accedere velint, et alia omnia serventur per Sacros Canones constituta, ut dignior ab Episcopo eligatur. Collationes

4) Card. Paleottus, de administr. Bonon. Eccl. p. 6. de visit. pag. 489. seqq. Conc. Prov. Neap. cap. 36.

5) Conc. Mediol. I. p. 2. t. 30. de visitat. §. *An Sanctorum*.

6) Conc. Mediol. I. l. c. S. Carol. in Instruct. (Acta eccl. Mediol. p. IV. pag. 488). Conc. Neap. cap. 47.

7) Cap. *Relinqui.* 2. de custod. Euch. (III, 44). Can. *Vestimenta.* 42. de consecr. dist. 1.

8) Trid. sess. 21. de reform. cap. 8. Conc. Neap. cap. 8. Urbani VIII. const. 45. *Cum saepe.* d. 21. Jun. 1625. Card. Paleottus, de Bononiens. Eccles. administr. p. IV. p. 243. Conc. Mediol. I. tit. quae ad visitat. loc. pertinent (p. 2. t. 30).

9) Const. Xysti V. *Provida.* 8. Jun. 1587. (in Bullario non reperitur, videtur tamen ea intelligi, quam Bened. XIII. Append. Conc. Rom. inseruit). Conc. Neap. cap. 36. et 61. Card. Paleottus, de Eccl. Bon. administr. p. VI. de visit. p. 493.

Cap. I. 1) 1. Corinth. 4, 2. Trid. sess. 7. de reform. cap. 3. — Cap. *Licet.* 16. VIII. q. 1. S. August. epist. 29. (?) Cap. *Grave nimis.* 29. de praebend. (III, 5).

2) Cap. *Cum essent.* 12. de simonia (V, 3). S. Gregor. lib. 8. epist. 40. Clero et ordini Neap. (al. l. 10. ep. 42. Opp. S. Gregor. Ed. Migne III, 1114). Taxa Innoc. §. *Nulla materia de beneficii.* cum 3 seqq.

3) Coelest. I. epist. 4. ad episcop. Galliae relat. in can. *Nec emeritis.* 12. dist. 61. Leo I. epist. 84. et 100. al. 14. et 170. Opp. Ed. Baller. I, 688. 1434. Can. *Fundamenta.* 17. §. *Digne.* de elect. in 6. (I. 6). Cap. *Te nobis.* 4. de cler. peregr. (I, 22). Conc. Neap. cap. 34.

4) Trid. sess. 21. de reform. cap. 7.

5) Trid. sess. 24. de reform. cap. 18. et cap. 1. Conc. Neap. ubi supra. Siric. Pap. epist. 3. S. Leo epist. 1. ad Episcop. African. (al. ep. 12. Opp. S. Leon. Ed. Baller. I, 657). Pii V. const. 83. *In conferendis.* d. 18. Mart. 1567.

autem et quaevis dispositiones Parochialium Ecclesiarum contra formam Tridentini, praesertim de examine per concursum instituendo factae, nullae et irritae sunt, ut in sua constitutione *In conferendis* declaravit Pius V., neque per eas ullum jus aut titulus saltem coloratus possidendi tribuitur, sed omnino vacant ut prius.

6. In Beneficiis jurispatronatus, sive Ecclesiastici sive laici, nihil praetermittatur eorum, quae ab eodem Tridentino sancita sunt.

CAP. II. De Capitulis et Canonicis.

1. Praeventa in benedictionibus multis Provincia nostra gloriatur in Domino, quod in florentissimis Canonicorum Collegiis ita multiformis gratiae suae munera effudit, ut in honore dignitatis honestas vitae splendesceret, ac latius sese disciplinae integritas funderet, quae in sublimiori ordine coruscaret; aequum est igitur, ut studentes servare unitatem spiritus in vinculo pacis, praebeant Canonici se ipsos exemplum bonorum operum, ac *scientia et sanctitate praecellant, qui sunt honore praestantiores.*

2. Quae ad vitam honestatemque Clericalem spectant, et quae universo Clero praescripta sunt, ipsi prae caeteris observent Canonici, necnon quae de chori disciplina divinorumque officiorum religione deque residentia haec Sancta Synodus constituit.

3. Statuta Capitulorum ab Episcopis diligenter recognoscantur; ubi vero nulla fuerint, prout loci conditio patitur, constituantur ad formam Capituli Metropolitanae Ecclesiae, cujus statuta ab hac Sancta Synodo recognita, confirmata et approbata fuere.

4. Pro Ecclesiae et Capituli negotiis pertractandis singulis saltem mensibus Capitulum convocetur, ejusque habendi dies et hora, quae nullum officiis celebrandis afferat detrimentum, edicatur tabella in Sacristia proposita Dominica praecedenti, nisi tamen alias etiam pro re nata convenire in Capitulum Canonicos necessitas suaserit et casibus emergentibus provide consulere.

5. In ferenda vero quisque sententia utilitatem tantum Ecclesiae sibi constituat; contentiones et animum in partium studiis obfirmatum abjiciat, et quidquid mutuam possit charitatem violare.

6. Illi, quorum res agitur, a Capitulo recedant nec, nisi re peracta, revocentur; suffragia vero secreta ferantur; quae nisi ultra dimidium in rem propositam convenerint, nihil actum ea de re in Capitulo censeatur.

7. Canonici Cathedralium aut Collegiatarum insignium, quocumque nomine nuncupentur, non audeant munus exercere procuratoris, vulgo *fattore,* pro Monasteriis Monialium aut Conservatoriis.

6) Trid. sess. 24. de reform. cap. 12. et sess. 25. de reform. cap. 9.

Cap. II. 1) Cap. *Nisi cum pridem.* 10. de renunc. (I, 9).

4) Cap. *His quae.* 11. de majorit. et obedient. (I, 34). Conc. Mediol. III. t. 14. de his, quae ad capitulum pertinent.

5) S. Carol. in cit. conc.

6) Sacr. Congr. Episc. d. 14. Mart. 1615. Cap. *Cum in cunctis.* 1. de his, quae fiunt a majore parte Capituli (III, 11.) et cap. ult. eod. tit.

a CAP. III. De Vicariis foraneis.

1. Quae Ecclesiarum sollicitudo ad indefessam vigilantiae curam Episcopos adhortatur, eadem postulat, ne, villico longe agente, pereat messis agri, et comedat hostis vineam et segetes ejus: ut in opus ministerii viros idoneos probatae vitae et maturae aetatis assumant, qui tamquam Vigiles, qui custodiunt Civitatem, regiones sibi commissas obire et perlustrare non desinant; atque ut id majori cum diligentia et alacritate praestare possint, praecipit Sancta Synodus, ut a cunctis Ecclesiasticis honor ipsis et reverentia exhibeatur.

2. Festorum dierum cultum sedulo tueantur, nec facultatem servilia opera per eos dies exercendi ex qualibet levi causa, sed gravi tantum cogente ne-
b cessitate largiantur; caveant tamen, ne pro ea facultate quidquam ulla ratione vel colore accipiant, sub poena privationis officii aliisque ad arbitrium Ordinarii infligendis. Si vero aliquid eo nomine fuerit persolutum vel traditum, is, qui persolverit vel tradiderit, recurrat statim ad Ordinarium, eoque animadversionem adhibere negligente, ad Metropolitanum appellet.

3. Nedum de delictis, si quae ab Ecclesiasticis patrari contigerit, certiorem faciant Ordinarium intra biduum vel citius, si rei gravitas vel alia circumstantia id postulaverit, sed etiam mores eorundem Ecclesiasticorum crebro referant.

4. Inquirant accurate, quae sit diligentia in conferentiis casuum conscientiae, in edocendis fidei rudi-
c mentis, in explanatione Evangelii Parochis injuncta ac in cultu divino et Ecclesiarum, potissimum vero Sacrosanctae Eucharistiae, conservando; et quos defectus in his compererint, ad Ordinarium deferre non omittant.

5. Parochorum assiduitatem et vigilantiam in administratione Sacramentorum et assistentia agonizantibus summa diligentia exquirant. Ac, si quis Parochorum culpa vel desidia non munitus Sacramentis obierit, Ordinario significent.

6. Cohabitationem tum Clericorum cum mulieribus, tum Sponsorum cum Sponsis ante Matrimonium in faciem Ecclesiae celebratum, ex quo multa scandala in dies oboriuntur, Ordinario denuncient, aliter poena privationis officii aliisque arbitrariis puniantur.

d 7. Praeter emolumenta, quae ipsis Vicariis foraneis praescripta sunt in taxa his constitutionibus subjicienda, nihil prorsus accipiant sub eadem poena privationis officii aliisque arbitrariis; utque omnis transgressionis ablegetur occasio, prohibet Sancta Synodus, ne ejus-

Cap. III. 1) Joël 1, 11. Cant. 3, 3. Conc. Mediol. I. p. 2. tit. 29. de vicariis foraneis constituendis. Sacr. Congr. Episc. d. 9. Jun. 1592. Sacr. Rit. Congr. d. 3. Jun. 1629.

2) Ex const. 291. Urbani VIII. *Universa.* d. 20. Sept. 1642. §. 3. (in med.) *Ut vero.* Cap. fin. de feriis (II, 9). Const. 5. Pii V. *Cum primum.* d. 1. Apr. 1566. Taxa Innoc. §. *Per la licenza di lavorare.*

3) Cap. *Ut singulae.* 4. de offic. Archipresb. (I, 24). Conc. Aquil. 1596. rubr. 18.

4) Conc. Aquil. cit. num. 3. Conc. Aquen. 1585. hoc tit.

5) Conc. Mediol. IV. p. 2. t. 6. de his, quae pertinent ad extr. unct.

6) Conc. Aquil. loc. cit. Conc. Mediol. I. loc. cit.

7) Conc. Aquil. loc. cit.

modi Vicariatus ulli unquam vendantur aut locentur sive pecunia aut alio oneroso titulo conferantur.

8. Ubi viget consuetudo, ut ad Vicarios foraneos spectet portio aliqua legati relicti pro Missis in Suffragium Defunctorum celebrandis, Missas pro dicta portione teneantur ipsi celebrare vel per se vel per alios pro illorum animabus, pro quibus legatum est relictum; neque sibi portionem praedictam retinere praesumant, Missis non celebratis. Ordinarii autem ad extirpandum abusum recipiendi dictam portionem sine Celebratione Missarum, sicubi fuerit, serio invigilent; salvis omnibus juris remediis ipsis competentibus, ad formam superioris Synodi Provincialis.

9. Prohibet etiam districte Sancta Synodus, ne Defunctorum exequiae et sepulturae quoquomodo retardentur, sive a Vicariis ipsis sive ab aliis praetextu praefatae portionis illiusque exactionem assecurandi, extorquendo obligationem consanguineorum vel haeredum, cum debeant juridice exercere praetensam actionem contra bona haereditaria. Nec ideo Parochi exspectent facultatem Vicariorum pro funeribus ducendis et cadaveribus Defunctorum sepeliendis, sed omnimoda libertate exerceant munus suum.

CAP. IV. De Parochis.

1. *Presbyteri in populo Dei, ex quibus pendet anima illorum,* recolentes serio, artem artium, regimen animarum, summis difficultatibus esse districtam, et maximum esse periculum, *hominem de factis alterius rationem reddere, qui non sufficit pro suis,* assidua vigilantia et charitate Christifideles sibi commissos portent in sinu suo, *sicut portare solet nutrix infantulum,* ne, si venerit gladius et tulerit quemquam eorum, sanguinem ejus de manu sua requirat Dominus; itaque ut verus Pastor, qui, cum emiserit oves suas, ante eas vadit, Parochus pascat eas verbo, pascat exemplo.

2. Episcopi vero Paroeciarum gubernacula non permittant iis, *qui nullis virtutibus fulti* neque *divinitus vocati, sed* sua *cupidine incensi,* regimen animarum rapere potius quam consequi nituntur, sed iis, qui longa vitam suam probatione monstrarint; Ecclesiasticos vero Sancta Synodus hortatur, ne vel humilitatis obtentu vel, blandiente desidia, ejusmodi animarum curam respuant, si hanc *operam* eorum *mater Ecclesia desideraverit.*

3. Quoniam, *ubi populus Pastoris sui incuria spiritualem famem Coelestis doctrinae patitur, ibi est omnis pietatis et religionis exterminium:* Parochi fideliter exequantur Sac. Conc. Trid. atque hujus Sanctae Synodi

a praescriptum in Verbi Dei praedicatione, fidei rudimentis tradendis et germano praesertim Evangelii sensu explanando.

4. Quod *si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, hujusmodi* instruant *in spiritu lenitatis;* aut si pro sceleris gravitate acrior animadversio desideretur, *foris terribiliter personet increpatio, intus charitatis teneatur dilectio; consentire* enim *videtur erranti, qui ad resecanda, quae corrigi debent, non occurrit;* et, *cum increpare delinquentes noluerit, procul dubio tacendo Pastor occidit.*

5. Avaritiae suspicionem tanto muneri gravissime infestam satagant amoliri, cum lucra animarum sint thesauri Sacerdotum, qui *non pascunt, ut comedant,*
b *sed comedunt, ut pascant;* neque enim, ut divitiis affluant, vel necessarios suos locupletent, *tradidit illis Deus regiones gentium,* et *labores populorum* possident, sed ut custodiant justificationes ejus et legem ejus requirant. Quare nihil amplius exigant eo, quod in Taxa Innocentiana definitur, et quoad casus in ea omissos, in taxa huic Synodo subjicienda.

6. Ac ne ullo quaesito praetextu ad quaestum avidius captandum adducantur, et largiora pauperibus erogare possint subsidia, Sanctissimi Domini Nostri Innocentii XII. decreto inhaerentes Episcopi a Paroeciis ulla pensione gravandis abstineant; ne, cum operarius dignus mercede sua portaverit pondus diei et aestus, capiant alieni labores ejus; id quod in omnibus
c Beneficiis conferendis dignissimum est observari.

7. Qui decimas, Ecclesiis aut personis legitime debitas, aut subtrahunt aut impediunt, excommunicentur, neque absolvantur, nisi plena restitutione secuta, juxta Decretum Tridentini.

8. Ut oves Pastoris sui vigilantia praesentiaque ab omnibus semper invisibilium hostium incursibus custodiantur, praecipit Sancta Synodus sub poenis ad arbitrium Ordinarii, ut in aedibus Parochialibus Parochi inhabitent vel intra Paroeciae suae fines, si Parochiales aedes nullae fuerint.

9. Si quando eos processionum aliorumve officiorum necessitas evocaverit, Coadjutori vel alio Sacerdoti idoneo et approbato animarum curam relinquant, iisque deficientibus, ubi repentina necessitas emerserit,
d Parochus vicinior Sacramentorum subsidia citra proprii Parochi praejudicium extreme laborantibus ministret; quemadmodum etiam Parocho aegrotante vel vita functo, et substituto eidem nondum subrogato.

8) Conc. Neap. cap. 46. §. *Ut autem.*

9) Taxa Innoc. §. *Come anche in modo alcuno.*

Cap. IV. 1) Judith 8, 21. S. Greg. in Pastor. I, 1. S. Thom. in epist. ad Hebr. cap. 13. Ezech. 33, 6. Joan. 10, 4.

2) S. Greg. in Pastorali lib. I. cap. 1. (Opp. S. Greg. Ed. Migne III, 13. A). Can. *Vos autem.* 30. XVI. quaest. 1. S. August. epist. 81. (al. 48. Opp. Ed. Bened. II, 113. F.)

3) S. Joan. Chrys. hom. 45. in Genes. [?, fortasse hom. 54. vel 57. Opp. Ed. Montfaucon IV, 523. A. 558. D.] Trid. sess. 5. de reform. cap. 2. et sess. 24. cap. 4.

4) S. Aug. serm. 18. de verb. Dom. (Opp. Ed. Bened. V. 479. D.) Can. *Consentire.* 3. dist. 85. Can. *Ephesiis* 4. dist. 43.

5) S. Bern. in Evang. *Ecce nos.* [Gaufr. declam. §. 13. Opp. S. Bern. Ed. Migne III, 445.] Psal. 104, 44. Taxa Innoc. §. *Parimente per una regola generale.*

6) Conc. Neap. cap. 33. Edict. de gener. mand. S. D. N. Innoc. XII. d. 11. Nov. 1692.

7) Trid. sess. 25. de reform. cap. 12. Cap. *Pervenit.* 5. Cap. *Nuntios.* 6. de decimis (III, 30). S. Congr. Conc. d. 13. Nov. 1627. Conc. Mediol. IV. p. 2. tit. 15. de Paroch. Cap. *Licet.* 14. §. *Is etiam.* de elect. in 6. (I, 6.). Conc. Mediol. II. t. 3. decr. 15. et Conc. Mediol. VI. p. 3. t. 6. de Paroch.

10. Excommunicationem latae sententiae subeant haeredes, consanguinei et affines Parochi defuncti, qui ex aedibus illius quicquam ad Ecclesiam pertinens vel exportaverint vel exportandum mandaverint.

11. Quum impedimento aliquo quoquomodo detentus Coadjutorem Parochus obtinuerit, non existimet, se Sacramentorum administrandorum aliorumque onerum obligatione solutum, sed ea per se perficere, cum licuerit vel impedimentum cessaverit, non praetermittat.

12. Cum praecepto divino mandatum sit iis, quibus animarum cura commissa est, pro ovibus suis sacrificium offerre, saepe censuit Sac. Congreg. Concilii, Parochos teneri pro Parochianis sacrificium applicare, atque ea cum distinctione, ut, si reditus pingues sint, singulis diebus, si vero tenues, saltem diebus festis, juxta Decretum in fine adscribendum.

CAP. V. De vita et honestate Clericorum.

1. Clerici, *quorum vita ornari debet Ecclesia,* praebeant sese oportet moribus atque honestate vitae gentem Sanctam et genus electum et lucernas positas super candelabrum, ut luceant omnibus, qui in domo sunt; quare abjicientes secularia desideria et christianum populum moribus suis viam vitae in veritate docentes, sint *Christi bonus odor in omni loco,* ne a Domino in die furoris sui districto judicio puniantur, si perditae vitae exemplis oves ejus mactaverint, qui omnes Christo lucrifacere debuissent.

2. Ne autem, ut conqueritur Bernardus, *insolentia Clericorum, cujus mater est negligentia Episcoporum,* turbet et molestet Ecclesiam: singuli hujus Provinciae Episcopi edictum de vita et honestate Clericorum proponant, atque omni studio eos in officio continere laborent; *merito* enim *debet superni Judicis subire vindictam, qui neglexit in subditos exercere disciplinam.*

3. *Ignorantia, mater cunctorum vitiorum,* maxime in Sacerdotibus Dei vitanda est, quorum labia custodire debent scientiam. Sacras igitur Scripturas legant, et Ecclesiasticos Canones sciant, praesertim in iis, quae ad munera sua recte praestanda necessaria sunt, et Gregorianum cantum ad divina officia rite persolvenda; ut *aedificent cunctos tam fidei scientia quam operum disciplina.*

a 4. Ut per decentiam habitus extrinseci morum gravitatem intrinsecam ostendant, in Clericorum vestibus gravitas Ecclesiastico viro digna praefulgeat; neque ulla exquisiti cultus studiosaeque elegantiae suspicio praebeatur; atque eadem ecclesiastica simplicitas in tibialibus atque interioribus vestibus eluceat, ita tamen ut neque sordes neque negligentia decentem munditiam excludant.

5. Contra eos, qui pedem in diversis ponentes, alterum in divinis, alterum in carnalibus, exoticas vestes, a Clericali instituto abhorrentes, gestaverint, canonicis poenis animadvertant Episcopi. An minores Clerici mandata Tridentini observent, diligenter inquirant; et adversus non observantes ex literis mandato Sanctissimi Domini Nostri Innocentii XII. b novissime emanatis, servatis servandis, procedant ad declaratoriam, qua ex albo Clericorum expungantur. Beneficiis Ecclesiasticis gaudentes, si talarem habitum ad formam Constitutionis Xysti V. deferre neglexerint, poenis in Concilio Tridentino atque eadem Constitutione statutis coerceant, praesertim privatione beneficiorum.

6. Tonsuram conspicuam suo congruentem ordini omnes deferant; qui vero adscititium capillamentum gestaverit, praeter illius amissionem poenam carceris formalis incurrat.

7. Qui Clericus quovis tempore, sed nocturno praecipue, per plateas aut publice quomodolibet citharas c aliave musica instrumenta pulsare, profanas cantiunculas modulari vel alios canentes aut choreas ducentes comitari vel larvas bacchanalibus induere vel data opera larvatos sectari non erubuerit, poena carceris formalis aliisque ad arbitrium puniatur.

8. Eadem carceris formalis poena contra eum adhibeatur, qui ludere in publico ludo vel publice ausus fuerit; gravius vero, si ipse domi suae vel ab se conductae publicum ejusmodi ludentium conventiculum aperuerit vel cum conductore participaverit aut eo alios ad ludendum adduxerit. Imo caveant Clerici divino Ministerio addicti, ne aut in ejusmodi vitiorum officinis aut in hisce actibus, a Clericali dignitate abhorrentibus, unquam versentur.

d 9. Sub poena statuta vel statuenda in quacumque Dioecesi Clerici neque per se neque per alios arma laicis prohibita deferre audeant, ne occasione quidem itineris. A quo enim trepidabunt, quos Dominus tamquam pupillam oculi sui [se] servaturum pollicetur? Si quis vero Clericus, etiam aetate minor, arma quae-

---

10) Can. *Qui Christi.* 1. can. *Augustino.* 2. et can. *Haec hujus.* 38. XII. quaest. 2.

11) Conc. Later. IV. can. 32. Cap. *Extirpandae.* 30. §. *Qui vero.* De Praebend. (III, 5). S. Congr. Episc. in Tarent. d. 28. Febr. 1614.

12) Trid. sess. 23. de reform. cap. 1. S. Congr. Conc. d. 1. Sept. 1629. Item in Civ. Castell. d. 26. Aug. 1628. et Hydrun. d. 13. Febr. 1639. Roman. d. 17. Jul. 1649. Clusin. d. 20. Jul. 1670. Lucan. d. 10. Maj. 1681.

Cap. V. 1) Hieron. epist. ad Ocean. de vita Cleric. (epist. 69. Opp. S. Hier. Ed. Migne I, 662. n. 8). Toto tit. de vita et honest. Cleric. Conc. Neap. cap. 22.

2) S. Bernard. epist. 15. [al. 152. Opp. Ed. Migne I, 311. B.] S. Petr. Dam. lib. 1. epist. 5. [?, fortasse l. 4. epist. 15. Opp. S. Petr. Dam. Ed. Migne I, 329. D.]

3) Trid. sess. 23. de reform. cap. 11. Malach. 2, 7. Can. *Ignorantia.* 1. et per totam dist. 38. Trid. sess. 23. de reform. cap. 13. et 14. S. Greg. Pastor. p. 1. cap. 1.

4) Trid. sess. 22. de reform. cap. 1. Conc. Neap. cap. 22.

5) Trid. sess. 14. de reform. cap. 6. Clement. *Quoniam.* 2. de vit. et honest. Cleric. (III, 1). Ex lit. encycl. de mand. S. N. D. Innoc. XII. d. 14. Jun. 1698. Xyst. V. constit. 92. *Cum Sacrosancta.* Trid. ubi supra et sess. 23. de reform. cap. 6.

7) Can. *Clericum.* 6. dist. 46. Cap. *Cum decorem.* 12. de vit. et honest. Cleric. (III, 1). Conc. Neap. cap. 22.

8) Cap. I. ne Clerici vel monachi (III, 50). Cap. *Clerici officia.* 15. de vit. et honest. Cleric. (IV, 1).

9) S. Joan. Chrys. hom. 15. ad pop. Antioch. Cap. *Clerici.* 2. de vit. et honest. Cleric. (III, 1). Conc. Neap. cap. 22.

cumque domi retinuerit, poena amissionis eorum aliisque ad arbitrium puniatur.

10. Memores Sacrorum Canonum, cohabitationem Ecclesiasticorum cum mulieribus interdicentium, nemo ex Clericis audeat ancillas domi retinere, ex quibus ulla possit adversa suspicio suboriri; de hujus autem suspicionis periculo, ne quis sibi temere blandiatur, Episcopus diligenti examine inquirat prudentique consilio judicet. Neque docere audeant puellas aut mulieres legere, scribere, canere et alia hujusmodi, nisi venia ab Ordinario impetrata, sub poena carceris formalis.

11. Quoniam *nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus,* abstineant Clerici tum a mercimoniis aliisque illicitis negotiationibus tum ab alienis praediis, etiam per interpositam personam, conducendis; neque aliis se negotiorum gestores sive factores praebeant. Contrafacientes vero Sacrorum Canonum poenas aliasque Ordinarii arbitrio infligendas incurrant.

12. Sine Ordinarii facultate tutelas curasque aliorum non suscipiant, sub poenis ad arbitrium Ordinarii; neque in Tribunalibus laicis Advocatum aut Procuratorem agant, sub iisdem poenis; quibus etiam praeter eas, quae in Jure constitutae sunt, plectantur hi, qui sine speciali indulto medicinae aut chirurgiae artem, etiam citra carnis incisionem, profiteri praesumserint.

13. Cum Clericorum conversatio in Coelis esse debeat, a prava improborum hominum consuetudine abstineant, et loca, quo laici ad negotiationes aut confabulationes convenire solent, sedulo vitent.

14. Pro suae etiam professionis dignitate a nugis et scurrilibus, a detractionibus, assentationibus atque omni laicali licentia sese contineant, recolentes, quanta in se gravitate judicii ejusmodi peccata sint punienda, cum etiam *id plerumque, quod in laicis culpa non est, crimen in sacro sit ordine constitutis.*

TITULUS X.

De Seminario.

Text. Trid. sess. 23. cap. 18.

Si Cathedralium et aliarum majorum Ecclesiarum Praelati in Seminarii erectione ejusque conservatione negligentes fuerint ac suam portionem solvere detrectaverint, Episcopum Archiepiscopus, Archiepiscopum et superiores Synodus Provincialis acriter corripere eosque ad omnia supradicta cogere debeat, et ut quamprimum hoc sanctum et pium opus, ubicumque fieri poterit, promo- a *veatur, studiose curabit, etc. Si vero in aliqua Provincia Ecclesiae tanta paupertate laborent, ut Collegium in aliquibus erigi non possit, Synodus Provincialis curabit pro regionis more, quae necessaria videbuntur, etc.*

CAP. UNICUM. De Seminarii erectione et disciplina.

1. Ut Vinea Dei Sabaoth, Ecclesia, quam acquisivit sanguine suo, et fructuum ubertate redundaret et operarios multos haberet in messem multam: Seminariorum institutionem Tridentina Synodus Ecclesiarum Pastoribus summopere commendavit et injunxit; ut adolescentes plantati in domo Domini ac in atriis domus Dei nostri florentes, cum portaverint jugum Evangelicae disciplinae ab adolescentia sua, aliquando Ec- b clesiasticis Ministeriis, Episcopo demandante, pascant gregem populi sui. Reputans igitur haec Provincialis Sancta Synodus, quanta hinc Ecclesiarum praesidia sint proditura, et Tridentini mandatis obtemperans praecipit, ut Episcopi, qui Seminarium nondum habent, ad mentem ejusdem Tridentini illi erigendo instituendoque operam omnem quamprimum adhibeant et suscepti operis rationem intra annum Metropolitano reddant.

2. Cum autem ad hanc Sanctam Synodum delatus fuerit status omnium hujus Provinciae Seminariorum; in Neapolitano quidem et Aversano nihil habuit eadem Sancta Synodus optandum, nisi ut, Domino adjuvante, Ecclesiastica in iis disciplina et adolescentium progressus magis in dies promoveatur.

3. Quo vero ad Seminarium Nolanum eadem Sancta c Synodus, habita matura discussione super statu spirituali et temporali illius, providet atque decernit, ut in posterum reditus et proventus, ad illud spectantes et quomodolibet pertinentes, nullo modo applicentur aut expendantur nisi tantum in utilitatem et necessitatem ejusdem Seminarii et puerorum ibidem degentium, sublatis omnino oneribus, quibus hucusque gravabatur, etiam ad favorem Ecclesiae Cathedralis; et praecipit, ut augeatur numerus Alumnorum pro ratione redituum, qui in grammatica et superioribus scientiis instruantur, non autem in cantu figurato, sed tantum in Gregoriano; et de executione certior fiat Metropolitanus intra annum.

4. In Dioecesi Acerrana quamprimum reducatur d fabrica Seminarii pro commoda habitatione puerorum et Ministrorum, ut possint simul cohabitare ibidemque educari. Quamobrem statuit Provincialis Sancta Synodus, ut in posterum reditus et proventus loci praedicti per Deputatos aliosque, ad quos pertinet ad formam Tridentini, consulto Episcopo, applicentur in usum dictae fabricae perficiendae.

5. In Civitate aut Dioecesi Isclana pro Seminario ibi erigendo curet loci Episcopus omni conatu et diligentia, ut erectio praedicta per opportuna remedia a Sacro Tridentino Concilio praescripta perficiatur, et

10) Cap. 1. de cohabit. Cleric. et mul. (III, 2). Conc. Nicaen. relat. in can. *Interdixit.* 16. dist. 32.

11) 2. Tim. 2, 4. Conc. Later. III. can. 12. Can. *Pervenit.* 1. cum seqq. XXI. quaest. 3.

12) Can. *Duo sunt.* 7. XII. quaest. 1. Cap. *Sed nec procurationes.* 4. et cap. *Sacerdotibus.* 2. ne Clerici vel Monachi (III, 50). Conc. Neap. loc. cit. cap. 22.

13) Can. *Non oportet.* 37. et can. *Nullus Presbyt.* 35. de consecr. dist. 5. Conc. Carthag. IV. cap. 7. S. Greg. lib. 7. epist. 14. (al. lib. 10. epist. 4. Opp. S. Greg. Ed. Migne III, 1069. A.)

Cap. unic. 1) Act. 20, 28. Trid. sess. 23. de reform. cap. 18. Conc. Neap. cap. 19.

interim, eadem erectione pendente, curet educari in aliquo Seminario intra Provinciam tot pueros, quot vires patiuntur, etiam ad formam Tridentini.

6. Ut mens ejusdem Concilii suum sortiatur effectum, decernit Sancta Synodus, ut omnia beneficia Ecclesiastica et omnia alia bona assignata Seminario Ecclesiae Puteolanae in ejus erectione anno 1625. denuo vindicentur in beneficium ejusdem Seminarii in pristinum statum, et habitationes dicto Seminario assignatae denuo restituantur.

7. Universim autem praecipit Sancta Synodus, ut reditus cujuscumque Seminarii non in alios usus, etsi pios, praeterquam ejusdem Seminarii ullo pacto expendantur; si autem alias expensi fuerint contra formam praesentis decreti, a Deputatis ad formam Tri- b
dentini non recipiantur tamquam expensi.

8. De regimine atque administratione Seminarii servent diligenter et observari faciant Episcopi, quaecumque ab eadem Sancta Tridentina Synodo praescribuntur, ac certas ipsi regulas proponant ad literarum et christianae pietatis incrementum; maximam autem sollicitudinem conferant ad idoneos Ministros et praeceptores deligendos.

9. In Alumnis et Convictoribus admittendis praeter ea, quae in Tridentino praecepta sunt, indoles quoque admittendorum instituto examine exploretur, ne in crassioribus et nullius spei ingeniis erudiendis opera et impensa depereat.

10. Alumni cum eorum parentibus, antequam in Seminario recipiantur, non solum de Ecclesiastico habitu numquam dimittendo idoneam cautionem praestabunt, verum etiam de Parochialibus Ecclesiis non recusandis aliisque Ecclesiasticis muneribus ab Episcopo sibi demandandis; alias expensas alimentorum reficere teneantur juxta Synodalem taxam cujusque Dioecesis.

11. Meminerint Seminaristae, sese ad aliorum institutionem erudiri atque educari; propterea diligenter addiscant ea, quae alios deinde idoneo tempore docere possint; atque ad ea studia, quae Tridentinum postulat et Episcopi judicium praescripserit, alacres incumbant, ne, si scientiam ipsi repulerint, repellat eos Dominus, ne Sacerdotio fungantur sibi.

12. Episcopus vero, ut Seminarii disciplinam rite constituat, unoquoque saltem bimestri Seminarium visitet atque, ut diligentiam vehementius exacuat, adolescentium progressiones saepe exploret, et spe praemiorum aut metu animadversionis correptos, ferventiores et desides foveat et incendat; pro cujusque autem merito atque in Ecclesiastica disciplina progressu be-
a neficiorum iisdem subsidia largiatur; *ne, quos suae pietatis humor ad tempus servat, aestus postmodum veniens nimiae paupertatis adurat.*

13. Ne ulla macula animi candor et morum innocentia, quibus christiano populo debent maxime praelucere, violetur, nulla Seminaristis communicatio cum exteris permittatur, neque ulli domum suam sine Rectoris permissu adire liceat; ea autem facultate obtenta, eorum extra Seminarium conversatio ex Parochi praesertim significatione et testimonio secundum formulam Sancti Caroli diligenter observetur. Bacchanalibus vero diebus ejusmodi facultas nemini tribuatur, ne commixti inter gentes discant opera eorum, et fiat ipsis in scandalum.

TITULUS XI.

De Sanctimonialibus et Regularibus.

Text. Trid. sess. 25. cap. 22.

Si quid exequutioni mandatum non sit circa decreta Monialium et Regularium, Episcoporum negligentiam Concilia Provincialia suppleant et coerceant; Regularium vero capitula Provincialia et Generalia et in defectum Capitulorum Generalium Concilia Provincialia per deputationem aliquorum ejusdem ordinis provideant.

CAP. I. **De Sanctimonialibus.**

1. Virgines Deo dicatae, *flos Ecclesiastici germinis*
c *et pretiosa Christi monilia,* merito castitatis et eximiae professione virtutis, ut sequantur agnum, quocumque ierit, solum cogitent oportet, quae Domini sunt, quomodo placeant Deo; ita enim in odorem suavitatis ejus currentes et sexum ac seculum ausu validiore vincentes spectabilem victoriam ab antiqui hostis feritate reportabunt, et innixae super dilectum suum ascendent de deserto, divinorum charismatum et sanctitatis deliciis affluentes.

2. Meminerint igitur, sese veterem hominem cum actibus suis spoliasse et novum, qui secundum Deum creatus est, induisse; propterea vestis talis sit Sacrae Virginis, quae testis sit intimae castitatis. Capitis igitur et corporis cultu talem sese componat, qualem
d religiosae simplicitatis ornatam monilibus Dominus concupiscat; *omnis* enim *gloria ejus filiae Regis ab intus.*

3. Puellae etiam, quae Monasterium educationis causa ingrediuntur, facultate tamen a Sac. Congregatione et Ordinario in scriptis concessa, studeant, ut cum Sanctis Sanctae sint, et cum religiosis religiose

---

8) Trid. loc. cit. Paleott. de Bonon. Eccles. admin. p. 5. de semin. cap. 1. de condit., quae requiruntur in iis, qui ad semin. admitt. p. 348.

9) Trid. loc. cit. S. Carol. in institut. sem. p. 1. cap. 3. [?, fortasse c. 8. vel 9. Acta Eccl. Mediol. p. 865. 866.] Paleott. loc. cit.

10) Trid. loc. cit. S. Carol. in institut. sem. Act. p. 5. cap. 10. p. 867.

11) Trid. loc. cit. S. Carol. in institut. sem. Act. p. 5. cap. 2. et 3. et p. 2. p. 861. 867. seqq. Ose. 4, 6.

12) S. Carol. loc. cit. p. 1. cap. 8. (in princip.) Conc. Burdigal. a. 1583. tit. de instit. et regim. sem. Cap. 9. §. 36. *In examinationibus.* S. Petr. Dam. epist. 13. [al. l. 4. ep. 13. Opp. Ed. Migne I, 325. A.]

13) Conc. Aurel. II. can. 9. Paleott. de Bonon. Eccles. admin. p. 5. cap. 6. p. 350. S. Carol. in instit. sem. Act. p. 5. c. 7. p. 864. Psal. 105, 36.

Cap. I. 1) S. Ignat. episc. 13, 1. Cor. 7, 34. S. Petr. Dam. serm. 30. de dedicat. eccles. (al. serm. 59. Opp. S. Petr. Dam. Ed. Migne I, 902. A).

2) Clement. *Attendentes.* 2. de statu Monach. (III, 10). S. Congr. Episc. in Neap. d. 13. April. 1582. et Mediol. d. 26. Nov. 1619. Conc. Neap. cap. 53. pag. 96. Conc. Mediol. I. p. 3. t. 9. de clausura.

3) S. Congr. Episc. d. 28. Mart. 1588. et d. 27. Mart. 1603., et in Neap. d. 11. Dec. 1648. et d. 1. Febr. 1647. et d. 1. Jul. 1690.

conversentur. A monialibus, etiam Novitiis, in loco peculiari et separato seorsum habitent juxta Decretum Sac. Congregationis.

4. Quoniam *intentioni animae, cui sacratae Deo Virgines vacare debent, si exterior evagatio clauditur, interior accessus aperitur:* praecipit proinde Sancta Synodus, ut sine Ordinarii facultate nemo ad Monasteria Monialium, licet exemta, accedere audeat ad colloquendum cum aliqua vel aliquibus earum, etiamsi Novitia aut Conversa aut quae educationis sive alterius rei causa ibidem commoretur (conjunctis in primo vel secundo consanguinitatis gradu dumtaxat exceptis) sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda, declarans, quod, qui facultatem obtinuerit colloquendi cum aliqua praedictarum, non possit data opera et ex professo cum aliis colloqui.

5. Ut immanis eorum temeritas coerceatur, qui Christi Virgines pestifero afflatu inficere non verentur, excommunicationis sententiam ipso facto incurrant, qui cum aliqua ex praedictis aut coram ipsis ausi fuerint de rebus obscaenis per verba aut actus impudicos praesentes agere, absentes vero per literas aut internuncios; necnon viri et mulieres, sive intra sive extra Monasterii claustra degentes, qui dictas literas aut mandata detulerint; quorum absolutio ita Ordinariis reservata sit, ut, si cui facultas concessa fuerit absolvendi ab omnibus casibus Ordinario reservatis, a collocutione cum Monialibus sive aliis, ut supra, in Monasterio degentibus de rebus obscaenis aliisque, ut dictum est, actibus impudicis numquam concessa intelligatur, nisi facta fuerit expressa mentio de ea.

6. Clausae Monialium Ecclesiae retineantur, laicis universis exclusis, dum Sacrae Conciones habentur, tempore praesertim Adventus et Quadragesimae, juxta decretum Sac. Congregationis.

7. Sive in suscipiendo Religionis habitu sive in professione emittenda sive cujusvis alterius festivitatis occasione non audeant Sanctimoniales quomodolibet exemtae per se aut per alios ad suas Ecclesias invitare Seculares, sive mares sive feminas, sub poena interdicti Ecclesiae juxta literas Sac. Congregationis; imo Ecclesiae in ejusmodi festivitatibus ante signum salutationis Angelicae claudantur.

8. Ex decreto Sac. Congregationis non permittatur Monialibus cantus figuratus, sed tantum Gregorianus.

a Etiam Sacrae Congregationis decreto inhaerens haec Sancta Synodus sub poena violatae clausurae et excommunicationis latae sententiae prohibet omnibus in Monasterio degentibus, ne sub quovis praetextu introducant in Monasterium pueros vel puellas, etiam septennio minores, sive per rotas sive per alias partes, etiamsi non extrahantur a rota, sed in ipsa maneant ex parte clausurae.

9. Ex fenestellis distribuendae Eucharistiae addictis nihil quicquam, etiam ad usum Ecclesiae, extrahatur, ac proinde praeter sacrae Communionis tempus semper earum ostiola clausa sint; earum autem altitudo semipalmarem, latitudo palmarem magnitudinem non excedat.

b 10. Confessarius, qui secundum Apostolicas constitutiones, sive Regularis sive Secularis fuerit, toties, quoties casus contigerit, ab Ordinario ante approbatus et deputatus esse debet ad Sanctimonialium confessiones audiendas pro quolibet Monasterio aut Conservatorio, non censeatur approbatus ad eas excipiendas in aliis locis ejusdem Monasterii praeterquam in confessionalibus in exteriori Ecclesia constitutis.

11. Cum, cogente infirmitatis necessitate, ad earum confessiones audiendas vel alia Sacramenta ministranda facultas Confessario concessa fuerit in clausuram ingrediendi, tunc duabus Monasterii senioribus associantibus via breviori ad cellam infirmae se conferat, neque per alias Monasterii partes quocumque prae- c textu sive in ingressu sive in exitu divagetur; confessionem vero ita excipiat, ut apertis januis comitatrices videre quidem, non autem audire possint. Confessarius vero, qui in qualibet hujus decreti parte deliquerit, poenis in sua Dioecesi constitutis aut Ordinarii sui judicio constituendis coerceatur.

12. Cum Religiosae debeant per intentionem animae soli Deo placere, a quo accipiant coronam, quam praeparavit in aeternum: propterea a divinae legis meditatione non cessabunt die ac nocte, et in divinarum contemplatione rerum sicut aquilae volabunt et non deficient; et juxta literas Sac. Congregationis mandato felic. record. Innocentii XI. editas, huic Synodo subjiciendas, spiritualia exercitia quotannis per d decem dies peragant; sicut etiam Novitiae tum in habitu suscipiendo tum in religione profitenda, ut tamquam prudentes Virgines ornent lampades suas, paratae occurrere Coelesti sponso, quando revertatur a nuptiis.

---

4) Conc. Neap. cap. 54. Cap. *Monasteria.* 8. de vita et honest. Cleric. (III, 1). S. Congr. Conc. in Mediol. d. 8. Aug. 1621. et d. 15. Jan. 1616. et in Januen. d. 15. Mart. 1616. Conc. Hispal. II. a. 619. can. 2. relat. in can. *In decima.* 24. XVIII. quaest. 2. S. Congr. Episc. in Camerin. d. 21. Febr. a. 1617.

5) S. Cypr. epist. ad Pompon. de virgin. relat. in can. *Nec aliqua.* 4. XXVII. quaest. 1.

6) Clem. X. const. 7. *Superna.* §. *Decernimus et declaramus.* d. 21. Jun. 1670.

7) Ex lit. S. Congr. Episc. de mand. Innoc. XI. d. 20. Sept. 1683. S. Congr. Episc. d. 23. Mart. 1646.

8) Conc. Mediol. I. p. 3. tit. 9. de clausura. §. *Nemini omnino* (in fine). S. Congr. Episc. d. 30. Jun. 1627. in Neap. et d. 8. Nov. 1604. et d. 20. April. 1609. et in Mutin. d. 25. April. 1608. et in Parmens. d. 25. April. 1653. Decr. Congr. S. Visit. Apost. de Urbe d. 29. Jan. 1665. S. Congr. Episc. d. 2. Jun. 1589. §. 24. S. Congr. Episc. in Cremon. d. 12. Febr. 1585. et in Neap. d. 22. Mart. 1580. Edict. Card. Vicarii pro Urbe de mand. Innoc. XI. pro monial. d. 19. Nov. 1676. §. *Che nella clausura.* Confirmatum a SS. D. N. Innoc. XII. etiam pro Urbe d. 10. Mart. 1692.

9) S. Congr. Episc. in Bonon. d. 15. Dec. 1617. Alexand. VII. in const. *Sacrosancti Apostolatus.* d. 10. Febr. 1657. pro Urbe §. 7. S. Congr. Episc. in Neap. d. 12. Jul. 1592.

10) Greg. XV. in const. 18. *Inscrutabili.* d. 5. Febr. 1622. Clem. X. const. 7. *Superna.* d. 21. Jun. 1670. S. Congr. Conc. in Januens. d. 9. Jun. 1657.

11) S. Congr. Episc. d. 13. Sept. 1583. S. Congr. in lit. encycl. d. 21. Mart. 1682.

12) Ex lit. encycl. S. Congr. Episc. de mand. Innoc. XI. d. 9. Octob. 1682.

CAP. II. De Regularibus.

1. Quemadmodum religiosorum ordinum splendore et frequentia Provincia nostra velut laetata filiorum mater exultat: ita haec Sancta Synodus nihil expetit vehementius quam, ut hi, qui ex mundana conversatione ad regnum filiorum Dei translati sunt, in omni opere bono et virtute crescentes, ad animarum salutem magis magisque promovendam, operam ac diligentiam suam alacri animo exhibeant; quod ut feliciter in Domino exequantur, has Synodales constitutiones, quoad ipsos spectant, et praesertim, quae de Verbi Dei praedicatione ac Sacramento Poenitentiae Apostolicis et Canonicis sanctionibus decreta sunt, diligenter observent.

2. Qui in parvis Conventibus degunt, in quibus ob exiguum numerum religiosorum perfecta claustralium institutionum observantia vigere non potest, ex decreto Sac. Congregationis jussu Innocentii X. edito visitationi, correctioni et omnimodae jurisdictioni Ordinarii loci, tamquam super hoc a Sede Apostolica delegati, subjecti sunt; meminerint autem pro ejusdem decreti observatione, sex saltem Religiosos probatae vitae ibi reipsa et permanenter esse alendos, ex quibus quatuor saltem sint Sacerdotes maturae aetatis.

3. Si Regulares extra Monasterii claustra degentes deliquerint, ex Sac. Conc. Triden. decreto, quocumque sui Ordinis privilegio non suffragante, ab Ordinariis locorum secundum Canonicas sanctiones puniantur. In claustris vero degentes, si extra ita notorie delinquant, ut populo scandalo sint, a suis Superioribus intra certum tempus ab Ordinario designandum pro modo et gravitate delicti coerceantur, ac de poenae qualitate eundem Ordinarium certiorem faciant; sin minus, delinquentes pro delicti qualitate ab Ordinario puniantur.

4. Ex decreto Sac. Congregationis Concilii jussu Clementis VIII. edito Superiores Regularium dimissorias, concedendas subditis suis ad ordines promovendis, dirigant Episcopo illius Dioecesis, ubi extat Monasterium, in cujus familia is Regularis, qui ordinandus est, fuerit collocatus; eorumque conscientiam in hujus decreti exequutione Sancta Synodus graviter onerat.

5. Nullus Regularis cujuscumque Ordinis, Socie-
a tatis et instituti ad Monasteria Monialium, quamvis exemta aut ipsis etiam Regularibus subjecta, sine legitima facultate accedere audeat ad colloquendum cum Monialibus aut aliis intra Monasterii septa degentibus, etiam per quodcumque modicum temporis spatium, sub poena excommunicationis, privationis vocis activae et passivae aliisque statutis, quae juxta Decreta Sac. Congregationis in fine apponenda ab Ordinario tamquam sedis Apostolicae Delegato infligi possunt.

6. Superiores Regulares, ad quos regimen Monasteriorum Sanctimonialium quovis modo pertinet, ex constitutione Alexandri VII., in fine apponenda, non possunt ingredi septa eorundem Monasteriorum nisi ex
b causa visitationis localis; ita tamen semel tantum in anno, ita ut eodem anno, visitatione peracta ab uno Superiore, alteri non liceat idem Monasterium visitationis causa ingredi. Si vero clausura vel alia causa necessaria eodem anno iterum vel saepius ingressum postulaverit, tunc non fiat, nisi Episcopo praesente vel alia persona Ecclesiastica seculari boni exempli et maturae aetatis ab Episcopo deputanda.

7. Ejusdem constitutionis praescriptum in peragendae visitationis ratione observent iidem Superiores, praesertim ut visitatio personalis fiat ad crates ac omnino extra clausuram; et Generali quidem in ejusmodi visitatione duos habere secum socios permittitur; alius a Generali unum tantum socium, aliis omnibus exclu-
c sis, secum habere potest.

8. Ingredi septa Monasterii nisi ex causa ministrandi Sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae et Extremae unctionis Monialibus vel aliis ibidem aegrotantibus vel assistendi agonizantibus interdictum est eadem constitutione; quam si quis Regularis in quavis parte transgressus fuerit, ipso facto poenam excommunicationis, privationis vocis activae et passivae et omnium officiorum, quae obtinet, et perpetuae inhabilitatis ad ea et alia obtinenda sine alia praevia declaratione incurrit; et nihilominus nullis privilegiis et exemtionibus tueri se potest, quominus ab Episcopo loci tamquam ad hoc Sedis Apostolicae Delegato, quoties et quando opus fuerit, corrigi et puniri possit.

9. Cum Ordinarius visitat Monasterium Sanctimo-
d nialium, cujus cura aut regimen Regularibus quomodocumque incumbit, non tenetur secum admittere Superiorem Regularem ejusdem Monasterii. Si vero Superior contraire nitatur vel Visitationem quoquomodo impedire,

---

Cap. II. 1) Gregor. XV. const. 18. *Inscrutabili.* d. 5. Febr. 1622. S. Congr. Cardin. de mand. Innoc. X. in Mexicana. d. 14. Maji 1648. et altero Brevi d. 27. Maji 1653. Clement. X. const. 7. *Superna.* d. 21. Jun. 1670. Urban. VIII. in Brevi d. 3. Aug. 1629. Pii V. const. 128. *Rom. Pontificis.* d. 6. Aug. 1571.

2) Decret. S. Congr. jussu Urban. VIII. d. 21. Jul. 1625. Innoc. X. const. 32. (al. 55.) *Ut in parvis* d. 10. Febr. 1654; et ex declar. S. Congr. sub Alex. VII. d. 27. Julii 1655.

3) Innoc. IV. in cap. *Volentes.* 1. de privilegiis in sexto (V, 7). Trid. sess. 6. de reform. cap. 3. et sess. 25. de regul. c. 14. Clem. VIII. const. 39. *Suscepti muneris.* d. 25. Febr. 1596. S. Congr. Conc. 24. Maj. 1568. Cap. *Quanto.* 7. de offic. jud. ordin. (I, 31).

4) S. Congr. Conc. de mand. Clem. VIII. 15. Mart. 1596. Declaratio Greg. XIII. et Xyst. V. S. Congr. Conc. 28. Febr. 1594. Greg. XV. const. 5. *In tanta rerum.* [verius: Greg. XIII. const. 9. *In tanta rerum.* d. 1. Mart. 1573].

5) Alex. VII. const. pro Urbe *Sacrosanct. Apost.* 1657. §. 6. Ex decr. S. Congr. Episc. de mand. Sixt. V. 5. Maj. 1590. et in Neap. 20. Mart. 1621. Juxta moderat. Urbani VIII. per eand. S. Congr. 20. Nov. 1623. S. Congr. Conc. de mand. Clem. IX. 7. Jun. 1666. et alia ejusd. decreti declarat. per eand. S. Congr. 21. Maj. 1678. Conc. Neap. cap. 54.

6) Alex. VII. const. 156. (al. 153.) *Felici sacrarum.* d. 20. Octob. 1664. Ead. const. §. *Quodsi ob clausuram.*

7) Ex const. Alex. VII. cit. S. Congr. Conc. 25. Jul. 1666.

8) Ex const. Alex. VII. cit. Greg. XIII. const. *Dubiis.* a. 1 75. [vel potius: 23. Dec. 1581].

9) S. Congr. Conc. in Vercell. 22. April. 1617. et in Neap. 25. Februar. 1695.

poterit ab Episcopo etiam censuris coerceri, ut ex decreto in calce apponendo.

10. Si quis Regularis se ingerere praesumserit Sacramentorum administrationibus aliisque Ecclesiasticis functionibus ad Parochiale officium de Jure pertinentibus, poenis et censuris ab Episcopo, attenta facultate ei tradita per Canones et Sac. Congregationis Decreta, coerceatur.

11. Sine Ordinarii facultate nullus Regularis exorcizandi munus exerceat sub poena suspensionis ab audiendis confessionibus, ipso facto incurrenda, aliisque gravissimis ad arbitrium Ordinarii infligendis.

12. Ex Trident. et Apostolicarum Constitutionum sanctionibus nova Regularium cujuscumque ordinis et sexus Monasteria, Conventus aut Domus non extruantur in hac Provincia, nisi obtenta ab Episcopo facultate, et verificatis omnibus, quae in iisdem sanctionibus praescribuntur.

13. Nullus laicus, qui septennium excesserit, neque praetextu devotionis aut voti, Religiosum habitum cujuscumque ordinis assumat aut gestet.

14. Si quis Regularem aut Monachalem habitum aut alias quascumque Sacras vestes aut ad earum similitudinem efformatas ad spectacula, irrisiones, theatra aut larvas atque alia hujusmodi profana adhibere ausus fuerit: praeter alias poenas a Jure statutas sit ipso facto excommunicatus.

15. Regulares, etiam Sedis Apostolicae facultate praemuniti, non admittant ad habitum Religionis mulieres degentes in privatis domibus, nisi habuerint qualitates in pluribus Decretis Sac. Congregationis praescriptas; nimirum ut sint probatae vitae, in aetate saltem quadraginta annorum constitutae, quae de proprio habeant, unde honeste vivere possint, cum aliis viris quam cum consanguineis vel affinibus in primo tantum gradu sibi conjunctis non habitent, praevia tamen Episcopi facultate, postquam de praedictis omnibus per diligens examen constiterit.

TITULUS XII.

De judiciis Ecclesiasticis.

Text. Trid. sess. 25. cap. 10.

Statuit Sancta Synodus in singulis Conciliis Provincialibus aut Dioecesanis aliquot personas, quae qualitates habeant juxta constitutionem Bonifacii VIII., quae incipit Statutum, *et alioquin ad id aptas designari, ut praeter Ordinarios locorum iis etiam posthac causae Ecclesiasticae et spirituales et ad forum Ecclesiasticum pertinentes in partibus delegandae committantur.*

CAP. I. De immunitate Ecclesiastica.

1. Zelus Domus Dei et populi Sancti sui, quem sub umbra alarum suarum protegit Dominus, Episcopalem sollicitudinem in Ecclesiarum et Ecclesiasticorum immunitate tuenda, Dei ordinatione et Canonicis Sanctionibus constituta, indormire non patitur. Gravissimae igitur Summorum Pontificum sanctiones, studeant Ordinarii, ut ad amussim impleantur; ubi Sacrorum locorum immunitas excommunicationis sententia proposita contra violatores asseritur.

2. Quod ad personarum Ecclesiasticarum immunitatem pertinet, cum huic rei consultum sit per Bullam quotannis in die Coenae Domini legi solitam, qua excommunicationis sententia soli Romano Pontifici reservatae feriuntur ii omnes, qui publica auctoritate et praetextu officii directe vel indirecte personas Ecclesiasticas ad forum seculare trahere praesumserint: Sancta haec Synodus etiam sub poena excommunicationis latae sententiae Ordinario reservatae prohibet, ne ullus unquam personas Ecclesiasticas ad forum seculare directe vel indirecte, etiam consentiente reo, contra Sacrorum Canonum praescriptum provocare seu trahere praesumat seu contra Ecclesiasticam immunitatem aliquid attentare.

3. Saluberrima constitutio Martini V. *Ad reprimendas,* ubi plura contra Ecclesiasticos, qui alium Ecclesiasticum ad forum laicale provocaverint, sub excommunicationis latae sententiae Summo Pontifici reservatae aliisque poenis sancita sunt, fideliter observetur, constitutionibus etiam Synodalibus cujusque Dioecesis in suo robore permansuris.

CAP. II. De foro Episcopali.

1. *Ut audiret gemitus compeditorum justus Dominus,* qui *justitiam dilexit,* non solum a summo Coelo egressus ad terrae ima descendit, sed Episcopos etiam in Ecclesia sua Judices constituit, qui non secundum visionem oculorum et auditum aurium arguerent, sed in Justitia et aequitate populos judicarent, neque ab inope averterent oculos suos. Ut igitur Episcopale forum, qua decet integritate, regatur, ejusque Ministris

10) Greg. XV. const. 18. *Inscrutabili.* d. 5. Febr. 1622.

11) Conc. Mediol. IV. p. 2. t. 1. quae ad sacram. S. Congr. Conc. 1. Jul. 1606. S. Congr. Episc. in Florent. 22. Febr. 1625.

12) Trid. sess. 25. cap. 3. de Regular. Can. *Quidam.* 10. XVIII. q. 2. Cap. *Cum olim.* 14. de privileg. (V, 33). Cap. fin. de religiosis domibus (III, 36). Clem. VIII. const. 99. *Quoniam.* d. 23. Jul. 1603. Greg. XV. const. 31. *Cum alias.* d. 17. Aug. 1622. Urban. VIII. const. 25. *Romanus.* d. 28. Aug. 1624. Innoc. X. const. 27. (al. 50.) *Instaurandae.* d. 15. Octob. 1652.

13) Ex lit. S. Congr. de mand. Urban. VIII. ad Card. Boncompagnum Archiepisc. Neap. 10. Januar. 1627.

15) S. Congr. Episc. 20. Dec. 1616. Conc. Later. sub Leone X. sess. 21. in fine. Leo X. const. d. 1. Mart. 1518. S. Congr. Episc. in Hydrun. 4. Aug. 1625.

Cap. I. 1) Psal. 16, 8. Cap. *Inter alia.* 6. de imm. eccl. (III, 49). Can. *Miror.* 8. Can. *Reum.* 9. XVII. q. 4. Trid. sess. 25. de reform. cap. 20. Greg. XIV. const. 7. *Cum alias.* d. 24. Maj. 1591.

2) Bull. Coenae Domini. Can. 15. Trid. sess. 25. cit. Ad text. in cap. *Quoniam.* 4. de immun. eccl. in sexto (III, 23). Leo X. in Conc. Later. V. sess. 9. in bulla reform. Conc. Carthag. III. anno 397. relat. in Can. *Placuit.* 11. XI. q. 1.

3) Martin. V. const. 10. *Ad reprimendas.* d. 1. Febr. 1428.

Cap. II. 1) Psal. 101, 21. 10, 8. Isa. 11, 3. Eccles. 4, 3. Trid. sess. 24. de reform. cap. 20. et sess. 25. de reform. cap. 10. S. Congr. Conc. in Neap. 21. Jul. 1640.

non dominetur omnis injustitia, cavendum cumprimis, a ne dextera eorum plena muneribus fiat dextera iniquitatis; mandat propterea Sancta Synodus, ut non solum Taxa Innocentiana quoad mercedes Ministrorum ad amussim observetur, verum etiam Taxa Provincialis de unanimi Patrum consensu confecta, pro universa Provincia perpetuo valitura tam pro causis civilibus et criminalibus quam pro aliis quibuscumque, quae ibi taxata sunt; cujus taxae inviolabilem observantiam summo studio in Dioecesibus suis exigant Episcopi. Utraque autem tam Innocentiana quam haec Provincialis in aula publicae audientiae affixa retineatur necnon in Cancellariis, ut omnibus pateat.

2. Atque ut earum observantia et Ministrorum integritas certis argumentis appareat, praecipit Sancta b Synodus, ut Cancellarii sive Actuarii aut actorum Magistri aliique, ad quos pertinet, in calce cujuslibet expeditionis sive scripturae adnotent fideliter, quid pro illis fuerit persolutum. Si quis autem ex Ministris fori Episcopalis praescriptum praedictarum taxarum ullo pacto violaverit, privatione officii aliisque arbitrariis poenis indispensabiliter puniatur.

3. Acta in causis pauperum gratis fiant, eaeque maxima, qua fieri potest, celeritate expediantur. Pauperum igitur advocatus eos gratis defendat ac, si eorum causis expediendis aliquod inciderit impedimentum, sive ab artibus collitigantis sive aliunde proveniens, illud statim ad Ordinarium deferat, ut opportuno remedio ab eo summoveatur. c

4. Generales Episcoporum Vicarii, quorum primae sunt partes in Episcopali administratione adjuvanda, studeant causas breviter, quoad fieri potest, debita tamen discussione adhibita, terminare, dilationes frustratorias amputando et litigantium cavillationibus occurrendo; a quibus abstineant omnino Advocati et Procuratores, munus suum, qua decet integritate, obeuntes.

5. Assidua carcerum visitatio non omittatur, atque eorum indigentiae, qui ibi intrusi sunt, explorentur, et cura praesertim spiritualis eorum salutis habeatur; quamobrem Confessariorum copia iisdem praebeatur, et quotannis missiones in carceribus fiant. Inquiratur etiam Custodum fidelitas, ne ab his aut a Cursoribus Curiae aliquid ultra taxam ipsis praescriptam exigatur. d

6. Ut perpetuis monumentis, quaecumque ad Ecclesias pertinent documenta, tuto fideliterque custodiantur, in Episcopali Palatio aut, ubi magis expedire censuerit Episcopus, locus aliquis Archivii titulo, ubi non fuerit, constituatur, ejusque custodia certo fidelique viro committatur, qui singula suis locis digesta et debito ordine distincta retineat.

7. In hujusmodi Archivio reponantur omnes processus, tam civiles quam criminales, matrimoniales, beneficiales, spirituales et, cujuscumque generis sint: Catalogus Indulgentiarum et Reliquiarum, quae in universis Dioecesis Ecclesiis asservantur; inventarium omnium bonorum, mobilium et immobilium, ad Ecclesias et Ecclesiastica Beneficia pertinentium; legata quoque pia eorumque documenta; necnon Bullae Abbatiarum, Dignitatum, Canonicatuum atque omnium quorumcumque Beneficiorum ac demum Jura omnia ad forum Ecclesiasticum spectantia et potissimum, quae ad Mensas Cathedralium pertinent aut pertinere possunt.

8. Omnium et singulorum processuum, scripturarum et Jurium praedictorum, quae nunc reperiuntur in Archiviis, ubi Archivia sunt, fiat intra annum diligens atque absolutissimum inventarium, rite distinctum ordinatumque, ut, necessitate occurrente, cujusque rei notitia in promtu habeatur; ac ejusmodi inventarium in dies continuetur cum pari descriptione processuum et aliarum scripturarum, quas in Archivio reponi continget; ubi vero nondum fuerit Archivium, conficiatur ejusmodi inventarium omnium scripturarum, quae in Archivio construendo collocandae sunt, et modo praefato continuetur in posterum.

9. Inventarium hujusmodi in ipso Archivio asservetur, ejus vero exemplum penes Episcopum retineatur, qui morti proximus vel ad longinqua profecturus illud suo sigillo obsignatum certo et probatae fidei viro tradat, sibi aut successori suo integro sigillo restituendum.

10. Custos Archivii illud seris occlusum perpetuo retineat, neque claves ulli tradat; neque scripta cujuscumque generis, nisi sua manu ac, se spectante, legenda exhibeat; exempla vero sive copias cujuscumque scripturae nemini tradat, nisi obtenta facultate a Vicario Generali; ac multo minus scripturas seu processus originales in Archivio repositos audeat alicui commodare sine praedicta facultate in scriptis concessa gratis, numquam concedenda nisi personis Ecclesiasticis illius Civitatis vel Dioecesis, ex cujus Archivio extrahuntur, sub poena carceris formalis aliisque ad arbitrium. Processus etiam causarum non expeditarum non commodentur nisi personis Ecclesiasticis.

11. Archivii Praefectus, qui cum praedicta facultate commodaverit ex Archivio aliquem processum sive scripturam originalem, sicut etiam Actuarii causarum, qui commodaverint processus pendentes, exigant do-

2) Card. Paleott. in Conc. Bononiens. I. tit. 13. de causis in foro episcopali. §. *De expensis litium.* (De Bonon. Eccl. admin. pag. 269.)

3) Conc. Neap. c. 21. pag. 106.

4) Cap. *Finem litibus.* 5. et cap. fin. de dolo et contumacia (II, 14). Cap. 2. de re judic. (II, 27). Cap. *Constitutis.* 12. de procurat. (I, 38).

5) Conc. Mediol. I. p. 2. t. 34. de carceris custod. et III. t. 18. de iis, quae ad episc. forum pertinent. §. *Episcopus non solum.* Conc. Neap. cap. 57.

6) Alex. VII. const. 36. (al. 34.) *Pro commissa nobis.* d. 3. April. 1657. §. 1. Urban. VIII. const. 68. (al. 63.) *Pastoralis officii.* d. 16. Nov. 1625. Sixt. V. const. de archiviis Urbis. *Provida.* d. 8. Jun. 1587. Conc. Neap. cap. 36.

7) S. Congr. Conc. in Civit. Castel. 19. Sept. 1625., in Viterb. 21. Maj. 1644. Urban. VIII. const. *Pastoralis.* cit. §. 5.

8) Conc. Aven. can. 58. Conc. Bonon. loc. cit. Conc. Mediol. ubi supra.

9) Conc. Neap. cap. 36. Conc. Mediol. II. t. 3. cap. 14.

10) S. Carol. Actor. eccl. Mediol. p. 4. t. de archiviis constituendis (pag. 554). Urban. VIII. const. cit. §. 6.

11) Urban. VIII. const. cit.

cumentum acceptae scripturae in consueto libello, et a infra quindecim dies curent illas ad se reportari.

12. Nullus audeat processus, instrumenta et quascumque alias scripturas ad Curiam et forum aut Mensam Episcopalem spectantes delere, comburere, supprimere seu alia quavis ratione occultare, sub poena excommunicationis latae sententiae, quam etiam ipso facto incurrent, qui nunc retinent aliquam seu aliquas ex praedictis scripturis originalibus seu processibus, quae etiam ad se fortasse non illegitima via seu modo pervenerunt, nisi illa restituerint intra duorum mensium spatium, quod Sancta Synodus pro hujusmodi restitutione facienda retinenti seu retinentibus statuit.

TITULUS XIII.

De rebus Ecclesiae non alienandis.

Text. Trid. sess. 25. cap. 11.

Locationes rerum Ecclesiasticarum, etiam auctoritate Apostolica confirmatas, Sancta Synodus irritas decernit, quas a triginta annis citra ad longum tempus seu, ut in nonnullis partibus, ad viginti novem seu bis viginti novem annos vocant, factas, Synodus Provincialis vel Deputandi ab ea, in damnum Ecclesiae et contra Canonicas Sanctiones contractas fuisse judicabunt.

CAP. UNICUM. De Administratione bonorum Ecclesiae.

1. Episcopus, quem praepositum possessionis suae c constituit Dominus, haereditatem Domini et facultates Ecclesiae, curae et fidei suae commissas intelligens, ita in earum administratione debet invigilare, ut in reddenda ratione villicationis suae, cum super pauca fidelis inventus fuerit, supra multa constitui atque in gaudium Domini sui intrare mereatur.

2. Summorum igitur Pontificum sanctionibus inhaerens, haec Sancta Synodus prohibet, ne Rectores atque Administratores beneficiorum piorumque locorum eorundem bona immobilia et mobilia pretiosa vendere, alienare vel quovis modo contra constitutiones Apostolicas obligare audeant, sub poena et censuris per easdem constitutiones sancitis. Contractus vero contra formam Pauli II. aliorumque Pontificum constitutiones d celebratos ipso Jure nullos esse et irritos declarat.

3. Bona exigui valoris per Sacros Canones praescripti, quae ex Juris dispositione auctoritate Ordinarii alienari possunt, nullus alienare sine illius facultate praesumat, sub poena excommunicationis praeter nullitatem contractus.

4. Ne bona Ecclesiae repraesentata pecunia in praejudicium successorum locentur, inhaerens Concilii Trident. decreto haec Sancta Synodus omnes ejusmodi locationes, anticipatis solutionibus in successorum praejudicium factas, ita invalidas declarat, ut tractu temporis convalidari nequeant; nisi tamen, notoria Ecclesiae necessitate cogente, id ab Episcopo permissum fuerit.

5. Absque Apostolica auctoritate locationes bonorum Ecclesiasticorum ultra triennium utile non fiant juxta constitutionem Pauli II., nec validae censeantur locationes et alienationes ejusmodi factae cum clausula, reservato Sedis Apostolicae beneplacito, si ante impetratam confirmationem possessio rei Ecclesiae tradita b fuerit, imo Rectores ipsi et possessores tamquam intrusi ad poenas in Pontificiis sanctionibus constitutas teneantur.

6. Qui Ecclesiastica bona aut fructus usurpare vel, ne ab iis, ad quos spectant, percipiantur, impedire praesumserit, noverit, se poenam excommunicationis Sanctae Sedi reservatam incurrere, indictam in Bulla Coenae Domini et Concilio Tridentino, quae particula dictae Bullae quotannis feria V. Coenae Domini a Parochis vulgari sermone publicetur.

7. Clerici Ecclesiasticorum bonorum administratores assentientes alienationibus atque usurpationibus contra formam Decreti Tridentini praeter excommunicationis sententiam poenam privationis Beneficiorum et inhabilitatis ad alia obtinenda incurrant.

8. Domini, qui propria auctoritate sacella aut sepulchra alienare aut possessionem alteri tradere praesumserint, poenis statutis in Sacris Canonibus et Synodalibus constitutionibus cujuscumque Dioecesis puniantur. Contractus vero hujusmodi nullos ipso facto esse Sancta Synodus decernit; sicubi autem id fieri contingat, Rectores aut Sacristae Ecclesiastici earum Ecclesiarum sub poena centum librarum cerae ad Curiam Episcopalem deferant.

9. Bona, quae perpetuum onus annui census vel quodcumque aliud emolumentum piis locis solvendum habent annexum, permutari aut subrogari in alia stabilia non possint nisi cum specifica ejusdem oneris expressione; Venditores vero, Emtores, Notarii aliique ad hanc rem consilium dantes vel quomodolibet cooperantes poenas in sua Dioecesi constitutas subeant.

10. Quaecumque pecuniarum summae, Beneficiis aut piis locis ex quocumque titulo provenientes, cum

---

12) Conc. Agathen. anno 506. temp. Symmachi Papae. 8. can. 26. relat. in can. *Si quis de clericis.* 40. XII. q. 2. Conc. Aurelian. IV. anno 541. can. 18.

Cap. un. 1) Matth. 25, 23.

2) Cap. *Nulli.* 5. cap. *Si quis.* 6. de rebus Eccl. alien. vel non (III, 13). Cap. *Is cui* 42. de elect. in sexto (I, 6). Paul. II. in Extravag. *Ambitiosae.* de rebus Eccl. non alien. (III, 4). Paul. IV. const. 2. *Injunctum* d. 12. Jul. 1555.

3) Can. *Terrulas* 53. XII. q. 2.

4) Trid. sess. 24. de reform. cap. 11. Cap. 2. de precariis (III, 14).

5) Paul. II. Extravag. cit. Clem. I. eod. tit. (III, 4). Trid. sess. 25. cit. cap. 11. Clem. VIII. decret. ad Archiep. Neap. d. 17. Dec. 1599.

6) Bulla Coenae Domini can. 17. Trid. sess. 22. de reform. cap. 11.

7) Trid. sess. 22. de reform. cap. 11.

8) Juxta text. in cap. *Non meis.* de simon. (V, 3). [Caput hoc non exstat, mendum igitur irrepsit; fortasse scribendum est cap. *Non satis.* ejusdem tituli, ubi *pro sepultura nullam cujusquam pretii exactionem attentari* vetatur, vel cap. *Quaerelam.* 15., secundum quod, sicut *emi non potuit, ita nec redimi ecclesia.*] Cap. *Plerique.* 7. de pactis (I, 35). Cap. *Abolendae.* 13. de sepult. (III, 28). Cap. *Non satis.* 8. Cap. *Cum in Eccl.* 9. de simon. (V, 3).

onere reinvestiendi, non solvantur Beneficiatis aut Rectoribus aut Cappellanis sub poena excommunicationis in subsidium contra eos, qui dictam pecuniam eo modo receperint; sed reponantur conservandae in publico banco, ut in Metropolitana, vel in aliis locis juxta praxim cujuscumque Dioecesis cum onere reinvestimenti faciendi; quod non fiat, nisi consulta curia Episcopali, et necessariis cautionibus adhibitis.

11. Parocho vel Rectore defuncto, vel ejus morte imminente, nemo audeat supellectilem Ecclesiae, bona, Jura aut scripturas quomodocumque surripere, occultare, occupare aut fraudulenter asportare, sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda. Si quis autem scripturas ejusmodi apud se retineat, intra mensem a die obitus Parochi vel Rectoris restituat, aliter eandem excommunicationis sententiam incurrat ipso facto.

12. Ut piae testatorum voluntates exequutioni demandari possint, Sancta Synodus sub poena excommunicationis praecipit omnibus Notariis, ut infra duorum mensium spatium a morte testatoris vel post apertas tabulas respective, Curiae Episcopali denuncient omnia legata pia pro Celebratione Missarum aut Ecclesiis locisque piis relicta; ejusmodi vero Notariorum denunciationes in peculiari libro in Curia Episcopali describantur gratis.

TITULUS ULTIMUS.

De Constitutionibus Synodalibus.

1. Quia non auditores tantum, sed factores legis justificabuntur apud Deum: omnes hujus Provinciae Christifideles Sanctae Synodi constitutiones, tamquam praecepta matris suae, in tabulis cordis descripta retineant et inclinent cor suum ad faciendum ea, quae ad suarum salutem animarum, Deo adjuvante, praescripta sunt. Pastores autem illas nullo pacto violari aut violatores inultos relinqui patiantur.

2. Et quoniam legum observantia in publica potissimum felicitate continetur, enixe hortatur Sancta Synodus, ut in omni oratione et obsecratione fideles universae Provinciae ac praesertim Sacerdotes in sacrificiis suis illius misericordiam obsecrent, per quem *reges regnant, et legum conditores justa decernunt*, ut Sanctissimum Dominum Innocentium Divina Providentia PP. XII., cujus Patricio sanguine et dignissimo Praesulatu Neapolis gloriatur, ad totius Ecclesiae tranquillitatem quam diutissime servet incolumem et Serenissimum Carolum II. Catholicum Regem nostrum salvum faciat in brachio suo, eique prolem concedere dignetur, ut ad totius Christianae rei utilitatem potens sit in terra semen ejus, pro universae quoque Provinciae incolumitate rogantes, quae ad pacem sunt Jerusalem, ut in hac praecipue fidelissima Urbe perpetua sit felicitas et abundantia in turribus suis.

3. Noverint omnes, praeter poenas his constitutionibus praescriptas etiam aliis, quae a Sacris Canonibus, Conciliis et constitutionibus Apostolicis decretae sunt, transgressores esse puniendos.

4. Statuit autem Sancta Synodus, ut poenae pecuniariae nullo praetextu aut quaesito colore convertantur ab Ordinariis in proprium sive in suarum Ecclesiarum Cathedralium commodum, sed in alios pios usus ita erogentur, ut Episcopalem in iis distribuendis et applicandis debitam integritatem omnes intelligant.

5. Ipsarum constitutionum codicem, postquam fuerit typis impressus, praecipit Sancta Synodus, ut habeant apud se omnes et singuli Parochialium et Collegiatarum Rectores caeterique curam animarum gerentes, Canonici, Hebdomadarii, Cappellani perpetui, Beneficiarii omnesque alii Ecclesiastici, ad quos pertinet; et crebro illas perlegant, ut a vetitis se abstineant, et praecepta religiose exequantur; nec Regulares, praesertim Confessarii et Concionatores et ipsorum Regularium Superiores deberent esse eodem codice destituti; sed par aequumque foret, etiam ab ipsis retineri et versari pro suis muneribus rite obeundis in materia earundem constitutionum ipsos respiciente.

6. Constitutiones cujuslibet Dioecesis hujus Provinciae, quatenus praesentibus adversentur, ad harum terminos sancta Synodus reducit in partibus, quibus adversantur.

7. Has denique Provinciales constitutiones Sancta Synodus humiliter subjicit judicio et auctoritati Sanctae Romanae Ecclesiae, quam Columnam et firmamentum veritatis atque aliarum Ecclesiarum matrem et magistram agnoscit et veneratur. Post duos autem menses a die edicto Metropolitani notificanda mandat ipsas constitutiones ab omnibus et singulis observari, perinde ac si forent unicuique personaliter intimatae.

Nos Jacobus Cardinalis Cantelmus Archiepiscopus Neapolitanus Metropolita de Consilio et Assensu Reverendissimorum Coëpiscoporum nostrorum definientes subscribimus.

Ego F. Daniel Episcopus Nolanus consentiens subscribo.

Ego Innicus Episcopus Aversanus exemtus eligens consentiens subscribo.

Ego Joseph Episcopus Acerrarum consentiens subscribo.

Ego Lucas Episcopus Iselanus consentiens subscribo.

Ego F. Joseph Episcopus Puteolanus consentiens subscribo.

Antonius Canonicus Sanfelicius Sanctae Synodi Secret.

11) Conc. Agathen. a. 506. can. 26. relat. in can. *Si quis de cleric.* 33. XII. q. 2.

12) Conc. Avenion. a. 1326. can. 20. Conc. Colon. a. 1300. can. 7. Conc. Mediol. I. p. 2. t. 6. quae pertinent ad sacr. poen. admin. §. *Notarios.* et p. 3. t. 1. de pior. locor. admin. §. *Poenam.*

Tit. ult. 1) Rom. 2, 13. Juxta Trid. sess. 25. de reform. cap. 18. Prov. 3, 3. Cap. 1. de constitut. (I, 2).

2) Prov. 8, 15. Psal. 121, 6.

4) Trid. sess. 25. de reform. cap. 3. S. Congr. Episc. 21. Nov. 1600. et Episcopo Urbinat. 11. Sept. 1583., in Januen. 5. Jun. 1632. et in Firmana. 16. April. 1633. S. Carolus in Conc. Mediol. VI. tit. de mul. et poenis.

ROGITUS ACTORUM.

In Dei nomine Amen. Praesenti publico Instrumento cunctis pateat evidenter et sit notum, qualiter anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo nono, Indictione septima, die vero septima mensis Junii Dominica Pentecostes, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris et Domini Nostri *D. Innocentii* Divina Providentia PP. XII. anno ejus octavo feliciter, etc.

Neapoli in Ecclesia Metropolitana, praesidente Eminentissimo et Reverendissimo Domino D. Jacobo Tituli Sanctorum Marcellini et Petri S. R. E. Presbytero Cardinali Cantelmo, Archiepiscopo Neapolitano Metropolita, ac intervenientibus Illustrissimis et Reverendissimis DD. Episcopis Comprovincialibus, nempe Nolano, Aversano exemto, Acerrano, Isclano et Puteolano, una cum Reverendissimo Capitulo et Canonicis ejusdem Ecclesiae Neapolitanae ac Procuratoribus Capitulorum Cathedralium totius Provinciae universoque Clero tam Civitatis quam Dioecesis, ibidem ad Synodum Provincialem celebrandam per Edictum respective vocato ac legitime congregato, post processionem a Cappella Palatii Archiepiscopalis ad Ecclesiam Metropolitanam cum interventu Illustrissimorum et Reverendissimorum Episcoporum interessentium et post Missam Pontificalem ac Sermonem ab eodem Eminentissimo Domino Cardinali Archiepiscopo habitum, omnia et singula ante Synodalium decretorum promulgationem in actis redacta, fideliter enarrata, gesta atque peracta fuere, nec non per Dominum D. Antonium Sanfelicium, Canonicum Presbyterum Praebendatum ejusdem Ecclesiae ac Synodi Secretarium, alta et intelligibili voce e suggesto lecta et publicata fuere, primum decreta Synodi praeliminaria, utpote de Synodi inchoatione ac reliquis prout in eisdem actis, emissaque fidei professio ab omnibus et singulis, qui eam emittere tenebantur, indictaque fuit sessio pro mane diei sequentis, quae fuit octava ejusdem mensis Junii, per eumdem Dominum Synodi Secretarium promulgata. Die vero sequenti octava ejusdem mensis Junii ac secunda sessione Synodali, missa per praefatum Dominum D. Antonium Sanfelicium celebrata, aliisque sacris precibus ac caeremoniis persolutis, idem Dominus Secretarius suscepit lectionem decretorum usque ad titulum tertium *de Sacramentis Ecclesiae* exclusive; post vesperas continuata fuit lectio usque ad titulum sextum *de Episcopis* exclusive. Die sequenti, nona ejusdem mensis, de mane post Missam celebratam a Domino D. Emmanuele Cicatelli, ejusdem Metropolitanae Ecclesiae Canonico Presbytero Praebendato, idem Dominus Secretarius tertia sessione continuavit lectionem decretorum usque ad titulum decimum *de Judiciis Ecclesiasticis* exclusive, et post vesperas ejusdem diei prosequutus fuit lectionem decretorum usque ad finem, quae ab Eminentissimo Metropolita et praefatis Illustr. Comprovincialibus Episcopis subscripta fuerunt, ac praedictis omnibus, prout pariter in actis praescriptis exprimuntur, celebratis, gestis, publicatis atque peractis, per eumdem Dominum Secretarium publicatum fuit decretum de Synodi dimissione, factaque Cleri vocatione, ac obedientia exhibita Eminentissimo Domino, cum ejusdem benedictione Synodus dimissa fuit cum gratiarum actione per hymnum *Te Deum Laudamus* caeterasque preces ac caeremonias praescriptas. Super quibus omnibus ac eorum singulis, instante praefato Domino D. Emanuele Cicatelli S. Synodi Promotore, petitum fuit, ut nos tamquam Synodi Notarii unum vel plura, publicum seu publica conficere atque tradere deberemus Instrumentum seu Instrumenta, prout opus fuerit, et rogati erimus. Actum ibidem Anno, Indictione, diebus et Pontificatu, quibus supra, praesentibus atque audientibus et intelligentibus RR. DD. Josepho de Conciliis, Francisco Valle, Matthia Ciccarelli aliisque testibus ad praedicta omnia vocatis, habitis atque rogatis.

Et in fidem nos V. I. D. Antonius Bottone, Cancellarius Curiae Archiepiscopalis Neapolitanae, D. Franciscus Diotajuti et Clericus Carolus Rubinus, Neapolitani, per totum orbem Apostolica Auctoritate Notarii et Curiae Archiepiscopalis Neapolitanae praedictae Notarii Ordinarii et Notarii pro Synodo deputati, de praedictis rogati praesens publicum Instrumentum confecimus, subscripsimus, publicavimus ac nostris solitis signis signavimus, etc.

Antonius Bottone, publicus Apostolica Auctoritate Notarius Curiaeque Archiepiscopalis Neapolitanae Cancellarius et Synodi Notarius Deputatus.

Loco † sigilli.

a D. Franciscus Diotajuti, Sacerdos Neapolitanus, publicus Apostolica Auctoritate Notarius Curiaeque Archiepiscopalis Neapolitanae Notarius Ordinarius et Synodi Notarius Deputatus.

Loco † sigilli.

Clericus Carolus Rubino Neapolitanus, publicus Apostolica Auctoritate Notarius in Archivio Romanae Curiae descriptus et memoratae Curiae Archiepiscopalis Neapolitanae Ordinarius Notarius et Synodi Notarius Deputatus.

Loco † sigilli.

TASSA UNIVERSALE

ordinata nel Concilio Provinciale

Da osservarsi nelle Curie Ecclesiastiche della Provincia di Napoli nell' esazzione degl' emolumenti, così nelle Cause, e materie Ecclesiastiche, e spirituali, come nelle Cause profane.

Havendosi la Tassa Innocenziana per le materie Ecclesia-
b stiche, e spirituali, se ne ordina la precisa osservanza, e per rimovere ogni interpretazione, la quale non fusse uniforme alla medesima Tassa, si prescrivono individualmente le seguenti ordinazioni.

Cause del Santo Officio.

Nelle Cause appartenentino al Santo Officio non si paghi, nè si esigga cosa alcuna, ma il tutto si faccia gratis, anco per causa, ò fatiga per la scrittura, tanto per gl' atti, e processi offensivi contro i Rei, quanto per le deposizioni de' testimonii Fiscali sopra gl' interrogatorii presentati per parte de' medesimi Rei, come nè meno per gl' atti, e processi difensivi, citazioni d'essi, e de' loro Avvocati, e Procuratori, e similmente de' testimonii, che s'inducono ad defensam, esseecuzione di dette citazioni, presentate di scritture, sentenze, anche assolutorie, lettere testimoniali, oblighi penes acta, pleggerie, e generalmente per ogni altra cosa tanto a favore, quanto contro i Rei.

Cause della Santa Visita.

c Si facciano parimente gratis tutti gl' atti appartenentino alla Santa Visita, nè si paghi, ò si esigga cosa alcuna per qualsivoglia decreto, precetto, presentata di scritture, sequestri, monizioni, notificazioni, ed altro atto da farsi, così per le visite personali, come per le reali, e locali, diligenze, visure di processi, ò scritture, e solamente si permette, che quando le parti vogliono per loro cautela copia delli decreti, ò scritture, possa il Cancelliere esiggere la mercede per la scrittura, ed autentica alla ragione di quello, che in appresso si dirà potersi esiggere per simili atti nelle Cause profane, e non altrimente.

Quanto alle visite, s'osservi il Decreto del Sacro Concilio di Trento, e le dichiarazioni della Sac. Congregazione nella forma, che si prescrive nella stessa Tassa Innocenziana.

Materie concernentino le Monache.

Si stabilisce, che per tutti li requisiti di Educande, decreto, o licenza dell' ingresso, deposito degl' alimenti, e liberazione di quelli, licenza di poter l'Educanda tornar a casa sua doppo en-
d trata, e decreti di restituzione di depositi fatti anticipatamente, non si riceva cosa alcuna.

Per la licenza di poter uscire l'Educanda dal Monastero affine di monacarsi, per tutte le scritture da presentarsi concernenti li requisiti del monacato, per l'atto dell' esplorazione di volontà, e rogito di quello (anco che vi sia accesso fuori della Chiesa Catedrale) per la licenza, ò decreto della monacazione, per l'intervento all' atto della monacazione, ed attestazione, seù rogito che deve farsene, e per ogni altro atto, scrittura, licenza, seù decreto, accesso, ed ogni altra cosa spettante direttamente, ò indirettamente alla monacazione, il Cancelliere, seù Mastro d'Atti, non esigga, nè riceva più, che carlini dodici in tutto della moneta di regno.

Per il deposito della dote, e tutte l'altre scritture, e decreto, ò licenza per la professione, per l'accesso della rinuncia da farsi, e per l'atto, che se ne deve stipulare, per l'intervento all' atto della professione, e fede, ò rogito, che ne deve fare, per le liberazioni delle doti a beneficio de' Monasteri, e mandato alli banchi, e generalmente per ogni altro atto, scrittura, licenza,

seù decreto, accesso, ed ogni altra cosa spettante direttamente, a
ò indirettamente alla professione di Monache, il medesimo Cancelliere non esigga, ne riceva più, che carlini dodici, come di sopra per tutti gl' atti sudetti.

Per gl' ordini, ed imbasciate, che si mandassero à Monasteri dagl' Ordinarii de' luoghi, ò loro Vicarii, non si esigga, ne riceva cosa alcuna.

Per qualunque licenza di Feste, Sepolcri, Confessori estraordinarii, Medici, ò altra cosa simile, non si esigga, nè riceva cosa alcuna.

Per l'esecuzione delle lettere, ò decreti della Sac. Congregazione, dove non vi và esame di testimonii, accesso, ò sentenza, non si esigga, nè riceva cosa alcuna; ma quando vi voglia esame, si paghi un carlino per testimonio, trè carlini per presentata di tutte le scritture essendo più di trè, ed essendo meno, un carlino per ciascheduna, e cinque carlini per la sentenza, ed essecuzione d'essa, in modo, che tutto il dritto non ecceda carlini diece, e mezzo.

Per gl' accessi anche nelle Cause Apostoliche, e rogito di essi, il Cancelliere non esigga, nè riceva più, che cinque carlini, b
e così si debba pratticare nella verificazione, ed essecuzione de' Brevi Apostolici.

Per l'accesso di ricognizione di fabriche, quando il Cancelliere và ex officio per ordine della Corte, non possa esiggere cosa alcuna, mà quando và giudicialmente ad istanza delle parti, esigga carlini cinque con obligo di stipularne il rogito.

Per gl' oblighi, che occorressero farsi dall' Abbadessa, ò Priora in nome de' Monasteri, tanto nelle Cause Apostoliche, quanto ordinarie, si esiggano due carlini, ed in quanto alla pleggeria resti in arbitrio dell' Ordinario del luogo, ò suo Vicario Generale tassare i dritti.

Per l'accesso del Vicario, che occorresse dal medesimo farsi, purche non sia ex officio, si esiggano carlini diece.

Per l'elezzione dell' Abbadessa, Priora, ò altre Superiore, non si paghi, ne si riceva cosa alcuna, nè anco à titolo d'accesso.

Circa il di più potesse occorrere, si osservi la Tassa Innocenziana, la quale si debba rigorosamente pratticare da tutti.

Materie d'Ordini così minori, come sacri. c

Per l'esibizione de' requisiti necessarii per la prima tonsura Chiericale non si paghi, nè si esigga cosa alcuna, eccetto che se bisognasse per la giustificazione della verità, e sufficienza del patrimonio esaminare due testimonii, nel qual caso possa il Cancelliere esiggere due soli carlini per la fatiga dell' esame.

Per l'esibizione de' requisiti nelle collazioni d'ordini minori non si esigga, nè si riceva cosa alcuna, e dovendosi esibire la perquisizione delle Banche per vedere, se il promovendo si trovasse inquisito, si esigga per detta perquisizione un solo carlino.

Dal promovendo al Suddiaconato, per l'esame di due testimonii per la giustificazione della verità, e sufficienza del patrimonio, ò vero del Beneficio, à titolo del quale deve esser promosso, per l'istrumento della supposizione da stipularsi dal Cancelliere, per il registro di detto instrumento, e per la copia autentica d'esso, per la perquisizione delle Banche, per la copia delle lettere testimoniali, ò bolla dell' ultimo ordine minore ricevuto, e per qualunque altro atto da farsi, registrarsi, ò da darsi all' Ordinando, non si esiggano più di carlini cinque, an- d
corchè nella Tassa Innocenziana si stendano sino ad uno scudo d'oro. Con dichiarazione, che quando fusse riconosciuta la verità, e sufficienza del patrimonio nella collazione della prima tonsura, si sgravino dalli sudetti cinque carlini, li due all' hora esatti.

Per li requisiti da esibirsi dal promovendo al Diaconato, ed al Presbiterato non s'esigga, nè riceva cosa alcuna, e solo per la perquisizione delle Banche per vedere, che non sia inquisito, s'esigga un carlino.

Per le lettere testimoniali degl' ordini conferiti così minori, come sacri, non si paghi cosa alcuna, eccetto, che al Cancelliere un carlino, ancorchè contenessero più ordini, conferiti però nell' istesso giorno, come succede alli minori.

Per le lettere dimissoriali non si esigga cosa alcuna, e solamente il Cancelliere possa esiggere due carlini per la perquisizione delle Banche, e sua fatiga, mà quando le dette lettere dimissoriali si richiedessero da alcun Chierico per esser promosso al Sac. Ordine del Suddiaconato, dovendosi all' ora fare la giustificazione del patrimonio, ò del Beneficio, e l'istrumento della supposizione, si paghino altri carlini trè al Cancelliere.

Per le lettere testimoniali sopra la vita, e costumi, di non essere inquisito, e dell' idoneità, si esiggano dal Cancelliere cinque carlini per l'esame delli testimonii, per la perquisizione delle Banche, e per ogni altra scrittura, che si producesse, e per la spedizione delle medesime lettere.

Per la dimissoria di poter il Sacerdote partire, e celebrare, ovunque vada, non si paghi, nè s'esigga cosa alcuna.

Da Religiosi, i quali non hanno l'uso del denaro, secondo la detta Tassa Innocenziana, non si esigga cosa alcuna anco per le Bolle, e lettere testimoniali degl' Ordini, mà il tutto si faccia gratis.

Li Vicarii Foranei, Parochi, Rettori, Sagrestani, Prefetti, Confessori, ò altri non esiggano cosa alcuna per le fedi della vita, e costumi degl' Ordinandi, della frequenza de' Sacramenti, e di Congregazione, del servizio in divinis, e dello studio, ò scuola, d'haver' insegnato, ò ajutato ad insegnare la Dottrina Christiana, ò altro: riservati solamente à i Parochi li dritti stabiliti per le fedi de' Matrimonii de' genitori degl' Ordinandi, del Battesimo, e delle publicazioni, come anco al Cancelliere, ò altro à chi spetta per la fede della Confirmazione, per le quali fedi, cioè per ciascheduna d'esse si permette l'esazzione d'un carlino, ed un altro carlino per ragione di cercatura, quando fussero passati li dieci anni.

Per la licenza d'assumere l'habito Chiericale, e di continuarlo, non s'esigga cosa alcuna.

Cause Matrimoniali.

Per l'esame, così de' principali contrahenti, come de' testimonii, e per l'approvazione non si paghi, nè s'esigga più d'un carlino per ciascheduna deposizione, e ciò s'intende anco per li Vicarii Foranei, e Parochi, quando per legitima causa si dasse à medesimi licenza d'esaminare qualcheduno delli sposi, con che debba scemarsi da quello, che poi si paga nella Curia; permettendosi in oltre l'esazzione d'un' altro carlino, quando fussero richiesti per l'accesso à prendere detta deposizione, e ciò s'intenda nel proprio paese, mà occorrendo d'andare in altro paese del medesimo terziere si possano esiggere carlini due. Dichiarandosi, che per il decreto, seù licenza di contrahere non si deve pagare, nè esigere cosa alcuna.

Per la licenza di contrahere *in Ecclesia viciniori,* ò in tempi prohibiti, ò altre simili, non si paghi cosa alcuna.

Per la dispenza di una, ò più publicazioni ne' casi permessi de' Sac. Canoni non s'esigga cosa alcuna.

Domandandosi da alcuno de' Sposi l'accesso del Vicario, ò altro Giudice destinato per ricevere la loro deposizione, in tal caso non si esiggano più, che carlini diece per detto Vicario, ò Giudice, e carlini cinque al Cancelliere, e ciò s'intende per la Città, e Borghi, mà facendosi accesso in qualche luogo della Diocesi si possa esiggere il doppio, che sono carlini trenta.

Nelle dispenze sopra gl' impedimenti de' Matrimonii in virtù di lettere Apostoliche per il decreto, ò sentenza d'esecuzione non si paghi al Vicario cosa alcuna, e solamente il Cancelliere per tutti gl'atti, che occorrono farsi, possa esiggere carlini diece, e mezzo à tenore della Tassa Innocenziana.

Per le lettere testimoniali dello stato libero, ò che non vi sia Canonico impedimento, ò altro simile, non s'esigga più che carlini diece, e mezzo per l'esame de' testimonii, e per qualsivoglia altro atto, che occorrerà farsi, de' quali, carlini due al Vicario, altri carlini due per l'intervento al Fiscale nell' esame de' testimonii, ed il di più al Cancelliere.

Le Cause contenziose trà Conjugi sopra la validità del Matrimonio, ò vero sopra la separazione del toro, come anco sopra la validità, ò invalidità de' sponsali, si devono trattare come Cause mere civili, e profane.

Per posticipazione di penitenza ingionta nelle dispenze Apostoliche Matrimoniali, quando vi è lettera dell' Eminentissimo Signor Cardinal Prodatario, non si esiggano più che carlini tredici, de' quali, otto al Vicario per il decreto, ed esame de' due testimonii, ed il di più al Cancelliere.

Cause Beneficiali.

Per la collazione di qualsivoglia Beneficio Ecclesiastico, ancorche fusse Canonicato di Catedrale, non si esigga, nè si riceva

emolumento alcuno da qualsivoglia persona così direttamente, come indirettamente, e solo il Cancelliere secondo la Tassa Innocenziana per la Bolla, ed ogni altro atto possa esiggere la mercede proporzionata alla fatiga, e scrittura, purche non ecceda giulii dieci di moneta Romana, ò l'equivalente di moneta di Regno.

Per li Beneficii di patronato si osservi similmente la Tassa Innocenziana per la sentenza d'istituzione, e parimente quando per detti Beneficii di patronato vi fusse qualche dubbio per l'esistenza del Beneficio col Fisco, ò col Provisto, non si esigga, se non che la somma, che non eccede uno scudo d'oro, ed essendovi contradizzione, sichè convenga far processo giudiziale, la mercede del Cancelliere si possa estendere à due scudi d'oro, e non più. Ma se la controversia sarà frà Padroni, e Presentati, in tal caso la Causa si tratti come civile, e profana secondo la tassa stabilita per le Cause profane in conformità della Tassa Innocenziana, la quale si debba in omnibus osservare circa ogni altra cosa in essa espressa in questa materia.

Monitorii generali, assoluzioni di giuramenti ad finem agendi, assoluzioni di scomuniche, ed altre materie spirituali.

Per le lettere monitoriali *super revelationibus auctoritate ordinaria*, non si debba esiggere, nè pagare cosa alcuna, se non che un giulio, ò l'equivalente di moneta di Regno à forma della Tassa Innocenziana.

Per la deposizione, seù esame di qualsivoglia testimonio, che viene à rivelare, si esiggano solamente grana diece, e per la copia di detta rivelazione, seù deposizione si esiggano grana cinque, e per l'estratta, seù autentica della copia di tutte le deposizioni, seù rivelazioni à qualsivoglia numero si esiggano solamente grana diece.

Per il decreto, quando si concede la copia delle rivelazioni sudette con il precetto, *quod non utatur in criminalibus*, etc. si paghino carlini sei, cioè quattro al Vicario, e due al Cancelliere.

Per l'assoluzione, ò habilitazione à qualsivoglia giuramento, benchè si domandasse da più persone in una medesima supplica, e più facessero l'istrumento, purche concernino un' istessa causa, non si esiggano più di carlini sei, e mezzo, inclusovi tutto quello, che ci và per le dette spedizioni, de' quali due al Vicario e gl' altri carlini quattro, e mezzo al Cancelliere.

Per apertura di cassette autentiche, e collocazione di Reliquie de' Santi in luogo più decoroso, non si esigga nè si paghi cosa alcuna, permettendosi solamente al Notaro per il rogito dell' Istrumento dell' apertura, collocazione, e copia autentica di quello, l'esazzione di carlini cinque, oltre de' quali in caso, che occorresse esaminare testimonii, si permette l'esazzione d'un carlino per ciascheduno esame.

Per la licenza d'accettare i legati, ed altre pie disposizioni per tutti gl' atti, che occorrono farsi, non si esiggano più, che carlini quindici, nelli quali vadano compresi tutti gl' atti, cioè esame di testimonii, decreto, ed anco la copia autentica di detta licenza, praeter le presentate di scritture, de' quali carlini quindici, quattro al Vicario per il decreto, altri quattro al Fiscale per l'intervento nell' esame de' testimonii, ed il di più al Cancelliere.

Per le lettere patentali d'Economato, ò Coadjutoria in qualsivoglia Chiesa, anche che fusse Parocchiale, non si esigga, nè si paghi cosa alcuna, eccetto che al solo Cancelliere carlini due per le sue fatighe.

Per il decreto di confirma di Cellarario di qualche Communità si esiggano per il Vicario carlini quattro, e carlini due al Cancelliere, e la medesima somma anco si esigga, e ripartisca, come di sopra, per la licenza, ò decreto d'approvazione di Capitoli, ò Regole di qualche Confraternità.

Per l'esecuzione de' Brevi Apostolici concedentino gl' Oratorii privati, non si preterisca nell' esazzione ciò, che stà espresso nella Tassa Innocenziana.

Per l'esecuzione di rescritti, ò vero licenze della Sac. Congregazione, similmente nessuno esigga, nè riceva cosa alcuna, e solamente al Cancelliere per le sue fatiche si permette l'esazzione di qualche somma, purchè non ecceda giulii diece di moneta Romana, ò pure l'equivalente di moneta di Regno.

Per la licenza di rompere il pavimento della Chiesa per sepellirsi il cadavere di qualche fedele defonto, in caso, che per legitima causa si concedesse, e per qualsivoglia altra licenza di sepellirsi ante prandium di festa, ò di notte (dove si trovasse con speciale lege prohibito) non si paghi, nè si esigga cosa alcuna.

Per la licenza d'impegnarsi beni di Chiesa, quando per Causa urgentissima, et de jure fusse permesso, e per la revisione de' conti dell' amministrazione di qualsivoglia luogo pio, non si paghi, nè s'esigga cosa alcuna.

Per l'assoluzione di scommunica, à tenore della Tassa Innocenziana non si paghi cosa alcuna, permettendosi solo al Cancelliere per le sue fatighe l'esazzione di carlini due.

Per il decreto, che sia ammesso al concorso di qualche Parochiale, non si esigga cosa alcuna, solamente si permette al Cancelliere d'esiggere carlini trè per la perquisizione delle Banche, carlini due per l'esame dei due testimonii *super vita, et moribus*, ed un carlino per la presentata della copia della Bolla del Sacerdozio.

Per le lettere testimoniali di Battesimo, Matrimonio, morte, che non si trovassero scritti à libri Parocchiali, si esiggano carlini diecedotto, de'quali, cinque al Vicario per il decreto, e testimoniale, quattro al Fiscale per l'intervento all' esame di due testimonii, e l'altri carlini nove al Cancelliere.

Per il decreto d'impiegarsi denaro di Chiesa, e luoghi pii, oltre la presentata delle scritture nella forma tassata nelle Cause civili, e criminali, si essiggano altri carlini quindici, de'quali quattro al Vicario per il decreto, quattro al Fiscale per l'intervento all' esame de' testimonii, ed altri carlini sette al Cancelliere.

Per sentenza, ò sia decreto diffinitivo concedente la licenza di censuazione, ò altra sorte d'alienazione di Beni di Chiesa, ò luoghi pii in virtù di facoltà Apostolica, non si esiggano più che carlini diecedotto, e mezzo, de' quali, otto se ne paghino al Vicario per l'intervento all' esame di due testimonii, ed il di più al Cancelliere, oltre dell' emolumento dell' accesso, quando fà di bisogno andare super faciem loci.

Per la licenza di maledire gl'animali immondi, ò pure *quelli*, che fanno danno alle campagne, nihil.

Per la benedizzione delle case, ove sia sospetto di spiriti immondi, nihil.

Per l'assoluzione di qualche persona scommunicata per l'inosservanza de' giorni festivi, nihil.

E similmente per qualsivoglia altra licenza di confessare, predicare, questuare, per la facoltà d'esercitar pontificali, d'essorcizare, esponere il Santissimo Sacramento, di fatigare ne' giorni festivi in caso legitimo, ed altri simili compresi nella Tassa Innocenziana, si osservi ad unguem la medesima Tassa con non pagarsi, nè riceversi cosa alcuna, anco a sponte dantibus.

Per le Cause così criminali, come civili, tanto ordinarie, quanto delegate Per le Cause criminali.

Per qualsivoglia inibitoria, ò citazione con inserta forma della comparsa tanto *ordinaria*, quanto *Apostolica auctoritate*, anche con inserirsi il Breve Apostolico, non si essigano più, che carlini cinque, delli quali due al Vicario, e trè al Cancelliere.

Per qualsivoglia mandato di procura, che si fà *penes acta*, ò per la sostituzione, si paghino grana diece al Cancelliere, ed occorrendo, che il detto Cancelliere debba andare in casa di qualche persona per il detto mandato di procura, ò sostituzione, in tal caso si debba anco l'accesso, per il quale così per dentro la Città, come per li Borghi, si possano esiggere carlini due per ciascheduna volta.

Per presentata di mandato di procura, ò fede di quella, ò sostituzione, si paghino grana diece al Cancelliere.

Per presentata d'ogni scrittura, si paghi un carlino, sino alli trè carlini, et eccedendo detto numero, purche si presentino unitamente, non si paghino più, che detti trè carlini al Cancelliere.

Per la citazione *ad testes*, e per la ripetizione de' testimonii, nihil.

Per la citazione *ad testes ad defensam*, e requisizioni, si paghi un carlino al Cancelliere.

Per qualsivoglia presentata d'istanza, che si fà per parte del Reo, si paghi un carlino al Cancelliere.

Per qualsivoglia presentata d'interrogatorii, *pro repetitione testium*, si paghi un carlino al Cancelliere.

Per le lettere commissionali per l'esame de' testimonii *in*

partibus ad defensam, si paghino trè carlini, uno de' quali al a
Vicario, e due al Cancelliere.

Per la deposizione di ciascun testimonio, *seù repetitione super interrogatoriis*, si paghi un grano per interrogatorio al Cancelliere.

Per la deposizione di ciascun testimonio *ad defensam*, si paghi un carlino per ogni deposizione essendo cinque gl' articoli, ed essendo più, vi si aggiunga un altro grano per qualsisia articolo; con dichiarazione, che per la copia sene darà al Reo per potere dedurre le sue ragioni, non si possa esiggere cosa alcuna.

Per la presentata d'interrogatorii, e deposizioni de' medesimi testimonii *ad defensam* sopra gl' interrogatorii del Fisco, non si paghi cosa alcuna.

Per qualsisia dieta, seù giornata, nella quale dovrà vacare il Cancelliere per esaminare li testimonii fuori la Città, e Borghi ad istanza del Fisco, non si paghi cosa alcuna; mà facendosi ad istanza delle parti, si paghino ad arbitrio delle medesime parti, ò carlini otto, con farli le spese del viaggio, e cibarii, ò pure carlini dodici, senza altra spesa, e l'istessa summa ad ar- b
bitrio, ut supra, della parte si paghi al Cancelliere, ò Notaro, che dovesse andare à far sequestri, ò altro fuori la Città, e Borghi.

Per la publicazione, monizione, e citazione *ad sententiam*, ad ogni altro atto ordinatorio ad istanza del Fisco, non si paghi cosa alcuna.

Per presentata di qualsivoglia processo, anco voluminoso, non si paghi più d'un carlino, e per l'atto dell' apertura di detto processo d'appellazione, si paghino altri carlini due al Cancelliere.

Per gl'atti, seù atto dell giuramento di calunnia, ed assignazione del termine al Reo *pro faciendis defensionibus*, non si paghi cosa alcuna, e dovendosi adempire dalla parte aderente al Fisco, si paghino carlini trè per la pleggeria delle spese, e per il giuramento di calunnia.

Per la copia de' costituti, e de' reperti, non si esiggano più, che grana cinque per ciascuno foglio, seù carta scritta dall' una, e dall' altra parte, ed ogni facciata non habbia meno di venti versi, e che ogni verso non sia meno di cinque parole, non do- c
vendosi pagare cosa alcuna per il costituto del Reo, mà solamente per la copia, come di sopra.

Per la perquisizione delle Banche ad istanza del Reo, si paghino trè carlini al Cancelliere.

Per remissione, o escolpazione *penes acta*, si paghino carlini due, ed occorrendo accesso, si paghino altri carlini due al Cancelliere.

Per qualsivoglia decreto d'abilitazione, anche dalle carceri, pendente il processo, si paghino carlini otto, cioè quattro al Vicario, e quattro al Cancelliere, inclusovi l'obligo, che fà il Reo per l'osservanza del decreto.

Per qualsivoglia decreto di composizione, si paghino carlini quattro al Vicario, e due al Cancelliere, oltre la mercede del processo, da pagarsi alla ragione di cinque grana per carta, come si è detto di sopra.

Per decreto, ò sentenza assolutoria in qualsivoglia Causa, che si fà *auctoritate ordinaria*, si paghino carlini quattordici, de' quali quattro al Vicario, e diece al Cancelliere; con dichiarazione, che in quelle Curie, nelle quali è stato fin' hora solito d
di pagarsi la visura del processo al Giudice, non possa esiggersi più, che carlini venti, ancorche il processo fusse molto voluminoso, e non eccedendo carte cinquanta, non possano esiggersi più, che carlini cinque; mà dove fin' ora non è stato solito, non s'esigga cosa alcuna per detta visura.

Nelle Cause delegate *auctoritate Apostolica* per il decreto, ò sentenzà assolutoria, si paghino docati dodici da dividersi, docati otto al Giudice, e quattro al Cancelliere.

Quando gl' inquisiti per un' istessa Causa in un processo fussero due, e fussero assoluti nell' istesso tempo, paghi ogn' uno di loro per il decreto, ò sentenza assolutoria, come si è detto di sopra al Giudice, e Cancelliere, ed essendo trè, ò più, ed unitamente assoluti nel medesimo tempo, non si paghi più, che per due decreti nella forma detta di sopra; e non essendo assoluti nel medesimo tempo, ogni uno paghi il suo decreto, ed à rispetto de gl' emolumenti del processo informativo non si possa mai esiggere più, che per due, ancorche gl' inquisiti fussero più, e non fussero assoluti nell' istesso tempo, mà in qualsivoglia altro, ed à rispetto del processo difensivo, ogni Reo, se siano due, ò più, paghi gl' emolumenti per le difese, che facesse, distinti uno dall' altro.

Per tutti gl' accessi, che si fanno *ex officio, et pro Fisco*, non si paghi cosa alcuna.

Per l'accesso del Vicario, ò altro Ministro, quando quello si fà ad istanza di parte nelle Cause, così criminali, come civili, si paghino carlini quindici, cioè diece al Vicario, ò Ministro, e cinque al Cancelliere, il che s'intende quando l'accesso è dentro la Città; mà quando è nelli Borghi, si paghino carlini ventidue, e mezzo da ripartirsi, cioè quindici al Giudice, et il di più al Cancelliere, ed occorrendo farsi l'accesso per le Diocesi, si paghi il doppio della Città, cioè carlini trenta da ripartirsi, come di sopra; nelle Cause però delegate s'esigga il doppio respettivamente.

Per qualsivoglia decreto, ò sentenza di condanna, nihil.

Per tutte le Cause de' poveri, così criminali, come civili, che pigliano il pane di Corte, non si esigga cosa alcuna, mà il tutto si faccia *gratis*, dovendo quelli anco *gratis* da speciale Avvocato da essi medesimi deputato, essere patrocinati.

Per le Cause civili.

Per presentata di qualsivoglia istanza, si paghi un carlino al Cancelliere.

Per l'*intimetur parti*, un carlino al Cancelliere.

Per qualsivoglia replica, ancorche fusse in prima petizione, non si paghi cosa alcuna.

Per presentata di scrittura s'osservi quanto stà stabilito nella Tassa delle Cause criminali.

Per presentata di procura, ò sostituzione, ò procura [che] si facesse penes acta, si paghi come la medesima Tassa.

Per qualsivoglia inibizione *vigore appellationis*, ancorche fusse Causa delegata s'esiggano carlini cinque, cioè due al Vicario, e trè al Cancelliere.

Per le lettere compulsoriali, s'esiggano carlini cinque da ripartirsi come sopra.

Per presentata, ed atto d'apertura di processo, s'esigga come nella Tassa delle Cause criminali.

Per qualsivoglia atto ordinatorio, cioè termine, *dent listam*, elezione d'esaminatore, publicazione, e conclusione in Causa, non si paghi cosa alcuna.

Per la pleggeria delle spese, e giuramento di calunnia, si paghino carlini trè al Cancelliere.

Per la citazione ad testes, e requisitoria, un carlino al Cancelliere.

Per le lettere commissoriali *pro examinandis testibus*, si paghino carlini trè, cioè uno al Vicario, e due al Cancelliere.

Per l'esame di qualsivoglia testimonio sopra gl' articoli, et interrogatorii, oltre di grana diece per la presentata de' medesimi, si paghi lo che stà stabilito nelle Cause criminali.

Per l'intervento del Vicario, ò sia altro Ministro all' esame de' testimonii, si paghino carlini due per ciascheduna deposizione, quando però le parti facessero istanza per tal' intervento.

Per l'accesso del Cancelliere *pro examinandis testibus* per la Città, e Borghi, si paghino solamente carlini due, oltre del solito emolumento stabilito per l'esame in Curia, e fuori la Città, e Borghi, lo che stà stabilito nella Tassa delle Cause criminali.

Per la monizione, si paghi un carlino al Cancelliere.

Per qualsivoglia decreto interlocutorio, che non habbia forza di diffinitivo, non si paghi cosa alcuna.

Per qualsivoglia decreto diffinitivo, ò che habbia *vim definitivi*, si paghino carlini sei, cioè quattro al Vicario, e due al Cancelliere.

Per visure di processo non si paghi cosa alcuna.

Per qualsivoglia decreto, ò sentenza diffinitiva *compilato processu* sino alla summa di docati dodici, si paghino quattordici carlini, cioè quattro al Vicario, e diece al Cancelliere, et eccedendo la detta summa sino à qualsivoglia altra summa, si paghino carlini ventiquattro, cioè quattro al Vicario, e venti al Cancelliere.

Nelle Cause delegate per il decreto, seù sentenza diffinitiva, si paghi la propina, secondo la Tassa della corte Romana, cioè il trè per cento della moneta di Regno, da dividersi detta summa per trè parti al Vicario, e la quarta parte al Cancelliere.

Per estratta di qualsivoglia scrittura, si paghino grana diece al Cancelliere, e per la copia di detta scrittura, grana cinque per foglio, seù carta, come si è detto di sopra.

Per qualsivoglia citazione *per edictum ad instantiam partis* nelle Cause beneficiali, si paghino carlini due, uno al Vicario, e l'altro al Cancelliere.

Per l'incusazione delle contumacie, un carlino al Cancelliere.

Per presentata di procura, un carlino al Cancelliere.

Per l'atto della presentazione, si paghino carlini due al Cancelliere.

Per l'editto, e copia *contra interesse praetendentes,* si paghino trè carlini al Cancelliere.

Per l'esame di due testimonii, due carlini al Cancelliere.

Per presentata di Bulla del Clericato, un carlino al Cancelliere.

Per presentata dell' attestazione *super idoneitate, quoad doctrinam,* un carlino al Cancelliere.

Per la perquisizione delle Banche, si paghino trè carlini al Cancelliere.

Per la monizione *ad dicendum,* un carlino al Cancelliere.

Per la citazione *ad sententiam,* un carlino al Cancelliere.

Per la sentenza dell' istituzione, si paghino carlini sei, cioè quattro al Vicario, e due al Cancelliere.

Per il mandato *de immittendo vigore sententiae,* volgarmente detta Bolla, quando il valore del Beneficio eccede la summa di docati diece, si paghino carlini diece, e mezzo al Cancelliere, e non arrivando à detta summa, si paghi la metà.

Per la dissoluzione de' sponsali, se li sposi vengono in Curia à dare il loro consenso per la detta dissoluzione, si paghino carlini due al Cancelliere per il rogito; mà non potendo venire, e volendo ciascun di loro l'accesso, si paghino altri carlini due al Cancelliere.

Per il decreto della detta dissoluzione, se vi è stato apposto solamente l'impedimento, senza essersi proceduto ad altro atto, non si paghi cosa alcuna, mà se si è proceduto à qualche atto, cioè à prefiggersi il termine, ò altro, si paghino per il decreto, *quod tollatur impedimentum,* carlini quattro al Vicario, e due al Cancelliere.

Per il decreto, ò sentenza diffinitiva della nullità di professione, procedendosi *auctoritate ordinaria,* con la quale si dichiara la professione essere nulla, si paghino carlini venti otto, cioè quattro al Vicario, e quattro al superiore del Religioso Congiudice, e venti al Cancelliere, e dichiarandosi valida non si paghi cosa alcuna.

Nelle Cause Matrimoniali, per la sentenza, con la quale si dichiara nullo il Matrimonio, si paghino carlini ventiquattro, cioè quattro al Vicario, e venti al Cancelliere, e dichiarandosi valido, non si paghi cosa alcuna.

E procedendosi *auctoritate delegata* nelle Cause di nullità di professione, per la sentenza declaratoria *professionem esse nullam,* si paghino docati dodici, cioè quattro al Vicario, quattro al Congiudice Religioso, e quattro al Cancelliere, e dichiarandosi valida, nihil.

E similmente nelle Cause Matrimoniali, nelle quali si procedesse *auctoritate Apostolica delegata,* dichiarandosi valido il Matrimonio, non si paghi cosa alcuna; e dichiarandosi nullo, si paghino docati dodici, cioè otto al Vicario, e quattro al Cancelliere.

Per gl' atti, ed attestato di sopravivenza, si paghino carlini tredici, cioè al Vicario carlini nove, cinque per il decreto, ed attestato, e quattro per l'intervento all' esame di due testimonii, e gl' altri carlini quattro al Cancelliere, cioè per l'istanza, e *capiatur informatio* un carlino, per l'esame di due testimonii, carlini due, e per l'istesso attestato, un carlino.

Per qualsivoglia obligo *penes acta,* si paghino al Cancelliere carlini due.

Per l'incusazione dell' obliganza *penes acta,* si paghino carlini diece, cioè al Cancelliere per il precetto, *quod solvat vigore obligationis,* un carlino, per il decreto, con lettere esecutoriali carlini nove, de' quali cinque al Vicario, e quattro al Cancelliere.

Per la liquidazione di polise bancali per tutti gl' atti occorrentino, incluso il mandato esecutivo, si paghino solamente carlini tredici, de' quali cinque al Vicario, e gl' altri al Cancelliere, mà se la summa fusse di ducati sei, et infra, si paghi la metà, e non essendosi spedito mandato esecutivo, si paghino solamente gl' atti fatti.

Per le lettere esecutoriali spedite in virtù d'istrumento liquidato *ad formam Ritus Curiae Ecclesiasticae,* si paghino carlini trè, cioè uno al Vicario, e due al Cancelliere, e ciò sino alla

a summa di docati cinquanta; mà eccedendo sino alla summa di docati cento, si paghino carlini sei, due de' quali al Vicario, e quattro al Cancelliere, ed eccedendo sino à qualsivoglia altra summa, si paghino carlini dodici, de' quali quattro al Vicario, et otto al Cancelliere.

Per qualsivoglia Decreto in virtù d'istrumento liquidato, col quale, ò resti licenziato, ò condannato il debitore, si paghino carlini quattro al Vicario, e due al Cancelliere.

Per qualsivoglia mandato *de parendo* per sentenza ascendente à qualsisia summa, si paghino carlini cinque, cioè due al Vicario, e trè al Cancelliere.

Per il decreto *nihil transeat,* se si spedisce *ex officio,* non si paghi cosa alcuna, mà se ad istanza di parte, si paghino carlini trè, cioè uno al Vicario, e due al Cancelliere.

Per la licenza à Chierici di agere in Cause civili, ò criminali *citra poenam sanguinis,* nihil.

Per la licenza di far' esaminare Chierici nelle Cause civili, un carlino al Cancelliere, e nelle Cause criminali *ad defensam,* si paghino carlini due, cioè uno al Vicario, e l'altro al Can-
b celliere.

Per il primo decreto, seù precetto, *quod sub poena excommunicationis deponat testimonium veritatis, deposito omni odio,* etc., si paghino carlini trè, cioè uno al Vicario, e due al Cancelliere, e bisognando replicare altri precetti per l'istessa Causa, non si paghi altro.

Per la licenza d'aprire scuola, inclusivi tutti gl' atti, cioè per il decreto *capiatur informatio,* esame di testimonii, perquisizione di Banche, Decreto, ed altri adempimenti, si paghino carlini tredici, e mezzo, de' quali quattro al Vicario, e gl' altri al Cancelliere, e facendosi ad tempus, per la prorogazione non si paghi altro.

Per la licenza à Chierici d'andare à caccia, nihil.

Quando alcun debitore carcerato esibirà il consenso in scriptis del suo, ò suoi creditori, ad istanza de' quali si trova carcerato, non si paghi cosa alcuna nè al Vicario, nè al Cancelliere.

Per legalità di qualsivoglia processo, ò scrittura, si paghino carlini trè, de' quali uno al Vicario, e due al Cancelliere.

Per li monitorii super bonis de' Sacerdoti, ò Chierici, per
c tutto quello vi occorre, cioè presentate di scritture, deposizioni de' testimonii, decreto, e copia con inserta forma per affiggersi, si paghino carlini diecedotto de' quali cinque al Vicario per il decreto, e firma del monitorio, quattro al Fiscale per l'intervento all' esame di due testimonii, e li restanti nove al Cancelliere.

Per le prestazioni di braccio, si paghino carlini due, uno al Cancelliere, e l'altro al Vicario.

Tassa per li Cursori.

Per la publicazione de' monitorii *ad effectum revelandi,* si paghi per ogni luogo un carlino per ciascheduna volta, che si publica, et altri carlini trè per ciascheduna volta, che s'aggrava.

Per la notificazione di qualsisia scrittura, che si fà nella Corte, si paghino grana due, e mezzo, e nella Città, e Borghi, il doppio; mà per la Diocesi s'attenda secondo si concorderanno le parti, attenta la distanza delli luoghi, ed in caso di discordia, si rimette la determinazione ad arbitrio del Cancelliere.

Per citazione di testimonii, per la Città, e Borghi nelle Cause
d così civili, come criminali *ad defensam,* non si esiggano più, che grana due per ciaschedun testimonio, che averà da notificarsi, e per la Diocesi, come si è detto di sopra.

Per la cattura giustificata degl' inquisiti per Causa criminale nella Città, e Borghi, s'esiggano carlini diece, e nella Diocesi, il doppio.

Per la cattura per Causa civile nella Città, e Borghi, si paghino carlini due, e per la Diocesi il doppio.

Si dichiara, che in quella Curia della Provincia, nella quale gli emolumenti sono tassati, ò sogliono esiggersi di minor summa di quella, ch' è prescritta nella presente Tassa, si osservi in avvenire l'istessa Tassa, ò solito minore, e non più, ancorche si costituisse maggior emolumento nella presente Tassa.

In oltre, che se in questa Tassa vi sono particolarità ripugnanti alla Tassa Innocenziana, si dichiara, che onninamente debba osservarsi l'Innocenziana, e non la presente.

Testor ego D. Antonius Sanfelicius S. Metropolitanae Ecclesiae Neapolitanae Canonicus, Cardinalis ac Provincialis Synodi Secre-

tarius, etc., praescriptam Taxam in pluribus congressibus formatam et examinatam, postremo lectam de verbo ad verbum, ut extat, ab Illustrissimo ac Reverendissimo Domino D. Josepho Rodoerio Episcopo Acerrarum in Congregatione Synodali, Praesidente in ea Eminentissimo ac Reverendissimo Domino meo D. Jacobo Tit. SS. Marcellini et Petri Presbytero Cardinali Cantelmo, Archiepiscopo Neapolitano, intervenientibus et audientibus Illustrissimis ac Reverendissimis Dominis Fr. Daniele Episcopo Nolano, D. Innico Episcopo Aversano exemto et eligente, D. Luca Episcopo Isclano, Fr. Josepho Episcopo Puteolano, qui Synodo Provinciali vocati de more interfuere, fuisse in omnibus laudatam, approbatam ac receptam ab ipsis, etiam nomine suarum Ecclesiarum, nemine discrepante, statuendo, fore usui demandandam, prout speciali decreto statutum fuit tit. XII. cap. 2. de Foro Episcopali. *In quorum fidem, etc. praesentem scripsi ac subscripsi et proprio sigillo muniri feci.*

Antonius Canonicus Sanfelicius S. Synodi Provincialis Secretarius.

Locus † sigilli.

Eminentissime ac Reverendissime Domine Observandissime!

Decreta nuper edita unanimi Patrum consensu in Provinciali Synodo Neapolitana sapientissimae istius S. Congregationis censurae reverenter subjicio una cum Taxa a cunctis Episcopalibus Provinciae Curiis recepta. Et ut in meo ad Sacra Apostolorum limina accessu injuncti muneris partes adimpleam, peculiarem de praesenti Neapolitanae Ecclesiae statu relationem adjungo, morem gerens supremae ejusdem S. Congregationis auctoritati, et E. V. manus humillime deosculor. Romae 20. Januarii 1700.

Eminentiae Vestrae Humillimus et Devotissimus servus
J. Cardinalis Cantelmus.

Eminentissimo D. Cardinali Sacripanti Praefecto S. Congregationis Concilii.

Eminentissimi et Reverendissimi Domini Observandissimi!

Mandatum suscepimus ab EE. VV., ut Decreta Provincialis Synodi, habitae per Eminentissimum ac Reverendissimum D. Jacobum Cardinalem Cantelmum Archiepiscopum Neapolitanum una cum Reverendissimis Suffraganeis suis diebus septima, octava et nona Junii Anni millesimi sexcentesimi nonagesimi noni, perlustraremus, quid in eis esset, huic Sacrae Congregationi relaturi; Taxam quoque mercedum omnibus Curiis Ecclesiasticis totius Provinciae praescriptarum examini subjiciendo, ne quid praeter Jus et aequitatem exigi possit. Id sane praestitum a nobis fuit distincte, sigillatim et accurate.

Provincialis Synodus incipit a verbis *Ut vineae florentes* et desinit *Unicuique personaliter intimatae*, cum subscriptionibus Eminentissimi Metropolitae, Episcoporum Suffraganeorum et Canonici Secretarii; divisa in titulos quatuordecim, continet unusquisque titulus plura capita, et tota absolvitur paginis 137. Taxa vero a pagina 139. usque ad 167.

Nihil in ea reperimus, quod Ecclesiastica sacrorumque Canonum scita non probent; nihilque correctione dignum offendimus; sed omnia dictavit aequitas, prudentia et zelus Domus Dei ac Sacrae Politiae.

In Taxa praescribitur, ut constituta a s. m. Innocentio XI. omnino serventur; in quibus vero nihil ab eo praescriptum sit, certa merces assignatur. Visumque Nobis est, id moderate actum esse, propterea quod majores in aliis Neapolitani Regni Provinciis exigi fertur.

Haec a Nobis referenda fuerunt, deferendo EE. VV. humillimis cum manuum osculis obsequium nostrum. Romae die 3. Augusti 1700.

Loco † sigilli.
Loco † sigilli.

EE. VV. Humillimi atque addictissimi servi
Balthassar Cardinalis Cincius.
Sperellus Cardinalis de Sperellis.

Nos Joseph, Tit. S. Mariae Transpontinae S. R. E. Presbyter Cardinalis Sacripantes, Sacrae Congregationis Concilii Praefectus, fidem facimus et attestamur, qualiter a Sacra Congregatione praedicta praesentis Synodi Provincialis et Taxae mercedum, ab Eminentissimo D. Cardinali Cantelmo Archiepi-
a scopo Metropolita Neapolitano coactae diebus 7., 8. et 9. mensis Junii superioris Anni 1699., revisio sub die 16. Januarii proxime praeteriti commissa fuit Eminentissimis et Reverendissimis DD. Cincio et Sperellio, in albo ejusdem Sacrae Congregationis descriptis, a quibus cum praefata Synodus et Taxa revisae fuerint, iidem Eminentissimi Patres nihil correctione dignum contineri, sed cuncta in ipsis praescripta ab aequitate, prudentia et zelo Domus Dei ac Sacra politia dictata extitisse retulerunt. In quorum fidem et testimonium has praesentes fieri et per infrascriptum R. P. dictae Sacrae Congregationis Concilii Secretarium subscribi nostrique consueti sigilli fecimus impressione muniri; hac die, 14. Augusti 1700.

Loco † sigilli.

J. Cardinalis Sacripantes.
I. D. Thomatus Episcopus Cyrenensis S. C. Secretarius.

RELATIO

Status Ecclesiae Neapolitanae, ab Eminentissimo ac Reverendissimo D. Cardinali Cantelmo Archiepiscopo Sacrae Congregationi Concilii exhibita in Visitatione SS. Liminum.

b

Eminentissimi et Reverendissimi Domini!

Ut primum suscepi Ecclesiae Neapolitanae regimen, imbecillitati meae delatum benignitate SS. D. N., in eam potissimum curam incubui, ut ea dumtaxat, quae a Praedecessoribus meis et praesertim ab eodem SS. D. in hac ipsa Ecclesia gerenda fuerunt saluberrime constituta, retinerem aut promoverem; peractaque totius Dioecesis Visitatione, Dioecesanam Synodum celebravi, qua ipsorum Praedecessorum leges easque praecipue, quas Sanctissimus Dominus jam compilatas in Synodo promulgare statuerat, edidi et confirmavi; quaeque deinde post alias Dioecesis Visitationes, in Synodo Provinciali nuper convenientibus omnibus Episcopis Comprovincialibus, post lapsum 123 annorum ab ultima coacta, magna ex parte, prout locorum conditio vel necessitas postulare videbatur, ad totam Provinciam fuerunt extensae.

Ecclesia Cathedralis, quam Sacris vasis et supellectilibus
c satis instructam inveni et auxi, multis in partibus terrae motu laesis reparata est, in multis vero a vetustate vindicata; ejusque absidem marmoreo opere exornandam suscepi. Divinorum autem officiorum ratio ab eisdem meis Praedecessoribus constituta rite observatur; et a plurimis annis fundata est in ea Congregatio Sacerdotum, probitate et doctrina praecellentium, qui exercentur in sacris Missionibus, tam in Civitate quam in Dioecesi et extra, cum magno animarum fructu. Sunt etiam in Cathedrali plures tituli Beneficiorum simplicium; cumque a Beneficiatis praetermissa reperirentur in notabili parte onera missarum, sedulo studui, ut adimplerentur, etiam per sequestrationem fructuum.

Parochiales Ecclesiae nonnullae tum in Civitate tum in Dioecesi partim amplificatae, partim a fundamentis reaedificatae, partim novis ornamentis instructae sunt; quaeque in Visitationibus inventae sunt egere supellectilibus, nunc satis provisae sunt; et id ipsum in aliis Ecclesiis et Cappellis curavi; ad quarum decentiam retinendam et conservandam assidua vigilantia confertur, praesertim ne a magna criminosorum frequentia turbetur, qui ad illas confugiunt, prout ad earum Ecclesiarum immunita-
d tem tuendam nulla opera praetermittitur.

Ut Parochi satisfaciant muniis suis tum in administratione Sacramentorum tum in caeteris sibi injunctis a S. Conc. Trid., praesertim explanationis Evangelii et praedicationis Verbi Dei in missis festivorum dierum ac erudiendi pueros aliosque indigentes in rudimentis fidei, quam maxima adhibetur vigilantia, et quotannis ad me advocantur, deque partibus sui muneris admonentur, a quibus Paroeciarum status et necessitates inquiruntur, ut illis salubri remedio consulatur.

Pro subsidio agonizantium, cum Paroeciae Civitatis Neapolitanae sint amplae et animarum numerosae, destinati sunt in adjutorium Parochorum alii Sacerdotes, tam Seculares quam Regulares, pro singulis Paroeciis, quarum cuilibet praesunt praecipui Deputati, convenientes saltem semel in mense in Congregatione coram me et referentes progressum in statu hujus pii operis. In Dioecesi autem moniti etiam sunt Sacerdotes singulorum locorum ad praestandum idem adjutorium Parochis.

Ipsae Parochiales Ecclesiae conferuntur per concursum ad formam Trid. et constit. B. Pii V., et qualemqualem repugnan-

tiam, quam reperi in Clero Neapolitano ad concurrendum, submotam esse gaudeo; cum eas recipiant probatissimi viri ex ipso Clero; maximeque ad eas expeditus est aditus saluberrima constitutione Sanctissimi Domini de Paroeciis nulla pensione gravandis. a

In Casali Marani longe dissito, constituente animarum ultra quinque millia, erexi duas Paroecias filiales cum consensu Parochi matricis Ecclesiae, cui reservata sunt Matrimonia et Fons Baptismatis nonnullaeque aliae praerogativae; ipsisque novis Paroeciis filialibus assignati sunt sui confines prout et congruum stipendium pro Parochis.

In Casali Portici pro uberiori animarum subsidio nova Ecclesia et Conventus PP. Reformatorum S. Petri de Alcantara fundatus est, quem vicinorum etiam pagorum necessitas postulabat.

Ad compescendos concubinarios deputata est Congregatio piorum Sacerdotum vigilantium in Paroeciis unicuique ipsorum assignatis, et habetur coram me singulis quibusque hebdomadis, in qua referuntur casus contingentes, diligentiae adhibitae, ac providetur opportune; et aliquando, ubi gladius censurarum minus efficax dignoscitur, includuntur, etiam implorato auxilio brachii Secularis, mulieres in aliquo ex iis Conservatoriis, ubi solent se recipere mulieres resipiscentes a peccato ut etiam puellae periclitantes, et hisce mediis plusquam septingenti concubinatus dissoluti sunt vel per separationem vel per Matrimonia contracta; ad quem effectum pro exteris, qui in hoc peccato versabantur, curatae sunt ab ipsorum Ordinariis literae testimoniales eorum status liberi. b

Summa in populo erga Sanctissimam Eucharistiam viget Religio, tum in illius associatione, dum defertur ad infirmos, pro quo specialis Indulgentia concessa est a Sanctissimo D. N., tum assidue conveniendo in circularibus expositionibus, quae ad Romanae pietatis imitationem fiunt continue in Ecclesiis destinatis. Utque pietas magis augeatur, habentur quotannis Sacrae Missiones generales in Civitate cum magno concursu, particulares vero in aliis partibus Dioecesis, ubi magis expedire visum fuerit; neque Visitatio Dioecesis suscipitur, nisi praemissis Sacris Missionibus ad loca visitanda, quod ex constitutione ultimi Concilii Provincialis per totam Provinciam servandum est. c

Observatur religiose quoad Ordinationes Constitutio SS. D. N. *Speculatores;* nec ullus assumitur, nisi ad formam Tridentini aut necessitas aut utilitas Ecclesiae postulaverit; ac ex laudabili hujus Ecclesiae antiqua consuetudine patrimonium in prima tonsura suscipienda constituendum est, ne ob illius defectum vel beneficii remaneant initiati inhabiles, ut promoveantur ad Sac. Ordines, et cogantur sibi victum parare vilibus exercitiis cum dedecore status Clericalis, idque in Concilio Provinciali ad universam Provinciam extensum est.

Discutiendis vero Ordinandorum requisitis specialis Congregatio probatissimorum virorum invigilat, illaque mihi cuncta refert ante tempora ordinationum ad determinandum, an quis promovendus sit necne.

Quicumque aut primae tonsurae initiari aut ad alios Ordines ascendere volunt, semel in hebdomada ad Ecclesiam cohaerentem Congregationi PP. Missionis conveniunt, ubi omnes solemni Sacro cum superpelliceis intersunt atque in sui quisque Ordinis functionibus ac caeremoniis per vices exercentur; Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae percipiunt, semihoram Sacrae meditationi impendunt, ac pio demum sermone ad Clericalem disciplinam excitantur. d Festis vero diebus suis Parochialibus Ecclesiis, quibus adscripti sunt, inservire debent; qui vero ex promovendis degunt in Dioecesi, ne frequenti accessu atque itinere nimium graventur, semel tantum in mense ad PP. Missionis se conferunt, cum alias supradicta ministeria in Parochialibus suis Ecclesiis praestare teneantur.

Dominicis itidem diebus a prandio iidem omnes promovendi Parochum adjuvare debent in Doctrina Christiana parvulis et rudibus explicanda; pro quo Ministerio rite obeundo regulae quaedam edicto propositae sunt, quarum observantiam peculiaris Congregatio, ad eam rem instituta, exigit et promovet.

Et haec omnia supradicta tum Parochorum tum aliorum Deputatorum testimonio constare debet re ipsa praestita et ab Ordinandis servata fuisse; in quibus adimplendis si quis negligentior fuerit, tantisper ab ulterioribus ordinibus arcetur, dum assiduitate negligentiam emendaverit.

Promovendi ad Sac. Ordines vacant per decem dies ante Ordinationem exercitiis spiritualibus in domo PP. Missionis, ibique impensis meis, ne ulla graventur ratione, diu noctuque morantur, prout eadem exercitia fiunt ab omnibus, qui in Confessarios, Parochos et Coadjutores assumuntur.

Quo facilius Clerici sacris caeremoniis et Ecclesiasticis studiis erudiantur, libelli sacrarum caeremoniarum per totam Dioecesim evulgati sunt; lectio vero Theologiae moralis in celebrioribus locis est constituta.

Ad normam Cathedralis Ecclesiae, in qua singulis hebdomadis habentur conferentiae casuum conscientiae, idem servatur in universa Dioecesi, in qua Ecclesiastici diversorum pagorum in unum aliquem commodiorem locum conveniunt; utque ejusmodi conferentiarum fructus constet, earum decisiones ad Praefectum in Civitate huic rei praepositum transmittuntur; qui vero eis interesse neglexerint, ad confessiones audiendas non admittuntur.

In confessariis legendis praeter integerrimam morum probitatem maturitas etiam aetatis exquiritur juxta literas S. Congregationis; cumque ingens sit concursus ad Cathedralem, praesertim tempore adimplendi praeceptum Paschale, quod cum magno hujus Ecclesiae fructu, ita exigente numero animarum, prorogatum est ex facultate S. Congregationis usque ad diem Ascensionis, debent omnes Confessarii per vices singulis diebus assistere in ipsa Cathedrali ad audiendas confessiones.

Tum ad retinendam honestatem habitus Clericalis tum ad exigendam a Clericis observantiam requisitorum S. Concilii Tridentini aliqui Clerici parere detrectantes privati sunt privilegio Clericali pro executione literarum novissime editarum a S. Congregatione immunitatis.

Exteri Sacerdotes ad Sacrum faciendum non admittuntur, nisi Ordinariorum suorum dimissoriales literas attulerint a duobus Deputatis recognoscendas, et Sacrarum caeremoniarum peritiam testimonio PP. Missionis probaverint. Praedicatores etiam ante Adventum et Quadragesimam ad animarum salutem serio curandam et servandas S. Congregationis literas circa Sacram et Apostolicam concionandi rationem excitantur, ac, Deo adjuvante, obsolevit magna ex parte illud corruptissimum praedicandi genus, quod cum magno Verbi Dei detrimento invaluerat.

In Seminario hujus Cathedralis adolescentes quinque supra centum in Christiana pietate ac literis erudiuntur; ex his Alumni, quorum numerus etiam expensis meis auctus est, per concursum coram me institutum admittuntur, et sine personarum acceptione, qui praestantioris indolis sunt, eliguntur.

Hi, antequam in Seminarium recipiantur, idoneam cautionem cum suis parentibus aut consanguineis praestant de reficiendis Seminario expensis, si forte ab Ecclesiastico statu recesserint, vel Paroecias vel alia Ecclesiastica munera a me vel a Successoribus meis ipsis demandanda recusaverint; ut semper in Domino Ecclesiasticis Ministris Ecclesia magis abundet. Praeterea ex iis locis Dioecesis, quae Sacrorum Ministrorum inopia laborant, diligenter, quoad fieri potest, puer aliquis quaeritur, qui in Seminario ad suae Paroeciae spem erudiatur. Exercentur autem in literis tum Latinis tum Graecis tum Hebraicis pro planiori Scripturae Sacrae et SS. PP. intelligentia, Rhetorica, Philosophia, Theologia, Sacris Canonibus, cantu Gregoriano, Ecclesiasticis caeremoniis et aliis, quae a Tridentino praescribuntur. Qui vero in pietatis et literarum studio magis proficiunt, praesertim qui Patrimonio carent, in praemium et subsidium adipiscuntur ut plurimum Ecclesiastica beneficia, quae, numero et reditibus exigua multum infra exigentiam tam numerosi Cleri, tantum Dioecesanis, etiam sine onere pensionum, conferuntur, exclusis quoque meis familiaribus.

Edicto Sanctissimi Domini Nostri in hujus Ecclesiae regimine promulgato Sanctimonialium expensae tum quoad Confessariorum mercedes tum quoad Ministrorum emolumenta taxatae sunt.

In Tribunali pro Ministrorum emolumentis Taxa Innocentiana religiose observatur, et pro iis, quae in ea non comprehenduntur, alia hujus Curiae peculiaris cum Innocentiana apprime conveniens, quae unanimi Patrum in Concilio Provinciali consensu per totam Provinciam recepta est; utque Ministrorum integritas omnibus pateat, in calce cujuslibet expeditionis ab eisdem adscribitur, quantum fuerit persolutum; pro pauperibus autem fiunt omnia acta gratis, et pro pauperum causis et negotiis destinatus est specialis Advocatus.

Carceres visitantur frequenter, ne in eis detenti aliquali in-

debita vexatione afficiantur; nec solum spiritualia auxilia ipsis praestantur, sed pauperibus etiam temporalia. Poenae pecuniariae, quae ad criminum medelam parum efficaces et aptae videntur, raro adhibentur; quae autem imponuntur, recta et immediata manu solvuntur locis piis.

Distinctum habetur Tribunal pro S. Visitatione, et in eo omnia gratis expediuntur, quemadmodum ex laudabili hujus Ecclesiae consuetudine nihil prorsus ullo nomine a Visitatoribus accipitur in Dioecesis Visitatione.

Pro causis civilibus et criminalibus expediendis rebusque ad S. Visitationem pertinentibus et aliis negotiis dirimendis et componendis habentur saepe Congregationes coram me.

Mensae Archiepiscopalis bona et reditus, quorum Platea magna cum sedulitate confecta est, partim vindicata partim aucta sunt non sine notabili sumtu.

Pro Christiana hospitalitate erga Peregrinos ad Limina Apostolorum confluentes exercenda imminente Jubilaei anno ad praescriptum literarum specialis S. Congregationis, a Sanctissimo deputatae, tria hospitia in hac Civitate rebus omnibus et copiis instructa et parata sunt, scilicet Hospitium Sanctissimae Trinitatis, alterum Divinae Misericordiae, ubi Sacerdotes tantum excipiuntur, et tertium S. Antonii Abbatis mea impensa in Abbatia a dicti tituli, mihi commendata; in quibus non victu modo et corporalibus subsidiis peregrini reficiuntur, sed pabulo etiam Verbi Dei et salutaribus monitis instruuntur.

EE. VV. Humillimus et Addictissimus servus

J. Cardinalis Cantelmus Archiepiscopus Neapolitanus.

Nos Joseph Tit. S. Mariae Transpontinae S. R. E. Presbyter Cardinalis Sacripantes, Sacrae Congregationis Concilii Praefectus, fidem facimus et attestamur, Eminentissimum D. Cardinalem Cantelmum, Archiepiscopum Neapolitanum, Sacra Limina pro nuper elapso trigesimo octavo et inchoato trigesimo nono respective trienniis, annuente SS. Domino Nostro, humiliter visitasse; Sacratissimas quidem Principum Apostolorum Basilicas veneratus, luculentam non minus quam elegantem numerisque omnibus absolutam hodierni status Neapolitanae Ecclesiae relationem scripto dimisit in Sacra Congregatione Concilii. In quorum fidem, etc.

Datum Romae hac die 24. Aprilis 1700.

J. Cardinalis Sacripantes Praefectus.

I. T. Ep. Cyrenensis S. C. C. Secretarius.

APPENDIX AD CONCILIUM PROVINCIALE,

ab Eminentiss. ac Reverendiss. Domino D. Jacobo S. R. E. Cardinali Cantelmo, Archiepiscopo Neapolitano Metropolita, celebratum Anno Domini MDCXCIX.

I. Decretum S. C. Concilii circa Baptismum Infidelium Adultorum. Neapolitana Juris Baptizandi.

Ad Tit. 1. Synod. Constitut. Cap. 2.

Prior Generalis Archiconfraternitatis Doctrinae Christianae et Vicarius Curatus Ecclesiae Metropolitanae, oblatis Vicario Generali Eminentissimi Archiepiscopi suis precibus, sequens Rescriptum seu Decretum ab eodem obtinuerunt: RR. Parochi Civitatis et Dioecesis Neapolitanae non audeant in futurum baptizare Infideles, nisi prius obtenta attestatione a Reverendissimo Domino Canonico Priore Generali Doctrinae Christianae et Catechumenorum nostrae Cathedralis, an sufficienter sint instructi Catechismo Catholico, et an sint capaces dicti Sacramenti; quae attestatio super utraque qualitate fiat jurata et in scriptis, etc.

An supradictum Rescriptum seu Decretum Vicarii Generalis Neapolitani sit servandum?

Sacra Congregatio sub die 24. Augusti 1688. respondit *Affirmative.*

J. Cardinalis Columna Praefectus.

Locus † sigilli. *A. Altoritus Secretarius.*

II. Clementis PP. X. Constitutio, in qua Regularium privilegia quoad praedicationem Verbi Dei et Sacramenti Poenitentiae administrationem declarantur.

Ad Tit. 1. Synod. Const. Cap. 3.

Superna. Const. 7. d. 21. Jun. 1670.

III. Innocentii XI. Admonitio ad Verbi Dei Concionatores per Literas Sacrae Congregationis Concilii.

Ad idem Cap. 3.

Foris. Eminentissimo et Reverendissimo Domino Observandissimo Domino Cardinali Caracciolo Archiepiscopo Neapolitano.

Intus. Eminentissime et Reverendissime Domine Observandiss.

A pluribus Christiani Orbis Provinciis graves frequentesque Romam atque ad ipsam Sanctam Sedem adventant seu delationes seu querelae adversus praesentem praedicationis usum, tanquam a primaevo Apostolorum Instituto prorsus aberrantem. Ac quidem cum Verbum Dei, quod, Apostolo teste, omnino esse debet sanum ac salutare, multiplici lue per plures ex ipsis Evangelii Praeconibus reddatur infectum: merito Sanctiss. D. N. decrevit contagionem, universo Gregi tam exitiosam longeque patentem, omni Apostolicae auctoritatis conatu prorsus exscindere. Nam quae pestis esse aut excogitari violentior ea potest, quae cibos ipsos, ad vitae praesidium institutos, ipsasque medicinas, pro morbis depellendis inventas, in mortis instrumenta et praesentissima venena converteret? Verbum profecto Dei panis est ille vitae et intellectus, quo cibari, et aqua simul salutaris, qua potari fidelium Animas ab ipsis Religionis Christianae incunabulis Redemtor Noster edocuit. At vero si sal, quod pro Dei verbo a Sanctis accipitur, per futiles Conciones evanuerit, in quo putrescentia mortalium vitia condientur? Quinimo si sal a idem, quod Praedicatores aperte significat, per eloquentiam plane stultam infatuatum fuerit, revera non ultra valebit, nisi ut conculcetur, et utinam jam non conculcaretur ab hominibus. Quae enim ministerio tam sacro majestas, qui decor, quae Sanctitas, quae utilitas inest, quando plurimi, ut Paulus clamat, Verbum Dei adulterantes aut jocis, tanquam histriones, aut conversi ad fabulas, uti Poetae, Auditores sibi prurientes auribus coacervant, aut inanis facundiae lenocinio et calamistrato ac meretricio plane stylo praedicationem foede corrumpunt? Mandat ergo Sanctitas Sua, zelo vere Apostolico accensa, ut omnes Primates, Archiepiscopi, Episcopi caeterarumque Ecclesiarum Praesides, quorum praecipuum munus est Verbum Dei administrare Gregemque pascere, tantis corruptelis occurrant easque Concionatoribus opportune ob oculos ponant, et fugiant a facie tot pestium potius quam colubrorum. Et praesertim universi intelligant, quod per Hieremiam Deus illis indixit: *Propheta, qui habet Sermonem meum, loquatur sermonem meum vere; quid palea ad triticum? Numquid verba mea non sunt ignis, dicit Dominus, et quasi malleus conterens petras?* Videlicet oportere, Conciones non paleis refertas b esse ad vanitatem, sed igne veritatis succensas. Porro sciant, non levem esse culpam, sed grande piaculum gravissimaque poena mulctandum, ubi per scurrilitatem Verbum Dei velut in scenam adducunt atque Auditoribus deridendum traduxerint. Praeterea neque per quaestiones curiosas ac paradoxa vana ita supra captum Populorum assurgant, ut vere querantur: *Parvuli petierunt panem, et non erat, qui frangeret eis.* Similiter neque per illecebras inanium verborum res non minus vanas obtrudant, et per ostentationem memoriae atque pronunciationis praecipitantiam quasi praestigiis Auditorum animos auresque ludificent. Quamobrem Antistites per se, si tempus vacaverit, tum in Cathedralibus tum in aliis Ecclesiis serio animadvertant et in Dioecesi Vicariis Foraneis aliisque Ministris probisque Viris, a quibus ea super re relationes exigant, vigilantiam demandent. Ac si Concionatores normam hujusmodi transgressos compererint, eos a praedicationis munere ad tempus benevisum suspendant aliave ratione pro modo culpae plectere curent, subrogando interim alios, qui salutari modo Populo ostendant vitia, quae eos declinare, et virtutes, quas sectari oporteat, ut poenam aeternam evadere et c coelestem gloriam valeant consequi. Eminentia igitur Vestra in Civitate ac Dioecesi ejus curae credita Sanctiss. D. N. Jussibus proprioque muneri satisfacere non gravabitur idemque suis suffraganeis, vel qui Synodo Provinciali interesse consueverunt, significare. Et E. V. manus humillime deosculor. Romae 6. Julii 1680.

Humillimus et Addictissimus Servus.

F. Cardinalis Columna.

S. Archiep. Brancacius Episc. Viterbien. Secr.

IV. Formula Juramenti a Punctatoribus praestandi.

Ex Concil. Prov. Mediol. II. Tit. 5. Cap. 3.

Ad Tit. 2. Synod. Const. Cap. 1.

Ego N. Punctatoris officium, quod suscepi, per haec Sancta Dei Evangelia juratus Sancte promitto ac spondeo me fideliter et sincere, quantum in me est, executurum. Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia.

V. Declaratio Sacrae Congregationis super Eleemosyna Missarum.

Cum Auctores nonnulli scriptis suis typis editis asseruerint, Sacerdoti, pro alio Missam, recepta Eleemosyna, celebranti, licitum esse aliam Eleemosynam quoque accipere ab altero, cui partem illam fructus seu valoris ejusdem Sacrificii ipsimet celebranti debitam *(specialem nuncupatam)* applicet, ac proinde hunc casum sub Decreto Sac. Congregationis Concilii, prohibente duplex pro unica Missa stipendium seu Eleemosynam recipi, non esse comprehensum: propterea Sacra Congregatio, etc. sub die 25. Januarii 1659. censuit, nulli Sacerdoti licitum esse praefata ratione sive praetextu aliam Eleemosynam accipere praeter illam, quam accipit ab eo, pro quo Missam offerre tenetur, ac proinde casum hunc esse comprehensum in Decretis alias per eandem Sacram Congregationem Concilii editis, quibus prohibetur, ne duplex stipendium pro una Missa recipiatur.

VI. Decretum S. Congregationis Concilii de diebus licitae vacationis a celebratione Missae.

Ad Tit. 2. Synod. Const. Cap. 2.

COLLENSIS CELEBRATIONIS MISSARUM.

Modernus Episcopus Collensis Dioecesis visitando comperit, non sine maximo conscientiarum periculo plures irrepsisse abusus in adimplendo mentem eorum, qui Missas celebrari mandarunt. Ad eos ergo tollendos, discutiendum atque resolvendum videtur:

Primo. An Sacerdotes, obligati ratione Beneficii, Cappellaniae, Legati aut Stipendii celebrare quotidie Missam per seipsos, possint aliquando a celebratione vacare? et quatenus affirmative:

Secundo. Quando et quoties a dicta celebratione vacare possint?

Tertio. An diebus licitae vacationis possint Missam pro seipsis vel aliis praeterquam pro Fundatoribus celebrare? et quatenus affirmative:

Quarto. An pro aliis celebrando possint stipendium pro hujusmodi celebratione percipere?

Quinto. An illis diebus, quibus licite vacant a celebratione, teneantur Missam ab aliis celebrari facere juxta intentionem Fundatorum?

Sexto. An Sacerdotes, ut supra obligati celebrare Missam quotidie, absque tamen onere celebrandi per seipsos, possint aliquando a celebratione vacare?

Die 18. Septembris 1683. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum ad primum et secundum respondit *affirmative*, concurrente aliqua rationabili causa. Ad tertium, quartum et sextum *negative*. Ad quintum distulit resolutionem.

Ita reperitur in Regesto autographo Decretorum ejusdem Sacrae Congregationis lib. 33. fol. 311. In fidem, etc. Hac die 30. Maii 1699.

Loco † sigilli.

F. Nuptius S. C. C. Secretarius.

VII. Decretum S. Congregat. Concilii de Oratoriis privatis.

Ad Tit. 2. Synod. Const. Cap. 2.

NEAPOLITANA.

Eminentissimus Archiepiscopus, ut in concernentibus Divinum cultum scandala et abusus omnes arceantur, supplicat a Sacra Congregatione declarari:

Primo. An liceat Episcopis in aliena Dioecesi erigere Altare extra Domum propriae habitationis in Domibus Laicis ibique Sacrosanctum Missae Sacrificium non ad propriam devotionem, sed pro ipsarum Domorum inhabitantium commodo celebrari facere per unum vel plures ex suis Cappellanis, ipso Episcopo ad quandam formam praesente, etiam quoad Missam Solemnem?

Secundo. An ipsismet Episcopis liceat ad placitum et pro commodo amicorum erigere Altare et celebrare in eorundem amicorum Domibus?

a *Tertio. An in Oratoriis, quibus ex Indulto Apostolico fruuntur Domus privatae, liceat Regularibus celebrare diebus exceptis in Indulto seu prohibitis a Sac. Congregatione vel Synodali constitutione Dioecesana, et an in hoc et sequenti casu Missam ibi audientes satisfaciant praecepto Ecclesiae?*

Quarto. An celebrata in praefatis Oratoriis unica Missa in Apostolico Indulto concessa, liceat Regularibus eadem die aliam Missam ibidem celebrare?

Quinto. An Episcopis liceat in dictorum Oratoriis privatis celebrare vel celebrari facere, ipsis praesentibus, pro commodo Dominorum fruentium ipsis Oratoriis, celebrata iam unica Missa concessa in Indulto, et an in diebus exceptis in Indulto vel prohibitis a Sacra Congregatione vel Constitutione Dioecesana, ut dictum est de Regularibus in tertio et quarto dubio?

Sexto. Quid Juris dictus Archiepiscopus habeat (quatenus negative ad suprascripta dubia) contra ejusmodi Transgressores?

Die 30. Maii 1699. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum ad primum, secundum et quartum, respondit *negative*. Ad tertium *negative*
b pro diebus exceptis in Indulto. Ad [quintum [1]] itidem *negative* respondit, prout in tertio et quarto. Ad sextum, quoad Regulares censuit posse procedere ad formam Sac. Concilii; quo vero ad Episcopos injungendum censuit, prout praesentis Decreti tenore injungit Eminentissimo Archiepiscopo, quatenus moneat eosdem Episcopos, et, si moniti non abstineant, certioret Sac. Congregationem.

Cardinalis Sacripantes Praefectus.

Loco † sigilli. *F. Nuptius S. C. C. Secret.*

VIII. Confirmatio Decretorum Congregationis S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum super Celebratione Missarum, etiam cum declarationibus et innovatione Decretorum ab eadem Congregatione auctoritate fel. rec. Urbani Papae VIII. desuper alias factorum.

c Ad idem Cap. 2. Synod. Const.

Innocentii XII. const. 120. *Nuper a Congregatione.* d. 23. Dec. 1697.

IX. Decreta circa validitatem Electionis Sepulturae.

Ad Tit. 2. Synod. Const. Cap. 4.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Dudum a Congregatione tunc existentium S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum ad supplicationem tunc existentis Commendatarii Abbatiae et Parochialis Ecclesiae Sancti Joannis Majoris nuncupatae Civitatis Neapolitanae emanavit Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: *Neapolitana electionis sepulturae.* Libellus infrascripto verborum tenore conceptus Eminentissimi Commendatarii Abbatiae et Parochialis Ecclesiae Sancti
d Joannis Majoris nomine huic Sacrae Congregationi Concilii porrectus fuit.

[2]* Eminentissimi et Reverendissimi Domini. Ad evitandas controversias, quae propter sepulchri et funeris electionem cum magno fidelium scandalo oriri solent, Eminentiis Vestris supplicat Commendatarius Abbatiae et parochialis ecclesiae S. Joannis Majoris nuncupatae civitatis Neapolitanae, ut dubia solvere dignentur haec:

Primo, num sepulchri electio, a quocunque sive sano sive infirmo fiat praesente parocho, sit valida?

Secundo, utrum, ut sepulchri electio valida sit, necessario testamentum ultimae, quae dicitur, voluntatis requiratur, an sufficiat alio publico instrumento, etsi non sit testamentum, antea eligi?

Tertio, num nulla sit sepulchri electio, quum testamento quidem, non tamen a moribundo, sed a valente confecto, eligatur.

---

[1]* In Appendice ad Conc. prov. male scribitur: *primum.*

[2]* Epistolam, quae sequitur, ex Italico vertimus.

Quarto, num, qui sacellum gentilicium cum proprio sepulchro a habet vel sacellum cum proprio sepulchro emit, si, sepulchro non electo, moriatur, in Cathedrali sit sepeliendus?

Quinto, num electio sepulchri, praesentibus duobus vel pluribus testibus facta, sit valida?

Sexto, num sepulchri electio, quum quis loqui nequeat, nutibus vel signis facta, sit valida.

Septimo, num Confraternitatum sodales in ecclesiae suae sepulchro, si aliud non elegerint, sepeliri possint?

Octavo, num sepulchri electiones, quae de jure praesumuntur, uti uxor mariti, filii patris majorumque, servi dominorum sepulchra eligere praesumuntur, et similes sint validae? quae ut Eminentiae Vestrae benigne declarare dignentur, supplicamus etc.

Quaeritur, quid ad singulas praedictas dubitationes respondendum.

Die 13. Februarii 1666. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum.

Ad primam: censuit, esse validam, dummodo Parochus non b attestetur ad proprium commodum.

Ad secundam: censuit, non requiri necessario testamentum.

Ad tertiam: censuit, non esse nullam.

Ad quartam: non esse sepeliendum in Cathedrali.

Ad quintam: esse validam.

Ad sextam: esse validam, dummodo sufficienter constet de voluntate eligentis.

Ad septimam: negative.

Ad octavam: censuit, quatenus electa non fuerit sepultura, uxorem in sepultura ultimi viri sepeliendam, filios vero in sepulchro majorum, servos autem in Parochia. Ita reperitur in Regesto Decretorum lib. 25. fol. 29. ejusdem Sac. Congregationis. In quorum fidem, etc. Datum hac die 29. Junii 1682. Ita est. A. Altovitus S. C. Secretarius. Loco † Sigilli. Cum autem, sicut dilecti filii Electi[1*] dictae Civitatis Neapolitanae Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, Apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: Nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes et eorum singulares personas a quibus- c vis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati: Decretum praeinsertum auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate praefatae Congregationis Cardinalium: decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis caeterisque contrariis d quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 12. Julii 1682., Pontificatus nostri anno sexto.

J. G. Slusius.

Aliud Decretum sive declaratio ejusdem circa electionem sepulturae collective factam a Confratribus.

Neapolitana Juris funerandi.

Sumta occasione Decreti editi ab hac Sacra Congregatione in alia causa Neapolitana sub die 13. Februarii 1666, quae ad secundum ex pluribus dubiis propositis super materia funerum respondit: Ad validam sepulturae electionem non requiri necessario testamentum, Confratres et Consorores paucis abhinc annis consueverunt collective et collegialiter per publicum instrumentum eligere sepulturae suae locum in aliis Ecclesiis et signanter Regularium, in quibus eaedem Sodalitates erectae reperiuntur, absque tamen voto, juramento aut promissione de non revocando electionem, et nuper Confratres Artifices Congregationis Assumtae erectae in Ecclesia Presbyterorum Oratorii S. Philippi Nerii per libellum a Sanctissimo Domino Nostro remissum supplicarunt, hujusmodi electionis sepulturae modum validum declarari.

Super his confecto processu per Eminentissimum Archiepiscopum, dataque relatione, quae in seorsivo folio per manus Eminentissimorum Patrum transmittitur, hodie informante tantum Capitulo Ecclesiae Archiepiscopalis Neap., quaeritur:

An hujusmodi electio sepulturae collective et collegialiter facta substineatur in casu, de quo agitur?

Die 16. Maii 1682. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum respondit, substineri electionem sepulturae collective factam per Confratres individualiter consentientes, et die 19. Decembris ejusdem anni 1682. reproposita hujusmodi causa, utraque parte ore et scriptis informante, stetit in decisis, addita clausula *revocabiliter* tamen.

F. Card. Columna Praefectus.

A. Altovitus S. C. C. Secretarius.

X. Decreta pro funeribus, ad quae accedit Capitulum Ecclesiae Metropolitanae Neapolis.

CLEMENS PAPA IX.

Ad futuram rei memoriam.

Emanavit nuper ad favorem dilectorum filiorum Capituli et Canonicorum Metropolitanae Ecclesiae Neapolitanae a Congregatione Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus praepositorum Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Sacra Rituum Congregatio, referente Eminentissimo Brancacio, declaravit, Decretum ejusdem Sacrae Congregationis editum die 26. Januarii 1641., quo declaratum fuit, Capitulum et Canonicos Metropolitanae Civitatis Neapolis vocatos ad funus non posse a Regularibus et signanter a Monachis Benedictinis, Coelestinis et Olivetanis impediri, quin ingrediantur cum propria Cruce in Ecclesias ipsorum Regularium, esse servandum, etiam quoad Carmelitas Sanctae Mariae de Vita eiusdem Civitatis. Hac die 8. Junii 1669. M. Episcopus Portuensis Cardinalis Ginnettus. Cum autem, sicut pro parte Capituli et Canonicorum praedictorum Nobis subinde expositum fuit, ipsi Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia Apostolicae Confirmationis nostrae Patrocinio communiri summopere desiderent: Nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati: Decretum praeinsertum Auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus: salva tamen semper in praemissis auctoritate praedictae Congregationis Cardinalium: decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari et definiri debere, et irritum et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari; non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 29. Junii 1669., Pontificatus Nostri Anno tertio.

J. G. Slusius.

XI. Aliud Decretum.

NEAPOLITANA.

Pro parte Capituli Metropolitanae Neapolis expositum fuit apud Sac. Rit. Congregationem in supplici libello, cujus tenor

---

[1*] Forte: *Ecclesiae.*

est, ut infra, videlicet [1]: Capitulum insignis ecclesiae metropolitanae EE. VV. humiliter proponit: quum in lite coram hac S. Congregatione cum regularibus habita decretum obtinuerit, licere Capitulo in funeribus comitandis cum Cruce in ecclesias regularium intrare, Eminentias VV. nunc permittere non debere, ut decreta sua debita exsequutione careant. Regulares enim illi, quum audiant, aliquem testamento statuisse, ut corpus suum in ipsorum ecclesiis, comitante tamen funus Capitulo, sepeliretur, repugnant ipsumque recipere et sepelire recusant. Qua de re Eminentiae Vestrae a D. Card. Caracciolo, eorum Archiepiscopo, certiores fieri facile poterunt. Ideo Capitulum supradictum EE. VV. supplicat, huic Archiepiscopo mandent, ut regulares ad funera in Ecclesias suas recipienda cogat, quandoquidem ea recipere assueverunt; et quum fieri possit, ut nimiam pecuniae summam exigant, pariter supplicat, ut eidem Archiepiscopo eam definire et regulares illos ad funera, comitante Capitulo, in ecclesias suas recipienda iis poenis cogere liceat, quibus summae EE. VV. prudentiae visum fuerit.

Et eadem Sac. Congr., audito etiam Eminentiss. D. Card. Archiepiscopo Neap. in eadem praesenti, respondit, praefatus Eminent. Archiepisc. Neapolitanus compellat praedictos Regulares sub censuris, etiam per Interdictum, quatenus in casibus expositis. Et ita decrevit, die 16. Januar. 1677.

V. Card. Carpineus.

Loco † sigilli. *Bernardinus Casalius Sac. Rit. Cong. Secr.*

XII. Literae S. Congregationis [Episcop. et Regular.] de invitationibus [laicorum] ad Ecclesias regularium et monialium.

* *Versio Latina ex Italico.*

Foris. Eminentissimo et Reverendissimo Domino Observandissimo, Domino Cardinali Caracciolo Archiepiscopo Neapolitano.

Intus vero. Eminentissime et Reverendissime Domine Observandissime!

Sanctitas D. N. jam d. 22. Jan. 1677. Eminentiae Vestrae praecepit, ut Suo nomine et auctoritate, cum Eadem ad hunc effectum communicata, non solum non permitteret, sed diserte vetaret, invitationes ad ecclesias et s. functiones regularium et monialium fieri, quocumque genere fruerentur exemptionis, quantumvis amplae, specialis et privilegiatae, nemine excepto cujuscumque status, gradus et dignitatis, etiamsi ejus specialis mentio facienda esset; et ut eaedem ecclesiae, quando signum [vespere] daretur ad salutationem angelicam recitandam, clauderentur vel etiam paulo ante, ita ut, signo illo dato, nemo eo ingrederetur vel ibi commoraretur, sub poena excommunicationis latae sententiae ipso facto incurrendae, Suae Sanctitati et Eminentiae Vestrae solis reservatae, ita ut nullum privilegium vel facultas, quantumvis ampla et amplissima et speciali mentione digna, suffragari posset, Superioribus vero regularibus utriusque sexus poena privationis officii vocisque activae et passivae proposita; immo Eminentiae Vestrae facultatem dedit, ut easdem Ecclesias interdiceret vel alia, quae censeret opportuna, provideret. Et quia regulares quidam, frivolis rationibus interpositis, se supra dicta prohibitione comprehendi negant, Sanctitas Sua, invitatione saecularium ad illas functiones iterum prohibita, omnique indulto, cuicumque Ordini quomodolibet exempto fuerit concessum, revocato, mihi mandatum Eminentiae Vestrae scribendi dedit, ut delinquentes poenis supra dictis literis d. d. 22. Jan. a. 1677. contentis afficeret. Quibus Eminentiae Vestrae significatis, ejus manus humiliter deosculor. Romae d. 20. Sept. 1683.

Eminentiae Vestrae Servus humillimus et addictissimus
G. Card. Carpegna.
B. Pianciatichi Secretarius.

XIII. Decretum S. Congregationis de interdicto Ecclesiarum Sanctimonialium Regularibus subjectarum.

Ad idem Cap. 5.

In Causa Neapolitana Interdicti et Censurarum vertente inter Curiam Archiepiscopalem ex una, et Moniales Reginae Coeli et P. Abbatem S. Petri ad Aram partibus ex altera de et super infrascriptis dubiis, nempe:

Primo, An Eminentissimus Archiepiscopus possit subjicere interdicto Ecclesiam Monialium Praelato Regulari subjectarum.

Secundo, An Praelatus Regularis possit apponere Interdictum Ecclesiae Monialium sibi subjectarum et quatenus negative:

Tertio, An Praelatus Regularis dicatur usurpasse jurisdictionem Episcopalem.

Quarto, An possit per Ordinarium declarari incursum in Censuras.

Quinto, An et quomodo sit puniendus Praelatus Regularis et caeteri Complices pro excessibus.

Sacra Congregatio Eminentissimorum et Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, Partibus ipsis auditis, referente Eminentissimo Cavallerino, censuit ut infra respondendum, videlicet:

Ad primum: *affirmative* in casu, de quo agitur.

Ad secundum: Interdictum appositum ab Abbate S. Petri ad Aram non substineri. Ad reliqua vero dubia juxta mentem. Romae 21. Junii 1697.

Ita reperitur in Regesto autographo ejusdem Sacrae Congregationis. In quorum fidem, etc. Romae hac die 29. Maii 1699.

Nicolaus Archiepiscopus Theat. Secretarius.

XIV. Avvertimenti di San Carlo per li Confessori.

Ad Tit. 3. Synod. Const. Cap. 5.

Hunc libellum, quum saepius typis sit mandatus, hic omittendum censemus.

XV. Literae S. Congregationis ex mandato D. N. Innocentii XII. Papae conscriptae, ne ad confessiones audiendas Confessarii admittantur, quin aetate sint provecti bonisque moribus ornati: et qua ratione feminarum confessiones sint audiendae.

* *Versio Latina ex Italico*

Foris. Eminentissimo et Reverendissimo Domino Observandissimo. Domino Cardinali Cantelmo Archiepiscopo Neapolitano.

Intus vero. Eminentissime et Reverendissime Domine Observandissime!

Da casi etc. Sanctitas D. N., quum perspexerit, quanta diligentia, ut his malis occurratur, Episcopis sit attendendum, ut homines ministerio tam gravi pares eligant: secundum sententiam horum Eminentissimorum collegarum meorum, Dominorum Cardinalium Generalium Inquisitorum, censuit, a me his literis encyclicis E. V. valde esse impellendam, ut deinceps majore, qua fieri potest, studio et diligentia prospiciat, ut hujusmodi (confessarii) minime sint juvenes, sed aetate et intelligentia provecti et bonis moribus ornati; utque eos confessiones, feminarum praesertim, non in parte antica, sed ad latera confessionalis et in loco aperto et propatulo audire jubeat. Neque dubitat Sanctitas Sua, quin E. V., quae est ejus bonitas zelusque singularis, hac in re sententiam Suam perfecte exsequutura sit, et E. V. manus humillime deosculor. Romae d. 4. Dec. a. 1694.

E. V. Servus humillimus et devotissimus
A. Card. Cybo.
Neapolim Domino Card. Archiepiscopo.

XVI. Literae S. Congregationis de mandato Clementis VIII. ad Cardinalem Gesualdum Archiepiscopum Neapolitanum.

De Casibus reservatis.

Illustrissime ac Reverendissime Domine.

Accipiet Illustrissima Amplitudo Vestra una cum hisce literis exemplum Declarationis, quam Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium, negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, de expresso Sanctissimi Domini Nostri mandato nuper edidit super Decreto de prohibita absolutione a casibus reser-

[1] Quae sequuntur, ex Italico vertimus.

vatis die 9. Januarii 1601. promulgato, quod in suis Dioecesibus Ostiensi et Neapolitana publicandum ac studiose observandum diligenter curabit. Cum autem locorum Ordinarii magna ex parte indicem seu notam singulorum casuum a se reservatorum huc miserint, compertum est, in hoc genere varie quid a variis admissum fuisse, quod aliqua emendatione indigeret: quosdam nimirum quaedam reservasse, quae jam Apostolica Sedes sibi reservaret, alios alia, quae minime expediebat, nonnullos vero in ea re modum excessisse, ut nullum fere superesset peccatum, quod non sibi vendicaret indifferens illa servandi ratio, quae (ut necesse erat) res plerasque levis momenti et alioquin Concilii Tridentini aliorumque Sacrorum Canonum sententiae parum congruentes complectebatur. Verum quia nondum satis hic explorata erat cujusque loci conditio ac necessitas, non potuit unicuique reservationum hujusmodi singillatim modus ac temperamentum, quod res poscebat, adhiberi. Nec sane debuit una eademque regula omnibus Ecclesiis praescribi, quandoquidem alia alibi magis convenire certum est, et fieri vix potest, ut omnia omnibus in locis aeque probentur et prosint. Quae cum ita sint, visum est eidem Sac. Congregationi praeter illam declarationem privatas quoque literas ad singulos Ordinarios mittere, quibus moneant[ur], ut, simul ac eas acceperint, omnes casus sibi jam olim reservatos, adhibitis aliquibus pietate et doctrina praestantibus viris, de integro discutiant diligenterque examinent et ad ipsius Decreti jam declarati normam accommodent, eorum multitudinem sic resecantes, ut ad quam paucissimos eosque maxime necessarios redigantur iidem casus, unde salutaris ille sequatur effectus, cujus causa haec reservandi atrociores quosdam casus Episcopis in sua cuique Dioecesi tributa est auctoritas.

Praecipue vero haec monenda censet Sac. Congregatio, ut videant ipsi Ordinarii, ne illos casus promiscue reservent, quibus annexa est excommunicatio major a jure imposita, cujus absolutio nemini reservata sit, nisi forte propter frequentiam, scandalum aut aliam necessariam causam aliqui hujusmodi casus nominatim reservandi viderentur, neque casus, in quibus absolutio nisi cum restitutione vel executione eorum, ad quae Poenitentes tenentur, non confertur, neque illos, qui, etsi mortale peccatum inducant, circa res tamen parvi momenti versantur et frequenter inter idiotas evenire solent, uti damni dati, et similium. In peccatis etiam carnalibus reservandis multa utantur circumspectione propter periculum scandalorum, in iis maxime personis, in quas ob accessum ad confessarios extraordinarios vel frequentem reditum ad Ordinarios suspicionis aliquid cadere potest. Postremo eam potissimum ineant ac sequantur rationem, quae, consideratis diligenter cujusque Provinciae ac populorum moribus, natura ac propensione, magis in Domino expedire videbitur. Postquam autem ab iis peracta descriptaque fuerit haec moderatio, unusquisque eam primo quoque tempore ad me perferendam curet, addita insuper causa, quae cujusque casus reservationem potissimum suaserit. Hoc enim S. D. Nostro deliberatum est, ut postmodum singulae hujusmodi reservationes distinctius examinentur, quo perfecto tandem, adjutrice Dei gratia, opportunum iis incommodis remedium adhibeatur. Interim de ipsius Sanctitatis Suae mandato iidem Ordinarii monentur, ut per totam suam Dioecesim ac praesertim in iis locis, qui a Civitate et Cathedrali Sede longius remoti sunt, Poenitentiarios aliosque Sacerdotes constituant ac delegent, quibus facultatem absolvendi a casibus sibi reservatis concedant, idque maxime in solemnioribus et praecipuis anni festivitatibus, ut peccatores, quibus obvia et facilis fuerit hujusmodi Sacerdotum copia, ad peragendam confessionem alliciantur, quia alioquin plerique vel ob idipsum omittere possent, si necesse haberent Poenitentiae Ministros, quibus indigent, longius quaerere. In eam igitur curam, quantum in se erit, sedulo incumbet Illustriss. Amplitudo Vestra, ut haec omnia ex Sanctitatis Suae et Sacrae Congregationis mente debitae executioni mandentur ea diligentia eoque zelo ubique adhibito, quem optimus quisque Pastor erga animarum sibi creditarum salutem prae se ferre debet. Ut autem apud se successoresque suos perpetuum extet monumentum, quid hic circa totam hanc reservandi rationem deliberatum sit, dabit operam, ut hae literae una cum ipso Decreto ac Declaratione in publicis suarum Curiarum Episcopalium actis integre describant[ur]. Eas vero cum primum acceperit, dignabitur facere nos ea de re certiores, missura postea, quantocius fieri poterit, expetitum novae reservationis indicem, ex praescripto hujusce mandati confectum. Quae omnia, mandante ipsa Sac. Congregatione, ego Illust. Do-

a minationi Vestrae scripsi, Deum precatus, ut eandem quam diutissime incolumem tueatur. Romae die 26. Novemb. 1602. Dignabitur etiam Amplitudo Vestra Illustriss. operam dare, ut Praelatis inferioris ordinis exemptis seu nullius Dioecesis, si qui sint in sua Provincia, innotescat Decretum hisce literis inclusum, tum etiam haec reliqua, quae ei scribuntur super casuum reservatione.

Illustriss. et Reverendiss. Dominationis Vestrae
Humillimus Servus
Alex. Card. Floren.

XVII. Instructio pro Ordinandis in Civitate et Dioecesi Neapolitana

In Concilio vero Provinciali unanimi Patrum consensu per universam Provinciam recepta.

Ad Tit. 3. Synod. Const. Cap. 7.

b §. I. *De vita et moribus Ordinandorum.*

1. Sic decet omnino, Clericos, in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus rebus nil nisi grave, moderatum ac Religione plenum prae se ferant: ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. *Trident. sess. 22. cap. 1. de Ref.* Ut autem Clericis ad ea, quae hic traduntur, media suggerantur, praefatis omnibus insinuatur sodalitium aliquod frequentare ex iis, quae uti perfectionis gymnasia Ecclesiastico spiritui atque Sacramentorum usui magis idonea reputantur. Quare minores Clerici post decimum quintum diem, post octavum vero in Sacris constituti Eucharistico pabulo reficiantur.

2. Praefecti Congregationum praedictarum, quae in Dioecesi pro Clericis hactenus habentur, sive quae hac de causa imposterum erigentur, a trimestri saltem distinctam Eminentissimo Domino Archiepiscopo in scriptis notitiam perferant super Ordinandorum ac etiam Presbyterorum praefatis Congregationibus assistentia.

c 3. In locis vero, in quibus Congregationes praefatas erigi impervium fuerit, Ordinandi, aliorum locorum Congregationibus non adscripti, Sacram Communionem ordine praemisso frequentent, quod pariformiter Parochi referre non deerunt.

§. II. *De munere Parochorum aliorumque, quibus commissum fuerit Ordinandorum vitam ac mores inquirere.*

1. Sac. Trident. Synodus *sess. 23. de Reform. cap. 5.* praecepit, ut ad ordines assumendi Episcopum adeant, qui Parocho aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, ut, nominibus ac desiderio eorum, qui volent promoveri, publice in Ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, aetate, moribus et vita a fide dignis diligenter inquirat, et literas testimoniales, ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsum Episcopum quamprimum transmittat.

2. Hinc singuli sciant, eos dumtaxat, qui laudabilis vitae testimonio digni fuerint, ad ordines evocandos, adeo ut Pontificalis Ritum, quo Praesul Populum interpellat dicens: *Si quis aliquid habet contra illos, pro Deo et propter Deum cum fiducia* d *exeat et dicat*, praeveniendo, fideles omnes in Domino commoneantur, ut, si quid promovendorum vitae dedecens quisque cognoverit, Eminentissimo Archiepiscopo aut Consultorum suorum, Congregationis nimirum pro Ordinandis, cuipiam referre minime gravetur, sciatque, referentes hujusmodi sub arctissimo secreti sigillo retinendos. Anonymis Epistolis nulla prorsus tribuetur fides. Parochi tandem, Vicarii Foranei aliive, quibus de Ordinandorum vita secreto perquirere commissum fuerit, ne sint nuda relatione contenti, quod nimirum ordinandus bonis moribus exornetur, verum ea, quae infrascribuntur, quo diligentius observent, inter Missarum solemnia festis diebus non continuis ter Populo denuncient (quod circa Tonsurandos et ad Subdiaconatum promovendos in Parochiali respective ac simul in Cathedrali Ecclesia fiat) tenore, ut sequitur, videlicet:

Si notifica, che, desiderando N. figlio di N. essere promosso nella prima ordinazione di N., se alcuno conoscesse imperfezioni notabili nella sua vita ò ne' suoi costumi contrarii alla purità ed honestà, dovuta allo stato Ecclesiastico, ò vero sapesse, che lui fusse colpevole di qualche delitto ò havesse qualch' altro impedimento canonico

ò fosse caricato di grandi debiti ò fosse obligato di render conto di qualche grande amministrazione, debba rivelarlo, ma che lo faccia non per altro fine, che per la gloria di Dio e per honore della sua Chiesa, senza odio ò malizia, e ricordarsi della condizione humana, nella quale tutti viviamo. Post quae subdet: *Questa è la prima publicazione, ò la seconda, ò la terza*[1].

3. Denuntiatio praemissa earundem Ecclesiarum valvis affigatur, et, si quid obstans relatum fuerit, Parochi epistola signata testentur, ut infra peculiarius indicabitur. Quinimmo Vicarii Foranei, Parochi aliive Commissarii diligenter ac distincte referant requisiti super capitibus infrascriptis.

4. An Ordinandus ab ordine postremum suscepto habitum clericalem ac tonsuram congruentem absque fuco vanitatis gestarit.

5. An erga majoribus ordinibus insignitos reverenter se gesserit.

6. An laudabili vita an potius improba pareat: an in plateis aut officinis vagari solitus, et an cum laxioris vitae hominibus conversetur.

7. An cum mulieribus cohabitet; et cujus aetatis illae sint, an consanguineae, et quo gradu, et an mulieres legere, scribere aut canere doceat.

8. An et qualiter Ecclesiae, cui fuit adscriptus, inserviat, et quatenus exerceatur.

9. An Ecclesias frequentet, maxime cum Sanctissimum expositum fuerit sive ad Infirmos defertur, aut processiones sive conciones habentur.

10. An et quatenus Parochos adiuvet in Doctrina Christiana aliisve sacris functionibus.

11. An Sacramentorum usum frequentet, et quoties in mense.

12. An solitus sit arma deferre aut Secularibus se immiscere, et quatenus: an ludis illicitis aut comoediis vacet sive intersit, et an licitis publice.

13. An laicorum servitio sit addictus, et an officio status Clericalis indigno.

14. Exaratae autem a Parocho aliove Commissario testimoniales ejusmodi literae, quae secretam et extrajudicialem informationem deferent super singulis ut supra quaesitis, eorumque propria manu subscriptae, clausae ac obsignatae ad Eminentissimum Archiepiscopum, ipsorum vel alterius personae fidelis, non autem ipsius Ordinandi opera dirigantur, ea desuper inscriptione: *Pro sacra ordinatione.*

15. Parocho aliive Commissario sub poena excommunicationis eidem Eminentissimo Domino reservatae interdicitur commissiones praedictas sive quid eas concernens alicui revelare: iique in Domino commonentur, ut in re tam gravi, quavis negligentia, fraude aut respectu posthabitis, munus commissum, qua opus est, charitate ac zelo perficere studeant, ne indignorum ordinationi ullatenus ad propriae salutis perniciem assentiri patiantur.

16. Satagent etiam Parochi super Ordinandorum in Parochia commorantium vita ac moribus vigilare: eos igitur moneant, obsecrent, increpent, ut ab evitandis declinent, hasque monitiones diligenter observent, ne deinceps ab Ordinibus retardentur, ni potius repellantur.

§. III. *De scientia Ordinandorum*

1. Nec moribus dumtaxat laudabilem, verum scientia praeditum esse Clericum oportet, ut proficue sui muneris partes explere valeat. Quare licet accurato prius examine initiandorum scientia perquiratur, attamen proderit media praecedenter apponere priusque scrutari, num Ordinandi comparandae doctrinae diligenter incumbant.

2. Ad Ordines ergo promovendi scholas ac studia eorum professioni congrua sedulo frequentent, nec in Dioecesi potissi-

[1] Addimus hic Latinam hujus edicti versionem: *Palam facimus quum N., filius N., in proxima ordinatione N promoveri cupiat, si quis graves in ejus vita imperfectiones vel, quod in ejus moribus puritati et honestati status ecclesiastici adversetur, cognoverit, vel eundem delictum aliquod patravisse vel magnopere aere alieno laborare vel ad rationem magnae alicujus administrationis reddendam obligari: sciat, se haec revelare debere; caveat vero, id alio consilio faciat quam divinae gloriae et ecclesiastici honoris causa, sine odio vel malitia. Meminerit etiam humanae, in qua omnes sumus, conditionis.*
Post quae subdet: *Haec est prima publicatio, vel secunda, vel tertia.*

a mum grave sit Parochis de Ordinandorum profectu eundem Eminentissimum Archiepiscopum tertio quoque mense et quo fuerit opportunius, certiorare.

3. Clerici Civitatis, qui intra annum ad Sacros Ordines promoveri poterunt, aliive Subdiaconi ac Diaconi omnes, legitime non impediti, Moralis Theologiae conferentiis, quae in Cathedrali Ecclesia certis diebus habentur, assistere procurent, ut, dum de tali assistentia testimonium afferent, utpote ad scientiam necessaria media eos elegisse constiterit, ad Ordines libentius assumantur.

4. Priusquam examen subeant Ordinandi, praemonuisse proderit, in quibus ii passim interrogari debeant, ut rectius desuper instruantur, et peculiariter forsan examinati promte respondeant.

5. Tonsurandi ac ad Minores Ordines promovendi legere ac scribere atque Doctrinam Christianam probe sciant, quinimmo et linguam latinam intelligant, ut Catechismum grammaticali sensu explanare valeant, ex quibus idoneitatis ad superiores Ordines indicium praebeant.

b 6. Ad Subdiaconatum promovendos, Divi Caroli exemplo, interrogari conveniet:

De Ordinum Minorum et Majorum differentia.
De Voto continentiae, quod Subdiaconatus Ordini conjunctum est.
De Sacramentorum etiam doctrina, saltem generatim.
De Rubricis et modo recitandi Officii Divini.

7. Ad Diaconatum promovendus ea, quae ad praefatum Ordinem spectant, optime calleat, necnon, ejusdem Divi Caroli exemplo, examini subjicietur:

De Sacramentorum doctrina et de aliqua idoneitate in Concionibus habendis.

8. Grave profecto scandalum foret, Subdiaconos, Diaconos ac Presbyteros Doctrinae Christianae ignorantia laborare, ut eam alios edocere nequirent; qui haec ergo ignoraverint in examine, sive generali sive peculiari, quae apprime sciri a Tonsurandis decretum est, prorsus a Majoribus Ordinibus excludentur.

9. Ad Presbyteratum promovendos diligentius perscrutari opus erit, num ea scientia polleant, qua satis erunt ad Populum edocendum ea, quae scire omnibus necessarium est ad salutem,
c ac Sacramenta ministranda, juxta Tridentini Decretum *sess. 23. cap. 14.*, ac etiam praecise ex iis quaerendum, juxta ejusdem Divi Caroli Instructionem:

Quid sit Missae Sacrificium?
Qui illius Sacrificii effectus?
Quae ejusdem partes?
Quae necessaria in eo sint?
Quae sacrarum vestium significationes?
Quae in eo Sacrificio offerendo requirantur?
Ubi et quando illud fieri non liceat?
De defectibus in Missa occurrentibus?
An Sacrae Confessionis aliquam peritiam habeant?
An doctrinam item teneant, qua Verbum Dei recte tractare concionemque habere possint?
An quae de re sacra, de Christianarum virtutum officii atque de omni re ad salutem necessaria apte Populum instruere atque docere possint.

10. Hinc etiam inquirendum, num Sanctorum scientia referti sint, ex qua vera idoneitas in excipiendis sacris ministeriis ex-
d ploretur; Gregorio admonente, qui ait *(Epist. 26. lib. 3.): Provideri debet, quales ordinentur, ut prius aspiciantur, si studium orationis*[1] *habuerunt.*

§. IV. *De Servitio Ecclesiarum.*

1. Ni Clericus Ecclesiae inserviat, nedum ad Sacros Ordines ascendere, quin, si Beneficium habeat, clericalibus franchitiis gaudere minime potest. Fraudibus tamen occurrendum est, quae hac in parte potissimum agnoscuntur: exinde

2. Minorum sive Majorum Ordinum Clerici hujus Neapolitanae Civitatis Ecclesiis, quibus respective fuerunt adscripti, tum pro Missarum solemnium celebratione tum quibuscumque sacris actionibus frequenter inserviant, tunc praecipue, cum Sanctissimum Sacramentum exponitur vel ad infirmos defertur, ac pueri Divinaeque legis expertes in fidei mysteriis instruuntur.

3. Qui vero Dioecesis fuerint, Dominicis ac festivis diebus

[1]* Al. *lectionis* (ep. 26. l. 4. Opp. Ed. Migne III, 696. A.).

Parochialibus aliisque, ut praefertur, inserviant, caeteraque singil- a
latim perficiant, quae de iis, qui in Civitate morantur, nuper edicta sunt.

4. Si quis autem Ecclesiae servitio deputabitur, cui non fuerat adscriptus, servitium praefatum, si laudabile fuerit, ei suffragetur, praecedente tamen Generalis Vicarii licentia.

5. Negligentes itidem nedum ab ordinibus excludentur, verum etiam juxta Sacrorum Canonum ac Tridentini rescriptum clericalibus franchitiis privandi erunt; eos enim fraudulenter extorquet, qui clericalem habitum deferens Ecclesiae servitium aspernatur.

6. Parochi aut Ecclesiarum Rectores, de praefati servitii testimonio requisiti, haud generalibus verbis testentur, Ordinandum Ecclesiae servitio vacasse, quin protinus exprimere debeant, quoties et quid in suis Ecclesiis egerint, et an laudabiliter ac modeste. Unde librum haec desuper conscribant, ex quo dumtaxat testificationes hujusmodi desumantur, nec omnino praefati graventur Clericorum hac in parte negligentiam Eminentissimo Domino interdum enunciare.

7. Quoniam vero praestitum Ecclesiis ministerium valde b
proficiet, ut Ordinandis quandoque Interstitia relaxentur: id igitur singulis innotescat, nullam unquam spem dispensationis ejusmodi iis, qui minus frequenter suis Ecclesiis inservient, suppetere: ex eo enim Ecclesiarum obsequio patebit, num pro eisdem quis utilis aut necessarius fuerit, ut ex lege Tridentini praescribitur. Nec unquam super praefatis interstitiis dispensabitur, ni Parochus aut Rector Ecclesiae, cui ordinandus inserviet, Jurejurando testetur causam necessitatis ac utilitatis Ecclesiae, propter quam ordinationem suam quispiam praestolatur.

8. Sed quoniam Ecclesiae servitium idcirco Clericis per Ecclesiasticas leges injungitur, ut potissimum ii sacris muneribus addicti Clericalis vitae virtutibus ac sacrarum caeremoniarum peritia decorentur, ut se idoneos altioribus officiis assumendis exhibeant: idcirco non solum simplex ejusmodi servitium a Clericis requiretur, quinimo, prout fuit eis in Edicto a die 21. Januarii 1692. injunctum, singuli tam ad primam Tonsuram sive Minores aut Sacros Ordines assumendi sive potius, ex quo vestem induerint clericalem, singulis Dominicis domum Sacerdotum Missionis frequentare studeant, ut et Missarum solemniis inter- c
sint, Sacram Communionem recipiant, Ecclesiasticarum functionum ac caeremoniarum usum addiscant, ac spirituales instructiones audiant, quod sub nullo praetextu intermittere audeant, usquedum fuerint ad Ordinem ipsum Presbyteratus evecti. Alias id minime aut saltem parum continuate prosequentes penitus ab suscipiendis Ordinibus excludentur. Idque constare debeat ex attestatione Superioris dictorum Sacerdotum quolibet semestri, nimirum Decembris ac Junii mensibus, (etiam si quis eo tempore ordinari non petat) per singulos ex praefatis ordinandis afferenda Secretario Congregationis pro Ordinandis, qui eas in libro peculiariter ad haec nuncupato distincte referat ac describat, ut Ordinationum tempore frequentium aut infrequentium notitia promtius habeatur.

§. V. *De Titulo sive Beneficii sive Patrimonii Ordinandorum.*

1. Sunt, qui variis artibus ac fallaciis ordinationum suarum titulos sive Beneficii sive Patrimonii simulare audent. Quod etsi diligentissime per Curiam Archiepiscopalem fuerit hactenus d
perquisitum, imposterum autem haec erunt peculiarius observanda.

2. Primo quidem frequenter Parochi et praecipue prope Ordinationum tempora promulgent Synodale decretum, quo moneantur omnes et singuli sive ad primam tonsuram sive ad Minores aut Sacros Ordines promovendi, ne ullo pacto falsum, fictum aut fiduciarium patrimonium exhibeant, alias ultra falsi criminis poenam ex eo tunc ipso facto exercitium eis in susceptis Ordinibus interdicitur, suspensione Eminentissimo Domino reservata, quae nunquam relaxabitur, nisi constituto reali Patrimonio. Constituentes vero et cooperantes sive consulentes et quomodolibet in his concurrentes in sententiam excommunicationis, latam ipso jure pariterque eidem Eminentissimo Domino reservatam, incurrent.

3. Dum titulus erit Beneficii, constet authentice: primo, de pacifica possessione; secundo, de quantitate annui reditus saltem aureorum triginta sex; tertio, de eorumdem perceptione; quarto, de oneribus annexis necne.

4. Ad titulum patrimonii constet pariformiter bonorum qualitas, cujus generis, et unde ad Ordinandum pervenerint. Stabilia vel emtiones super Arrendamenta, ut vulgo dicitur, et similia, si quae Ordinandis donata fuerint, regulariter non admittentur, nisi quae a Patre, Matre, Fratribus, Sororibus ac Patruis, qui filiis careant, provenire videantur. Quoad vero extraneorum donationes donatorum qualitas ac occurrentes circumstantiae in casibus peculiaribus attendentur.

5. Circa bona Ordinandis vendita sive donata constare debeat, an et quomodo donantis sive vendentis fuerint, idque per authenticam declarationem, et appareat, venditiones aut donationes sic antecedenter factas fuisse liberas ac perpetuas, nec reservato regressu aut jure quolibet super bonis ejusmodi venditis aut donatis, necnon sub alio quovis pacto; et insuper, ne aliud instrumentum sive scriptura venditioni aut donationi praedictis contraria penitus intercesserit.

6. Pro reditibus ex emtionibus super Arrendamentis praefatis aut cum bancis hujus Civitatis aut censibus et emtionibus annuorum redituum cum particularibus personis adducantur prius emtionum praefatarum instrumenta, necnon fides Ministrorum et Officialium ea administrantium, ac respective declarationes in forma probante ipsarum particularium personarum declarantium, tales emtiones patrimonio Ordinandi addictas iamdiu fore, atque quod nullatenus reemtiones fient sive pecuniarum restitutiones, nisi praecedente Curiae Archiepiscopalis assensu ad approbandam Patrimonii subrogationem.

7. Titulus ex emolumentis Ecclesiae receptitiae, cum Ordinandus ad Presbyteratum ascenderit, nullatenus admittatur, nisi juxta Sac. Congr. Conc. decretum eo interim tempore, a Subdiaconatu nimirum ad Presbyteratum, alius titulus sustentationis sufficiens assignatus fuerit.

8. In Ecclesiis Parochialibus ac pro iis, qui in Civitate sunt, etiam in Cathedrali, tribus Dominicis diebus sive alias festivis de praecepto, non continuis, cujuslibet ordinandi titulus materna lingua Populo denuncietur, modo ut sequitur, videlicet:

Si notifica, che NN. figlio di N. desiderando d' esser promosso a' Sacri Ordini, pretende di far approvare per suo Patrimonio v. g. una Masseria, etc.

Explicetur qualitas bonorum, et quomodo ad Ordinandum pervenerint.

Se alcuno sapesse, che i frutti, le proprietà ò vero l'heredità quì contenute non appartenessero à dett' Ordinando ò à quelli, che gliele donano, ò vero che questi terreni, heredità ò questi frutti siano hipotecati ò in altro modo obligati, in modo tale, che il detto Patrimonio non possa essere sicuro e non arrivi alla somma di trentasei docati di rendita annua, ò vero che in questo Patrimonio vi sia qualche supposizione ò falsità, sia obligato in coscienza di darne avviso sotto pena di scommunica. E si notifica, che quelli, che si rogano ò scrivono instrumenti, albarani ò altre scritture publiche ò private de Patrimonii, che eglino sappiano essere fittizii, ed altri, che con consigli, con l'opere, con le vendite, e con le donazioni cooperano à patrimonii fittizii, incorrano ipso facto nella scommunica riservata al Signor Cardinale Arcivescovo, conforme alla riservazione contenuta nelle Costituzioni Sinodali[1].

9. Ultra denunciationes praefatas earum notulae in Ecclesiis praedictis affigantur, ex quo si quid Parochi sciverint, praefatis Consultoribus deferatur.

10. Bona itidem aestimentur, et quinam reditus ex eis percipi valeant, deductis oneribus: haec autem aestimatio fiat coram Parocho, qui eam subscribat, ac simul quatuor Presbyteri Civi-

[1] Addimus hic Latinam hujus edicti versionem: *Palam facimus, N. N., filium N., qui ad Sacros Ordines promoveri cupit, velle, ut sibi veluti patrimonium approbetur v. g. praedium etc.* (Explicetur qualitas bonorum, et quomodo ad Ordinandum pervenerint.) *Si quis sciat, emolumenta, res vel haereditatem hujusmodi non esse ordinandi vel eorum, qui ipsi ea donent, vel haec praedia, haereditatem vel res esse oppignerata vel alio nomine ita obligata, ut patrimonium illud sit incertum, aut ejus reditus annuus ad summam triginta sex ducatorum non ascendat; vel etiam in hoc patrimonio constituendo subesse falsitatem aliquam dolumve: is ad haec indicanda sub excommunicationis poena obligatus sit. Praeterea palam facimus, eos, qui conficiunt vel scribunt instrumenta, apochas aut alia scripta, sive publica sive privata, de patrimoniis, quae falsa esse sciunt, et alios, qui consilio vel opere vel venditionibus vel donationibus ad patrimonia fingenda cooperantur, excommunicationem, Domino Cardinali Archiepiscopo reservatam secundum reservationem, quae in constitutionibus synodalibus continetur, ipso facto incurrere.*

tatis aut Dioecesis respective aut alias viciniores Dioecesani, iis a
deficientibus.

11. Registrum titulorum apud Actorum Magistrum Curiae Archiepiscopalis retineatur, ad quod ea omnia nuper ordinata referantur: necnon ipse Actorum Magister in testimonialibus literis Subdiaconatus expresse declaret titulum sive Beneficii sive Patrimonii: Archivarius vero instrumenta ac scripturas ejusmodi titulos concernentia peculiariter inscripta et volumine colligata conservet.

§. VI. ***Monita Ordinandis, dum ad Ordines instabunt promoveri.***

1. Quicumque ad Ordines promoveri desiderat, suum prius adeat Confessarium, a quo id consulendum erit, quod assumendi muneris gravitati suique poenitentis profectui magis in Domino visum fuerit expediens: enixe autem Confessarii omnes monentur, ut de consilio requisiti ea, qua decet licetque, officii sinceritate Ordinandi prius idoneitatem, vitam ac mores inspiciant, et anne juxta Pontificalis monitum Coelestis sapientia, probi mores et diuturna justitiae observatio ipsum commendent, cum potissimum
a Subdiaconatus ordine amplius non liceat a proposito resilire. b
Quinimmo, quos Clericatus honorem humano affectu perquirere atque tantis oneribus impares noverint, optime sciant a meditato proposito revocare, ne propter indignae promotionis consilium et ipsi de Ordinatorum flagitio participes fiant.

2. Statu Clericali, sicut praefertur, electo, cum decentibus habitu ac tonsura ad Eminentiss. Archiepisc. personaliter Ordinandus accedat duobus saltem mensibus, priusquam Ordinationis tempus adveniat. Supplicem exponat libellum, ubi suum conscribat nomen, cognomen, Parentem, locum, Parochiam, domum ac Parochias, quas prius incoluerit.

3. Clericus Ecclesiam, cui fuerit adscriptus, explicet, sua studia et studiorum loca ac Magistros. Quodsi super interstitiis dispensationem exquiret, tempus ab Ordine demum suscepto ac causas, necnon Parochi sive Rectoris, ut praescriptum est, eas desuper testimonium omnino producat.

4. Cum rescriptum exceperit ad secretam Congregationem directum, Consultores adeat, ut juxta gravissimum Divi Caroli monitum, *ejus vultus, habitus corporis et vestitus et incessus et gestus et sermo diligenter inspiciatur.* c

5. Monuit itidem Ordinantes Gregorius *(lib. 4. Epist. 55.)* oportere, ut neque per commodum neque per gratiam aut quorundam supplicationem aliqui ad Sacros Ordines permittantur adduci; nam et peccatum grave est, inquit, et sine correctione hoc non patitur remanere. Quare Congregationis praefatae Consultores omnes ejusmodi commendationes abrumpant, ut in re tanti momenti haec humanitatis officia penitus absint. Quinimmo Ordinandi eas aucupantes ab ordinibus ea sola de causa, veluti meritis inopes, retardentur. Nec profecto sincera fide dignorum testimonia de Ordinandorum qualitatibus respuere debent, dum ea ex domus Dei zelo noverint processisse.

§. VII. ***Requisita ad Primam Tonsuram, Minores ac Majores Ordines ab Ordinandis exhibenda in forma probante.***

Ad Primam Tonsuram.

1. Fides Baptismi, ut constet de legitima aetate.
2. Confirmationis.
3. Matrimonii Parentum, ut legitimi natales appareant. d
4. Perquisitionis Curiae Laicalis, dum Ordinandus annum decimum quartum attigerit.
5. Bonae vitae ac morum et frequentiae exercitiorum in domo Missionis.
6. Frequentiae scholae aut studii.
7. Fratrum viventium, et quis eorum sit major.
8. Publicationum in propria Parochia et Cathedrali.
9. Titulus Beneficii aut Patrimonii aureorum triginta sex.
10. Ecclesiae servitium, cui fuit adscriptus, postquam cum debita licentia vestes clericales assumserit, ut sic suum quodammodo ad Ecclesiasticam vitam tyrocinium expleat, quod servitium Parochi sive Rectores, ut alias fuit indictum, accurate testentur, quorum erit etiam super tyronum ejusmodi vita et moribus vigilare.

Ad Ordines Minores.

1. Perquisitio Curiae Archiepiscopalis.
2. Literae testimoniales collationis primae Tonsurae.

3. Fides servitii Ecclesiae.
4. Studii, ut supra.
5. Publicationum in propria Parochia.
6. Frequentiae Sacramentorum et domus Missionis.
7. Bonae vitae ac morum.
8. Doctrinae Christianae vacasse, Parochos in rudium instructione coadjuvando.

Ad Subdiaconatus Ordinem.

1. Perquisitio Curiae Archiepiscopalis.
2. Fides Baptismi, ut constet de anno 22. incepto.
3. Servitii in Divinis.
4. Studii.
5. Frequentiae Sacramentorum et domus Missionis.
6. Bonae vitae ac morum.
7. Publicationum in Cathedrali et propria Parochia.
8. Titulus Beneficii aut Patrimonii.
9. Literae collationis Acolytatus.
10. Doctrinae Christianae, ut supra.

Ad Diaconatus Ordinem.

1. Fides Baptismi, ut constet de anno 23. incepto.
2. Literae collationis Subdiaconatus.
3. Fides publicationum in propria Parochia et Cathedrali.
4. Perquisitionis Curiae Archiepiscopalis.
5. Servitii in Divinis.
6. Frequentiae Sacramentorum et ut supra.
7. Perceptio fructuum Patrimonii.
8. Doctrinae Christianae, ut supra.

Ad Presbyteratus Ordinem.

1. Fides Baptismi, ut constet de anno 25. incepto.
2. Literae collationis Diaconatus.

Caetera requisita, prout supra ad Ordinem Diaconatus.

1. Ad Sacros Ordines promovendi et jam per examen approbati domum Patrum Missionis in Suburbio Virginum adeant, ut ibi spiritualibus exercitiis vacent per decem dies, ab externorum colloquiis alieni, nisi de licentia Superioris domus praedictae, necessitate urgente, cum aliquo loqui permissum fuerit. Inibi sacris functionibus, qua decet animi promtitudine ac modestia, alacrius incumbant. Quinimmo Superioris praefati alteriusve Praesidentis conscientiae injunctum sit, de Ordinandorum actionibus exercitiorum tempore Eminentissimum Dominum certiorare, ut inobservantes aut immodesti nedum corrigantur, verum et ab Ordinibus repellantur.

2. Praesens igitur Instructio in Ecclesia Cathedrali sive Parochialibus aut, quibus tradita fuerit, affixa patenti decentique loco remaneat, et a Vicariis Foraneis ac Patribus Missionis praedictae publice pro Ordinandis sive exercitantibus habeatur.

3. Haec tandem sunt, quae ad Ordinandos diriguntur, ut munerum, ad quae festinare contendunt, optime memores, Sacerdotalibus etiam virtutibus exornentur, ut super ipsos Episcopalibus precibus ac ministerio Spiritus Sanctus de Coelo descendat, nec Praesul de eorum provectione nec ipsi de tanti officii susceptione damnari a Domino, sed remunerari potius mereantur. Quod ipse Dominus concedat per gratiam suam.

Quae pertinent ad Ordinatos ab alienis Episcopis sub emendicato titulo, provide declarata et disposita sunt in Constitutione SS. Domini relata post cap. 7. tit. 3.

Regulae Congregationis pro Ordinandis.

Licet pro Ordinandis ab anno 1680. plenior emanaverit Instructio, attamen, ut eadem alacrius recolatur, necessarium apprime erit, cooperatores hinc Praesularibus operibus adjungere, cum id praecipue Tridentina Synodus ordinarit, quae sess. 23. cap. 7. de Reform. sic habuit: *Episcopus autem, Sacerdotibus et aliis prudentibus viris, peritis Divinae legis ac in Ecclesiasticis functionibus exercitatis, sibi adscitis, Ordinandorum genus, personam, aetatem, institutionem, mores et fidem diligenter investiget et examinet.* Undo his adhaerendo ad hanc discretionis arduitatem Eminentiss. Dom. fel. rec. Innicus Card. Caracciolus Archiepiscopus Presbyteros nonnullos in doctrina, prudentia ac sacra-

rum functionum peritia confirmatos in unum collegit sub nomine a Congregationis Secretae Ordinandorum, eisque, quorum potissimum foret instructionum praemissarum observantiam promovere, velut Coadiutoribus eaque in re specialibus Consultoribus, opus fuit Regulas ordinare.

De Officio Canonici Secretarii Sac. Ordinat.

1. Ad Congregationis Canonicum Secretarium peculiariter designatum pertineat, memorialia, quae fuerint eidem directa in Congregatione proponenda, inter Consultores aequa serie partiri, Ponentem cuique deputando, parte tamen sibi retenta. Is igitur in libello Ponentes distributos notabit, et quot quosve cuiquam ex Consultoribus Ordinandos in Congregatione proponendos dimiserit, et quinam ad inquirendum, ut infra, Consultores deputentur.

2. Praeterea Ordinandis insinuet, ut suum quisque Ponentem adeat duosque Consultores, deputatos ad Ordinandi mores ac vitam caeteris indicandam.

3. Exhibitis Secretario memorialibus in Congregatione pro- b ponendis, valeat ipse, forma jam Typis tradita, Parochis respective committere, consuetas publicationes fieri, quarum testimoniales epistolas, dum acceperit, Ponentibus respective tradere debeat.

4. Postquam sufficienti numero memorialia distributa fuerint, post tempus aliquod, requisitorum receptioni concessum, ipse praeparatoriam Congregationem recolligat statae horae, diei ac loci opportunitate, idque repetat, quousque necessarium fuerit. Congressus ejusmodi per octiduum saltem ante examen generale terminentur, ut requisitum aliquod forte deficiens suppleri aut refici valeat. Quae vero memorialia posthaec perlata fuerint, cum eis recognoscendis tempus ultra non suppetat, proximae sequentis Ordinationis congressibus reserventur.

5. Discussis ac bene probatis in Congregatione praeparatoria Ordinandorum requisitis, Secretarius in peculiari libro, cui titulus: *Resolutiones Secretae Congregationis Ordinandorum*, nomina promovendorum notabit, quorum requisita jam in Congregatione praefata recognita, examinata et admissa fuerint, ita ut in alia, coram Eminentissimo Domino (cum a Secretario de discussionibus c ejusmodi peractis certioratus fuerit) demum habenda, ea omnia referri valeant. Quod ergo pro singulis decernetur, juxta distinctas Ponentium classes praefatis nominibus Secretarius item adscribet.

De Officio Consultorum.

1. Consultores electi atque Ordinandorum Congregationi praepositi sedulo recolant, quale ministerium eorum discretioni tradatur; nil enim Praesulatui Ecclesiastico gravius vel magis intimum quam libram sanctuarii commendare eorumque examen committere, qui tandem, virtute ex alto tributa, Divinis muneribus decorentur. Caveant ergo, ne unquam humanitate aut saltem negligentia traducti, suis minime conscientiis consulentes, viros tot charismatibus impares aut indignos in duces Populorum, Medicos animarum, nec sanguinis Hircorum aut Vitulorum aut veterum hostiarum, sed Agni immaculati sacrificos ac mysteriorum Dei dispensatores inaugurandos exponant.

2. Ponentes advertant, num supplices libelli ad formam d Instructionis ejusmodi fuerint exhibiti, alias eos corrigi mandent: ex adjiciendis enim notitiis circa secreto pervestigandam Ordinandorum vitam ac Patrimonium aliasve qualitates lumen habebunt.

3. Pro dispensationibus interstitiorum, si quando petuntur, causas exprimi faciant ac testificationes adduci, de quibus in Instructione latius.

4. Ordinandis injungant, ut duos Consultores collegas adeant, ut agnoscantur modo, quo supra.

5. Diligenter advertant, ut fides expositae contineant accurate tempus ac vices, prout in Instructione peculiarius traditur, eamque semper prae oculis habeant, et praecipue monita de vita et moribus observentur.

6. Si ex perquisitione laicalis sive Curiae Archiepiscopalis constabit, Ordinandum fuisse alias inquisitum, etsi ab Judicio absolutum, id Ponentes sive Consultores peculiariter enunciare debeant cum nota temporis ac facti, ut Ordinandi vita ex praeteritis actionibus elucescat.

7. Consultores praefatos haud contentos esse sufficiat patentibus, quae adducuntur, testificationibus, verum ut secreto ac extrajudicialiter super omnibus ac singulis prudenter a fide dignis nec de veritate aut affectione sive fraude suspectis inquirant, ab eis nimirum, qui ordinandi educationem et mores optime noverint.

8. Tempus insuper agnoscant, ex quo Ordinandus, qui se prius laxiori vitae tradiderat, a malo declinans emendationem vitae resumserit, et in ea quatenus et quantum perseveranter se gesserit, num, secularis vitae maculis obliteratis, novum hominem induerit ac virtutibus imbui coeperit.

9. Passim Ordinandos, praecipue tonsurandos, interrogent, num sufficienti doctrina ac scientiae Sanctorum exercitio confirmentur, ut, si quos insipientes aut ignorantes manifeste cognoverint, eos, Eminentissimo Domino certiorato, antequam fiat examen generale, a suscipiendis Ordinibus valeant reprobare.

10. Secreto ac fideliter informatus Consultor sibi commissos Ordinandos distribuat ac distincte accurateque referre studeat requisita ab Ordinandis praesentata, necnon ea, quae per industriam suam Consultor ipse quaesierit, et a quibusnam ea sciverit, cum circumstantiis omnibus, quae ad rem facere ad formam Instructionis ac praesentium Regularum atque referenda putaverit; etsi relatorum nomina contra Ordinandum, quae poterunt oretenus enunciari, in ea exarata relatione reticeri quandoque congruum erit. Quae autem in praeparatoria Congregatione retulerit, sic efformatis relationibus, Congregationi coram Eminentissimo Domino habendae modo, quo sequitur, denuo referet, ac etiam ex eo, quod caeteri Consultores addiderint, confirmentur.

De Congregatione Praeparatoria.

1. Receptis ac examinatis requisitis, ac relationibus, ut supra, formatis, Congregatio praeparatoria convocabitur, in qua singuli Ponentes referent Ordinandorum qualitates ad Instructionis tenorem et juxta partitionem eis ante tributam. Quodsi requisitum aliquod ex patentibus desit, juxta Congregationis judicium suppleatur, in quo Ponentes suos admoneant Ordinandos. Si autem secretae informationes deficient, plenius adhibeantur, ut Eminentissimus Dominus in Congregatione postrema de singulis uberius certioretur.

2. Si requisitum aliquod ex causa deerit, specialiter adnotetur, ut in eo vel, si opus erit, dispensetur, vel Instructionem servandam rescribatur, et is ea vice a promovendis secernatur, prout magis in Domino visum fuerit expediens.

3. In praeparatoriis Congregationibus Consultor quisque ea, quae prudenti zelo proponenda censebit, omnino referat ac proponat eaque maxime, quae Instructionis ac Regularum praesentium executionem plenius valeant promovere.

De Congregatione coram Eminentissimo Domino habenda.

1. Postquam requisita discussa riteque probata in Praeparatoria fuerint, ac votum Congregationis accesserit ea Eminentissimo Domino referendi: Congregatio habebitur, in qua Ponens quisque suas relationes, mature digestas propriaque manu subscriptas, deferat in Congregatione legendas. Methodus erit: Incipiet quis ex Ponentibus primo referre de Subdiaconis, secundo de Diaconis, tertio de Presbyteris: ac subsequetur alter ac caeteri, eodem pariter ordine. Hisque peractis, idem, qui primus fuit, subsequetur de tonsurandis sibi commissis referre, itidemque caeteri subsequentur, sicque postremo de Minoribus Ordinibus fiet.

2. Praefatis relationibus habitis, auditisque Consultorum omnium votis eorumque praesertim, qui peculiariter ad informandum de singulis designati fuerint, attentisque omnibus, quae a caeteris Consultoribus pro quolibet subdere visum fuerit, matura consideratione praemissa, quos magis idoneos ipse Eminentissimus Dominus noverit, ea vice, reservato tamen super doctrinam examine, ad Ecclesiasticos Ordines eligere valeat.

3. Resolutiones tamen sic, ut praefertur, emanatas idem, qui supra, Secretarius registrabit atque eorum, qui admissi fuerint, notam perficiet, qua examini dirigantur. Memorialia tamen et requisita omnia ad Archivium deferantur de more. Relationes vero secretae quaecumque per Secretarium conserventur, ut, opportunitate cogente, perlegi valeat, quid jam fuerit alias discussum, tunc maxime, cum iidem Ordinandi ad superiores Ordines ascendere postulabunt.

Formula Juramenti Consultorum Congregationis Secretae pro Ordinandis Civitatis et Dioecesis Neapolitanae.

Ego NN., constitutus coram Eminentissimo et Reverendissimo Patre ac Domino D. Jacobo S. R. E. Cardinali Cantelmo Archiepiscopo Neapolitano, tactis per me Sacrosanctis Dei Evangeliis, juro et promitto, me fideliter gesturum munus et officium Consultoris in Congregatione secreta pro Ordinandis hujus Civitatis et Dioecesis Neapolitanae et non revelaturum verbo, scripto aut alio quovis modo suffragia vel suffragium ab aliis Consultoribus lata, nec mea a me lata vel ferenda, sive sint inclusiva sive exclusiva sive alterius cujuslibet generis, nec etiam suppressis nominibus illorum, qui ea tulerint, nec loquuturum nisi cum ejusdem Congregationis Consultoribus de iis, quae tam in Congregatione Praeparatoria quam in habenda coram praefato Eminentissimo Domino acta, dicta seu relata, mediate vel immediate, quocunque modo fuerint, exceptis resolutionibus captis, quas Eminentissimus Dominus jusserit vel Congregatio Praeparatoria censuerit ad notitiam Ordinandorum esse ducendas, nec nomina eorum revelaturum, a quibus relationes vel aliae notitiae quaecunque ore vel scriptis aut alio quocunque modo acceptae fuerint. Et omnia et singula praemissa juro et promitto sub perjurii et excommunicationis latae sententiae poenis, a quibus non nisi a dicto Eminentissimo Domino absolvi possim. Sic me Deus adjuvet et haec sancta Dei Evangelia.

Secretarius Sacrae Ordinationis addit.

Insuper Ego NN., Secretarius Sacrae Ordinationis, juro et promitto, me fideliter distributurum memorialia Ordinandorum, mihi a praefato Eminentissimo Domino directa et per me ad formam Regularum ejusdem Congregationis inter praefatos Consultores distribuenda, et nunquam ad libitum sive petitionem tacitam vel expressam Ordinandorum sive ad aliorum intercessionem ea transmissurum ad illos Consultores, quos iidem Ordinandi per se sive per alios, voce seu scripto, directe vel indirecte petierint, sed ut magis in Domino expedire censuero, illa distributurum. Sic me Deus adjuvet et haec sancta Dei Evangelia.

Quae in hac instructione pro Metropolitana Ecclesia praescribuntur, in tota etiam Provincia observanda esse, servata tamen uniuscujusque loci ratione, censuerunt Patres: prout habetur tit. 3. Synod. Const. cap. 7.

XVIII. Decreta Congregationis a Sanctissimo Domino Nostro specialiter deputatae super Moderatione Indultorum Suscipiendi Ordines Extra Tempora a Jure Statuta.

Innocentii XII. const. 103. *Sanctissimus Dominus noster.* d. 14. Dec. 1693.

XIX. Decretum circa promovendos ad Primam Tonsuram vel ad Minores Ordines in Regno Neapolitano.

Sacra Congregatio Cardinalium negotiis Jurisdictionalibus Regni Neapolitani praeposita, justis gravibusque adducta Causis, de S. D. N. Gregorii XV. speciali ordine vivae vocis oraculo desuper habito expresse praecipit et mandat omnibus et singulis ejusdem Regni Archiepiscopis et Episcopis et aliis inferioribus legitimam facultatem habentibus, ut, antequam ad primam Tonsuram sive ad Minores Ordines aliquem promoveant, Parocho seu alteri, cui magis expedire videbitur, committant, ut, nominibus et desiderio eorum, qui volunt promoveri, publice in Ecclesia propositis, de ipsorum Ordinandorum natalibus, aetate, moribus et vita a fide dignis diligenter inquirant, et literas testimoniales, ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsum committentem quam primum transmittant, ut tam ex his quam ex aliis ex S. Conc. Trid. praescripto in cap. 8. sess. 23. de Reform. adhibendis diligentiis sibi constet, promovendos illis qualitatibus esse praeditos, quae per Sac. Canones idemque Concilium requiruntur. Quod et observent in literis dimissoriis concedendis, in quibus exprimatur, praefatas diligentias praecessisse. Dictae autem literae dimissoriae uni tantum et certo Ordinario ad electionem concedentis in posterum dirigantur et, pluribus directae, nullae sint. Praedictaque vult inviolabiliter observari, donec aliud fuerit ordinatum. Si quis vero contra formam praesentis Decreti fuerit ad primam Tonsuram sive ad Minores Ordines promotus, ab executione collati et a susceptione superioris Ordinis perpetuo suspensus sit, et ulterius condignis poenis puniatur. Ordinans vero vel dimissorias concedens ultra Divinam ultionem, quam incurret, a collatione Ordinum per annum suspensus sit eo ipso. Praeterea iisdem Ordinariis enixe injungit, ut Decreta per Sacros Canones Sacrumque Concilium Tridentinum et Apostolicas Constitutiones quoad delationem habitus Clericalis et Tonsurae servitiumque Ecclesiae praestandum ita curent per hujusmodi Clericos observari et in eos, qui contrafecerint, statutis per ea poenis animadvertere, ut ipsi nequeant de damnabili circa haec negligentia redargui. Romae Decimo Kalendas Julii 1623.

Octavius Card. Bandinus.
Laurentius Campegius Secr.

XX. Instructio pro examine illorum Testium, qui inducuntur pro contrahendis matrimoniis, tam in Curia Eminentiss. et Reverendiss. D. Card. Urbis Vicarii, quam in aliis Curiis caeterorum Ordinariorum.

Ad Tit. 3. Synod. Const. Cap. 9.

Feria V. Die 21. Augusti 1670.

Cum alias. Const. 13. d. 30. Aug. 1670.

XXI. Decretum Sacrae Congreg. super Indulgentiis, quoad ingressum mulierum in Claustra Regularium.

Ad Tit. 5. Synod. Constit. Cap. 1.

Proposito dubio: *An verba Pontificii Brevis concedentis Indulgentiam omnibus utriusque sexus Christifidelibus, Cappellam intra Claustra Regularium sitam visitantibus, sic accipi possint, ut comprehendant Cappellam in ipso Dormitorio constructam,* Sacra Congregatio respondit: Minime illam comprehendere, nullamque tribui facultatem mulieribus ingrediendi Claustra.

Datum Romae die 2. Maji 1679.

A. Card. Homodeus.
Michael Angelus Riccius Sac. Congr. Secret.

XXII. Decretum Sacrae Congregationis circa Indulgentiarum Validitatem.

Cum a S. Congregatione Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita Cameracensis Archiepiscopus quaesivisset, quae vis et sententia Clausulae, quae hodie Brevibus Indulgentiarum apponi solet: *Volumus autem, ut, si alias Christifidelibus, dictam Ecclesiam qualibet anni die visitantibus, aliqua alia Indulgentia, perpetua vel ad tempus nondum elapsum duratura, concessa fuerit, praesentes literae nullae sint:* S. Congregatio, re diligentius examinata, Clausulam sic explicandam censuit, si videbitur Sanctissimo Domino Nostro: ea minime contineri Altaria privilegiata pro defunctis, neque Indulgentias aut certo personarum generi concessas, ut Confraternitati, Regularibus et Capitulo, aut certum pium opus in ipsa Ecclesia peragentibus, ut Litanias aliasve hujusmodi preces recitantibus ac iis, qui Christiana doctrina erudiuntur vel alios erudiunt, et qui Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti expositioni cum oratione quadraginta horarum intersunt, neque Stationum Urbis et septem Altarium Indulgentias instar septem Altarium Basilicae Vaticanae concessas, neque demum, quae pro unica vice conceduntur. Caeterum si alia Indulgentia, sive plenaria sive non plenaria, in perpetuum vel ad tempus, tum ab eodem tum ab alio Romano Pontifice generatim Christifidelibus, Ecclesiam vel aliquod ejus Altare seu Cappellam visitantibus eodem anni die vel diverso, concessa fuerit, de qua non fiat in literis Apostolicis mentio, has literas ob adiectam Clausulam esse prorsus irritas ac nullas. Datum die 23. Junii 1676.

De his autem facta relatione ad Sanctissimum Dominum Nostrum die 18. Martii 1677., sententiam Congregationis approbavit.

C. Cardinalis Maximus.
Michael Angelus Riccius Secret.

XXIII. Constitutio SS. D. Innocentii XII. super exemtione Archiepiscoporum, Episcoporum et Praelatorum inferiorum Regni Neapolis a Spoliis et fructibus inconsumtis et incommixtis suarum Ecclesiarum, ad Cameram Apostolicam hactenus spectantibus et deinceps in beneficium Ecclesiarum applicandis et erogandis.

Ad Tit. 6. Synod. Constit. Cap. 2.

Inscrutabili. Const. 33. d. 1. Febr. 1693. [vel potius 30. Jan. 1694.]

XXIV. Decretum Sacrae Congregationis Concilii super applicatione Sacrificii a Parochis.

Ad Tit. 9. Synod. Constit. Cap. 4.

IN LUCANA.

Cum praecepto Divino iis, quibus animarum cura commissa est, mandatum sit pro ovibus suis Sacrificium offerre, saepe alias Sac. Cong. Concilii censuit, Parochos teneri pro Parochianis Sacrificium applicare, atque ea cum distinctione, ut, si reditus pingues sint, singulis diebus, si vero tenues, saltem diebus festis. Idem nunc censet quoad Parochos istius Civitatis et Dioecesis, hoc insuper addens, ut detrectantes E. V. pro suo Pastorali zelo compellere non gravetur. Hanc Sac. Cong. sententiam Em. V. significo, eique manus humillime deosculor. Romae 10. Maji 1681.

Humillimus et Addictiss. Servus
F. Card. Columna.
Steph. Archiep. Brancacius S. C. Sec.

XXV. Literae S. Congregationis de habitu clericali.

* *Versio Latina ex Italico.*

Foris. Eminentissimo et Reverendissimo Domino Observandissimo, Domino Cardinali Cantelmo, Archiepiscopo Neapolitano.

Intus vero. Eminentissime et Reverendissime Domine Observandissime!

Il zelo Apostolico etc. Vult praeterea Sanctitas Sua, ut Eminentia Vestra prospiciat, ut, quaecumque ab eodem S. Concilio (sess. 23. c. 4. 5. 12. 16. de reform.) requiruntur et praescribuntur, Ordinandis insint, neque ii, quibus illa desunt, ad ordinationem admittantur; item, ut, quicumque ad primam tonsuram vel ordines minores sunt promoti, accurate, ut oportet, habitum et tonsuram deferant atque ecclesiae, cui adscripti sunt, inserviant. Huic officio si qui desint, Sanctitas Sua Eminentiae Vestrae mandat, ut, *servatis servandis,* conveniens tempus ad id exsequendum praestituat, poena privationis privilegiorum clericalium proposita; hoc vero tempore praeterito, si non obediverint, ut, pariter *servatis servandis,* eos iisdem privilegiis privatos declaret. Quodsi dein habitus aliquantulum resumatur, secundum ipsa legum canonicarum verba, nulla alia ratione habita, judicetur, num et quibus conditionibus id eis suffragetur. Et ne E. V. unquam impediatur, quominus, quaecumque hic praecipiuntur, exsequatur, Beatitudo Sua vult, ut de illis fraudibus et simulationibus in prima instantia secundum normam ejusdem S. Concilii (Cap. *Causae omnes.* de reform. sess. 24.) judicet, non obstantibus inhibitionibus, sibi factis vel a tribunali Auditoris Camerae praesentatis, quae censeantur oportet *effectum devolutivum* tantummodo, non *suspensivum* habere. Velit igitur E. V., ut ad sanctam mentem D. N. se conformet, haec omnia diligentia consueta exsequi etc. Et E. V. humiliter manus deosculor. Romae d. 14. Jun. a. 1698.

Eminentiae Vestrae Servus humillimus et addictissimus
G. Card. Mariscotti.
G. Vallemani Secretarius.

XXVI. Literae S. Congregationis Episcoporum et Regularium ex mandato Innocentii XI. de exercitiis spiritualibus peragendis conscriptae.

* *Versio Latina ex Italico.*

Foris. Eminentissimo et Reverendissimo Domino Observandissimo, Domino Cardinali Caracciolo Archiepiscopo Neapolitano.

a *Intus vero.* Eminentissime et Reverendissime Domine Observandissime!

Sanctitas Domini Nostri, quae paterna sollicitudine omnibus, quae ad certiorem animarum salutem conferre possunt, continuo intendit, et pro s. zelo suo cognovit, quantopere praevia ac devota spiritus recollectio sit necessaria, ut tam Ordinandi ad ordines suscipiendos, quam Christi sponsae ad habitum (Monialium) induendum et statum religiosum profitendum se digne praeparent: vult et praecipit, ut, quicumque ad ordines quum minores tum sacros promoveantur, per decem dies continuos ante ordinationem ad exercitia spiritualia peragenda se recipiant, prouti Ordinandis Romae praescriptum est constitutione 126. Alexandri VII. s. mem., quae incipit: *Apostolica sollicitudo;* et ut pariter, quaecumque in quocumque monasterio, etiam regularibus subjecto, Moniales fieri velint, per decem dies, antequam habitum suscipiant vel ad Novitiatum admittantur, ad exercitia illa spiritualia peragenda teneantur eademque, antequam ad professionem admittantur, per idem decem dierum spatium denuo instituant; easque, nisi sanctam hanc praeparationem adhibuerint,
b recipi Sanctitas Sua vetat. Cupit praeterea Beatitudo Sua, ut omni, qua fieri potest, diligentia, ratione vero suavi et prudenti prospiciat, ut moniales professae eadem exercitia, ad efficiendam spiritus renovationem ei, quae in sacris claustris inclusa perfectionis statum profiteri debet, tam necessariam, quotannis semel saltem per aliquod tempus, quamdiu opportunum videbitur, peragant. Velit E. V. mandatum tam sanctum B. S. diligenter exsequi; interea ejus manus humiliter deosculor. Romae 9. Oct. a. 1682.

E. V. Servus humillimus et devotissimus
C. Card. Facchenetti.
B. Panciatichi Secretarius.

XXVII. Declaratio Sacrae Congregationis Concilii Tridentini a Clemente Papa IX. approbata super accessu Regularium ad Monasteria Monialium.

Ad Tit. 2. Synod. Const. Cap. 1.

c

Die 11. Maji 1669. Sacra Congregatio Eminentissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, habita notitia, quod nonnulli Regulares absque licentia crates Monasteriorum Monialium adire et frequentare non dubitent, praetendentes, non esse interdictum per breve tempus, etiam usque ad quadrantem horae cum dimidio, quod horologio arenario aliquando metiuntur, Moniales aliasque personas intra clausuram existentes alloqui, et hanc opinionem tanquam tutam affirment, disseminent et forsan etiam scriptis evulgent, proprias graviter illaqueantes conscientias et scandala confoventes: ad hujusmodi perniciosos errores eliminandos opinionem praedictam improbans, rejiciens ac damnans declaravit, Regulares cujuscumque Ordinis, Militiae, Societatis, Congregationis et Instituti, etiam de quibus specialis mentio foret habenda, qui ad Monasteria Monialium, quamvis ab Ordinarii jurisdictione quomodolibet exemta et etiam ipsis Regularibus subjecta vel alias speciali mentione digna, absque legitima facultate accedunt, colloquendo etiam per quodcumque modicum temporis spatium cum Monialibus aut
d aliis intra clausuram degentibus, peccare mortaliter, eosque sub excommunicationis, privationis vocis activae et passivae, aliisque contra Regulares accedentes sine licentia ad Monasteria Monialium statutis poenis posse ab Ordinario tanquam Sedis Apostolicae delegato coerceri. Et die 7. Junii ejusdem anni, facta relatione Sanctissimo Domino Nostro, Sanctitas Sua praesentem declarationem approbavit ac Typis dari servarique jussit.

A. Card. Celsus Praefectus.
Loco † sigilli. *S. Brancacius Archiep. Adrianopolit. Sec.*

XXVIII. Spoletana Accessus ad Monasteria.

Etsi Sacra Congregatio Eminentissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum sub die 11. Maji 1669. aperte declaraverit, Regulares, qui ad Monasteria Monialium absque legitima facultate accedunt colloquendo etiam per quodcumque modicum temporis spatium cum Monialibus aut aliis intra clausuram degentibus, peccare mortaliter, hancque

declarationem Sanctissimus Dominus approbaverit ac Typis dari servarique jusserit; quia tamen nonnulli sunt, qui declarationem hujusmodi perperam interpretantes verumque sensum subvertentes, varia confingendo sophismata, asserunt, accedentes ad bonum finem non peccare mortaliter, et declarationem praefatam non obligare sub mortali contendunt: ad omnem tollendam dubietatem resolvendum:

Primo, An Regulares accedentes ad colloquendum cum Monialibus sine licentia Episcopi peccent mortaliter?

Secundo, An peccent mortaliter, saltem stante dicta declaratione Sac. Congregationis Concilii cum approbatione Sanctissimi?

Die 26. Novembris 1672. eadem Sacr. Congregatio ad utrumque respondit: *Affirmative, etiam si ex rationabili causa, quando non adest licentia,* etc.

P. Card. de Alteriis Praef.

Loco † sigilli. *S. Arch. Brancacius Ep. Vit. Secr.*

XXIX. Dubia super Collocutione Regularium cum Monialibus ad praedictum Decretum Sacrae Congregationis a Clemente IX. approbatum.

Edita vix lege, statim illam eludere malitia excogitat; non ita pridem emanavit generale Decretum arctissime prohibens colloquia Regularium cum Monialibus, quando jam super eo variae interpretationes confingi coeperunt, aliaeque nunc Bergomi suboriuntur: pro quarum resolutione supplicant Confessarii Monialium quaerendo:

1. An Regularibus, missis ad Crates Monialium pro munere praedicationis obeundo, prohibitum sit sub peccato mortali, censuris et poenis, etc. immediate post cum ipsis Monialibus absque expressa licentia ad colloquendum immiscere sermones cum quaestionibus vel dubiis spiritualibus aut materiis ipsius concionis?

2. An talis prohibitio intelligatur tam de collocutione cum aliquibus Monialibus quam cum una tantum (omnibus tamen aliis audientibus) immediate post concionem?

Die 21. Maji 1678. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum ad utrumque respondit: *Affirmative.*

XXX. Alexandri Papae VII. Constitutio determinans, quomodo et quando liceat Superioribus Regularibus Monialium earumque Confessoribus ingredi septa Monasterii et prope illud commorari.

Felici sacrarum. Const. 153. d. 20. Oct. 1664.

XXXI. Decretum pro Regularibus Ordinandis.

(Videatur Conc. Roman. a. 1725. t. 21. c. 2.)

a

XXXII. Decretum Sacrae Congregationis circa Monasteria Sanctimonialium Regularibus subjecta, ab Ordinario visitanda.

In causa Neapolitana Visitationis Monasterii Monialium S. Clarae sub cura et gubernio Fratrum Minorum strictioris Observantiae S. Francisci.

Sacra Congregatio Eminentissimorum et Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium, negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, censuit, quod, quatenus Moniales humiliter supplicent Eminentissimo Archiepiscopo, Eminentia sua dignetur suspendere interdictum in honorem proximarum Festivitatum Sanctissimi Paschatis per duos menses cum reincidentia, et interim deducantur hinc inde jura super meritis in eadem Sacra Congregatione. Fratres vero Vincentius a Montinosio, Guardianus Monasterii S. Clarae Neapolis, Joannes a Petra Sancta et Octavianus a Tridento, Confessarii dicti Monasterii, qui ingressi sunt idem Monasterium, ibidem supplicent Eminentissimo

b

Archiepiscopo, qui dignetur eos absolvere per duos menses in honorem Festivitatum cum reincidentia, ut supra. Quo vero ad alios Religiosos ob resistentiam factam Cursori Eminentia sua prosequatur processum. Romae 18. Martii 1694.

Et die 18. Martii 1694. facta per R. P. D. Secretarium de praemissis relatione SS. Domino Nostro, Sanctitas Sua praedictam resolutionem benigne approbavit et ulterius mandavit, supradictos Fratres, scilicet Guardianum et Confessarios, detineri loco carceris in Conventibus vel S. Petri in Monte Aureo vel S. Francisci ad Ripas Urbis, cum praecepto exinde non discedendi sine licentia Sanctitatis Suae, sub poenis privationis officii ac vocis activae et passivae.

Ita reperitur in Regesto autographo ejusdem Sacrae Congregationis. In quorum fidem, etc. Romae 20. Maji 1699.

Loco † sigilli.

N. Archiepiscopus Theat. Secretarius.

c

XXXIII. Aliud Decretum.

In causa Neapolitana, vertente inter Promotorem Fiscalem Curiae Archiepiscopalis ex una et Moniales Monasterii S. Clarae ejusdem Civitatis partibus ex altera de et super infrascripto dubio, nempe: *an Eminentissimus Archiepiscopus in visitatione dicti Monasterii exemti et curae Regularium strictioris observantiae S. Francisci subjecti, teneatur admittere Guardianum et Confessarios Regulares;* Sacra Congregatio Eminentissimorum et Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium, negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, ad quam Sanctissimus Dominus Noster ejusmodi causam benigne remisit, partibus auditis, referente Eminentissimo de Abdua, censuit ac declaravit, D. Eminentissimum Archiepiscopum in Visitatione clausurae praedicti Monasterii S. Clarae non teneri admittere Guardianum vel alios Regulares. Romae 21. Februarii 1695.

Ita reperitur in Regesto autographo ejusdem Sacrae Congregationis. In quorum fidem, etc. Romae hac die 20. Maji 1699.

N. Archiep. Theat. Secretarius.

CONCILIUM PROVINCIALE SIVE NATIONALE ALBANUM

Habitum Anno MDCCIII. Clemente XI. Pont. Max. Albano [1]).

DECRETUM

Sacrae Congregat. de Propag. Fide.

In Congregatione Generali habita die 18. Decembris 1703., referente R. P. D. Carolo Augustino Fabrono Secretario instantiam D. Archiepiscopi Antibarensis, Visitatoris Apostolici Albaniae, pro impressione Concilii Provincialis Albani, in visitatione praefatae Provinciae celebrati, Sacra Congregatio Eminentissimos Colloredum et Rubinum pro ejusdem Concilii revisione deputavit. In Congregatione vero habita die 28. Jan. 1704. iisdem Eminentissimis DD. referentibus, revisum ab ipsis praefatum Concilium dignumque inventum, quod typis mandetur, S. Congregatio eorumdem Eminentissimorum Dominorum sententiam probavit et impressionem ejusdem Concilii fieri jussit in lingua Latina et Albanensi typis et expensis ejusdem S. Congregationis. Datum ex Aedibus dictae S. Congregationis die 14. Septembris 1705.

Loco † sigilli. *C. A. Fabronus Secretarius.*

DECRETUM

Sac. Congreg. Generalis de Propag. Fide habitae die 31. Jan. 1803.

Cum exempla Concilii Provincialis Albani, quod celebratum fuit anno 1703., edita jussu Sac. hujus Congregationis anno 1706., jam paene defecerint, eaque ad Ecclesiasticam disciplinam in Epiri Ecclesiis conservandam et, si alicubi forte collapsa fuerit, instaurandam, valde conducere videantur: Sac. Congregatio, referente Eminentissimo ac Reverendissimo D. Cardinali Borgia Praefecto, censuit ac decrevit, eamdem Albanam Synodum typis ac sumptibus Sac. Congregationis iterum esse excudendam.

Datum ex Aedibus dictae Sac. Congregationis die 26. Martii 1803.

S. Card. Borgia Praef.

Loco † sigilli. *Dominicus Archiep. Myren. Secret.*

BEATISSIMO PATRI CLEMENTI UNDECIMO PONTIFICI MAXIMO

VINCENTIUS ZMAJEVICH Archiepiscopus Antibarensis

debitae subjectionis obsequium.

Jussisti, Beatissime Pater, ut Albanae Provinciae meae Apostolica visitatione Ecclesias lustrarem. Jussis parui, circuivi terram, perambulavi [2] universam, vidi contritiones ejus. Vidi, proh dolor! Principem quondam Provinciarum factam sub tributo [3], oppressam Dominam Gentium doloris amaritudine [4], abjectum clypeum fortium [5], murum olim et antemurale fortitudinis nostrae dissipatum [6]. Vidi Gentes ingressas Sanctuarium Dei [7], polluta Templa, profanata Altaria, vix locum, ubi Populus convenire possit ad solemnitatem. Vidi Senes ululantes, Sacerdotes ministros Domini lugentes, percussos Pastores, dispersas Oves in invio errantes, pestem immaniter grassantem in omnes et lue mortifera longe lateque debacchantem. Haec vidi et ingemui,

a conturbataque viscera mea super afflictionem Populi mei in ipsis naufragantium Filiorum calamitatibus discindebantur. Propterea, dixi, captivus ductus est Populus meus, quia non habuit scientiam. Tot misertus aerumnarum, tot immanis pressurae coactus angustiis, pro debito, pro viribus remedia non distuli; majora visitatione exposcebat necessitas nec patiebatur dilationem. Potissima in Provincialis sive Nationalis Concilii celebratione sita prospiciebam: huc vires, huc animum applicui, rem viribus majorem aggressus. At qui operatus est caeteris Confratribus, toto Christiano Orbe diffusis, operatus est et mihi inter Gentes [1]. Nulla Pastoralis officii sollicitudo, nulla ingenioli debilitas, sed, qui mutat tempora [2] et mores, quique incrementum dat, Deus [3] tantae molis negotium ad optatum finem perduxit. Tuis auspiciis, Beatissime Pater, exultans Albana Natio post diuturnam saeculorum revolutionem evigilat et, quae veluti obliviosa quadam diu jacuit involuta caligine, sub Albano Pontifice in lucem egressa ad aram pristinae felicitatis cursum laetabunda accelerat. Hanc Patriae felicitatem dum Patris mens, toto major Orbe, divina potissimum charitate gravida auguratur: veluti in exultantis cordis gratulationes, Albanae Nationis munera, Nationalis nempe sive
b Provincialis Synodi Decreta, ad Apostolicum Thronum, ad caelestis Cathedram sapientiae accedunt, ut, si forte quispiam ignorantiae error obrepserit, Tua sententia corrigatur [4]. Ego enim, si quid cum Albanis Patribus erravi, Petri magisterium corrigendus libenter adeo, nec opprobrium vereor retractationis [5]. Nihil namque proficiunt lucubrationes nostrae, nullius sunt ponderis Decreta, nisi Petrae stabilitati innitantur ac, veluti ad Lydium probata lapidem, infallibili auctoritatis Tuae Oraculo comprobentur. Excipe igitur, Beatissime Pater, Albanae Nationis meae, imo Tuae potius vota, submissionis obsequia, laetitiae argumenta. Quae puncto, quae lima digna sint, ex immaculata Sacratissimi judicii censura decerne: parva quippe munuscula, nostrae haud dissona paupertati, ex certissimo Divini Consilii Tui calculo in maxima coalescent. Interim Ego cum caeteris Confratribus meis et Albano Populo universo, communibus votis Deum deprecor, ut Te Albanum Pontificem Maximum diu Ecclesiae nobisque incolumem servet ac felicibus semper foecundet et provehat incrementis. Datum Perasti die 10. Julii anno Domini MDCCIII.

LITTERAE

c *Indictionis Concilii Provincialis sive Nationalis.*

Vincentius Zmajevich, Dei et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus Antibarensis, Dioclensis, totius Regni Serviae Primas, Visitator Apostolicus Albaniae, Reverendissimis Fratribus, Archiepiscopis, Episcopis et universo Clero Serviae et Albaniae salutem in eo, qui est vera salus.

Tertius jam Mensis evolvitur, ex quo Apostolicae onus visitationis, humeris nostris, licet imparibus, impositum, obeuntes, per Castella, per Vicos, per Rura, per Agrum Dominicum peregrinantes incedimus. In ipsa Vineae [6] Domini visitatione attento huc usque inspeximus examine, an floruisset electa, quam manus Dei plantavit, an positi Custodes in vineis [7] vineam Domini custodissent, ne converteretur in pravum. Corruptam, proh dolor! deploramus, confusam, in amaritudinem conversam, in desertum positam, vepribus, spinis et tribulis coopertam, non uvas, sed

---

[1] * In hujus Concilii decretis edendis sequimur editionem secundam Romanam, a. 1803. typis S. Congreg. de Propag. Fide factam; ejus tamen menda sollicite correximus, idque partim ex editione, quam Mansi in *Collectionis Conc. Supplemento* (t. VI. col. 215. seqq.) curavit.

[2] Job c. 2, 2. [3] Thren. 1, 1. [4] Thren. 1, 4. [5] 2. Reg. 1, 21. [6] Thren. 2, 8. [7] Thren. 1, 10.

[1] Ad Gal. 2, 8. [2] Dan. 2, 28. [3] 1. Cor. 3, 7.
[4] Aug. [Contra duas ep. Pel. Opp. Ed. Bened. X, 413. A.]
[5] Petr. Dam. de act. Mediol. [Opp. Ed. Migne II, 98. C.]
[6] Cant. 6, 10. [7] Cant. 1, 5.

labruscas producentem. Conculcavit illam quidem per filios diffidentiae antiquus ille Deo pariter et humano generi inimicus homo, qui in agri Dominici ubertatem saevissimis actus invidentiae stimulis, dum bona semina depravat, annosas quoque vineae plantationes evellere, Christianae vitis genimina corrumpere non desinit. Quid, Fratres, in tanta rerum perturbatione faciendum? An deplorandae sterilitati tempus terendum vel adhibendae fertilitati insudandum? Absit, ut segnes Agricolas desidiae torpor emolliat, quin immo vinearum cultores Divinus zeli ardor succendat. Ad culturam ergo, quam visitamus, vineae accedamus; tempestivae animadversionis sarculo suborientes veprium fibras praecidamus, ne, si diutius negligantur, fixis alte radicibus, extirpationem desperemus. Conciliorum celebrationi, non nostrae peregrinationis labori hic fructus, merces, beneficium reservatur, ut, nutantibus sacris legibus, ritibus, Fidei, pietati, religioni per plures Operarios plura adminicula irrogentur; Dominica sata, quae in mortem reclinantur, ad vitam revocentur, eademque, desolata vinea, ad frugem uberrimae fertilitatis adducantur. Immorandum non est in tanti ponderis negotio, mature tot malis occurrendum, ne tabes pestifera in majores dilatetur propagines. Quapropter, inspirante Deo mitiora Turcis consilia, et felicissimis Sanctissimi Domini Nostri *Clementis Papae XI.* auspiciis Divina favente clementia, ad laudem et gloriam Omnipotentis Dei, ad Fidei conservationem et propagationem, ad insolescentes mores et suppullulantes excessus comprimendos, in ipsa sede infidelitatis Fidei Thronum erigamus, et Provinciale sive Nationale in tanta curarum nostrarum mole Albanum Concilium sub *Albano Pontifice* Albani Patres celebremus. Felicitatis omen habemus; omnis ergo periculosa mora longe abigatur; nulla formido, nullus timor ac tremor a tanto negotio cunctantes deterreat; Divina res agitur; Deus ipse, qui nobis haec otia fecit, qui ex superabundanti infinitae miserationis thesauro Nostrae liberae visitationi supra spem omnem dedit esse, dabit etiam tam sancto operi et perficere. Vos itaque Reverendissimos Fratres Archiepiscopos invitamus, Episcopos nostros Suffraganeos caeterosque vinearum custodes praecipientes monemus, ut ad praefatam Provincialem sive Nationalem Synodum, quam (favente Deo) in Ecclesia Sancti Joannis Baptistae de Merchigne, Alexiensis Dioecesis, Dominica secunda post Epiphaniam celebraturi nunc primo denunciamus et indicimus, sub Divini obtestatione judicii, omni prorogatione rejecta, omni secluso excusationis (nisi qui legitimus fuerit et per ipsum Concilium approbandus) praetextu, die praestituta nobiscum accedatis, conjunctis animis communibusque studiis, Spiritu Sancto auctore et Duce, vineae Domini elaboraturi ubertatem. Illud tamen potissimum rogamus omnes ac praecipimus in Domino, ut, si quid animadversione et censura dignum nostrae visitationis diligentiam effugerit vel imposterum eludet, diligenti inquiratis examine, Concilio nostro exhibituri. In quorum fidem et testimonium praesentes litteras, manu propria subscriptas, sigillo nostro muniri jussimus. Datum Corbini die secunda Decembris 1702.

Vincentius Archiepiscopus Antibarensis.
Fr. Raymundus Gallani S. T. P. Ord. Praed. a secretis.

VINCENTII ZMAJEVICH,

Archiepiscopi Antibarensis, Visitatoris Apostolici

Ad Synodum cohortatio.

Tandem aliquando, Reverendissimi Fratres, post diuturnam saeculorum expectationem aperti sunt caeli, ut pluerent, et terra[1] germinavit laetitiam, jucunditatem et exultationem. In ipsa Babylonicae captivitatis servitute visitavit nos Oriens ex alto, qui mutat corda Principum et producit in lucem umbram mortis[2]. Divinae quippe miserationis consilio factum est, ut non amplius dispersos timidosque inviserem, sed subita dexterae excelsae mutatione[3] in unum collectos, veluti terribilem castrorum aciem ordinatam[4], inimicos nostros cornu ventilaturos[5], laetabundi cordis exultatione alloquerer. Saepe nimirum, ubi magis ex humana ratione diffiditur, illuc propensius superna clementia[6]

a subvenitur, et, ubi solatium desperavimus humanum, Divinum cernimus adesse praesidium. Jucundissimum quidem et omnium votis expetendum consessum dum hodierna dies aperit, pastoralis officii libertatem et omnibus salutarem liberae jurisdictionis nobis elaborat felicitatem. Adeste igitur, charissimi Fratres; nec volentis aut currentis, sed miserentis Dei dona omnes sollicita prosequentes cooperatione, haec cogitemus, haec moliamur, ut, Divino Spiritu duce, labentem Ecclesiae nostrae statum pro viribus in integrum restituamus. Aperta Provinciarum vulnera Medicorum expetunt medelam, et, qui per male sanas curationes in mortem reclinati languescunt, vitae subsidium nostris auxiliis non desperant. Tumentis Oceani procella et frementis inferni tempestas valida nostris finibus incumbit, adeo ut electi quoque in errorem videantur induci. Multi naufragarunt a Fide[1], humanae adinventionis absorpti vorticibus; plures iisdem undis jactati, iisdem fluctibus agitati naufragium timent; omnes, in vitae discrimine constituti, protendunt ad nos manus, inter singultus et lachrymas opem nostram implorantes. Eruamus eos,
b qui trahuntur ad mortem, et, qui ducuntur ad interitum, liberare non cessemus[2], naviculam ipsam vi procellarum debilitatam et afflictatam reficientes ad optatissimum salutis portum reducamus. Deserta jacet sanctificatio, profanata Altaria; Sacerdotes, Ministri Dei, animarum Pastores, traditi in opprobrium et indignationem furoris Domini, non tam temporis injuria quam nostra omnium culpa dum ab illa celsitudinis suae ratione degenerant, a nobis expetunt restaurandae dignitatis beneficium. Ascendamus ergo mundare sacra et renovare[3]: eademque pastorali vigilantia solliciti, quod periit, requiramus; quod abjectum est, reducamus; quod confractum est, alligemus; quod infirmum est, consolidemus; quod pingue et forte, custodiamus[4]. Huc spectat hic Ordinis Ecclesiastici congressus, miserentis Dei benignitate saluberrimus, vestra sapientia, charitate et praesentia optatissimus, loci et temporis qualitate, paene dixerim, insperatus. Hoc tempore acceptabili a saeculis inaudito, hoc die salutis[5], quem fecit Dominus in terra nostra, nostrorum, Fratres, obliti, aliena appetamus; hic omnis spiritualis Praefecturae finis est, ait Nazianzenus, ut, propria utilitate neglecta, aliorum commodis inser-
c viamus. Exultemus ergo, dilectissimi, et sanctificationem nostram desertam ad aliorum aedificationem lactantes in Domino sanctificemus. Omnibus debitores: viam salutis aperire, Fidei regulas tradere, collapsam morum disciplinam restituere, non, quae nostra sunt, sed, quae Jesu Christi, quaerere aggrediamur, quod verbo docemus, opere complentes. Exigit hoc pastoralis ratio officii. Postulat miseranda Provinciarum facies. Expectat *Clemens Pont. Max.*, sub cujus felicissimis auspiciis haec felicitatis nostrae semel nata exordia nova in dies luce clarescent, validioribus vegetanda incrementis. A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris[6], ut, quem singulari Dei beneficio Provincia nostra filium quondam suspicere gaudebat, uberiori modo beneficentiae genere, Divina indulgente clementia, ad spem majorem erecta, Patrem venerari laetabunda glorietur. Paternae zelo expectationis nostrae servitutis obsequia respondeant. Date, quaeso, ex Albanae Patriae peregrinatione proficiscenti, quos Albano Patri per Synodicas constitutiones, veluti in primitiales jubilantis cordis applausus, Pastoralis solicitudinis fructus uberrimos de-
d ferre possim. Dum tempus est, operemur bonum[7], dum locus datur respirandi, nostris aliorumque malis medeamur. Conjunctissimis animis hoc sentiamus, haec loquamur, haec agamus omnes, ut Ager Dominicus, nostris curis creditus, vepribus et spinis expurgatus, germinet herbam virentem, aeternae vitae fructibus foecundam. Quoniam vero sufficientes non sumus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra a Deo est[8], qui nos fecit ministros novi testamenti, ut in ejus lumine videamus lumen: a Patre luminum omne datum optimum et omne donum perfectum[9], in locum habitationis ejus ascendentes, imploremus; dumque mens interius magnitudinem beneficii, necessitatem auxilii supplex meditatur, in hanc exterius vocem supplicantis quoque linguae erumpat oratio.

(Veni Creator Spiritus etc.)

[1] Isaiae 5, 4. [2] Job 12, 22. [3] Psal. 76, 11.
[4] Cant. 6, 3. [5] Psal. 43, 6.
[6] Pet. Dam. [epist. 16. l. 7. Opp. Ed. Migne I, 456. B.]

[1] Matth. 24, 24. [2] Prov. 24, 11. [3] 1. Machab. 4, 36.
[4] Ezech. 34, 4. [5] 2. Cor. 6, 2. [6] Psal. 117, 23.
[7] Ad Gal. 6, 10. [8] 2. Cor. 3, 5. [9] Jacob. 1, 17.

DECRETA EDITA IN PROVINCIALI SIVE NATIONALI SYNODO ALBANA.

Nos Vincentius Zmajevich, Dei et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus Antibarensis, Dioclensis, totius Regni Serviae Primas, Visitator Apostolicus Albaniae, de Reverendissimorum DD. Coepiscoporum nostrorum caeterorumque, qui Albanae Synodo legitime intersunt, consilio et assensu, ad laudem et gloriam Omnipotentis Dei, Fidei conservandae propagationem et morum reformationem statuimus, decernimus et sancimus.

PARS I.

CAP. I. De Professione Fidei.

Cum Fides Catholica, quae in Sancta Romana Ecclesia, utpote fundata supra firmam aeternae veritatis petram, stabilis et incorrupta servatur, sit juxta Chrysostomum lumen animae, ostium vitae, fundamentum aeternae salutis, cunctarum radix virtutum et fons bonorum operum, ut propterea sine Fide impossibile sit placere Deo [1]: hinc ab ejusdem Fidei professione merito exordiendum esse duximus, ut, quae maxima unitate gaudet, omnem intellectum redigens in obsequium Christi [2], eandem una oris confessione ad praescriptam infra formam veneremur.

Ego N. firma Fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet:

Credo in unum Deum Patrem Omnipotentem, factorem Caeli et Terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia secula; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt; qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de Caelis, et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est; crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est; et resurrexit tertia die secundum Scripturas; et ascendit in Caelum, sedet ad dexteram Patris; et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos; cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit; qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur; qui locutus est per Prophetas. Et unam Sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum: et expecto resurrectionem mortuorum et vitam venturi seculi. Amen.

Apostolicas et Ecclesiasticas traditiones reliquas-

a que ejusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item Sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto: nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum, accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novae legis, a Jesu Christo Domino nostro instituta atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium; illaque gratiam conferre; et ex his Baptismum, Confirmationem et Or-
b dinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio et admitto.

Omnia et singula, quae de peccato originali et de justificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio.

Profiteor pariter, in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium Sacrificium pro vivis et defunctis: atque in Sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem una cum Anima et Divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiae
c Vini in sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat.

Fateor etiam, sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque Sacramentum sumi.

Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari; similiter et Sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias esse venerandas.

Firmissime assero imagines Christi ac Deiparae semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam potestatem, a Christo in

---

[1] Ad Heb. 11, 6. [2] 2. Cor. 10, 5.

Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano a populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco: Romanoque Pontifici, Beati Petri Apostolorum Principis Successori ac Jesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo [ac] juro.

Caetera item omnia a sacris canonibus [et] oecumenicis Conciliis ac praecipue a Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita et declarata indubitanter recipio atque profiteor: simulque contraria omnia atque haereses quascumque, ab Ecclesia damnatas et rejectas et anathematizatas, ego pariter damno, rejicio et anathematizo.

Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo b salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eandem integram et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime, Deo juvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem N. spondeo, voveo ac juro. Sic me Deus adjuvet et haec Sancta Dei Evangelia.

Hanc autem Fidei professionem, quam nos et Coepiscopi nostri, dum in ipsa celebratione sacrorum versaremur, jurati praestitimus, reliquis imposterum Conciliis in singulis Dioecesibus celebrandis, ab illis praesertim, quibus alios docendi munus injungitur, ad verbum sequendam injungimus. c

CAP. II. De Apostatis.

Non solum corde creditur ad justitiam, sed ore etiam confessio fit ad salutem [1]. Visibilis siquidem Christi Ecclesia, cum Civitate Hierusalem ab Isaia comparata, Monarchiae titulo a Daniele cohonestata, supra montium verticem a Domino collocata, juxta Augustinum abscondi non potest: nec Christi fideles tantum Fide et internis charismatibus, sed confessione Fidei et externa ac visibili Sacramentorum participatione membra Ecclesiae constituuntur. Hinc a veritate et religione aberrant, qui vel metu poenae vel temporalium bonorum allecti cupiditate, ut immunes fiant tributi Caesaris, denegant etiam, quae sunt Dei: d postquam enim naufragarunt a Fide et coram Turcarum Judice sistentes religionem Catholicam Deumque ipsum solemni sacrilego ritu ejurarunt, publice Turcarum more se gerunt; et alii quidem Moscheas, ut vocant, more patrio frequentant caeterisque ritibus Mahometicae sectae sunt inhaerentes; alii vero Turcica Templa declinantes, ab esu carnium sacro tempore jejunii non se abstinent, urgente illos infidelium praesentia; utrique porro, in abscondito tantum facta abjuratione coram fidelibus, secreta Sacramentorum participatione fruuntur, publice vero Turcarum more victitant et Turcicam sectam profitentur.

[1] Rom. 10, 10.

Ecclesiasticorum hominum inscitia tales pullularunt zizaniae in vinea Domini, quam ne vulpeculae parvulae demoliantur [1], et singularis Ferus succrescentem segetem depascatur [2], quibus cura animarum incumbit, serio injungimus, ne imposterum tales Apostatas ad Sacramentorum participationem recipiant, nisi, facta prius abjuratione, publice se more Christianorum gerant.

Discant omnes, praesertim Parochi, hanc Catholicae Fidei regulam, quam Sacrarum Scripturarum oracula Patrumque Orthodoxorum testimonia et Romanae Sedis infallibilis auctoritas vel ab ipsis Ecclesiae incunabulis confirmant. Archiepiscopos et Episcopos omnes sub Divini judicii indignatione in Domino hortamur, ut totis viribus in hanc curam incumbentes, greges sibi commissos ab hoc gravissimo morbo vindicent serioque animadvertant in Parochos, qui talem detestabilem licentiam dandi sacrum canibus [3] et projiciendi margaritas ante porcos [4] nova ac insolita execrandae consuetudinis methodo in caeterorum Christi fidelium perniciem exercent.

Patres quoque Missionarii Montana Albaniae incolentes, quo praecipue nefanda pestis irrepsit, curam omnem et diligentiam sedulo adhibeant, ut tanta lues, Christianum gregem corrumpens, longe abigatur, et novae monstrum haereseos Divinae veritatis gladio eorum praesertim opera juguletur.

CAP. III. De Christi fidelibus, qui, licet Fidem non ejurarunt, publice tamen Mahometicam sectam et secreto Christianam religionem profitentur.

In militanti Christi Ecclesia nulla debet esse macula criminis, nulla ruga simulationis, utpote quae descendit a Deo parata, sicut Sponsa ornata Viro suo [5], circumamicta monilibus aureis et gemmis pretiosis. Haec porro Ecclesiae ornamenta sunt virtutes credentium, qui in visibili Christi corpore tanquam partes et membra per visibilia externa munera componuntur, et quorum sana Fides, qua justus vivit, et per quam praecipue quis fidelis constituitur, integra et inviolata per externam professionem, quolibet simulationis seu fictionis semoto velamine, servari debet: ne deficiens in uno factus sit omnium reus, in hoc praesertim incumbendum est, velis remisque satagendum, ut nedum praefati Apostatae Sacramentorum participatione careant, donec resipiscant, sed etiam illi, qui, licet Turcico solemni ritu Fidem non ejurarunt, fingunt tamen, se a Christiana religione defecisse, adeoque in Turcarum consortio Turcico more vitam degunt, dies jejunio sacros esu carnium profanant et Mahometanis nominibus vocitantur; in congregatione tamen fidelium Christianos mores induunt et officia peragunt Christianorum. Deficientes quidem in publica et externa Fidei professione, merito ab externa et visibili Sacramentorum

[1] Cant. 2, 15. [2] Psal. 79, 14. [3] Matth. 15, 26.
[4] Matth. 7, 6. [5] Apoc. 21, 2.

communione excludi debent, donec ad meliorem frugem redeant et Fidem Christi publice profiteantur, quoties feret occasio. Haec Fidei documenta divina veritate innituntur, affirmante ipsomet Christo Domino: Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in Caelis est, et qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in Caelis est [1]. Hinc Augustinus: Quanta vita est confiteri Christum, tanta mors est negare Christum [2]. Omnibus igitur Archiepiscopis et Episcopis nostris totis in Christo visceribus commendamus, ut in securi et ascia radicitus excidendas curent arbores, quae in montem Domini incumbunt et in loca tutissima silvae Libani umbratiles ramos venefico virore imbutos protendunt.

CAP. IV. Per quid dignosci debent fideles ab infidelibus?

Ut autem imposterum Pastores animarum cautius agant, cum impossibile sit, Deo et Baali famulatum praestare, in Christi fidelibus nihil non sanctum ac religiosum veraeque Fidei protestativum tolerare debent. Deo igitur soli, cui servire regnare est, per externam et publicam Fidei confessionem sit devotus fidelis, adeo ut nihil Mahometicae sectae protestativum complectatur. In hoc cognoscant omnes, quod fideles sint et de mystico Christi corpore partes et membra, si externis Fidei characteribus fuerint signata. Tanta est enim hujus Fidei regulae apud Scripturas, Patres Orthodoxos atque universalis Ecclesiae consensum vis et auctoritas, ut, quicumque in hoc unico signo deficit, ab Ecclesia se divellat fiatque infidelis et infideli deterior [3]. Potest quidem a privata persona, quae omni caret auctoritate, de Fidei suae ratione tradenda interrogatus tacere et interrogantem silentio aliove licito praetextu eludere; at vero nulla ei ratio suffragatur, quominus sciscitanti Judici, publica auctoritate suffulto, tacere aut ambigue tergiversari queat; sed aperta Fidei confessione, instante quoque vitae periculo, respondere debet. Huic negotio omnium gravissimo, ex quo aeterna animae pernicies pendet, sedulam navent operam Pastores, ut segregando triticum a zizania, fideles in duas partes claudicare et duobus Dominis servire amplius non audeant nec praesumant. Serpet enim latius in diem lethalis morbus, et virosa propago ad infinita porrigetur, nisi Evangelica Pastorum falce, quod male pullulat, amputetur.

CAP. V. De Fidei rudimentis.

Speciosa Christi germina, a potestate tenebrarum eruta et in vineam Domini translata, deficiente Agricolarum diligentia, studio ac labore, et ingruente herbosa vitiorum colluvie, facili ratione in silvestres arbores, nullis aeternae vitae fructibus foecundas, degenerant. Prona siquidem adolescentium aetas ad malum

a facili quadam recti specie cito deluditur, si caeca rerum divinarum ignorantia obruitur. Ideo Parochis omnibus invigilandum est serioque curandum, ut Christianorum proles in viam mandatorum Domini dirigatur et a teneris usque annis in materno Ecclesiae gremio sub exuberantibus doctrinae uberibus confoveatur. Quapropter singulis Dominicis aliisque Festis diebus pueros in suis Parochiis pro suo eorumque modulo ante vel post Missarum solemnia pro majori fructu et commoditate Fidei rudimenta, obedientiam Deo et Parentibus ac Christianam morum honestatem edoceant. Et ne animarum curatores praetextu ignorantiae de Fidei mysteriis a necessitate officii eximantur, saltem Dominicam orationem, Angelicam salutationem, Apostolorum symbolum,
b nec non Decalogi Ecclesiaeque praecepta (ad quorum omnium scientiam provecti ad discretae cognitionis aetatem sub mortali obligantur peccato) pueris tradant et alta voce in eadem Ecclesia Christianam plebem erudiant iisdemque documentis informent, Sacrae Congregationis de Propaganda Fide charitatis viscera quam primum experturi in libellis Christianae doctrinae Bellarmini, Albano idiomate, quibus propriae et fidelium necessitati providere possint.

Quoniam vero, ingravescente Turcarum impietate, invaluit, proh dolor! abominatio desolationis in loco sancto Templorum Domini, quae vetustate collapsa et ruinis obruta, nequeunt prae timore aedificari, ideoque Parochi Parochialibus carent Ecclesiis, in quibus
c et sacra facere et Christianam plebem erudire possint: his nihilominus omnino praecipimus, nullo suffragante praetextu, ut, ubi Parochialia sacra Festis diebus obierint vel sub dio vel in privata domo, ibi quoque praefatis muneribus perfungantur.

Ut autem in hac pietatis semita pueri praesertim instructi ad salutare opus magis magisque in dies utilibus monitis inflammentur, Confessariorum munus sit Parentes hortari, ne desides et socordes ad praefata exercitia filios mittere negligant, justissimo Dei judicio aeternis cruciatibus rationem negligentiae reddituri. In hanc ergo curam toto pectore incumbant Parochi, ut segnes in via justitiae excitentur et saluberrima Christianae religionis rudimenta percipiant. Quodsi quis ex Parochis ipsis eodem animi languore
d laboraret, arbitrio Ordinarii puniatur.

CAP. VI. De Verbi Dei praedicatione.

Praestantissimum docendi munus saluberrima Verbi Dei praedicatione fulcitur. In hoc crediti nobis gregis securitas, et nostri juris praecipua fundatur auctoritas. Pastores etenim in pascuis uberrimis sanae doctrinae et montibus excelsis Romanae Ecclesiae aeternae vitae pabulo oves pascere [1], ab hostium impetu, a facie tribulantis, Divini Verbi gladio tueri debent, ut in velamento alarum Domini [2] Christianus grex constitutus, in odorem quoque unguentorum Domini [3] inoffenso pede

[1] Matth. 10, 32. 33.
[2] In Joan. tract. 36. [al. 67. Opp. Ed. Bened. III, 676. D.]
[3] 1. Tim. 5, 8.

[1] Ezech. 34, 14. [2] Psal. 62, 8. [3] Cant. 1, 3.

percurrat, et tanquam Divinae plantationis oliva, aqua a sapientiae irrigata in exuberantium germinum pullulet [1] propagines. Omnes igitur Archiepiscopos et Episcopos enixe in Domino hortamur, ut muneris sui onus agnoscentes, omnem laborem, studium et solicitudinem in eo adhibeant, ut populus gemens et quaerens panem, inveniat cibum ad refocillandam animam [2]. Pascant ergo fame morientem; quodsi non paverint, occiderunt. Quicumque vero levi de causa munus hoc obire neglexerit, sciat sibi praetermissi necessarii officii rationem Divinae justitiae esse reddendam.

Parochis quoque omnibus, et illis praesertim, quibus sanctae Sedis pietas, in Apostolicis Collegiis Alumnorum numero adscriptis, virtutum semina et incrementa ad Fidem propagandam contulit, praecipimus b et mandamus, ut solemnioribus et festivis diebus oves sibi demandatas pro sua earumque capacitate spiritualibus monitis pascant, vitia declinanda, virtutes amplectendas, aeternos cruciatus malis, sempiterna gaudia bonis praestolanda doceant; graviter Ordinarii arbitratu puniendi, qui praetermittant munus, ad quod peragendum pro temporum exigentia, qualitate et necessitate idonei reperiuntur.

Omnes porro animarum Pastores in Divini Verbi praedicatione illud potissimum prae oculis habeant, ut Apostatarum impietas, claudicantium vesana formido et certa pernicies ac in sola Catholica religione aeternae salutis securitas ob omnibus agnoscatur. Clament ergo et non cessent Pastores, et quasi tuba exaltent c vocem suam [3], annunciando populo scelera eorum, qui dereliquerunt legem Domini Dei sui et abierunt post concupiscentias carnis, nefandi Mahometici Idoli cultibus mancipati. Excitet segnes Divina indignatio, quam vox Domini per Ezechielem speculatoris figura comminatur: Quodsi speculator viderit gladium venientem, et non intonuerit buccina, et populus se non custodierit, veneritque gladius et tulerit de eis animam, ille quidem in iniquitate sua captus est; sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram [4].

CAP. VII. De Festorum Observantia.

Dies Divina festivitate venerabiles, ad celebrandas Dei [5] Sanctorumque laudes potissimum instituti, sunt d pie ac religiose transigendi, non in comessationibus et ebrietatibus, quibus nomen Domini profanatur, sed in orationibus, hymnis, psalmis et canticis spiritualibus, quibus sabbatum sanctificatur.

Romanae quoque Ecclesiae ritui in Festorum observantia Catholici nostri inhaerere debent, statuta solemnia statutis Romano more temporibus peragentes. Aberrant enim Fideles montana incolentes, qui nonnullas Sanctorum solemnitates, Calendarii Gregoriani relicta methodo, tantum Graecorum more et Calendario concelebrant, ne de impietate arguantur, qui antiquam

[1] Eccl. 50, 11. [2] Jer. Thr. 4, 4. [3] Isai. 58, 1. [4] Ezech. 33, 6.
[5] Lev. 23, 7.

sequuntur calculationem. Cum autem Deus optimus, qui maxima unitate gaudet, uno eodemque die a Christi militibus, qui Romanae militiae vexilla sequuntur, speciali obsequio ac devotione ad sui sanctorumque honorem sit colendus, ut sic ambulent omnes cum consensu [1] universalis Ecclesiae in domo Dei: ideo omnibus, qui animarum saluti incumbunt, ex consensu Fratrum nostrorum injungimus, ut pravam hujuscemodi consuetudinariam praxim, quae ex schismaticorum commercio et familiaritate irrepsit, prudentibus monitis ac salutaribus praeceptis tollendam curent, Romanosque ritus in Festorum celebratione ad unguem satagant exequendos.

Et ne ignorantiae praetextus alicui concedat peccandi licentiam, Parochus quolibet Dominico die imminentia Festa subsequentis hebdomadae inter Missarum solemnia populo annunciet, ut praeter uniuscujusque Dioecesis statutum ac devotionem, veneranda solemnia, quae salutem nobis augent, juxta ritum Sanctae Romanae Ecclesiae in Servia et Albania congruis honoribus et statutis temporibus celebrentur.

Quoniam vero in messi multa [2] Operarii pauci nequeunt in omni spirituali exultatione et abundantia metere, nec omnibus Christi fidelibus, longe inter se dissita loca sub uno eodemque Parocho incolentibus, datum est prae locorum distantia Missae sacrificio Festis diebus adesse, ne ex solemnitatum ignoratione et Festorum profanatione deficiat germen in vineis et ramus olivae fructiferae in domo Domini, futuris necessitatibus pro modulo nostro providentes, Parochis indicimus, ut saltem distantium locorum Dynastas, quibus curae erit reliquum admonere populum, de incidentibus infra hebdomadam Festis diebus ac jejuniis per Nuncium (cum frequens in dies occurrat occasio) certiorent.

Omnes demum animarum Pastores vigilem impendant operam, ut Divinus honor refloreat in terris; et debacchantium scelerum multitudine repressa, furor Domini cervicibus nostris imminens per Festorum sanctificationem avertatur, totaque appareat Divino cultui addictis Caeli serenitas innovata.

CAP. VIII. De Sacris Jejuniis eorumque observantia.

Ad Jejuniorum observantiam ea, qua par est, devotione humana convertatur sollicitudo; hic armorum delectus, hic victoriae stat certa promissio. Nihil enim efficacius ad rugientis Leonis saevitiam retundendam, nihil certe ad rebellantis carnis compescendam petulantiam utilius potuit institui; quoniam hoc genus Daemoniorum non ejicitur, nisi in oratione et jejunio [3], quo dum corpus atteritur, anima caelestis gratiae pinguedine saginatur.

Ut igitur per abstinentiam carnis, Christi mors et sepultura ex Ecclesiastica institutione recolatur, Deiparaeque Virgini debitus honor impendatur, qualibet sexta feria et Sabbato ab esu carnium fideles

[1] Psal. 54, 15. [2] Luc. 10, 2. [3] Matth. 17, 20.

omnes penitus abstineant, haereticae pravitatis suspicione notandi inobedientes sine necessitate praecepto, in his potissimum regionibus, in quibus fidelis ab infideli, catholicus a schismatico praefata ab esu carnium differentia discernitur.

In quatuor vero anni tempora discreta jejunia, quae duodecim dierum circulo absoluta, veluti duodenariae mensium primitiae Deo offeruntur, pridianae quoque vigiliarum abstinentiae, quibus sacra praevenimus solemnia, nedum (+ a) carnis, sed etiam (+ a) comestionis lacticiniorum temperantia celebrentur, de instantibus jejuniis, ut in superiori capitulo de Festis dictum est, Fidelibus Parochorum cura ac vigilantia praemonitis.

Et ut ad amussim Ecclesiastica jejuniorum veneretur observantia, nihilque Romanae dissonum consuetudini reperiatur, praeliminaria ante dies [1] cinerum Feria tertia S. Matthiae Apostoli incidentibus vigiliis, debacchantis naturae et rethoricantis gulae consilio Festivitatis ratio praevaleat, eademque Bacchanalium ultima dies, sacro vigiliarum mancipata jejunio, sanctificetur.

Unica porro comestione ab omnibus, qui vigesimum primum aetatis annum compleverint, celebrentur jejunia cum discreta refectione seu collatione, quam modo tolerat Ecclesia. Illis vero, quos vel aetas incurvat vel morbus extenuat, ut possint ac instante vitae periculo debeant ab illis eximi obligationibus, humanae compatiens infirmitati Ecclesia pia mater indulsit.

CAP. IX. De Quadragesimali Jejunio.

Quadragesimale jejunium, non tam Ecclesiastica constitutione inchoatum quam divina Christi Domini conversatione et exemplo consecratum, sub districtioris censura rigoris, ne sub spinoso capite membrum sit delicatum, observandum est. Tempus enim acceptabile diesque salutis incessabili devotione, austeriori abstinentiae disciplina et anniversaria sunt celebratione recolenda. Hinc graviter ferenda est, quae invaluit, quorundam opinio, qui, venerabilis hujus jejunii destructores, non semper quadragesimalem abstinentiam esse servandam dogmatizant: dicunt namque, septem tantum annis quadragesimali jejunio adstrictos esse, tali deinceps jejunandi lege solutos. Et hi quidem, quorum finis interitus, quorum Deus venter [2] est, abierunt post concupiscentias suas et in humanae vitae militia, dum finem quodammodo nituntur prospicere, caeci fiunt et duces caecorum [3]. Ne igitur a sua dignitate sacra jejuniorum observantia corruat, fideliumque corda ad laxioris vitae rationem erroneis alliciantur consiliis, quicumque dixerit, hominem non teneri ad quadragesimale jejunium, aridioribus tantum cibis celebrandum, nisi solo septem annorum circulo, tanquam Ecclesiasticarum legum praevaricator anathemate puniatur.

[1] * Scribendum videtur: *diem.*
[2] Philipp. 3, 19. [3] Matth. 15, 14.

a
CAP. X. De Juramento falso.

Inter regnantium hac tempestate scelerum multitudinem mendacia quoque et perjuria inundaverunt [1] et faciem terrae nostrae tot calamitatum fluctibus, quibus pene obruimur, merito operuerunt. Etenim facili quodam sacrilego ritu falsa frequentantes juramenta nomenque Domini, qui in veritate vivit, falsitatis testimonio polluentes [2], implebuntur iniquitate, et non discedet a domo eorum plaga [3]. Ut autem tot malis, quae nos undique perturbant, opportuno occurramus remedio, protervam hominum licentiam a falsis juramentis, maxime in judicialibus, compescendo, Pastores monemus et hortamur, ut execrandi auctores facinoris comminatione divini judicii et Sacramentalis Confessionis
b privatione deterreant [4].

Illa quoque omni prorsus execratione damnanda est incerti juramenti perniciosa consuetudo, qua fideles, nulla habita certitudine de hominis innocentia, ipsam juramento comprobant, suspecti hominis indemnitati prospicientes. Etenim cum nomen Domini invocandum sit in veritate et in spiritu ac omnimoda certitudine adorandum, quicunque hujuscemodi incertitudine jusjurandum violaverit, Judici Deo, qui accipit pro galea judicium certum [5], merito est rationem redditurus.

PARS II.

CAP. I. De Sacramentis.

c
Nihil nobilius, nihil pretiosius, nihilque ad aeternam salutem consequendam magis necessarium habet Ecclesia, quam a Christo Domino septem instituta Sacramenta, in quibus infinito Divinae bonitatis elucescente thesauro, divitiis magnis [6] et opibus nimiis [7] humana ditatur paupertas. Isti sunt septem fontes Salvatoris, ex quibus aquae Divinae gratiae, salientes in vitam aeternam, cum gaudio hauriuntur. Aperta misericordiarum Dei nostri viscera, in quibus visitavit nos oriens ex alto, patent potissimum in Sacramentis, per quae vera justitia vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur. Hinc tantis irradiata gloriae splendoribus Ecclesia, Christi sponsa, veluti Aurora coruscat, et septem munita Sacramentorum signaculis,
d in Erebi perniciem et ruinam procedit, terribilis, ut castrorum acies ordinata.

Cum autem aequum sit, ut sancta a sanctis tractentur, et Divinorum Mysteriorum praestantiae dispensatorum quoque dignitas respondeat, sacrosancta tractaturi Sacramenta exhibeant se sicut Dei ministros in omni justitia et sanctitate, in aedificationem corporis Christi, ne vituperetur ministerium nostrum [8]. Praescriptas a Rituali Romano in Sacramentorum administratione caeremonias summa cum animi attentione ac religione, nihil addentes aut dementes, ad amussim observent.

[1] Oseae 4, 2. [2] Jer. 4, 2. [3] Eccl. 23, 12.
[4] Conc. Burdigal. a. 1583. cap. 7. [5] Sap. 5, 19. [6] 1. Reg. 17, 25.
[7] Dan. 11, 2. [8] 2. Cor. 6, 3. Eph. 4, 16.

CAP. II. De Baptismo.

Ut autem de singulis agamus, omnium primus occurrit, Sacramentorum janua, Baptismus. Hic plane est fons ille vitae de domo Dei egrediens [1], irrigans universam superficiem terrae [2], a peccatorum sordibus emundans. Istae sunt aquae mundae, quibus Spiritus Domini adhuc incumbens mortua germina vitali divinae gratiae virore foecundat et filios irae in adoptionem filiorum [3] Dei evocat. Hic stat captivitatis liberatio, peccatorum remissio, mors peccati, animae regeneratio, vestimentum candidum, signaculum sanctum et indelebile, currus ad Caelum, deliciae Paradisi, Regni caelestis conciliatio et charisma adoptionis filiorum [4]. Divina enim dilectio secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut, justificati gratia ipsius, haeredes simus secundum spem vitae aeternae [5].

Exigit quidem tot mysteriorum praestantissima ratio, ut in solemni Baptismatis administratione in illud potissimum curam omnem intendamus, ne Parochorum incuria vel defectu virtus et efficacia Sacramento deficiat. Propterea cum in trina ablutione semel tantum sit proferenda forma Baptismatis illis verbis: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti,* diligenter attendant Pastores, ut haec formula immutabili servetur decreto, graviter animadvertentes in Parochos, qui singulis ablutionibus integram addunt formae prolationem.

Cum autem aequum sit, ut in Matris gremio Filii Patris, qui in Caelis est, per lavacrum regenerationis efficiantur, et in loco sacro sacra peragantur mysteria, consuetudinariae providentes indulgentiae, praecipimus et mandamus, ut deinceps Baptismatis Sacramentum lustralibus aquis, ex sacro fonte haustis, in loco sancto Parochialis Ecclesiae conferatur, dummodo urgens necessitas vel temporis injuria sacrae dirutae Aedes aliud non suaserint.

Hinc omni conatu rejiciendus est abusus, quem Montani nostri inveteratae consuetudinis titulo cohonestant et legis vigore falso corroborant. Communis quippe mos invaluit, ut Infantes inter domesticos parietes sola aquae ablutione, servata quoque forma Sacramenti, baptizent Parochi, in dies, menses et annos sacras protrahentes caeremonias, Patrinorum commoditati indulgentes. Hinc quoque gravissimus error irrepsit, quod, cum Patrini nudis tantum adsint caeremoniis, in illis solummodo spiritualem cognationem popularis reponat inscitia. Nullam cum his contrahi [6] spiritualem cognationem, nisi vere susceptores in Baptismo existant. Omnibus igitur Provinciae nostrae caeterisque Albaniae Parochis necnon Patribus Missionariis praecipimus, ut, tali omnino abjecta consuetu-
a dine, caeremonialis disciplinae modum ab Ecclesia traditum illibatum conservantes, salutiferi laticis ablutione statutis ritibus in conspectu Ecclesiae novam Christo prolem parturiant.

Quamvis vero baptizandi munus ad Parochum solum pertineat, instante tamen vitae discrimine, omnibus et in quolibet loco demandatur. Schismaticorum quippe perniciosa lex est, parvulos, urgente quoque necessitate, nonnisi a Sacerdote baptizandi. Studeant Pastores erroneae pestem opinionis a Fidelium consortio eliminare, ut a Catholicis destruatur, quod antiquus hostis non desinit per Schismaticos in animarum perniciem novis adinventionibus fabricare.

Et ne imposterum sacrilega reiteratione, maxime
b adultis, hoc Sacramentum administretur, diligenti examine inquirant Parochi, an prius fuerit baptizatus, qui Sacro fonte cupit initiari. Quodsi nulla certitudo, sed sola adsit ambiguitas, antequam sub conditione baptizetur, in Fidei rudimentis instructus Christianisque moribus informatus, Principis Apostolorum praecepto [1] pareat: praeteritorum peccatorum detestationem et, ut maxime poterit, cordis contritionem habeat. Sic enim abjectis operibus tenebrarum, induet arma lucis [2], ut possit resistere in die malo adversus Principes et Potestates, nullo persecutionum turbine prosternendus. Curent Episcopi, ut ad unguem praescripta praxis servetur, debitas Parochorum negligentiae poenas reposcentes.

c Detestabilem quoque consuetudinem Infideles vel Schismaticos admittendi ad Patrini munus obeundum Episcopi severioribus poenis vindicabunt.

Indissolubile porro spiritualis cognationis, quod ex Baptismo oritur, vinculum nonnisi suscipientem et susceptum illiusque Patrem et Matrem, necnon baptizantem et baptizatum illiusque utrumque parentem ad invicem copulat, adeo ut in matrimonium nulla possit [3] ratione convenire, nec spiritualis cognationis jura ad alios carnali propinquitate conjunctos extendantur. Nemo igitur hanc Catholici dogmatis regulam temeraria praesumptione transcendat, ne, quos Fidei unitas congregat, pravae opinionis scissura disperdat. Schismaticorum quippe est in supputandis gradibus caligare; et qui carnalis consanguinitatis vincula, in matrimonii copu-
d latione effirmata, arbitrii licentia disrumpere non desinunt, ubi nulla spiritualis cognationis jura succedunt, licita connubia rigidae severitatis censura compescunt.

Cum nullo legitimo praetextu, cui discretionis acquiescat moderamen, inanis Parochorum fulciatur opinio, quod inter insultantium opprobria Turcarum timor et tremor apprehendat eos, adeo ut sacrum Baptismi fontem non possint in suis Ecclesiis sine periculo conservare: hinc nec fontem servandum nec aquam statutis temporibus benedicendam communis abusus obtinuit. Quapropter Archiepiscopos et Episcopos omnes monemus et hortamur, ut Parochorum incuriae, quae apud

[1] Joel 3, 18. [2] Gen. 2, 6. [3] Ad Tit. 3, 5.
[4] Cyrill. Jerosol. [in Procatech. n. XVI. Opp. Ed. Migne col. 359. A.]
[5] Ad Tit. 3, 5—7. [6] * Scribendum videtur: *contrahunt.*

[1] Act. 2, 38. [2] Ad Rom. 13, 12. [3] * Forte: *possint.*

omnes viget, vigili studio providentes, in Parochialibus Ecclesiis, in quibus inoffensa solemnitate sacra peraguntur mysteria, baptismalem fontem pro majori temporum ac locorum commoditate celeri decreto curent erigendum et lustralis aquae benedictionem quolibet Sabbato sancto vel Pentecostes solemni ritu et devota Populi frequentia statuant celebrandam.

Patribus quoque Missionariis eadem cura demandatur, ut, qui Parochialia obeunt munera, Parochialibus etiam non eximantur officiis.

Ut autem vocationis nostrae per Baptismi lavacrum non deleatur certa memoria, et generationis conditio annorumque nostrorum series et numerus innotescat, ne vel sacrilega reiteratione Baptismus vel, deficiente temporum plenitudine, sacra Matrimonii et manuum impositionis per filios diffidentiae violentur Sacramenta: cauta provisione sancivit Ecclesia, ut baptizatorum nomina a Parochis in statuto codice adnotentur. Quod plane cum stabili ubique servetur decreto, solum in Provincia nostra summa Parochorum incuria et inexcusabili inscitia penitus negligitur. Archiepiscopi igitur et Episcopi omnes zelo justitiae moveantur piisque studiis insudent, ut singuli Parochi librum habeant, in quo baptizati necnon Compatrum nomen et cognomen juxta praescriptam a Rituali Romano methodum describant. Illi vero, qui miserrimorum temporum nostrorum injuria (cui quidem prospicere omni studio Episcopi satagant) scribendi, proh dolor! inscitia laborant, viciniorem Parochum adeant et librum exhibeant, ut in illo praefata nomina alienis saltem characteribus exarentur.

Quod tamen attinet ad conferendum Baptismi Sacramentum Turcarum filiis, miramur sane rei novitate perculsi, quod Sacrae Congregationis Universalis Inquisitionis [1] ad hujuscemodi Baptismi pertinentia disciplinam in bonum Provinciae nostrae edita, ita nunc oblivioni sint tradita, ut contraria detestabilis consuetudinis praxi omnino deleta videantur. At cum ea sit Romanarum legum puritas, nullius labe polluta, nullius contagione foedata, ut sincero cordis obsequio et devoto obedientiae candore ab omnibus sit colenda; divino zeli fervore concurrant Pastores ad ulciscendum inobedientiae crimen in Sacerdotibus, qui infrascripta decreta ad unguem non satagant exequenda.

DECRETUM

Sacrae Congregationis S. Officii

Ad Episcopum Sappatensem de non conferendo S. Baptismo Turcis, editum sub die 4. Maji 1641.

Abusus Sacramenti Baptismi, quem Turcae pro abluendo foetore puerorum et pro defendendis illis a brutis nequissime introduxerunt, quemadmodum detestabilis est, ita Episcoporum munus erit eidem prospicere, tam per animadversionem in Ecclesiasticos Presbyteros quam
a per Pastorales admonitiones eisdem Turcis, Spiritum Sanctum, qui sine Ecclesiae intentione non accipitur, non operari, ut ad ejus sublimitatem amandam atque quaerendam per haec saltem humana remedia perducantur.

An Infans datus a Turcis, ut baptizetur, ad hoc, ut liberetur a foetore, possit ficte baptizari?

DECRETUM

Sacrae Congregationis.

Die 6. Septembris 1625. Sacra Congregatio Universalis Inquisitionis, habita coram Sanctissimo, delatis litteris Archiepiscopi Antibarensis, in quibus supplicabat pro solutione infrascripti dubii: An cum Sacer-
b dotes coguntur a Turcis, ut baptizent eorum filios, non ut Christianos efficiant, sed pro corporali salute, ut liberentur a foetore, comitiali morbo, maleficiorum periculo et a Lupis, an in tali casu possint ficte eos baptizare, adhibita Baptismi materia sine debita forma? respondit negative; quia Baptisma est janua omnium Sacramentorum ac protestatio Fidei, nec ullo modo fingi potest.

CAP. III. **De Confirmatione.**

Baptismi Sacramento Confirmatio succedit, eo rerum ordine copulata, ut, cum Baptismate regeneremur ad vitam, Confirmatione praemuniamur ad pugnam, ibi ab iniquitatibus mundemur, hic virtutibus roboremur. Hinc fortes facti in bello, divinae gratiae unguento
c confortati, venenosum antiqui serpentis non formidamus adspectum, quia nobiscum est magnus Dominus et magna virtus ejus, apprehendens arma et scutum, ut exurgat in adjutorium nostrum [1].

Tanti porro Sacramenti ministerium, quod sola Episcopalis persona suae vindicat dignitati, tempore potissimum Episcopalis visitationis, ea, qua decet, religione, non in privatis aedibus, si nulla urget necessitas, sed in Parochialibus Ecclesiis exercendum est, et praeviis denunciationibus assignandum tempus a Parocho per Episcopum instructo, quo Sacrum Chrisma ministrandum erit, ut Populus in sanctitate et justitia paratus, Spiritus Sancti Chrismata, omni secluso obice, percipiat.

d Confirmandi discretae rationis usum attingant, nec septennio minores ad Confirmationem accedant. Parochis in hoc serio invigilandum, ne, quod lacteolae fere teneritudini quandoque impenditur, sacrilega postmodum reiteratione ex ignorantia, ut fieri solet, violetur Sacramentum.

Adulti illud praeveniant Sacramentali Confessione, vel (si necessitas aliud suadeat) corde saltem contrito et humiliato, ne reprehensibilis vitae reatus effectum Sacramenti impediat. Attendant omnes, qui in animarum vigilant custodia, saluberrimam praxim, quae in universali viget Ecclesia, in nostris quoque Provinciis ab oblivione vindicare et stabili observantia venerari.

[1] * Forte excidit: *decreta.*

[1] Psal. 34, 2.

Confirmandum suscipiens debet esse confirmatus; a
neque permittendum est, ut Turcae vel Schismatici Patrini fungantur munere, quod ad solos Fideles, Fidei rudimentis imbutos, canonica pertinet ordinatione. Haec porro, ut ubique, sic et inter nos inviolabile teneat robur auctoritatis.

Spiritualis cognatio iisdem omnino in hoc Sacramento adstringitur legibus, quas in Baptismate notavimus, adeo ut confirmantem et confirmatum, illiusque Patrem et Matrem, ac tenentem et tentum, illiusque utrumque parentem non egrediatur. In hac Catholicae doctrinae regula sistant omnes, solida in veritate vestigia posituri. Caveant autem Pastores, ne, dum ad alios quoque jura cognationis extendunt, ne erronea Schismaticorum scandalizetur infirmitas, alligare vide- b
antur onera gravia et importabilia; digito autem suo nolunt ea movere [1].

Quamvis autem conscribendi nomina Confirmatorum et Compatrum Parochialis sit officii, nihilominus in praesenti rerum perturbatione et miserrima Parochorum scribendi inscitia, ne frustraneis laboremus decretis, Archiepiscopos et Episcopos omnes in Domino enixe hortamur, ut pro temporum necessitate in adnotandis praefatis nominibus, ubi Parochorum deest habilitas, ipsi eorum officio propria opera pastorali consulant solicitudine, ut cauta provisione revocetur ad praxim, quod perniciosa ignorantia intermissum est ad damnum.

CAP. IV. De Poenitentia.

Ea est humanae naturae fragilitas, ut, quamvis tot munita per Baptismum et Confirmationem praesidiis, tot circumvallata divinae gratiae propugnaculis, prona ad malum ab adolescentia [2] incidat adhuc in laqueum Satanae [3] et in peccati servitutem. Deus autem, quia benignus et misericors est, cognoscens figmentum nostrum, ex thesauris misericordiae nova profert remedia in poenitentiae Sacramento, quo lapsi post Baptismum resurgimus, et rebelles filii in amplexus Patris, qui sanat contritos corde, reducimur.

Quoniam vero peccata post Baptismum commissa poenitentia expiantur, quemadmodum omnes hujus Sacramenti summa premimur necessitate, quia in multis offendimus omnes [4], ita illi, ad quos legitima Clavium ministratio pertinet, in deplorabili rerum statu saltem competenti ministerii sui debent vigere intelligentia, ne poenitentes ad perditionem potius quam ad salutem adducantur. Ideoque Archiepiscopos omnes et Episcopos totis in Domino visceribus monemus et hortamur, ut tempora ignorantiae respicientes [5], priusquam saluberrimum Confessarii munus (quod idoneis tantum conferendum est) alicui committant, pro debito et Christiana pietate, propria opera (alio deficiente suffragio) de partibus saltem essentialibus hujus Sacramenti illum edoceant et universalibus notitiis informent.

[1] Matth. 23, 4. [2] Gen. 8, 21. [3] 1. Tim. 6, 9.
[4] Jacob. 3, 2. [5] Act. 17, 30.

Nemo quoque ad audiendas confessiones admittatur, nisi prius memoriae mandaverit formulam absolutionis ex Rituali Romano, illamque sub poena privationis officii teneantur addiscere duorum mensium spatio post publicationem hujus Concilii in Dioecesana Synodo, qui Confessarii munere funguntur. Pastores non desinant miserrimae providere calamitati, debitas desidiae poenas a Confessariis repetentes.

Quia vero summa rerum divinarum ignorantia confitendi modum et examinandae conscientiae rationem rudi populo denegat, Confessariis praecipimus, ut de singulis divinae legis et Ecclesiae praeceptis necnon capitalibus vitiis confitentes interrogent, eorum necessitati proprii moduli ratione consulentes.

Homo quidem Baptismi lavacro semel mundatus, postquam discretae rationis usum ingressus fuerit et voluntarii peccati labe inquinatus, sola (cum alia non detur post Baptismum pro peccatis hostia) mundatur poenitentia. Quoniam vero discretionis metas assecuti, si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est [1], ideo statim post acceptam veritatis notitiam poenitentiae Sacramento omnes adstringimur a peccatorum sordibus expiandi. Haec porro saluberrimae legis necessitas, quemadmodum in toto Christiano Orbe summa colitur observantia, ita in nostra Provincia (quod dolentes referimus) contrario detestabilis consuetudinis praetextu penitus abolevit, cum nemo fere ante decimum sextum,
c octavum, et vigesimum aetatis annum ad confessionis tribunal accedere soleat, nec Parochi (quod deterius est) vel in mortis discrimine constitutos ad emundandam Sacramento conscientiam invitant. Hinc aeterna animarum oritur pernicies execrabilis vitio consuetudinis glomerata. Nos propterea tanto occurrere malo cupientes Parochis praecipimus et mandamus, ut in posterum, nullo suffragante praetextu, omnes utriusque sexus ad confessionem adstringant, statim ac ad illum pervenerint aetatis annum, quo possint reprobare malum et eligere bonum [2]. Archiepiscopos monemus, ut, mala sata consuetudinariae pravitatis radicitus extirpantes, agrum Dominicum suae creditum vigilantiae tutissimae hujus legis plantatione foecundent.

Injusti alienae rei possessores et in immensum
d gloriantes in laboribus [3] et divitiis alienis non absolvantur, nisi restituant ablatum; quod si non habeant prae inopia, unde restituant [4], obligentur ad certam restitutionis promissionem, quoties restituendi potestatem habebunt. Maximo enim suo et poenitentium periculo delinquunt, quotquot sunt confessionibus audiendis praefecti, qui restitutioni obnoxios passim et sine discrimine, levibus tantum injunctis poenitentiis per jejunia, orationes et alia hujusmodi, absolvere praesumunt, cum tales absolutiones, viribus penitus carentes nulliusque valoris, peccandi praebeant licentiam et aeternum pariant animae detrimentum.

[1] 1. Jo. 1, 8. [2] Isai. 7, 15. [3] 2. Cor. 10, 15. [4] Prov. 22, 27.

Quia vero juxta Concilium Tridentinum magnopere a peccato revocant et quasi freno quodam coercent satisfactoriae poenae, perniciosae providentes hominum negligentiae, qui injunctam pro peccatis satisfactionem nunquam adimplentes omnino negligunt, et thesaurizantes sibi iram laxatis habenis in vitia prolabuntur, Parochis caeterisque, ad quos spectat confessiones audire, praecipimus, ut in desides et socordes severi sint et exasperantes, illisque denegent absolutionis beneficium, donec, deposito vitioso habitu, divinae justitiae poenarum observantia satisfaciant.

Mandamus praeterea Confessariis omnibus, ut gratis dent, quod gratis acceperunt [1], nihilque praetendere audeant pro audita vel audienda confessione, ne simoniaca labe polluantur, quae in perditionis filios pestilentissime derivatur.

CAP. V. De Eucharistia.

Poenitentiae Sacramento a sordibus peccatorum emundati ad Eucharistiam accedimus, Agnum immaculatum, qui pascitur inter lilia, immaculata recepturi conscientia, sacris Dominici Corporis Dapibus in sanctitate et justitia saginandi. Hoc plane Sacramentum omnium est dignissimum, unicum Christianarum mentium solatium ac delicium, in quo summa imis sociantur, terrena caelestibus junguntur, et sub visibilitate specierum ipse Christus, verus Deus et homo memoriam faciens mirabilium suorum, vere, realiter et consubstantialiter continetur. Hoc est convivium Sacratissimum, ad quod in laborioso vitae cursu peregrinantes, ne deficiamus in via, accedimus, tanquam Leones ignem spirantes inde recessuri, terribiles Diabolo effecti [2]. Hic est panis de Caelo descendens, omne delectamentum in se habens [3] et omnis saporis suavitatem, in cujus fortitudine ambulamus usque ad montem Dei [4], nimirum ad futuram gloriam et aeternam felicitatem, cujus est pignus certissimum Eucharisticum Sacramentum.

Cum autem necesse sit, ut probet se ipsum homo, et sic de pane illo edat, ne aeternae damnationis sibi judicium manducet [5], satagant Pastores, ut commissi sibi Populi dijudicantes frequenter corpus Domini castitate corporis, omni conscientiae puritate, cum timore ac tremore ad hunc caelestem cibum accedant, epulantes non in fermento veteri, neque in fermento malitiae, sed in azymis sinceritatis et veritatis [6].

Semel saltem in anno, et id circa Paschale tempus, omnes quotquot sunt Fideles, singuli in sua Parochia, hoc Sacramentum, praevia peccatorum confessione, suscipiant; qui autem prae cordis ariditate obliti fuerint comedere panem Domini [7], ad Episcopum deferantur, Ecclesiasticis contravenientes praeceptis, Ecclesiasticis excitandi censuris. Caveant tamen Parochi, ne pro- a priae vitio socordiae tribuatur, quod Fidelium negligentiae adscribitur.

Ne autem pueri et puellae hoc pretiosissimo divinitatis thesauro diutius, quam par est, (juxta execrabilem Provinciae consuetudinem) priventur, postquam ad eam aetatem pervenerint, in qua ad suscipiendum Eucharistiae Sacramentum sunt habiles, omnibus, qui in animarum debent vigilare custodia, serio injungimus, ut praefatos pueros ac puellas juxta propriam eorumque capacitatem de divinis hujus Sacramenti mysteriis instruant diligenterque edoceant realem corporis et sanguinis, animae ac divinitatis Domini nostri Jesu Christi praesentiam: uberrimos ab hoc divinitatis fonte gratiarum rivulos profluentes in eos, qui mundo corde b et casto corpore accedunt, aeterna denique supplicia in illos destinata, qui mensae Domini indigne accumbunt et ad judicium manducant [1].

Quia vero in mala tempora incidimus, Sanctissimam Eucharistiam digno honore, publica et cauta veneratione in Parochialibus Ecclesiis conservari non posse dolemus; illud tamen majore cordis dolore deplorandum est, quod nonnulli Parochi non timore perciti, sed crassa quadam socordia tepidi, dum ad aegrotos deferunt Sacramentum, etiam quae possunt humilitatis ac reverentiae exhibere, omnino denegant obsequia. Quapropter Parochis omnibus praecipimus, ut in deferendo Sacramento induti superpelliceo, orario seu stola utrique humero circumsepta, et praecedente, ubi c nullum adest periculum, uno saltem lumine, Hymnos et Psalmos submissa voce recitantes, in Sacra Pyxide vel in Calice, mundo velamine cooperto, ambabus manibus ante pectus tenentes devote deferant Sacramentum. Vasculum insuper habeant cum aqua benedicta et Romanum Rituale, cujus formam in omnibus ad unguem servabunt.

At ubi Turcarum vis praevalet et iniquitas, ne divinitatis Sacrarium nequissima, quod absit, Infidelium polluatur protervia, et debitus cultus Sacramento ac necessaria deficiat reverentia, Sacerdos Stolam semper habeat propriis coopertam vestibus, in sacculo seu bursa Pyxidem recondat, per funiculos collo appendat et in sinu reponat. Nunquam solus procedat, uno saltem d Fideli in defectu Clerici associatus.

Cum autem ad infirmi domum pervenerit, annunciata prius pace et lustrali aqua praesentibus aspersis, in decenti loco mappa cooperto et corporali substrato posito Sacramento, praevia confessione et statutis Romano more ritibus, aegrotum Sacra Communione reficiet. Hunc morem omnes teneant nullis Turcarum praetextibus excusandi. Pastores quoque incumbant, ut disciplinae modus in communicandis infirmis a majoribus traditus, prout Romana tenet Ecclesia, illibatus servetur. Nemo autem se excuset temporum angustiis; angustia enim constringitur mentis, qui nulla dilatatur amplitudine charitatis.

---

[1] Matth. 10, 8.
[2] Jo. Chrys. hom. 45. in Jo. [al. 46. Opp. S. Jo. Chrys. Ed. Bened. t. 8. p. 272. E.]
[3] Sap. 16, 20. [4] 3. Reg. 19, 8. [5] 1. Cor. 11, 28.
[6] 1. Cor. 5, 8. [7] Psal. 101, 5.

[1] 1. Cor. 11, 28.

CAP. VI. De Extrema Unctione.

In extremo vitae agone Daemonis calcaneo insidiantis feralia tela evitaturi, extremae Unctionis Sacramentali clypeo praemunimur, ut, quamvis corpore debiles, spiritu tamen fortes ad praeliandum bella Domini ac paratos promptosque in acie nocturnus insidiator inveniens pertimescat. In hujus plane Sacramenti ministerio stat non exigua pastoralis curae ratio, ut tantis munita praesidiis anima Deo reconciliata inter ingruentium tentationum tempestates ad aeternae salutis portum feliciter adducatur.

Quamobrem Parochis praecipimus, ut extremae Fidelium necessitati consulentes omnem diligentiam, studium ac sedulitatem in hujus Sacramenti administratione adhibeant; nec jucundissimum hoc aegrotantium levamen eo usque differant, ut omnibus pene sensibus destituti sint infirmi, nullis Fidei ac contritionis actibus roborandi. Episcopali autem vigilantiae committimus, ut graviter animadvertant in Parochos, qui in hujus Sacratissimae Unctionis dispensatione desidiae quodam sopore languescunt, ac veluti parvi momenti Sacramentum opinantes, sine ejus subsidio ab humanis discedere infirmos, nulla conscientiae trepidatione revocati, patiuntur.

Ne autem, quod ab ovibus erratur, negligentiae Pastoris adscribatur, totis viribus eliminandam curent Pastores opinionis impietatem, quae de hoc Sacramento in communem Fidelium perniciem grassatur, perinde ac si mortem aegris acceleret. Eo enim pertinet Sacrae institutio Unctionis, ut infirmus nedum animae, sed etiam corporis, si expedierit, salutem consequatur.

CAP. VII. De Sacramento Ordinis.

Ordinis Sacramentum non immerito Ecclesiae tenet principatum. Hinc enim Ecclesiastici flos germinis, Christiani Populi beatitudo; hinc ligandi atque solvendi potestas, consecrandi, offerendi ac ministrandi sacrificii divina oritur auctoritas. Huic igitur negotio omnium gravissimo tota Episcopalis sollicitudo incumbat, ne ad tantae dignitatis evehantur fastigium, qui ambiunt quidem ad Sacerdotium promoveri, sed non student digni Sacerdotio fieri [1].

Dolemus quidem referre miserrimam nostrarum Ecclesiarum faciem, eo quod Sacerdotes ignorant ritum Dei [2]; et quamvis fungantur officio Sacerdotum pro peccatis Populi sacrificium offerendo [3], Sacerdotalis tamen officii omnino nesciunt rationem. Hinc sub ignaro Sacerdote indocta plebs deperiens adeo praevaricata est, ut pene unaquaeque gens fabricata sit Deum suum, diversis criminibus veluti simulacris et sculptilibus inserviens [4]. Cum autem per nostram corporis ignaviam tot malorum turbines afflixerunt Ecclesiam Dei, per viscera misericordiae Dei nostri admonemus atque obtestamur omnes Archiepiscopos et Episcopos,

a ut in manuum impositione cautius agant, et ad Sacerdotale ministerium idoneos tantum eligentes calamitatibus, quae in necem Christiani Populi grassantur, provide occurrant.

Ut vero, quod incaute destructum est, sedulo aedificetur, Apostolico parendum est consilio: manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis [1]. Quamvis enim ex speciali Apostolicae Sedis indulto interstitia dispensandi facultate polleant Episcopi, nulla tamen urgente necessitate, gratiosa omnino abstinere debent potestate, quam plane legitimae tantum causae innixam consilio Pontificia largitur benignitas. Vigeat igitur in Servia et Albania interstitiorum lex, sine casu necessitatis ad amussim ser-
b vanda, ut et sacris candidandi Ordinibus temporis suffragio, examinationis beneficio, merito scientiae ac laboris Sacerdotio digni fiant, et Episcopi ipsi excessus eorum, qui divinae legis ignari nulloque probati examine ad sacros provehuntur Ordines, incauta in se praecipitatione non transferant.

In examinatione porro eorum, qui in album cupiunt Ordinandorum referri, haec praecipue sunt attendenda.

Nullus ex aliena Dioecesi sine sui Episcopi licentia ad Ecclesiasticos Ordines promoveatur.

Illegitimo toro procreati, infames, publico crimine notati, homicidae voluntarii, apostatae, excommunicati, insigni deformitate notabiles, lepra insanabili infecti,
c comitiali morbo laborantes a minorum sacrorumque Ordinum limine arceantur.

Prima tonsura initiandus Confirmationis Sacramento sit praemunitus et Fidei rudimentis instructus, nullis Ecclesiasticis censuris alioque canonico impedimento irretitus.

Ad minores Ordines provehendus nedum legendi, sed etiam scribendi habeat peritiam.

Nemo autem ad Subdiaconatus Ordinem recipiatur, qui Breviarium Romanum non teneat, divini Officii recitandi debito satisfacturus, quique litterarum suique officii reperitur ignarus, illa potissimum (proh dolor!) scribendi laborans inscitia, qua omnes pene Ecclesiastici nostri miserabiliter involvuntur.

d Ad Diaconatum vero et Presbyteratum provehendus saltem competenti pro ministeriorum ratione sit imbutus scientia. Episcopi porro in manuum impositione illas omnino puras habeant, nihil omnino et etiam sponte oblatum accipiant, solum Deum et animarum salutem prae oculis habentes.

Quoniam vero ad Sacerdotalis castra sanctitatis nedum per scientiae viam, sed per semitam quoque pietatis gradiendum est: „eritis enim mihi sancti, ait Deus (Levit. 20, 26.), quia Sanctus sum ego Dominus, et separavi vos a caeteris Populis, ut essetis mei“: ideo singulis sacris Ordinibus spiritualia exercitia octo saltem dierum praemittenda sunt ab ordinandis sub di-

[1] Pet. Dam. [contra inscitiam et incuriam cler. c. 1. Opp. Ed. Migne II, 499. A.]
[2] Reg. 4, 17. [3] Heb. 5, 1. [4] * Pet. Dam. l. c. et col. 498. B. Coll. Lac. I.

[1] 1. Tim. 5, 22.

rectione Sacerdotis non tam doctrina quam pietate praediti, et ubi temporis qualitas doctos non sinit esse viros, ad Patres Missionarios recurrant in sortem Domini vocati, ut sub eorum disciplina discant sapere ea, quae Dei sunt [1], et divino cultui mancipati, divinis studeant emicare virtutum fulgoribus, faciem Domini in confessione, psalmis et hymnis spiritualibus praeoccupando.

At ubi abundat nostra calamitas, ibi superabundat et charitas Sacrae Congregationis de Propaganda Fide in erectione Collegiorum, in quibus Albana Juventus ad salutem Patriae, Religionis incrementum, pietatis et doctrinae praesidiis praemunitur. Huc igitur potissima pastoralis curae ratio attendat, ut inter juvenes sacrae cupientes adscribi militiae, optimi magisque idonei, non carnis et sanguinis familiaritate conjuncti, sed excelsae indolis merito dignaque scientiae ac probitatis expectatione praediti eligantur. Quodsi secus fecerint Episcopi, sciant, se non consulere Populis, sed nocere, nec praestare regimen, sed augere discrimen [2].

CAP. VIII. De Sacramento Matrimonii.

Matrimonii Sacramentum magnum est ex perpetuo et indissolubili sacrae confoederationis vinculo, quo duo carne una copulantur, humanis non dissolvendi conatibus, quos Deus ipse conjunxit. Honorabile conjugium, quo illicita destruuntur connubia. Torus immaculatus, quo legitima haeredum progenies propagatur, et licet unicuique vas suum possidere in sanctificatione et honore [3]. Quia vero in nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti quam foecunditas uteri, ideo curandum est, ut homines, in contrahendis Matrimoniis et celebrandis sacris Romanae Ecclesiae legibus inhaerentes, humani divinique Sacramenti impleantur benedictionibus, ab illorum vitio omnino segregandi, qui non Dei, sed Veneris causa conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se et a sua mente excludant, et suae libidini ita vacent, sicut equus et mulus, quibus non est intellectus [4].

Cum gravissima in hominum perniciem ortum traxerint mala, pericula ac scandala ex clandestinis Matrimoniis, haec merito damnavit et annullavit in sacro Tridentino Concilio veneranda Ecclesiae auctoritas, nuptialia solemnia non in latebris et secreto, sed in faciem Ecclesiae et coram testibus statuens celebranda. Huic porro saluberrimae sanctioni, quemadmodum tota Christiana adhaesit Respublica, ita nostra quoque Provincia digna praestitit exempla obedientiae, matrimonialia jura sanctae Romanae Ecclesiae ritibus celebrando. Errant igitur in invio erroris, qui falsissima hallucinati opinione, veluti non fuisset acceptatum Concilium Tridentinum a Montanis Albanensibus, clandestina connubia inter eos legitime adhuc vigere posse

[1] Matth. 16, 23.
[2] S. Leo Papa ep. 87. [al. 12. Opp. Ed. Baller. I, 659.]
[3] Heb. 13, 4. [4] Tob. 6, 17.

a affirmant, dignosque tenent Sacramentorum participatione, veluti legitimo clandestini Matrimonii jure confoederatos uxoribus, qui luxuriae frena laxantes nefando concubitu copulantur mulierculis et, omissis in faciem Ecclesiae sacris nuptiarum solemniis, quae in annos differunt, aliquando tandem celebraturi publici concubinarii mores induunt, a Sacramentorum limine omnino repellendi.

Hanc quidem perniciosam erroneae opinionis pravitatem execrantes, detestantes, damnantes, omnibus Missionariis et Parochis praecipimus, ut in nostris Dioecesibus Albaniae et Serviae juxta statuta sacri Tridentini Concilii legibus decreta in Parochialibus Ecclesiis coram duobus vel tribus testibus celebrare
b studeant Matrimonia, nec ante sacro conjugii foedere quoslibet jungant, nisi tribus proclamationibus, Festivis diebus ad Populum factis, ubi Parochialia sacra obierint, praecedentibus nec sine admodum urgenti ac necessaria ratione dispensandis. Huic porro saluberrimae ad evitandas fraudes legis debito sciant Parochi omnes esse adstrictos, nec temporum ac locorum qualitate solutos.

Publicis vero Concubinariis, qui juxta Apostolum desperantes semetipsos immunditiae tradiderunt [1], resipiscentibus aliquando et in sacra coire anhelantibus connubia, promptior servetur indulgentia in dispensandis denunciationibus, ut, qui demum jugulata libidine fugam arripiunt, opportunis citissimisque auxiliis ad
c victoriam provehantur.

Omnes autem per Parochos admoneantur, ut, antequam matrimoniali vinculo conjungantur, confessionis et communionis sacramento, divinae gratiae meliora recepturi charismata, roborentur.

At quoniam omnimoda arbitrii libertate Matrimonium initur, toto pectore incumbant Parochi, ut contrahentium assensus omni impulsionis, coactionis seu directae vel indirectae materia careat, nec sacro jungant connubii nexu, quos externae audacia violentiae matrimonialia jura violando vitiavit. Temerariis eorum ausibus, qui invitis confoederantur uxoribus, anathematis poena infligatur. Parochi quoque invalidae auctores conjunctionis Ecclesiasticis innodentur censuris.

d Illam pariter eliminandam curent Pastores Deo injuriosam consuetudinem tempora, divinis mancipata obsequiis, humana nuptiarum solemnitate passim profanandi. Statuant prudentibus monitis et salutaribus praeceptis, ne ab Adventu Domini usque ad diem Epiphaniae et a feria quarta Cinerum usque ad octavam Paschatis nuptiarum celebrentur solemnia. Reprimant plectendam Fidelium audaciam, in sui vigoris statu Matrimonii conservantes disciplinam, ne, quod benedictionibus in progenie et progenies abundat Sacramentum, mundana violatum profanatione, generationem quoque et generationes maledictionibus foecundet.

[1] Eph. 4, 19.

Ad conservandam autem Matrimoniorum memoriam, habeant Parochi librum, in quo Conjugum ac Testium nomina forma in Rituali statuta per se vel per alium, ut superius de Baptismate sancitum est, describant, nullis propriae ignorantiae excusandi praetextibus, qui per alium viciniorem Parochum scribendi praeditum intelligentia valent utique, communicato mutuae charitatis labore, pondus descriptionis praestare.

CAP. IX. De eliminandis illicitae conjunctionis abusibus.

Dum inundantium iniquitatum fluctus ferventius intumescunt, Apostolici viri inquieto motu et veluti oborta tempestate variis quoque cogitationum fluctibus agitati, ne omni doctrinae vento circumferantur, sed tuti in portu conscientiae conquiescant, juxta sacrae Congregationis Universalis Inquisitionis decreta statuimus, decernimus et sancimus, ab omnibus Missionariis caeterisque Parochis, quae sequuntur, ad amussim servanda.

Inter execrabiles Montani nostri Populi consuetudines ille quoque perniciosus invaluit abusus impudenti roboratus audacia Parentum, qui, dum aestuanti luxuriae filios exhibent, divini super se furoris gladium provocant et miserrimorum temporum calamitates iniquitatum sordibus adaugent. Solent enim infelices et miseri parentes, divina humanaque jura per summum scelus profanando, filiis suis tenera adhuc aetate in uxores alienas filias pretio comparare, domi tenere et post aetatem doli capacem illicito illos concubitu copulare. Sic contemnentes divinae legis mandatum, dum suarum obtemperant illecebris voluptatum, Parentum imperio tutae conscientiae praesumptione filii acquiescunt, negligentes omnino Matrimonia legali jure contrahere, nisi suscepta masculina prole post quinque, decem et ultra annos nefariae conjunctionis. Et haec quidem pollutio egressa est super omnem terram [1]. Omnes enim, quotquot Albaniae montana incolunt, in hoc fornicationis foetore sordescunt, vasa irae et furoris Domini reposita in diem ultionis. Ambulantibus namque in pravitate cordis sui Dominus non ignoscet illis, sed tunc quam maxime furor ejus fumabit et zelus contra homines illos, et sedebunt super eos omnia maledicta, et delebit nomen eorum sub Caelo, et consumet eos in perditionem [2]. Cum autem piaculum sit, ut, qui petulantis lasciviae volutantur in coeno, pestiferae securitatis audacia salutaris Eucharistiae pollutis labiis vescantur Sacramento, ideo hujuscemodi concubinarii eorumque non conjuges, sed concubinae congrue appellandae, excommunicationis sententiae obnoxii a Sacramentorum communione arceantur, donec vel repudium praebeant, vel in faciem Ecclesiae Matrimonium contrahant, grassanti luxuriae conjugalis Sacramenti gladio letale vulnus infligentes.

Quia vero juxta Apostolum non modo talia fa-

[1] Jer. 23, 15. [2] Deut. 29, 20. 21.

a cientibus, sed etiam consentientibus par poena debetur [1], ideo Parentes etiam, nefandi auctores prostibuli, iisdem anathematis censuris a sua filiorumque iniquitate removeantur: qui vero duritiei cordis et obstinatae in delicto filiorum perseverantiae consentiunt et, cum possint, opportunis negligunt providere remediis, Sacramentorum participatione careant, donec filios avertant a via sua mala et in semitam rectam mandatorum Domini paternae auctoritatis dirigant severitate.

Illis quoque Catholicis Mulieribus, quae, licet vi coactae, insatiabili Turcarum serviunt incontinentiae, sacrilegis eorum thalamis per summum nefarii concubitus scelus mancipatae, ex disparitate cultus et Religionis nullo sacramentalis Fidei, sed violentae tantum
b perfidiae annulo subarratae, Ecclesiae Sacramenta denegentur. Cumque praestet millies mori quam foedari, haud immerito sordes fornicationis proprii quoque sanguinis effusione tenentur abluere et omni vitae discrimine viam pessimam declinare, ne in illam incidant maledictionem, quam immundis Mulieribus per Moysen Deus, iniquitatis ultor, intentat [2]: Det te Deus in maledictionem exemplumque cunctorum in Populo suo. Putrescere faciat femur tuum, et tumens uterus tuus disrumpatur. Ingrediantur aquae maledictae in ventrem tuum, et utero tumescente putrescat femur.

At vero Mulieres legitimo semel junctae matrimonio Catholicis viris, his postmodum a Fide naufragantibus et Mahometanae sectae adhaerentibus, si Christianos ritus nulla Creatoris contumelia observant, ad
c Sacramentorum participationem admittantur. Cum enim in paritate cultus et Religionis legitimum matrimonii foedus inierint, nec illud per subsequentem apostasim dirimitur, nec uxor in Fide Catholica stabilis et firma praevaricantis iniquitatem viri portare debet sacris privanda mysteriis.

Moneantur quam saepissime a Parochis et excommunicationis poena ipso facto incurrenda deterreantur Parentes, ne filias suas matrimonii praetextu (quod certe nullum est ac omnino irritum) Daemoniis immolantes Turcarum prostituant voluptati, gravissimo Dei judicio desperatae pene illarum salutis aeterni flammis incendii rationem reddituri.

Satagant Episcopi caeterique animarum Pastores,
d ut statuta decreta diligentissime serventur. Sic enim, quod corrigendum est, corrigent, et quod sanum est, divino zeli fervore custodient.

PARS III.

CAP. I. De Episcopis.

Episcopalis honor dignitatis, magno ministerii oneri Angelicis formidando humeris adaequatus, grandiori quoque sollicitudine, cura ac labore circumvallatur. Episcopi enim ad vigilias vocati, ad excubias admoti in crediti gregis custodia, in omnibus plane sine inter-

[1] Rom. 1, 32. [2] Num. 5, 21. 22.

missione laborare debent, quamque inimicus noctu per agrum Dominicum superseminavit zizaniam, illi in die sanctitatis et justitiae (qua ambulandum est) radicitus extirpare tenentur, vineae Domini elaborantes ubertatem, super gentes et regna constituti, ut evellant et destruant et dissipent et aedificent et plantent [1]. Hinc forma facti gregis non solum vocibus, sed et moribus, non verbo tantum, sed et exemplo, nec honoris ostentatione, sed laboris consummatione tanquam boni operis sectatores Populis praestare debent, ut praeordinati dignitate praemineant quoque sanctitate [2].

Omnes igitur, qui tantum ac tanti obsequii onus sustinent et fastigium, totis visceribus hortamur, ut Apostolicis obsequentes praeceptis, irreprehensibilem [3] vitam nullis carpendam vituperationibus instituant, in omnibus se ipsos praebentes exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate et gravitate [4], ne ab iis, qui ex adverso sunt, vituperetur ministerium nostrum, ne nostro vitio impiae Turcarum linguae in injuriam se religionis obarment, ne Fideles, cum malefecerint gloriantes in iniquitatibus suis, nos sibi clypeum defensionis opponant, ne tandem, ut Ambrosius ait, sit honor sublimis et vita deformis, sit deifica possessio et illicita actio, sit religiosus amictus et irreligiosus provectus, sit gradus excelsus et deformis excessus [5]. Pascant commissos greges sacrae praedicationis uberibus et esurienti Populo viscera maternae pietatis impendant, verba factis compleant, sobrie, caste ac pie viventes et caelestium irradiati virtutum fulgoribus, luceant coram hominibus, ut videant opera eorum bona et glorificent Patrem, qui in Caelis est [6].

Manus in primis castas et puras ab omni Simoniacae labis suspicione habeant, ne dono Spiritus Sancti pecuniam videantur vel postulare vel appetere [7].

Non sint turpis lucri cupidi, ne in opprobrium incidant et in laqueum Diaboli, durissimum in reddenda ratione judicium subituri.

In Ordinum et Parochiarum collatione muneribus non delectentur, quia munera excaecant oculos sapientum et mutant verba justorum [8].

Pro absolutione a quibuscumque, et potissimum a casibus sibi reservatis, nihil omnino etiam sponte oblatum accipiant, ne venalis censurae reatum subeant in perditione.

Dispensationes tam matrimoniales quam alias cujuscumque ordinis, quarum auctoritate ad tempus pollent Episcopi ex indulgenti sanctae Sedis benignitate, juxta tenorem facultatis gratis omnino distribuant, ne fidelis dispensatio in crudelem degeneret dissipationem.

In corrigendis Parochorum defectibus pecuniariae solutione poenae hanc non sibi, sed Ecclesiae vel pauperibus erogent, ne, dum alios corrigimus, ipsi turpis lucri gratia reprobi officiamur [9].

[1] Jer. 1, 10. [2] Hier. ad c. 3. [3] 1. Tim. 3, 2. [4] Ad Tit. 2, 7.
[5] De dign. Sacerdot. cap. 6.
[6] Matth. 5, 16. [7] Ad Tit. 1, 7. [8] Deut. 16, 19.
[9] Ad Tit. 1, 12.

a Pias Fidelium oblationes in tritico, vino et caseo sub districti censura rigoris et perniciosa Sacramentorum privatione non extorqueant, miserrimam pauperiem in sua lucra transire patientes, ne, quod ex libere offerentium merito sacrum esset, in violentis manibus sacrilegium fiat; neque enim voluntaria dona charitatis rigorosa jura obligationis constituunt. Exitialis plane hujuscemodi violentia existit Fidelibus, qui in praesenti rerum calamitate vectigalium pene obruti oneribus, vix ad victum necessaria habentes ducunt in malis dies suos, nostra non cupiditate opprimendi, sed charitate sublevandi.

Parochorum quoque proventus in proprios usus non convertant nec ab illis annuales exigant pensiones, b ne Canonicis contravenientes sanctionibus, Canonicis quoque irretiti censuris, ad opprobrium nostrum illos excitemus, qui calumniari non desinunt nostram quoque bonam in Christo conversationem [1].

Sint ergo omnes indigentibus alendis pro possibilitate intenti, hospitalitati dediti [2], humanitatis officium hospitibus exhibentes, ne, quod ab ipsis quoque pauperculis ex laudabili Provinciae consuetudine praestatur, ab Episcopis tantum, quibus potissimae ex Apostolico Consilio cura incumbit, charitatis obsequium praetermittatur. Pondera haec, o Pastor, ait Gregorius [3], non largiris tua, sed aliena. Quid ergo mirum? Possent enim vociferari ad valvas, imo usque ad secretum cubiculum dicentes: da nobis nostra, alioquin contra te c vociferabimur ad Dominum rerum tuae dispensationi commissarum dicentes: Domine, non vult nobis dare, quae illi, ut nobis daret, dedisti.

Caveant, ne alieni sibi adscribantur excessus, speciali prosequentes favore, quos deformis vita deturpat. Sacerdotes digna factis recipientes, proprii Episcopi auctoritate suspensos, abstineant in sui gradus et ministerii jura restituere ac censurae vinculum illicita disrumpendo absolutione violare. Regulares quoque, qui sub strictioris censura rigoris a Superioribus pendent, inobedientes aliquando et ex communis vitae observantia in viam perditionis prosilientes familiarium numero cooptare non audeant, ne detractionis materiam Populo relinquendo et infirmos scandalizando, sacrum d quoque Episcopale contemnatur contubernium. Utrosque porro salutaribus monitis et utilibus praeceptis a via sua mala satagant avertere, et Ecclesiasticae disciplinae regulas, obedientiam Praepositis insinuantes, paternae zelo charitatis per invia et abrupta praecipites in semitam rectam reducant.

Hinc omnes domui suae bene praepositi, suorum et maxime domesticorum curam habeant, ne Infideles et Infidelibus deteriores ex Apostoli sententia appareant [4]. Si quis enim domui suae praeesse nescit, quomodo Ecclesiae Dei diligentiam habebit? Domum

[1] 1. Petri 2, 15. [2] Ad Rom. 12, 13.
[3] D. Greg. epist. 21. lib. 11.
[4] 1. Tim. 5, 8.

Episcopi, ait Bernardus, decet Sanctitudo, honestas in vultu, incessu, habitu [1].

Nemo ponat falcem in messem alienam, nec in viduatis Pastoribus Ecclesiis, quibus potissimum Vicarii Capitularis praeest auctoritas, ratione vicinitatis Parochos instituere praesumat et proprii jure arbitrii caetera exercere Episcopalis munera jurisdictionis sine expressa licentia S. Congregationis de Propaganda Fide.

Attendant sibi et universo gregi, in quo eos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo [2]. Assidue praedicationis sarculo male sata consuetudinariae pravitatis extirpent; bona semina exuberanti sudorum rore foecundent. Praesint subditis non ut Dominatores in virga ferrea, sed ut Pastores in charitate, suavitate et benignitate, illosque tanquam filios et fratres ingenui zelo amoris diligant [3]. Bonos in via justitiae confirment, malos arguant, obsecrent, increpent in omni patientia et bonitate [4], studentes, ut nec zelus faciat immoderatus accensos, nec pietas reddat inordinata remissos. Ad recalcitrantium correctionem, si aliter resipiscentiae spes non apparet, excommunicationem, Ecclesiasticae gladium disciplinae, evaginantes, in obstinatos et contumaces detorqueant, ad aliorum quoque exemplum caventes, ne Episcopale pectus segnis Heli torpor emolliat, sed potius ad sceleris ultionem ingenui Phinees zelus accendat. Haec autem tanquam ultima remedia in aedificationem, et non in destructionem, ad medelam, non ad necem, summa cum animi moderatione et prudenti circumspectione post praemissa caetera omnia juris remedia adhibeant.

Trium mensium spatio, postquam praesentium Decretorum approbatio ab infallibili Sanctae Sedis judicio pervenerit, omnes teneantur, convocatis Senioribus, Dioecesanam celebrare Synodum, Clero et Populo Provincialium publicatione statutorum tutioris vitae rationem annunciantes, ne ignorantiae praetextus alicui praebeat per male sanae nequitiam consuetudinis peccandi licentiam.

CAP. II. De Visitatione.

Omnes pariter Episcopalibus infulis insignitos juxta Sacri Concilii Tridentini Decreta [5] monemus, hortamur et obsecramus enixe in Domino, ut per se ipsos vel, si legitime impediti fuerint, per viros ad id munus idoneos quolibet saltem biennio, totam Dioecesim indispensabiliter perlustrent, ne Fideles plantationes sudore vultus nostri irrigandae, deficiente diligenti Agricolarum visitatione et laboriosa sedulitate, inarescant, et, qui incidimus in manus proximi nostri, Populum Dei regentes et in portum salutis manuducentes, ut a propriis et alienis liberemur defectibus, Divino [6] pareamus praecepto: fac ergo, quod dico tibi, et temetipsum libera, quia incidisti in manus proximi tui, discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebrae tuae.

Quia vero ex praefatis Concilii Tridentini Decretis [1] praecipuus visitationis scopus est, sanam orthodoxamque doctrinam inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, Populum cohortationibus et admonitionibus ad religionem, pacem innocentiamque accendere, caetera, prout locus, tempus et occasio fert, ex visitantium prudentia ad Fidelium fructum constituere: ideo in visitatione facienda is ordo servabitur.

Procedant Episcopi modesto contenti equitatu et famulatu, studentes quam celerrime, debita tamen cum diligentia, visitationem absolvere, ne, cum graves onerosive ex longa mora existunt, Cleri quoque ac Populi odium incurrant in suam Fideliumque jacturam [2].

In Parochialibus Ecclesiis Pontificalia munia obeuntes, inter Missarum solemnia sacris Divini verbi dapibus famelicum stomachum satiantes, ad Divinorum mandatorum et Ecclesiasticarum constitutionum observantiam Populum inflamment, et praemissa sacramentali confessione ab adultis, Confirmationis conferant Sacramentum. Paternae zelo charitatis omnes ad poenitentiam adhortentur [3], hoc potissimum acceptabili tempore eruentes eos, qui ducuntur ad mortem, et, qui trahuntur ad interitum, liberare non cessantes. Diligenti investigent examine, an praesentes Synodales constitutiones Parochorum cura ac labore executioni mandentur, dignas negligentiae poenas post debitas admonitiones ab illis reposcentes, qui nostris salutaribus monitis et praeceptis obsequi negligunt, effrenatae libertatis pernicioso adhaerentes Consilio.

CAP. III. De modo certiorandi Sacram Congregationem de Propaganda Fide de statu propriae Dioecesis.

Ut autem omnia juxta piam mentem Sacrae Congregationis de Propaganda Fide peragantur, et Romanae viscera charitatis dignis veneremur obsequiis, peracta visitatione omnes, Archiepiscopi et Episcopi de statu suae Dioecesis eandem Sacram Congregationem certiorent, modum certiorandi, ex quo et modus visitandi dignoscitur, in methodo infrascripta observantes.

1. Longitudinem et latitudinem Dioecesis ac numerum Parochiarum proponant, confinia quoque aliarum Dioecesum et temporis qualitatem attingentes.

2. An bellicis volutati tumultibus.

3. An violenta quadam agitati persecutione vel pacifica obumbrati tranquillitate quiescant.

4. An Ecclesiam Cathedralem habeant, et in quo statu illa existat.

5. An Praedia ad mensam Episcopalem pertinentia cujusve generis et status teneant.

---

[1] Lib. 4. de consid. ad Eug. (Opp. S. Bern. Ed. Migne I, 786. D.)
[2] Act. 20, 28.
[3] Concil. Trid. sess. 13. cap. 1.
[4] 2. Tim. 4, 2. [5] Sess. 24. c. 3. de ref. [6] Prov. 6, 2. 3.

[1] Concil. Trid. sess. 4. cap. 3.
[2] Concil. Trid. ibidem.
[3] Prov. 24, 14.

6. An et quot ex Fidelium oblationibus annuales retrahant proventus.

7. An et ubi locum residentiae habeant, et an pacifice resideant.

8. De statu cujuscunque Parochiae separata informent individuatione situm edocentes, an in planitie vel montibus constituta.

9. Quot Villulas sub se contineat, quantumve istae inter se distent.

10. Quot Fideles quaelibet comprehendat.

11. An inter illos aliquis sit, qui auctoritate polleat apud Turcas.

12. An Turcae vel Schismatici et quot inter eos commorentur.

13. An Ecclesiam Parochialem habeant.

14. An haec inter Fidelium habitationes sita vel extra Oppidum seu Villam constituta, quantumve ab illa distet.

15. Quo titulo cujusve invocatione decoretur.

16. An ex maceria vel solida fabrica aedificata.

17. An imminentibus ruinis obnoxia.

18. An temporum injuria obruta.

19. Si intacta et integra vel ad Parochialia Sacra obeunda idonea servetur, admoneat.

20. An debito honore, et qua domum Dei decet Sanctitudine, teneatur.

21. An clausis sit foribus, ne ab immundis contaminetur.

22. An profana commercia, consilia, ludus vel alia hujusmodi intus vel foris peragantur.

23. An sacram supellectilem, vestes, libros, calices, patenas et alia hujus generis instrumenta Altaris et ornamenta pro necessitate habeant, quaeve haec sint, distincta commoneant notula, cujus transumptum apud se quoque servabunt, ne Parochorum vitio vel incuria depereant, in singulis visitationibus totius sacrae supellectilis a Parocho reddenda ratione.

24. An Olea sacra et reliqua ad Altaris ministerium et Sacramentorum administrationem necessaria omni munditia, cura et custodia asserventur ac suo tempore mutentur et renoventur.

25. De Parochorum statu et ministerio diligenti inquirentes examine informent, an Parochialem domum habeant, quantumve haec ab Ecclesia distet.

26. An Ecclesiae praedia cujusque fructus teneant.

27. An ultra Fidelium oblationes et decimarum, ut vocant, solutiones alios habeant parochiales proventus, et in quo consistant.

28. An Parochialia beneficia rite obtineant.

29. An in ea se quisquam per vim intruserit.

30. An per se possint explere officium, quod eis incumbit.

31. An resideant, et frequenti visitationi Parochianorum, administrationi Sacramentorum, Missarum celebrationi aliisque oneribus sibi impositis juxta praescripta Decreta satisfaciant.

32. An pueros Fidei rudimentis informent.

a 33. An ad id munus competenter saltem idonei Populum salutari divini verbi pabulo pascant.

34. An tribus denunciationibus matrimonia praeveniant et statutis ritibus in faciem Ecclesiae celebrent.

35. An libros habeant, in quibus Baptizatorum, Confirmatorum eorumque, qui matrimonio conjunguntur, necnon mortuorum nomina et cognomina describantur.

36. An reliqua omnia ad Fidelium salutem spectantia singulari studio, zelo ac labore juxta has constitutiones nostras Provinciales observent, nihil addentes vel dementes, in extirpandis abusibus assidua intenti vigilantia.

37. De eorum quoque qualitate, vita et moribus
b informati certiorent, quot annis nati sint, qua scientia praediti.

38. An Apostolicorum Collegiorum Alumni.

39. An sint Missionarii Apostolici ab ipsa Sacra Congregatione de Propaganda Fide deputati, anve statutis temporibus assignatas recipiant provisiones.

40. An turpis lucri cupidi.

41. An pie et sancte vivere studeant.

42. An turpi aliquo vitae genere offensionem Populo praebeant, unde ipsorum ministerium ac res ipsa divina contemnatur.

43. An bona Ecclesiae dilapident.

44. An Sacra Supellectilia diligentissime et omni cultu ac nitore conservent.

c 45. An immisceant se negotiis saecularibus et politicis.

46. An sint pacifici et ad tollenda jurgia et odia diligentes.

47. An Fidelibus vel Infidelibus quoque, quaque de causa invisi.

48. An in rebus oeconomicis laudabili praediti moderatione.

49. Deinde ad mores Populi devenientes edoceant, an publice se Christianorum more gerant.

50. An Sacra solemnia Romanis ritibus celebrent.

51. An pie versentur in Ecclesiis.

52. An Missarum solemniis Festis diebus intenti.

53. An Sacramentorum participationi reverenter
d devoti.

54. An sint aliqui concubinarii vel facinorosi aliove scelerum genere volutati.

55. An sint, qui aliquo pravo de Quadragesimali jejunio ducuntur errore in interitum.

56. An aliae et quae pravae consuetudines vel abusus inter eos vigeant.

57. Certiorent quoque, an extra propriam Dioecesim Presbyteri et potissimum Alumni suae subditi jurisdictioni in aliis partibus existant.

58. An sint Juvenes, qui Clericali cupiunt albo referri, quot annos habeant, qua capacitate praediti, quo nomine vocati.

59. Postremo opportuna suggerant remedia, quibus Fidelium necessitates adjuvari possint, vel reparando

damna, si quae sunt, vel spirituales progressus magis magisque in dies provehendo.

Haec omnia candide, sincere et ad amussim perspicientes praelibatae Sacrae Congregationi conferant, proprio debito et Sanctae Sedis Apostolicae zelo satisfacturi.

CAP. IV. De confiniis Dioecesum Sappatensis, Alexiensis et Albanensis.

Perniciosa quidem extitit Albanae Genti diuturna Episcoporum disceptatio, qui, dum in Dioecesum confiniis vel tuendis vel protrahendis altercarentur, pacis ordine perturbato discordiaeque fluctibus agitati, ipsas periclitantium Fidelium calamitates augebant, magna inter dissidia majora adhuc pericula intendentes. Agnovit jam pridem ingruentia Provinciae damna Sacrae Congregationis de Propaganda Fide eximia pietas et provida mens ad Christianae nata Reipublicae bonum; charitatis zelo commota elegit suum Commissarium et Executorem Dominum Franciscum de Leonardis Archidiaconum Traguriensem, cui id negotii praecipue incumberet, ut, compositis dissidiis, Dioecesibus confinia stabilirentur, et discordiae damna mutuae compositionis beneficio ab Episcopis compensarentur. Vir plane non probitate minus quam doctrina conspicuus, tantae molis subiens provinciam, post discussam locorum positionem causaeque momenta diligenti expensa maturitate, mutuis compositionibus Episcoporum Sappatensis, Alexiensis et Albanensis singulis praefatis Dioecesibus confinia publico praescripsit instrumento, et compositis tandem discordiae fluctibus, dissidiorum tempestates pax optata serenavit. At vero temporum revolutione obliterata pacis memoria, et spretis a Successoribus Antecessorum saluberrimis transactionibus et pactis, alteroque in alterius possessionem vel intruso vel intento, nova jurgiorum semina in dies progerminant. Ideo ad illa evellenda et radicitus extirpanda totis viribus intenti monemus et hortamur praedictos Episcopos, Sappatensem, Alexiensem et Dyrrachiensem Archiepiscopum, jura obtinentem Albanensis Episcopatus, ut miserti saltem aerumnarum suis Fideliumque cervicibus ex novis imminentium altercationibus, concordes ac pacifici iisdem finibus ac limitibus sistant, qui in praefatis instrumentis sub die 14. Decembris editis Merchignae et die 20. ejusdem mensis datis Sappae anno 1638. continentur. Ne autem, amissis aliquando vel obliteratis temporum injuria instrumentalibus litteris de conversis olim locis et Ecclesiis, nova oriatur dissensio futurae praebens occasionem discordiae, juxta supradictarum tenorem litterarum declaramus, quod Ecclesiae Sancti Georgii de Cuculla, S. Joannis de Bulgaris, S. Mariae de Lasingaghi, S. Marci et S. Venerandae de Nehsella, S. Blasii sive Alexandri de Selita ad ordinariam jurisdictionem Albanensis Episcopi pertinent, Ecclesiae S. Mariae de Nderfandina, S. Alexandri supra montem Mereditarum, S. Mariae et S. Marci de Fandi vogoli, S. Demetrii de Fandi made,
a S. Pauli et S. Stephani de Blinisceti ex parte Orientali curae et jurisdictioni Episcopi Alexiensis subjiciuntur, qui ex parte quoque Occidentali Episcopalia jura obtinet supra Villam Debarda in Parochiali Calameti et supra Ecclesiam S. Nicolai de Cacarichi usque ad Foliettam majorem sitam in media fere Villula Cuculi. Villa Blinisceti, etiam infra pontem a parte Orientis et Meridie, Villa quoque Trosciani necnon Ecclesia S. Nicolai de flumine Calami, Ecclesiae et Villae terrae Spassi inter flumen Gona et flumen [Lumi] sunt et intelliguntur jurisdictionis ordinariae Episcopatus Sappatensis.

CAP. V. De Finibus Episcopatus Pullatensis.

b Ut illi quoque scissurae praeviis occurramus remediis, quae inter Episcopum Pullatensem et Scuporum Archiepiscopum, Serviae administratorem, futurae dissensionis praenotat detrimenta in communem Fidelium perniciem, juxta antiqua monumenta et concordia Populorum testimonia declaramus, Pullatensem Episcopatum his esse finibus limitatum, his limitibus circumseptum. Ab Austro enim sive Meridie Drinum Flumen et Posterippensem Regionem habet pro termino. Qua vergitur ad Occidentem et Septentrionem, Biscavo et Calogero montibus circumscribitur. Qua vero spectat ad Orientem, per fluvium Casterigium sive Castranichium aut Valbonam (tria enim nomina haec idem Fluvius sortitur) a Regno Serviae sejungitur. Monentur
c ergo praefati Pastores, ut suis contenti limitibus consistant, et mutuae nexu concordiae in pace ponant ea, quae jure legitimo possident, perniciosam inter Fratres discordiam declinantes.

CAP. VI. De Regione Posterippensi.

Inter dissidentium hac tempestate Episcoporum molestias Posterippensis Regio obtinet in calamitatibus Principatum. Tres illam Episcopi, Scodrensis, Sappatensis et Pullatensis sibi vindicant; quisque suo juri integram studet mancipare, dumque illi mutuis inter se certant jurisdictionibus, Posterippenses sacris destituti visitationibus, sine Duce et Pastore, velut Grex dispersus, periclitantur; magnis quidem persecutionibus et
d aerumnis attriti, adversitatibus et inopiis afflicti, ne majoribus imposterum quoque lacerentur tribulationibus, optandum est a Sacra Congregatione de Propaganda Fide remedium. Interim, salvo semper consensu et beneplacito Sedis Apostolicae et praefatae Congregationis, nihil innovetur, sed prout modo res jacent, usque ad decisionem conserventur, ne, qui hoc brevi tempore nostrae visitationis soporatus est dolor, novis deinceps altercationibus recrudescat. Praesentem autem rerum constitutionem mandantes edicimus, scilicet:

Villulae Mescala, Massarecu, Scpori, Scelacu et Gusta, a Parocho Vierdae Sappatensis Dioecesis administratae, ab eodem quoque in posterum administrentur.

Scheldia, Gavosci et Gagnola, a Parocho Jubbani

Scodrensis Dioecesis curatae, ab illo etiam deinceps curentur.

Tres tandem Villulae Arra, Curtha et Villa, in quibus Patres Missionarii Toplanae Pullatensis Dioecesis Parochialia obeunt munia, iisdem Patribus subjiciantur.

Sic igitur quisque ex praefatis Parochis in suis sistat juribus et terminis, nec sub poena suspensionis alter audeat in alterius possessionem prosilire sine consensu et beneplacito Sanctae Sedis et Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, cujus nutibus et auctoritati nostra quoque Decreta devoto cordis obsequio subjicimus.

CAP. VII. De Familiis Fidelibus, ex una in alteram Dioecesim proficiscentibus.

Ad radicem totius dissensionis modo est securis admovenda, quodque male germinat in Dioecesum confusionem et jurisdictionum violationem, provido zeli fervore in securi et ascia excidendum. Frequens enim abusus obtinet, ut familiae, quae ex una Dioecesi brevi itinere proficiscentes, intra fines alterius Sedes figunt, sepelire soleant mortuos suos in sepulchro Patrum suorum, quod situm est in Parochiali Ecclesia, ex qua recesserunt, et praefatae Ecclesiae, tanquam venerabilis tenaces antiquitatis, se in aeternum unitos et mancipatos Fideles profiteantur, ab ejus quoque Parocho in administratione Sacramentorum omnimoda pendentes subjectione, ita ut Parochus loci, in quo novi Accolae commorantur, nullam in eos exerceat jurisdictionem. Hinc Dioecesum perturbatio, legitimi juris violatio totaque emanat rerum confusio, in qua, dum falx mittitur in messem alienam, novis subinde dissensionibus in agro dominico disseminata zizania succrescentem segetem opprimit, et bonum semen male sata dissidiae demoliuntur. Tanto igitur negotio opportunis providentes remediis, edicimus et mandamus Parochis omnibus, ut sub poena suspensionis et excommunicationis nulla Parochialia jura exerceant in praefatas familias, quae ex eorum Parochiae finibus egressae, illius curae subjiciuntur, inter cujus septa commorantur. Novis interim incolis locum sepulchri assignent Parochi in Ecclesia vel Coemeterio, ne ex defectu sepulturae eis suboriatur praetextus rerum ordinem subvertendi.

Ne autem cavillosa interpretatione hujus Decreti executio retardetur, praeter sancita in superioribus capitulis, hic aperta individuatione alia controversa loca indigitantes, decernimus, ne imposterum Parochus Schiesi Sappatensis Dioecesis ullam Parochialem exerceat jurisdictionem in familias existentes Barbulusci Scodrensis Dioecesis, nec ullus ex Parochis Alexiensis Episcopatus Parochialibus muniis fungatur in Villula Soli, quae utpote sita in Scodrensi Dioecesi a propinquiori Parocho Trumsci inferioris administranda erit.

Omnes porro Coepiscopos nostros fraterni zelo amoris obsecramus, ut tandem aliquando discordiae
a caput amputantes, ad aram mutuae tranquillitatis et pacis insignia victoriae reponant per exactam Decretorum executionem, hostias vere pacificas immolaturi.

CAP. VIII. De Ecclesiis earumque cultu.

Ecclesia Domus est Dei, Domus orationis [1], in qua petentes accipiunt, quaerentes inveniunt et ipse Deus delicias suas cum filiis hominum constituens, ex excelso Solio Majestatis supplicantium vota exaudit, misericordiae viscera aperit et infinitos bonitatis suae thesauros humano generi impendit. Miseris illam plane coruscantem gloriae splendoribus [2], sicut sponsam ornatam viro suo, cum Joannes quondam suspexerit [3]: qui Sponsorum hucusque negotia tractavimus, Sponsarum
b quoque decorem curemus, et ea, quae Domum Dei decet, Sanctitudine in longitudinem dierum [4] colentes veneremur.

Decorem ergo Domus Dei et locum habitationis gloriae [5] ejus digno venerationis obsequio diligentes decernimus, ut Ecclesiae omnes, sive curatae sive non curatae, post peracta sacrorum solemnia, obseratis clavi foribus teneantur, ne Divinae Majestatis habitaculum per Parochorum (quod absit) aliorumque incuriam in speluncam latronum degeneret [6], et Sanctuarium Dei Turcarum necnon Animalium pollutione contaminatum sordescat.

Frumenta, ligna et alia hujusmodi in Ecclesia non ponantur. Tam intus quam foris parietes caeteraeque
c Ecclesiae partes ab omnibus immunditiis expurgatae conserventur. Etenim, dum divinis addicta Templa obsequiis ab omni turpitudinis naevo vindicantur, ipsa Sacrorum locorum pauperies Fidelium devotionem Ecclesiasticae lucis candore adauget.

Profana denique et vaniloquia, quae juxta Apostolum multum proficiunt ad impietatem [7], ab Ecclesiis eliminentur. Saeculares congressus, concilia potissimum malignantium, ad necem quandoque et vindictam tendentium, ne profanetur in terra Sanctuarium Dei [8], nullo rationis praetextu permittantur; imo totis viribus incumbant omnes animarum Pastores, ut, ubi execrabilis viget consuetudo, per opportunam et importunam praedicationem radicitus evellatur, et quidquid oculos Divinae Majestatis offendere potest, procul abigatur.

d Ludi et cantus non sacri inter Ecclesiae septa non admittantur, nec detestabilis saecularium toleretur abusus Sacramentum Poenitentiae et Communionis ante ipsas fores Ecclesiae cantationibus et saltationibus profanis praecedendi et subsequendi: hymnis enim, psalmis et canticis spiritualibus illo salutis die attendere debent Fideles, ne, ubi peccatorum venia divinae gratiae ubertate impetratur, ibi divinae ultionis justitia profanitatum pravitate irritetur.

---

[1] Matth. 21, 13.
[2] * Ita et mendose quidem in aliis editionibus legitur. Videtur scribendum: *Miris illam plane coruscantem gloriae splendoribus.*
[3] Apoc. 21, 2. [4] Psal. 92, 5. [5] Psal. 25, 8.
[6] Matth. 21, 13. [7] 2. Tim. 2, 16. [8] Psal. 88, 40.

Quo sacrarum tubarum clangoribus ad Dei obsequium Deiparaeque Virginis devotionem Populus Dei magis magisque incitetur, mane, meridie et vespere Campanae, ubi sunt, pulsentur, Angelicam salutationem Populorum auribus insonantes.

Omnia denique et singula, quae ad Domus Dei cultum et honorem pro temporum et locorum qualitate conferre possunt, totis viribus curent Episcopi caeterique animarum curatores stabilienda, memores, quamplurimos abusus non tam saecularium praepotenti imperio, quam nostrae ignaviae vitio in Ecclesiae dedecus irrepsisse, nostro idcirco studio, industria ac labore eliminandos.

Illud tamen prae caeteris studeant Populis insinuare, quod omnia fere mala, quae nos undique perturbant, sterilitas terrae, temporalium rerum penuria, praedationes, oppressiones et reliqua calamitatum agmina hinc potissimum ortum ducunt, quia Domus Dei Fidelium devotione et frequentia deserta est: propterea, ait Deus, prohibiti sunt Caeli, ne darent rorem, et terra prohibita est, ne daret germen suum; et vocavi siccitatem super terram et super montes et super triticum et super vinum et super oleum et super homines et super jumenta et super omnem laborem manuum [1].

CAP. IX. De Altaribus sub dio positis.

Ecclesiis temporum injuria collapsis et vetustate consumptis, nec vel ob debacchantem Infidelium impietatem vel ob Fidelium socordiam restauratis, nuda succedunt Altaria, erecta in titulum dirupti Templi et veluti in signum Christianae possessionis. Haec porro, urgente Fidelium devotione et Catholicae jurisdictionis necessitate, cum ad Sacra peragenda aliquibus diebus Festivis adhibeantur, divinis propterea addicta Mysteriis, nefas quidem est ab impuris violari et veluti per abominationem desolationis contaminari. Cum autem praesentis pressurae calamitas excitandae a fundamentis Ecclesiae modum non suppetat [2], possibilia utique praecipientes edicimus, ut vigili Episcoporum cura et sedulo Parochorum labore praefata Altaria nudis saltem lapidibus vel ligneis septis ad collapsae Ecclesiae magnitudinem circumdentur, ne, facili immundorum patente ingressu, Altare Domini profanetur.

Caveant Parochi Missae Sacrificium super illa Altaria celebrare, quibus proxima et pene contigua est pessima Turcici Coemeterii abominatio, utique desolationis [3], facta (proh dolor!) in loco Sancto Altaris Domini. Tales autem profanationes saltem quadraginta passibus distent ab Altari, in quo divina peragenda sunt Mysteria.

CAP. X. De Missa Parochiali.

Cum praeceptum Domini sit, ne Fideles festis diebus laborent [4], operibus vacent mechanicis et occupationibus indulgeant profanis, utpote soli Deo per interiorem et exteriorem cultum mancipati feriantes, in illud potissimum curam omnem ac sollicitudinem intendant Pastores, ut animae sibi creditae, humanis curis expeditae, divina Festis diebus meditentur beneficia, tractent Sacra, orent et adorent Deum in Spiritu et veritate [1], Missae Sacrificium audientes. Propterea diebus divino cultui mancipatis celebrent Parochi in Parochialibus Ecclesiis, dummodo velo obtegantur, ad majorem Populi commoditatem, frequentiam, devotionem, necnon ad Pastoralis officii in verbi Dei disseminatione ac in tradendis Fidei rudimentis fructum uberiorem.

At si velum Templi scissum est [2], et collapsa jacet Ecclesia, tantum sereno Caelo et quiescentibus ventis in ea peragant Sacra Mysteria; diebus vero imbrium et ventorum turbini obnoxiis in decentiori loco Parochialium Aedium Parochialis ministerii munere perfungantur.

Quodsi in messi multa, nimia Villularum distantia sub duobus Parochis simul commorantibus Fideli coetui eximat commoditatem ad Parochialem Ecclesiam seu Aedem Festis diebus confluendi, nec novas erigendas Parochias Parochianorum patiatur pauperies, dividant tunc Parochi labores, et, seniore domi manente, junior ad distantia rura se conferat, Missae Sacrificium celebraturus et caetera Parochialia exercitia diligentissime peracturus.

CAP. XI. De Sacra Supellectili.

Sacra supellex, utpote Altaris ministerio et divino cultui mancipata, ea conservanda est munditia, ea colenda diligentia, quae et sanctimoniae participem et Sanctitatis decet instrumentum: quamvis enim nullis humanae pretiositatis splendeat fulgoribus, ex consortio [3] tamen Corporis et Sanguinis Domini sublimi est Majestate veneranda [4].

Ideo satagant Parochi suae creditam fidei diligentissime custodire, integram, mundam et perpolitam servare, lineam frequenter abluere; digna sugillandi animadversione, quorum incuriae vitio vestes sacrae pene sordescunt et vasa Altaris Domini ab assueto nitore degenerant.

Ad profanos illam usus nemo audeat accommodare. Quamvis enim lacera sit, diversis tamen Altaris usibus poterit inservire; at si nihil omnino valet ultra, ne contaminetur ab hominibus, igni devoveatur.

Notulae totius sacrae supellectilis, illius potissimum, quam Sacrae Congregationis de Propaganda Fide eximia pietas et excelsus Religionis ardor generosa providet beneficentia, in statutis supra inventariis de bonis Ecclesiae conserventur; et, ne assueta facilitate tam vasa quam vestes et alia hujuscemodi ornamenta depereant aut alio quovis audaciae modo alienentur, in

[1] Aggaei 1, 10. [2] * Forte *suppeditet*.
[3] Matth. 24, 15. [4] Exod. 20, 10.

[1] Joan. 4, 24. [2] Marc. 15, 38.
[3] * In aliis editionibus hujus Concilii mendose: *consensu*.
[4] Hier. epist. ad Theophilum [ep. CXIV. n. 2. secundum editionem Vallarsii. Opp. S. Hieron. Ed. Migne t. I. col. 934].

singulis visitationibus Parochi de Sacra Supellectile reddant rationem Episcopis.

CAP. XII. De Coemeteriis et Sepulchris.

Sola membra Ecclesiae, Spiritus Sancti quondam Templa, in resurrectionem vitae processura, Ecclesiasticae sepulturae digna habentur beneficio, a quo quaevis arcenda sunt profana, quaevis indigna submovenda, ut, quemadmodum debitus honor et cultus exhibendus est Ecclesiis, ita et Coemeteriis sua quoque conservetur Sanctitas ac rependatur Religio.

Quapropter Infideles, Haeretici, Schismatici, publice excommunicati, qui viventes nec Ecclesiam Matrem nec Deum habuerunt Patrem, ab Ecclesiasticae sepulturae refrigerio canonicis sunt sanctionibus repellendi; nulla enim participatio justitiae cum iniquitate, nulla societas lucis ad tenebras, nulla illis est in morte communicatio cum Fidelibus, quibuscum in vita noluerunt communicare.

Detestabilem quoque consuetudinem aliis publicis peccatoribus, mortuis in iniquitate sua, Ecclesiasticam concedendi sepulturam, omnino execrantes praecipimus, ne Parochi, sub poena suspensionis ab officio, jura sepulturae tam in Ecclesia quam in Coemeterio sponte ac libere indignis et prohibitis juxta canonicas sanctiones tribuant cadaveribus, graviores Ordinarii arbitratu poenas subituri, qui per summum simoniacae iniquitatis piaculum pecuniam vel alia dona cujuscunque generis non verebuntur pro execrabili functione exigere aut praetendere.

Anathematis gladio feriatur efferata quoque saecularis licentia, quam Fideles, spretis salutaribus Episcoporum et Parochorum monitis et praeceptis, sepeliendi in loco sacro praefata cadavera per vim sibi arriperent.

Execrabilem pariter consuetudinariam praxim funeralia celebrandi et ossa benedicendi mortuorum, qui decesserunt impoenitentes in pravitate cordis sui, publico potissimum concubinario foetore execrandi nulloque juvandi Ecclesiae suffragio, omnino damnamus, et Parochis caeterisque Ecclesiasticis viris sub statutis supra poenis indicimus, ne talia imposterum attentent; sordidas exactiones et pro hujusmodi damnandis exequiis iniquas pactiones Episcopi ea, qua decet majori, proprio reservata arbitrio, severitate studeant vindicare.

PARS IV.

CAP. I. De Parochis.

Sunt Parochi animarum Pastores, in partes vocati Episcopalis sollicitudinis, in crediti Dominici gregis custodia excubantes, laborantes, desudantes. Hinc omnes pia mentis trepidatione perpendant, quantae dignitatis fastigium, quanti laboris onus subeant ac ministerium. Digna plane animadversione sugillandi sunt, qui praeesse inhiantes, sibi solum prodesse, non aliis curantes, tanto villicationis debito mancipantur, tot animarum
a rei, quot per eorum negligentiam seu prava cupiditatis exempla depereunt: pascentes enim semetipsos, lac comedunt, lanis operiuntur et, quod crassum est, occidunt, gregem autem Dei divinis legibus pascere [1], laudabilis vitae exemplo enutrire, infirmum consolidare, aegrotum sanare, confractum alligare, abjectum reducere et, quod perierat, omnino negligunt quaerere, adeo ut dispersi greges, nullis virentibus herbis vegetati, nullis pascuis pinguibus saginati, tanquam sine Duce et Pastore, in cunctis aberrent montibus vitiorum et universo colle excelso voluptatum, facti in rapinam et devorationem omnium bestiarum agri. Hinc durissimum in reddenda ratione villicationis judicium terribilis divinae indignationis vox intonat: ecce ego ipse super Pastores requiram gregem meum de manu eorum et cessare faciam eos, ut ultra non pascant gregem nec pascant amplius Pastores semetipsos, et liberabo gregem meum de ore eorum, et non erit eis ultra in
b escam [2].

Diligenter ergo cognoscant Parochi vultum pecoris sui suosque greges considerent [3], nec solum, quae per reliquas Synodales sanctiones statuta et ordinata sunt, dictis et factis exactissima studeant complere observantia; sed quibus ministerio praesunt, moribus quoque et laudabilis vitae honestate adeo satagant eminere, ut in omnibus gravitatem, modestiam ac Religionem prae se ferentes, ad pietatem ac Dei cultum Fideles alliciant, et non solum Sapientibus, sed et in-
c sipientibus debitores [4], laudabilis vitae exemplo Infidelibus quoque laudandae ac venerandae Catholicae Religionis praebeant occasionem.

Quoniam vero per decentiam habitus extrinseci morum honestas intrinseca ostenditur [5], ideo in exteriori vestium compositione, quantum Othomanica sinit impietas, ideo [6] procedant, ut non hujus Mundi, sed superni Regis militiam bajulare ab omnibus videantur.

Abstineant ab annulis caeterisque exterioris indumenti phaleris, ne, dum hominibus appetunt videri clariores, publicae se obtrectationis dentibus exponant.

Extra Montes potissimum, ubi nullum adest vitae periculum, arma non deferant. In carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus; nam arma
d militiae nostrae non carnalia sunt, sed potentia Deo, in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi [7].

Caput non abradant, nec comas nutriant, in vertice tantum capitis clericalis tonsurae signum in modum coronae habeant, ut a Populo internis segregati charismatibus, externis quoque clericalis vitae characteribus segregentur.

Vestes, quantum fieri potest, ad nigri vel violacei saltem coloris accedant qualitatem, ut, qui Deo facti sunt Sacrificium, solum divini famulatus circumamicti vestimentis, Fidelibus saltem innotescant.

---

[1] Ezech. 34, 3. [2] Ezech. 34, 10. [3] Prov. 27, 23. [4] Ad Rom. 1, 14.
[5] Concil. Trid. sess. 14. cap. 6. [6] * Videtur scribendum *ita*.
[7] 2. Cor. 10, 3. 4. 5.

Ad Altare non accedant, Sacra peracturi Mysteria, a
sine veste talari, quam vernacula lingua Dolamam vocant: quo enim propiores per incruenti Sacrificii oblationem divinae adsunt familiaritati, eo decentiori compositione supernae inserviant Majestati.

In commissi gregis custodia assiduis excubent vigiliis et, ut egentibus Sacramentorum administratione celeri prospiciant auxilio, intra fines suae Parochiae continuam sibi habitationem constituant, nec, urgenti compulsi necessitate praescriptos fines transilire, nisi per tres vel ad summum quatuor dies aberrandi facultatem assumant, viciniori Parocho propriae curae commendantes custodiam.

Recitent Divinum Officium juxta praescriptam methodum a Breviario Romano, nec facultatem sibi arri- b
piant Franciscani Breviarii ritibus inhaerendi. Quisquis enim sua ministerii sorte contentus, in qua vocatione vocatus est [1], per statuti exercitii disciplinam ac per absolvendi pensi executionem immobiliter persistat.

Profanas declinent solemnitates, quibus effraenata saecularis licentia in comessationibus et ebrietatibus, in cubilibus et impudicitiis, in contentione et aemulatione [2] nonnullos Festos dies haud devote celebrant, sed profano ritu contaminant; quinimo in hac immanis pressurae, quae Provinciae nostrae incumbit, calamitate Episcoporum quoque cura et auctoritate totis viribus satagant peccaminosam eliminare consuetudinem, et prudentibus monitis et salutaribus praeceptis Fide- c
libus insinuantes tollendi abusus necessitatem, cum per illum et ipsi in judicium conveniant, et pretiosa quaeque dantes pro execrandi cibo convivii, gemunt postmodum, et quaerentes nec inveniunt panem ad refocillandam animam [3], nec, quod deterius est piisque lachrymis prosequendum, habentes pecuniam vectigalium onere sublevandi, a Fide naufragant et in barathrum Othomanicae infidelitatis miserabiliter immerguntur, fitque eis mensa eorum in laqueum, in captionem et in scandalum [4].

Illas quoque mensas a Parochiali domo omnino eliminent, quibus Festis pariter diebus in aliquibus locis solet Populus propriis sumptibus manducans, bibens et ludens nulloque spirituali pabulo recreandus convenire: non enim aequum est, Parochos derelin- d
quere verbum Dei et ministrare mensis [5], nec proprias domos habentes ad manducandum et bibendum sacras Parochiales Aedes, in quibus potissimum Divina peraguntur Mysteria, contemnere et confundere eos, qui non habent [6].

Non immisceant se negotiis saecularibus, mercaturis potissimum et aliis quibusvis negotiationibus illicitis, ac saecularibus judiciis praesidentes et criminales quoque causas judicantes, nullo modo dent operam. Tales enim, dum mundanae vertiginis quotidie rotantur impulsu, a saecularibus ulla vix ratio discernit. Possunt tamen, imo et debent ea, quae pacis sunt, procurare, jurgia, rixas, contentiones more patrio componere, cum Turcis de imminuendo tributi onere et sublevanda Fidelium calamitate in summa Christianorum hominum charitatis et idoneitatis penuria agere et contractare.

Medicinam et Chirurgiam non exerceant, animae, non corporis se Medicos profitentes.

Avaritiam pecuniaeque cupiditatem quasi omnium criminum radicem evitent, nec ullam miserae Parochianorum paupertati in extorquendis decimis violentiam adhibeant, ne sanguis subditorum de manibus eorum requiratur, imo erga eos, ne in apostasim prolabantur, sua largientes misericordiae viscera aperiant.

Munditiam cordis, castitatem corporis, tanquam praecipuam clericalis militiae tesseram, ab omni naevo infamiae illibatam conservent, canonicis Sacerdotes plectendi poenis, qui Sacrum dare, hoc est Sacrificium Deo offerre debentes, maligno se Spiritui non verentur per incontinentiam carnis victimam immolare.

Singulis saltem mensibus sacramentalis confessionis expiatione emundent conscientias suas ab operibus mortuis peccatorum, ad inserviendum Deo viventi [1] in Sanctitate et justitia coram illo, Fidelibus quoque exemplum daturi frequentiori devotione ad Poenitentiae accedendi Sacramentum.

Nemo Parochos vel Clericos ad Turcica tribunalia citare audeat. Cum enim Ecclesiastici hominis Ecclesiasticus Judex sit, ad solum Episcopale forum in dirimenda inter Clericos vel cum Clericis controversia accedendum est.

Quicumque in manu potenti vel Turcarum brachio excelso suffultus in Parochiam se intruserit aut, ab Ordinario suspensus vel alia Ecclesiastica innodatus censura, violenta Turcarum officia directe vel indirecte expostulaverit, excommunicationis poenam incurrat, Romano servatam Pontifici. Aequum enim est, ut, qui summa imis per sacrae libertatis profanationem contaminant, in infimam vilitatem degeneri abeuntes audacia, suprema anathematis censura pro Ecclesiastica immunitate feriantur.

Monentur Episcopi, ut institutionem Parochorum ipsis scripto adhibeant, Ecclesiastici regiminis tutissimae regulae inhaerentes.

Cum nihil magis officiat animarum saluti, quam ab illis gubernari, qui seipsos regere non possunt, curam omnem ac sollicitudinem impendant Episcopi, ut ad animarum curam admittendi obeundi muneris calleant rationem. Ad Sacerdotium provecti, Parochialis ministerii rudimenta deponant sub directione alterius Parochi, a quo officium suum rite obire addiscant. Incauta enim ducuntur praecipitatione, qui curandi gregis inexpertes ad Parochialia provehunt ministeria et, sublato quandoque veterano Parocho et

[1] 1. Cor. 7, 20. [2] Ad Rom. 13, 13. [3] Thren. 1, 11.
[4] Rom. 11, 9. et Psal. 68, 23. [5] Act. 6, 2. [6] 1. Cor. 11, 22.

[1] Heb. 9, 14.

21*

emerito Duce, novum ac omnino rudem in perniciem animarum subrogant curatorem.

Omnium Synodalium Decretorum Parochi habeant exempla illaque oculis lustrantes, assidua quoque mentis consideratione revolvant et opere compleant: ipsorum vero incuriam et negligentiam in observandis praescriptis sanctionibus, ubi nullas praescripsimus, discreto zeli fervore Episcopi arbitrariis poenis coerceant.

CAP. II. De Curatorum proventibus eorumque recta et oeconomica administratione.

Omnia bona Ecclesiae, vel ex decimarum solutione vel ex praediorum fructibus vel ex alio quocumque capite in Parochiales proventus proficiscentia, peculium Christi merito nuncupatur. Traditur enim Parochis, tum ad honestum eorum vitae subsidium et spiritualis sumptum ministerii, ut, qui Ecclesiae inserviunt, de Ecclesia quoque vivant [1], tum ad Christi familiam in pauperibus et egentibus alendis sustentandam. Idcirco Parochus praeter animas sibi commissas Ecclesiae quoque facultates pervigili semper attentione gubernet, ne vel Ecclesiae dissipator vel, quod absit, pauperum jugulator per subtractionem alimenti videatur.

Caveat sub anathematis comminatione quidquam ex bonis Ecclesiarum sive mobilibus sive immobilibus donare, vendere aut alio quocumque modo vel colore alienare; sed ea potius omni honesta ratione augere et Christi facultatum vere Custos dicendus et Pastor fideliter studeat observare.

Ut autem in praesenti calamitatum congerie Parochialium Ecclesiarum, quantum fieri potest, consulatur indemnitati, et quae supersunt facultates, majori conserventur cautione, decernimus et sancimus, ut omnium bonorum mobilium seu immobilium, jurium, actionum, annuorum censuum sive redituum cujuscumque Parochialis Ecclesiae duo inventaria Episcopi auctoritate munita conficiantur, quorum unum apud Parochum, alterum apud Ordinarium conservetur. Episcopi vero in suis visitationibus sedulo inquirent, an intacta omnia juxta instrumenti tenorem existant; quodsi quid deesse compererint, recuperare studeant, et Parochi [et] cujuscumque alterius culpam poenis vindicent severioribus.

Parochus, qui vel vineam plantavit vel alio quocumque modo bona Ecclesiae auxit, impensi laboris gaudeat fructibus nec, nisi urgente canonica necessitate, a Parochiali officio removeatur.

Post obitum Parochi Ecclesiae Benefactoris, ejus secundum carnem haeredes et propinqui nihil audeant de impensi sumptus ratione in Ecclesiae bonis vindicare vel praetendere, eorumque temerarios ausus Episcopi anathematis gladio compescant.

Quoniam vero in nonnullis locis plures Parochi communi domicilio laudabiliter contenti, communis quoque spiritus unanimitate quamvis in excolenda vinea Domini quandoque insudent, saepius tamen orta inter eos contentione, quis eorum in oeconomica administratione videatur esse major [1], dum de ambitu certant superioritatis, perturbato rerum ordine, in perniciem confoederantur christianitatis. Ne autem spirituale aedificium, quod charitate et concordia coalescit, discordia maxime collabatur, praecipimus et mandamus, ut praefati Parochi in communi domo communi mensa victitantes, minores obsequantur majoribus et, qui diuturnioris servitutis merito caeteros antecellit, in oeconomica quoque rerum administratione ita antevertat, ut praeter quotidianos necessarios sumptus, nec inferiores sine primi Parochi licentia, nec superiores sine Comparochorum consensu quidquam audeant de communibus proventibus dispensare aut alio quocumque modo disponere; sed singulis annis, ut solent, qui supersunt fructus, pro rata portione eos fideliter studeant dividere, ut de caetero charitas, quae Deus est, individuae unitatis in eis teneat Principatum.

Quodsi Parochus in oculorum caecitatem vel in senilem aetatem vel alium quemcumque morbum, potissimum leprae, inciderit nec administrandae compos Curae fuerit, alius illi Parochus substituatur, cum quo cunctos fructus dividat et propriae necessitati provideat.

At vero, ubi Parochiales proventus adeo tenues existunt, ut duos Parochos non patiantur alendos, ne, senescente jam mundo, charitas quoque refrigescat [2], cum omnes Parochi in uno spiritu unanimes, alieni quoque casus ducti timore, nobis exposuerint, se promptos paratosque esse miserrimae Parochorum impotentium paupertati singulis annis impendere, quidquid a nobis sancitum fuerit: Nos digno commendationis elogio mutuae Parochorum misericordiae viscera prosequentes, discretionis zelo decernimus, ut pro sustentando impotenti Parocho, cui Dominicus semel ager ab eo excultus per supervenientem Curatum ad victum necessaria non valeat suppeditare, singulis annis singuli Parochi viginti occhas, ut vocant, tritici et quadraginta argenteos, aspras dicunt, Episcopi vero duplo magis subministrent, nec ad alios alterius jurisdictionis nisi libera charitatis electione se extendant.

CAP. III. De Alumnis Sacrae Congregationis de Propaganda Fide.

Ea inest Sacrae Congregationi de Propaganda Fide charitatis amplitudo, ut, dum verae Religionis cultum longe lateque per alias Mundi Nationes divino zeli fervore dilatare contendit, Albanae quoque genti iisdem beneficentiae commodis occurrat; potissima in Collegiis sita Albanae juventuti bonis artibus et disciplinis instruendae ad divinae gloriae augmentum Patriaeque salutem liberaliter elargitur. At vero tantae pietatis opus, cum nonnullis abhinc annis per filios inobedientiae, ab instituti sui ratione degeneres, inanium vi-

[1] 1. Cor. 9, 13.

[1] Luc. 22, 24. [2] Matth. 24, 12.

litate praetextuum violetur dignisque fraudetur fructibus, Alumnos monemus per viscera misericordiae Jesu Christi, ut memores militiae, cui nomen dederunt, peracto studiorum curriculo, in Patriam properantes nihilque cunctantes revertantur, pro Deo et Ecclesia pugnaturi, necnon animas, pretioso Christi sanguine redemptas protensisque manibus eorum opem implorantes, ab hostibus et inimicis Crucis Christi pro viribus defensuri. Sciant, se teneri, vitae probae ac morum fulgore micantes, doctrinae Evangelicae ac zelo animarum ardore flagrantes [1], veluti candelabra super montium jugis sita, tenebras tam infidelitatis quam haereseos viriliter dissolvere et intra fines propriae Provinciae sistentes, in Divinis administrandis omnem laborem, studium operamque pro animarum salute impendere. Hoc Deo voverunt, Sacrae Congregationi spoponderunt, ut propterea piaculum sit, doctrinae uberibus bonorumque omnium ubertate impinguatos recalcitrare et a promissa vitae ratione, veluti nullis juvandae Patriae legibus adstrictos, in viam efferatae cujusdam libertatis prosilire.

Illos vero, qui post annorum seriem extra fines Provinciae, nullo fulti Sacrae Congregationis beneplacito, propriae tantum commoditati indulgentes, adhuc non verentur commorari, si ratio officii et debiti toties monitos, honoris ac salutis negligentes, movere non potest, ut in Provinciam revertantur, moveat animarum salus, quae per eorum absentiam depereunt, justissimo Dei judicio de eorundem manibus repetendae.

Rogamus quoque et enixe in Domino obtestamur omnes, quotquot sunt, Archiepiscopos et Episcopos, ut, si quos hujus nominis Alumnos in suis Dioecesibus noverint delitescere, zelo zelantes pro pene desolata Domo Dei in Patriam remittant, nullum excusationis locum, quae sua sunt, non quae Jesu Christi, quaerentibus ac falsis omnino praetextibus discriminum (quae tamen pro animarum salute usque ad sanguinis effusionem subire tenentur) laborantibus relinquentes.

Meminerint Alumni, instituti sui celsitudinem, nullius Parochiae finibus circumscriptam, solo esse Episcoporum arbitrio limitatam. Idcirco peculiari quodam subjectionis genere Episcopis pareant illucque exactissima promptitudine accurrant, quo ejus [2] jussio vocat, necessitas major urget et animarum salus, cui se perpetuo devoverunt, compellit. Quicumque enim secus fecerit, sciat, se inobedientiae nota sugillandum, praetermissi quoque debiti sui rationem Deo et praefatae S. Congregationi redditurum.

CAP. IV. De Patribus Missionariis.

Missionariorum munus est docere, praedicare et baptizare. Excelsum quidem ministerium, quod in
a Apostolicis Viris ardor perpetuus, labor immensus, zelus singularis nullisque limitibus circumscriptus complet ac perficit. Hinc militantis Ecclesiae strenui bellatores, Apostolorum vestigiis ac laboribus inhaerentes, cum vitiis et concupiscentiis, cum inimicis Crucis Christi [1] praeliaturi, stare debent succincti lumbos suos in veritate et induti loricam justitiae et calceati pedes in praeparatione Evangelii pacis, in omnibus sumentes scutum Fidei, galeam salutis et gladium Spiritus, quod est verbum Dei [2], et qui in hac Fidei palaestra pro Deo et Ecclesia militantes, animarum salutem, Religionis catholicae incrementum veluti pretiosa Christi trophaea erigere jubentur, ad summos deinceps ac vere Apostolicos labores per haec nostra Decreta ex-
b citantur. Quidquid enim vel Apostatarum impietas vel claudicantium iniquitas vel caeterorum Christi Fidelium praestat detrimenti infirmitas, eorum praesertim opera mandamus restaurandum, quorum potissima cura fieri debent prava in directa et aspera in vias planas [3], ut in se reversus videat omnis homo salutare Dei.

Ne autem, dum foris pugnae, intus quoque appareant timores [4], in illud primo curam omnem et sollicitudinem intendant Patres Missionarii, ut, quidquid Apostolicae conversationis lucem obtenebrare potest, pro viribus dissolvatur et, qui verbi ministerium extra gerunt, intra domesticos quoque parietes solitum regularis disciplinae nitorem illibatum conservent.

Quia vero qualibet victimarum oblatione melior est
c acceptabile Deo Sacrificium obedientia, in hujus Sanctae ac Religiosae virtutis observantia potissimum Patres emineant, pendentes a nutu et omnimoda directione Patris Praefecti et, quo ejus urget auctoritas, illuc exactissima accurrant promptitudine, nullis omnino excusationis praetextibus a praestanda eximendi obedientia.

In absentia Praefecti parem gerant morem ejus Vicesgerenti sive Vicepraefecto, quem ipse Praefectus, in alias Regiones ex consensu Sacrae Congregationis de Propaganda Fide aliquando profecturus, ex numero Patrum non solum aetatis gravitate aut diuturnioris merito servitutis, sed probitatis, Religionis, prudentiae caeterisque eminentem virtutum fulgoribus eligat meliorem.

In quolibet hospitio sive domo Missionis obediant
d caeteri Praeposito sive Praesidenti, a Praefecto vel Vicepraefecto ad tempus assignato, illique in oeconomicis subditi sint, nihil dando vel accipiendo aut habendo sine ejus jussione. In animarum vero cura ambulent omnes cum consensu in pari causa; pares animos ac labores impendentes, nec in excolenda vinea Domini ullo praecedentiae aut majoritatis ambitu efferantur; quinimo praecedentes domi auctoritate praeemineant quoque foris exemplo, aliis modum praebentes animas pretioso Christi sanguine redemptas per incommoda, per discrimina, per vincula, per carceres, per ipsam quoque sanguinis effusionem a Daemonis fraudibus eripiendi.

---

[1] Urb. VIII. in Bul. erec. Colleg. de Propag. Fide. [*Immortalis Dei*, d. 1. Aug. 1627. In novissima et locupletissima bullarii editione (Romae apud Marietti) legitur: *doctrinae evangelicae, zelo animarum ardore flagrantes;* sed haec interpunctio videtur mutanda et virgula post *zelo* ponenda. Nobis tamen magis placeret, *doctrinae ev. ac zeli animarum ardore flagrantes* scribi.]

[2] * Scribendum est *eorum*.

[1] Philipp. 3, 18. [2] Eph. 6, 14. [3] Luc. 3, 5. [4] 2. Cor. 7, 5.

Non equitent juxta eorum regulae praecepta sine necessitate, nec Medicinam sive Chirurgiam exerceant sine Sanctae Sedis indulto, ne, dum aliorum curant infirmitates, ipsi in spiritualem morbum incidant graviorem. Sciant tamen, se animae, non corporis Medicos esse ac, indulgente quoque licentia, ad spiritualia potius quam ad terrena medicamina attendant, plus animae quam corpori impendentes.

Ne inter Fratres vel de Fratribus scandalum oriatur, ut Seraphica jura clamant, nemo tam in Baptismi quam Confirmationis Sacramento Patrini vel Compatris munere fungatur. Nec ritum primos tondendi capillos pueris puellisque exerceant: strictissimam enim Religiosae vitae observantiam Apostolici Missionarii officium nec destruit nec dispensat, imo perfectam professionem perfectiori vocatione et salubrioris instituti ratione aedificat et confirmat.

Meminerint Patres, se Coadjutores esse Episcoporum. Propterea, communicato mutuae charitatis ardore, in procuranda Dominici agri ubertate manus dent Episcopis illosque sincera verbi Dei disseminatione adjuvent in opus ministerii, in aedificationem Corporis Christi [1].

Non coarctentur tamen ab Episcopis ad examen pro confessione audienda, nec intra fines suae Missionis ab eorum pendeant facultate tam in exercendo munere Confessarii quam in obeundo praedicationis officio, cum ab ipsa instituti ratione ac privilegio hujusmodi careant obligatione.

Priusquam vero exponantur officio audiendi confessiones, a Patre Praefecto vel ab alio ad hoc specialiter Deputato examinentur circa peritiam Albanae linguae, ut latissimae messis meritique campum tutissimo cursu et velut inoffenso percurrant pede.

Quod in superioribus et aliis sequentibus capitulis de animarum curatoribus praescripsimus, idem quoque Patribus respective injungimus, ut rebus Religionis graviter inclinatis Apostolicos humeros supponentes reparent Domum Dei. Cumque juxta Apostolum verbum Dei non sit alligatum [2], non tantum sonet in Ecclesiis, sed per rura, per campos, per privata pauperum domicilia eorum vox, labor et praedicatio decurrat, ne tepidus aut frigidus Apostolicae sententiae experiatur severitatem: Vae mihi, si non evangelizavero, quia dispensatio mihi credita est [3].

Apostolico ritu Villulas suae subditas Missioni assidue lustrent, dispersas Catholici nominis reliquias invisant, infirmos in Fide roborent, lapsos et devios in viam salutis revocent; et redeuntibus aliis domum, alii quoque in messem nimis amplam opportuno et continuo motu succedant. Sic enim de Christi vinea assidua peregrinatione solliciti, venientes tandem venient cum exultatione portantes manipulos suos.

Pater Praefectus Serviae et Albaniae semel in anno per omnes Missiones visitationis laborem extendat et Sacram Congregationem de Propaganda Fide de illarum statu ac spirituali progressu juxta traditam Episcopis methodum certioret.

Idem quoque praestabit Pater Praefectus Macedoniae, bis tamen in anno, verno scilicet et autumnali tempore, Missiones numero pauciores lustrabit.

Uterque porro charitatis discretione permotus, necessarias facultates Patribus et potissimum longiori via distantibus communicet, ut subitis casibus opportuna applicentur remedia, ne dilato medicamine spirituale vulnus recrudescat.

CAP. V. De Schola Corbinensi et Alexiensi.

Inter caetera a Sacra Congregatione de Propaganda Fide collatae beneficentiae argumenta illud quoque numerandum est, quod provido zeli fervore externis studiis domesticam adjungens disciplinam, ad instituendos Clericos in viis Domini et litterarum informandos rudimentis scholam Corbinensem, annua Magistro assignata pensione, instituerit. Magna quidem hucusque fere in obeunda muneris sui ratione Gymnasiarchae laborarunt negligentia, sed in ipsis potissimum praeteritorum bellorum incendiis omni penitus extincto fervidae charitatis igniculo, tam salutaria Provinciae exercitia fuere intermissa, Sacra Congregatio conceptae spei expectatione fraudata; et ipsa Dyrrachiensis Provincia doctrinam et morum integritatem in Ecclesiasticis viris desiderans, alio deficiente instruendae juventutis suffragio, per assiduitatem praefati Magisterii remedia opportuna dolenter flagitare non desinit. Quapropter Corbinensi Ludimagistro praecipitur, ut debiti sui memor assidua sollicitudine injuncti ministerii pensum satagat absolvere, quo et propriae consulat conscientiae et Provinciae egestati in summa idoneorum Parochorum penuria juxta piam mentem praefatae Sacrae Congregationis succurrat. Methodum autem docendi talem retineat et indispensabiliter observet.

Praeter legendi intelligentiam scribendi quoque peritiam tradat discipulis. Utrumque enim Parochialis exercitii, ad quod talia tendunt studia, basis est et fundamentum. Nec scriptionis rationem veluti parva quaeque despiciat. Deficientes namque in hoc uno nec latinae linguae studiis nec Ecclesiastica Pastorali queunt informari disciplina. Hinc deplorabilis rerum status, Parochorum lugenda inscitia et Fidelium, qui ab idoneis propterea minime reguntur, miseranda Magistrorum vitio oriuntur discrimina.

Postquam haec prima documenta tradiderit, grammaticae rudimentis Juvenes informet necessaria latinae linguae cognitione imbuendos.

Assidua Catechismi explicatione et harum Provincialium constitutionum lectione illos exerceat, ut et Ecclesiasticos ritus cognoscere et recte animarum curam suo tempore possint ministrare. Haec de litteraria disciplina; pauca quidem, sed in magnos processura animarum progressus, si exacta, uti debent Magistri, diligentia observentur.

[1] Eph. 4, 12. [2] 2. Tim. 2, 9. [3] 1. Cor. 9,

At pari sedulitate curandum est, ut Clerici in semita mandatorum Domini dirigantur et forma gregis efficiendi pietatem, Religionem bonosque mores erudiantur. a

Idcirco satagat, ut Festis solemnioribus et singulis mensibus conscientiam aperiant, peccata confiteantur et, si per prudentiam et aetatem habiles sint, et sacris Dominici Corporis dapibus reficiantur; modum quoque proprias conscientias exonerandi et expurgandi illos edoceat, ut alienas quoque examinare addiscant.

Sabbato vel alio commodiori hebdomadae tempore libellum Doctrinae Christianae memoriter cogat eos recitare et per mutuas interrogationes de ipsa omni poscenti reddere rationem.

Quodsi Magister animarum curam exerceat, in b Parochialium rerum ministerio singulos Clericos pro sua vice secum habeat, ut, quod verbo illos edocet, opere quoque complendo, modum Pastoralis officii faciliori exempli methodo Clericis subministret.

Obtestamur autem in Domino Venerabilem Fratrem nostrum Archiepiscopum Dyrrachiensem pro tempore existentem, ut pro debito Pastoralis officii, pro vineae Domini ubertate et commissi gregis securitate tanti ponderis ministerio continua excubet vigilantia, ne assueta Magistri negligentia discipulorum progressus desideretur et totius Dioecesis deploretur jactura. Super hoc quidem ejus oneratur conscientia, ut, si Praeceptor munus obire neglexerit, Sacram Congregationem de Propaganda Fide certioret, quo desidi et socordi alius c idoneus et muneri aptior sufficiatur.

Iisdem legibus pareat Ludimagister Alexiensis juxta piam mentem Reverendissimi Fratris Georgii Episcopi Alexiensis. Vegliae institutus eumdem servet disciplinae modum, eadem invigilet sollicitudine, in ipsa temporum necessitate, in Ecclesiasticae disciplinae jactura et Ecclesiae prodesse et communi utilitati consulere piis studiis insudet totisque viribus satagat et incumbat.

CAP. VI. De consulendo communibus Provinciae necessitatibus.

Inter caeteras Pastoralis officii sollicitudines, quibus incessanter premimur, illa quoque fortius nos angit, ut, quidquid ad sublevandas Fidelium calamitates Populosque tam Serviae quam Albaniae in Fidei sinceritate (quolibet semoto obscuritatis velamine) immobiles inviolatosque servandos conferre potest, totis viri- d bus amplectamur et promoveamus. Sane tot tributorum onera gravia et intolerabilia, quibus Fidelium pauperies opprimitur, et non habentes, unde solvant, in barathrum Mahometicae sectae miserabiliter prolabuntur; diruptae Ecclesiae, quibus restauratio ad decorem Domus Dei per manum Turcarum praepotentem denegatur; Sacerdotum quoque oppressiones et alia malorum agmina, quae in Provinciarum confoederantur jacturam et Petri naviculae partem, instantibus procellis, debilitare videntur, a Rectoribus quidem potissima exposcunt remedia. Clamandum plane est in naufragii periculo constitutis et precibus ad Deum fusis dicendum: Domine, salva nos, perimus [1], ut, qui nostris iniquitatibus offensus hactenus in puppi dormitasse videtur, exsurgat tandem in adjutorium nostrum, et dissipentur inimici ejus [2], imperetque ventis et mari, fiatque tranquillitas magna [3]. At, qui nullius creaturae suae indiget ministerio Deus, vult tamen pro sua benignitate humanis quoque nos insudare cooperationibus. Haec itaque a Metropolitano Archiepiscopo Visitatore proposita et mature considerata attendens statuit Sacra Synodus, ut ad Legatos Christianorum Principum Constantinopoli degentes expressa idonei viri expeditione nomine Provincialis Synodi litterae mittantur, et eorum auxilia implorentur nostris malis opportuna, sumptus necessarios tam pro itinere quam pro quacumque rei exigentia Archiepiscopis et Episcopis singulis pro rata persoluturis. Sperandum quidem est, Deum Optimum Maximum, in cujus manu sunt omnium potestates et omnium jura Regnorum, quippe suscitavit Spiritum Cyri Persarum Regis, ut aedificaret ei Domum in Jerusalem [4], per Christianissimorum instantiam virorum, zelo zelantium pro Domo Domini exercituum, Turcarum corda immutaturum in melius ad laudem et gloriam ejusdem Omnipotentis Dei, decorem Domus ejus, Catholicae Religionis incrementum Fideliumque omnium salutem et securitatem.

CONCLUSIO.

Omnia et singula pro muneris nostri et injuriae temporum ratione habita et constituta Decreta Sanctissimo Domino nostro, Christi in terra Vicario, universalis Ecclesiae Moderatori Maximo, infallibili Dogmatum Legislatori et Judici, ea, qua in hac nostra Synodo legitime congregata debemus, humilitate, genibus in obedientiam flexis, submittimus et Sanctae Romanae Ecclesiae, omnium Ecclesiarum Matri et Magistrae, nec non Sacrae Congregationi Cardinalium negotiis Propagandae Fidei Praepositorum emendanda et corrigenda ad laudem Omnipotentis Dei Fideique propagationem toto animi obsequio subjicimus.

Nos Vincentius Zmajevich Archiepiscopus Antibarensis Serviae Primas, Visitator Apostolicus Albaniae, definientes subscripsimus.

Ego Petrus Zumi Archiepiscopus Dyrrachiensis assentiens subscribo.

Ego Petrus Caragich Archiepiscopus electus Scuporum assentiens subscribo.

Ego Georgius Episcopus Sappatensis assentiens subscribo.

Ego Nicolaus Uladagni Episcopus Alexiensis assentiens subscribo.

Ego Antonius Babbi electus Episcopus Scodrensis assentiens subscribo.

---

[1] Matth. 8, 25. [2] Psal. 67, 1. [3] Matth. 8, 26.
[4] 2. Paral. 36, 22.

Ego Marinus Gini electus Episcopus Pullatensis assentiens subscribo.

Fr. Aegidius de Armento Praefectus Apostolicus Missionum Albaniae meo et PP. Missionariorum nomine assentior.

Ego Fr. Franciscus Maria a Lycio Praefectus Apostolicus Missionum Macedoniae meo et Missionariorum nomine assentior.

Ego Fr. Martinus a Gionima Minister Provincialis meo et Patrum de Observantia nomine assentior.

Fr. Raymundus Gallani a Secretis.

Litterae Instrumentales decisivae Confinium inter Episcopatum Alexiensem et Archiepiscopatum Dyrrachiensem.

In nomine Christi Amen. Anno a Nativitate ejusdem 1638. Indictione, 6. die vero 14. Decembris, Actum Merchignae Dioecesis Alexiensis in Aedibus Episcopalibus solitae residentiae Illustrissimi et Reverendissimi Episcopi Alexiensis coram me Francisco de Leonardis, Archidiacono Traguriensi et in hac causa Commissario et Executore Sacrae Congregationis Eminentissimorum et Reverendissimorum Cardinalium negotiis Propagandae Fidei Praepositorum, necnon coram admodum Reverendo Patre Hyacintho a Cespitello, Mino[rum strictio]ris observantiae Reformatorum Missionario Apostolico in Epiro, et coram infrascriptis Testibus, specialiter ad hoc vocatis et rogatis etc.

Ibique personaliter constituti Illustrissimus et Reverendissimus Dominus Frater Benedictus Ursinus Ragusinus, Episcopus Alexiensis, ex una parte, ac Illustrissimus et Reverendissimus Dominus Frater Marcus Scura de Croja, Episcopus Albanensis ac totius Archiepiscopatus Dyrrachiensis administrator universalis, ex alia, sponte etc. per se et successores suos omni meliori modo etc. devenerunt ad infrascripta pacta, transactiones et conventiones (salvo tamen semper, et quatenus opus fuerit, consensu et beneplacito Sedis Apostolicae ac praefatae Sacrae Congregationis Propagandae Fidei) videlicet: Cum diu controversum fuerit, et variae lites et dissidia intercesserint tam inter ipsos supradictos Illustrissimos et Reverendissimos Dominos Episcopos Alexiensem et Albanensem quam inter eorum Praedecessores, nec hactenus ullo pacto componi seu omnino definiri potuerit super fines et limites utriusque Ecclesiae Alexiensis et Albanensis a parte Orientis et jura Episcopalia in diversis Ecclesiis, tam Parochialibus quam simplicibus, intra eosdem terminos seu fines existentibus; cumque tandem supradicta Congregatio de Propaganda Fide per expressas litteras sub data 24. Aprilis 1638., quarum executionem mihi supradicto Archidiacono mandavit, ipsi Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Episcopo Albanensi commisit, ut observaret fines et terminos in folio sibi transmisso descriptos ac cederet Ecclesias in eodem folio enunciatas juri et jurisdictioni ejusdem Episcopi:

Tenor autem litterarum et folii annexi sequitur. A tergo: Illustrissimi, e Reverendissimi Sig., come Fratelli, Monsignori li Vescovi Sappatensi, e d'Albania; intus vero: Molto Illustri, e Reverendissimi Signori, come Fratelli. Essendosi in questa Sacra Congregazione esaminata con diligenza la differenza de' confini, che hanno le Signorie Vostre con Monsignor Fra Benedetto Vescovo d'Alessio, è parso a questi miei Eminentissimi Signori, che li confini notati nell' aggiunto foglio siano ben provati a favore del suddetto Vescovo d'Alessio, e che le Chiese nel medemo foglio nominate, si appartengano a quello; pero non essendo bene, che le Signorie Vostre contendino più sopra li suddetti confini per lo scandolo, che possono ricevere non solo li Fedeli, ma gl' Infedeli ancora, e per gli altri gravi inconvenienti, che sogliono succeder da simili contese, e massime in cotesto parti sotto li Turchi, la medema Congregazione desidera, che si quietino, ed osservino li suddetti confini, e lascino alla detta Cura del Vescovo d'Alessio le Chiese nel detto foglio enunciate, sicuro di fare cosa gratissima all' istessa Sagra Congregazione, e per fine me le offro, e raccomando. Roma li 24. Aprile 1638.

Delle Signorie vostre, come fratello il Cardinal Antonio Barberino, Francesco Ingoli Segretario. Ad latus vero: Vescovi
a d'Albania, e Sappatense. Foglio. Confini della Diocesi del Vescovato d'Alessio. Dalla parte Orientale confina per parte del Mare con la Diocesi del Vescovato di Croja, mediante il Fiume Matia, caminando per S. Giorgio di Cucula, tra il detto fiume Matia, e Fandi, per S. Nicolò di Massagni, e S. Maria di Laccigheghi, e deriva infino al Fiume Drino per drittura. Dalla parte Occidentale confina parimente con la Diocesi del Vescovato di Scutari, mediante il Pantano Casticuccia per mezzo la Villa di Cuculi, per Foglietta maggiore, cioè Albero grande, in nostra lingua, d'Olmo, e di più con il Vescovato Sappatense, mediante il Ponte della Villa di Blinisceti, e per luogo detto Stogh, cioè Sambucco, e per torrente detto Chissoeba, e per Palumbo, e per S. Nicolò de Calami, e a drittura al Ponte di Lecca, e pure a drittura al viaggio detto Sissa, e deriva al Fiume Drino, per la costa di Monte Negro tra Ballani, e Fandi picciolo, ed Elia al Fiume Confni.

Chiese, che appartengono alla Diocesi del Vescovato d'Alessio, contenute fra li soprascritti confini: Sanctus Nicolaus Alexii Cathedralis. S. Georgius et S. Maria de Castello; item S. Maria
b ultra flumen, Monasterium. S. Joannes de Rennense. S. Veneranda de Ballareni. S. Nicolaus de Cacharich. S. Eufemia de Calameti. S. Salvator de Velia, S. Joannes de Merchigna, SS. Cosmas et Damianus de Manthia. S. Blasius de Salumundi, S. Demetrius de Darda, S. Alexander de Bocchiano et Gaibbi, S. Nicolaus de Soimeno, S. Barbara de Pedana, S. Georgius de Ficu, S. Salvator de Rebico, S. Georgius de Cucula, S. Joannes de Bulgari, S. Maria de Nderfandina et de Blexis, S. Veneranda, et S. Marcus de Nchtella, S. Alexander supra Montem Miriditarum, Abbatia, S. Maria et S. Marcus de Fandi Vogoli, S. Demetrius de Fandi Mad'e, S. Paulus et S. Stephanus de Blinisceti, S. Maria de Sperdasa, S. Georgius de Gianula, S. Michael de Castagneti, S. Crux ad Flumen Glomesichium, S. Nicolaus de Flumine Calami, S. Veneranda de Reja, S. Trinitas de Schiesa et S. Maria Magdalena de Barbatiorum et tandem aliae quaedam destructae, aliae vero parvi momenti inter supradictos terminos Dioecesis Alexiensis.

Verum cum aliqua difficultas oriretur circa totalem executionem supradictae commissionis Sacrae Congregationis, praeci-
c pue circa nonnullas Ecclesias, quarum jura Episcopalia praetendebat idem Illustrissimus et Reverendissimus Albanensis suos Praedecessores habuisse per immemorabilem possessionem, habita etiam accurata consideratione locorum et Populorum, perpensis quoque incommodis facile emersuris, si ipsa ad amussim et integre demandaret executioni, ob bonum pacis et concordiae tam ipsorum Illustrissimorum et Reverendissimorum Episcoporum quam animarum illis commissarum et ad vitanda scandala multoties hac de causa orta, praedictus Illustrissimus et Reverendissimus Albanensis seu Crojensis, tanquam filius obedientiae, sciens rem gratissimam facturum Sanctae Sedi Apostolicae et Sacrae Congregationi de Propaganda Fide, virtute ejus commissionis per se et successores suos sponte et libere cessit et reliquit Curae et Jurisdictioni Illustrissimi et Reverendissimi Domini Episcopi Alexiensis Ecclesias infrascriptas, videlicet: S. Mariam de Nderfandina, S. Alexandrum supra Montem Miriditarum Abbatiam, S. Mariam et S. Marcum de Fandi Vogoli, S. Demetrium de Fandi Mad'e, S. Paulum et S. Stephanum de Blinisceti, a se et a Praedecessoribus suis olim possessas cum omnibus praediis, pos-
d sessionibus, juribus et pertinentiis suis, ita ut in ipsis habeat et exerceat per se vel per substitutos suos libere et pacifice omnia et quaecunque jura Episcopalia tanquam proprius Episcopus et Ordinarius earum. Ex altera vero parte Illustrissimus et Reverendissimus Dominus Episcopus Alexiensis cessit et reliquit eidem Illustrissimo et Reverendissimo Domino Episcopo Albanensi seu Crojensi omnia jura, rationes, actiones et praetensiones, quas quomodocunque et qualitercunque habuit aut habere potuit supra Ecclesias S. Georgii de Cucula, S. Joannis de Bulgaris, S. Mariae de Lassineghi, S. Venerandae et S. Marci de Nchtella, S. Blasii seu S. Alexandri de Selita Parochialis, ita ut sint et intelligantur Jurisdictionis ordinariae praedicti Illustrissimi et Reverendissimi Episcopi et Ecclesiae Albanensis seu Crojensis, cui perpetuo incorporatae et annexae existant, ac praefatus Episcopus in eis omnia jura Episcopalia licite, libere et pacifice exercere valeat nec ullo unquam tempore, sub quovis quaesito colore possit hac de re a quocunque molestari seu inquietari. Insuper supradictus Illustrissimus Dominus Albanensis seu Crojensis promisit et se obstrinxit curare et facere, ut tam Ecclesiastici quam Saeculares

cedant et relinquant omnia praedia, possessiones et jura quomodolibet pertinentia ad Ecclesiam Abbatialem S. Salvatoris de Rebico, adstringendo illos ad relaxationem dictorum bonorum per censuras Ecclesiasticas et alias poenas contentas in Sacris Canonibus contra invasores et detentores bonorum Ecclesiasticorum. Et pariter ipse Illustrissimus et Reverendissimus Alexiensis spondet et promittit, se officio veri et boni Pastoris functurum in commonendis et persuadendis Miriditis, praecipue illis, qui Parochiae Sanctae Mariae de Nderfandina subjecti sunt, ne hostiliter fines et subditos ipsius Illustrissimi et Reverendissimi Albanensis invadant, et versa vice idem pollicitus est ipse Illustrissimus et Reverendissimus Albanensis, ut subditi ipsorum quiete et pacifice, sicut decet Christi Fideles, imposterum vivant. Nec quilibet dictorum Reverendissimorum Episcoporum possit ullo pacto facere exactiones seu quovis modo se intromittere in Ecclesias seu Parochias alterius. Et ita promiserunt et se in verbo veritatis adstrinxerunt exequi imposterum et observare omnia et singula praemissa, sub obligatione in forma Camerae Apostolicae, et non solum hoc, sed omni meliori modo et jure, volentes et intendentes, ut pro expressis et nominatis habeantur omnia et singula, quae hic de Jure seu de stilo Curiae Romanae et ad majorem firmitatem et validitatem hujus transactionis et conventionis exprimenda essent. In quorum fidem propriis etiam manibus se subscripserunt, die, mense et anno, quibus supra.

Ita est. Nos Fr. Benedictus Episcopus Alexiensis, qui supra, manu propria.

Ego Fr. Marcus Scura Episcopus Albanensis ac etiam totius Dyrrachiensis Provinciae administrator, qui supra, manu propria.

Ego D. Marcus Giansius fui praesens.

Ego D. Jacobus Jsiius Sacerdos fui praesens.

Loco † Sigilli.

Ego Franciscus de Leonardis Archidiaconus Traguriensis et Commissarius Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, qui supra, de mandato etiam suprascriptorum Illustrissimorum et Reverendissimorum Dominorum Episcoporum hoc publicum transactionis instrumentum in hanc formam redegi manuque mihi fida transcripsi ac proprio sigillo, quo in similibus uti soleo, munivi et in fide me subscripsi.

F. Hyacinthus a Cespitello Missionarius Apostolicus, Prosecretarius.

Litterae Instrumentales decisivae Confinium inter Episcopatum Sappatensem et Alexiensem.

In Christi Nomine Amen. Anno a Nativitate ejusdem 1638. Indictione 6. die vero 20. Decembris Actum Sappae in Aedibus Episcopalibus coram me Francisco de Leonardis, Archidiacono Traguriensi et in hac causa Commissario Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, necnon coram admodum Reverendo P. Fratre Hyacintho a Cespitello Ordinis Minorum strictioris observantiae, Missionario Apostolico in Epiro, et coram infrascriptis testibus specialiter ad hoc vocatis et rogatis: ibique personaliter constituti Illustrissimus et Reverendissimus D. Fr. Benedictus Ursinus Ragusinus, Episcopus Alexiensis, ex una parte, ac Illustrissimus et Reverendissimus D. Franciscus Blancus, Episcopus Sappatensis, ex altera, ob bonum pacis et per modum pacificae concordiae, sponte etc. voluntarie etc. per se et successores suos omni meliori modo etc. devenerunt ad infrascripta pacta, transactiones et conventiones, salvo tamen semper, et quatenus opus fuerit, consensu et beneplacito Sedis Apostolicae et praefatae Sacrae Congregationis, videlicet: Cum diu controversum fuerit et variae lites et dissidia intercesserint tam inter supradictos Illustrissimos et Reverendissimos Episcopos Alexiensem et Sappatensem super fines et limites utriusque Ecclesiae et Jura Episcopalia in diversis Ecclesiis, tam Parochialibus quam simplicibus, intra eosdem terminos seu fines existentibus; cumque tandem supradicta S. Congregatio per expressas litteras sub data 24. Aprilis 1638., quarum executionem mihi supradicto Archidiacono mandavit, ipsi Illustrissimo et Reverendissimo Episcopo Sappatensi commiserit, ut observaret fines et terminos in folio sibi transmisso descriptos, ac cederet Ecclesias in eodem folio enunciatas Curae et Jurisdictioni Episcopi Alexiensis: Tenor autem litterarum et folii annexi sequitur. A tergo: All' Illustrissimi, e Reverendissimi Sig. come Fratelli, Monsign. li Vescovi Sappatensi, e d' Albania.

a Essendosi in questa S. Congregazione esaminata con diligenza la differenza de' confini, che hanno le Signorie Vostre con Monsignor Fra Benedetto Vescovo d' Alessio, è parso a questi Eminentissimi Signori, che li confini notati nell' aggiunto foglio, siano ben provati a favore del suddetto Vescovo d' Alessio, e che le Chiese nel medemo foglio nominate, appartenghino a quello. Però non essendo bene, che le Signorie Vostre contendino più sopra li suddetti confini per lo scandolo, che possono ricevere non solo li Fedeli, ma gl' Infedeli ancora, e per molti gravi inconvenienti, che sogliono succeder da simili contese, e massime in coteste parti sotto del Turco, la medema Sagra Congregazione desidera, che si quietino, ed osservino li suddetti confini, e lascino alla detta Cura del Vescovo d' Alessio le Chiese nel detto foglio enunciate, sicure di far cosa gratissima all' istessa Sagra Congregazione, e per fine me le offero, e raccomando. Roma li 24. Aprile 1638. Delle Vostre Signorie, come Fratello, il Card. Antonio Barberino, Francesco Ingoli Segretario. Ad latus vero: Vescovi d'Albania, e Sappatense. Foglio: Confini del Vescovato d'Alessio. Dalla parte Orientale confina per parte del Mare con
b le Diocesi del Vescovato di Croja, mediante il fiume Matia, caminando per S. Giorgio di Cucula, tra il detto fiume Matia, e Fandi, per S. Nicolò di Massagni, e S. Maria di Laviheghi, e deriva infino al fiume Drino per drittura. Dalla parte Occidentale confina parimente con la Diocesi del Vescovato di Scutari, mediante il Pantano Casticuccia per mezzo la Villa di Cuculi, per Foletta maggiore, cioè Albero grande, in nostra lingua, detto Olmo, e di più con il Vescovato Sappatense, mediante il Ponte della Villa di Bliniseti, e per luogo detto Stogh, cioè Sambuco, e per torrente detto Chisobla, e per Palumbo, e per S. Nicolò de Calameti, ed a drittura al Ponte di Lecca, e pure a drittura al viaggio detto Sisaco, e deriva al fiume Drino, per la costa del Monte negro tra Balani, e Fandi picciolo, e Talia, al fiume Cofmi. Chiese, che appartengono alla Diocesi del Vescovato d'Alessio, contenute dalli sopradetti confini. S. Nicolaus Alexii Cathedralis, S. Georgius, et S. Maria de Castello; item S. Maria ultra flumen, Monasterium, S. Joannes de Renesi, S. Veneranda de Baldreni, S. Nicolaus de Cacarichi, S. Euphemia de Calameti, S. Salvator de Velia, S. Joannes de Merchigne, S. Cosmas, et Damianus de
c Matia, S. Blasius de Salomundi, S. Demetrius de Darda, S. Alexander de Bochiano, et Gaibbi, S. Nicolaus de Zoimeni, S. Barbara de Pedana, S. Georgius de Fico, S. Salvator de Rebico, S. Georgius de Cucula, S. Joannes de Bulgari, S. Maria de Nderfandina, e di Blesci, S. Veneranda, et S. Marcus de Nehtella, S. Alexander supra Montem Miriditarum, Abbatia, S. Maria, et S. Marcus de Fandi Vogole, S. Demetrius de Fandi Mad'e, S. Paulus, et S. Stephanus de Blinisceti, S. Maria de Sperdasa, S. Georgius de Giunale, S. Michael de Castagneti, Sancta Crux ad flumen Glomisichia, S. Nicolaus de flumine Calami, S. Veneranda de Reja, S. Trinitas de Schiesa et S. Maria Magdalena de Barbatiorum et tandem aliae quaedam destructae, aliae vero parvi momenti inter supradictos terminos Dioecesis Alexiensis.

Verum cum aliqua difficultas oriretur circa totalem executionem supradictae commissionis, praecipue circa nonnullas Ecclesias et Villas, quarum jura Episcopalia praetendebat idem Reverendissimus Sappatensis suos Praedecessores habuisse per immemorabilem possessionem, habita etiam accurata consideratione locorum et Populorum, perpensis quoque incommodis facile
d emersuris, si ipsa ad amussim executioni mandaretur, ad vitanda scandala multoties hac de causa orta, praedictus Reverendissimus Alexiensis per se et successores suos sponte et libere cessit et reliquit eidem Illustrissimo et Reverendissimo Episcopo Sappatensi omnia jura, rationes et actiones et praetentiones, quae quomodocunque aut qualitercunque habuit et habere potuit supra Villam Blinisceti infra Pontem a parte Orientis et Meridiei et supra Villam Trosciani, Ecclesiam S. Nicolai de flumine Calami et Ecclesias et Villas terrae Spassi inter flumen Gona et flumen Lumi, ita ut sint et intelligantur Jurisdictionis ordinariae praedicti Reverendissimi D. Episcopi et Ecclesiae Sappatensis, cui perpetuo incorporatae et annexae existant, ac praefatus Episcopus in eis omnia jura Episcopalia licite, libere et pacifice exercere valeat nec ullo unquam tempore, sub quovis quaesito colore, possit super his a quocunque molestari seu inquietari. Ex altera vero parte ipse Illustrissimus et Reverendissimus Episcopus Sappatensis, tanquam filius obedientiae, sciens se rem gratissimam facturum Sanctae Sedi Apostolicae et Sacrae Congregationi supradictae, virtute ejus commissionis per se et successores ejus

sponte et libere cessit et reliquit curae et jurisdictioni Illustrissimi et Reverendissimi Episcopi Alexiensis et ejus Successoribus caeteras omnes Ecclesias in supradicto folio annotatas et praecipue Villam de Bardagni nuncupatam in Parochiali Ecclesia Calameti cum omnibus praediis, possessionibus, juribus et pertinentiis suis, ita ut in ipsis habeat et exerceat per se vel per substitutos suos libere et pacifice omnia et quaecunque jura Episcopalia, tanquam primus Episcopus et Ordinarius eorum. Et ita promiserunt et se in verbo veritatis adstrinxerunt exequi imposterum et observare omnia et singula praemissa sub obligatione in forma Camerae Apostolicae, non solum hoc, sed omni meliori modo et jure, volentes et intendentes, ut pro expressis et nominatis habeantur omnia et singula, quae de jure seu de stilo Curiae ad majorem firmitatem et validitatem hujus transactionis et pacificae conventionis exprimenda essent. Ecclesiae autem contentae inter flumen Gloska et flumen Lumi Terrae de Spassi sunt: S. Elias de Pista, S. Joannes de Medula, S. Maria de S. Maria, S. Crux de Cruce, S. Sebastianus de Villa Datana, S. Barbara de Schieja, S. Stephanus et S. Demetrius de Spassi, S. Ruena de Monte Rueno et si quae aliae sunt inter dictos terminos. In quorum fidem propriis manibus se subscripserunt, die, mense et anno, quibus supra.

Ita est. Nos Fr. Benedictus Ursinus Episcopus, qui supra etc.
Ita est. Nos Franciscus Episcopus Sappatensis, qui supra etc.
Jo Lecca Lumeri Chierico fui presente.
Jo Marco Chierico fui presente.

Loco † Sigilli.

Ego Franciscus de Leonardis Archidiaconus et Commissarius, qui supra, auctoritate etiam supradictorum Illustrissimorum et Reverendissimorum Episcoporum, in hanc formam hoc publicum transactionis instrumentum redegi, manu mihi fida transcripsi, proprio sigillo munici et me subscripsi.

Fr. Hyacinthus a Cespitello Missionarius Apostolicus, Prosecretarius.

CONCILIUM ROMANUM

In Sacrosancta Basilica Lateranensi celebratum Anno Universalis Jubilaei MDCCXXV. a Sanctissimo Patre et Domino Nostro Benedicto PP. XIII. Pontificatus sui Anno I. [1]

LITERAE

Publicationis Concilii Romani.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Venerabilibus Fratribus Dilectisque Filiis Archiepiscopis, Episcopis et Abbatibus ceterisque, qui Concilio nostro Romano, nuper a Nobis coacto et Dei gratia solemniter absoluto, interfuerunt vel interesse debuerant, Salutem et Apostolicam benedictionem.

Quatuor cum supra centum Romani nostri Concilii Decreta, sub duobus et triginta Titulis Decretalium more disposita, octo inter solemnes Sessiones, Mensibus proxime praeteritis, Aprili et Majo, Sacrosancta in Basilica nostra Lateranensi a Nobis cum Vestrum omnium conventu celebratas, unanimi consensu lecta, lata et promulgata fuerint atque in unum inde collecta Volumen, illarum etiam Appendicem referens Sanctionum et Constitutionum, quas ejusdem Concilii occasione statuendas judicavimus, cum originalibus jam collata, typis Alma in hac Urbe nostra solicite imprimenda curaverimus: illamet tandem post quatuor plane menses, in ipsis diligenter emendateque cudendis insumptos, decurrente hoc mense in lucem publicam prodiisse significamus. Ne vero aliquam super iis, quibus, ut evitentur vel executioni mandentur, certa ibi tempora praestituuntur, quandonam scilicet eos, ad quos pertinent, obligare coeperint, dubitationem suboriri contingat, omnes et singuli praesentium vigore, volumus, a die inferius signanda Decretis ipsis Concilii universisque aliis Sanctionibus et Constitutionibus, ibidem relatis, obligari coepisse sciant, prout eos obligatos esse denunciamus. Ut hoc autem ad omnium notitiam perveniat, nostras has Literas de more in Almae ejusdem nostrae Urbis locis solitis legi, publicari et affigi jubemus; ac inde cuiuspiam excusationem, quod ea ignoraverit, ullatenus non admitti, auctoritate Apostolica statuimus ac declaramus; quibuscumque in contrarium non obstantibus. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die vigesima quinta Octobris 1725., Pontificatus Nostri Anno Secundo.

F. A. Archiepiscopus Episcopus Abellinen.
Sac. Conc. Secretarius.

INDICTIO ROMANI CONCILII.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Redemptor Noster, qui plantavit vineam suam electam camque locavit agricolis, ut redderent fructum temporibus suis, vigilantiam potissimum custodibus commendavit, ut, si quae mala germina succrevissent, provida solicitudine evellerent ac dissiparent et per assiduum boni seminis cultum optimas in horrea copiosasque fruges inferrent.

Mysticis his monitis ac praeceptis instituta Christi Ecclesia nihil ad doctrinae disciplinaeque salutaris fructum conducibilius
a reputavit, quam ut prudentes servi, quos posuit Dominus custodes in vineis, statis temporibus convenirent in unum, eorumque collatis in commune consiliis, mores emendarentur, controversiae componerentur, vineaeque florentes latius darent odorem suum. Itaque per sacros Canones saepe decretum, ut quolibet saltem triennio uniuscuiusque Provinciae Episcopi, legitime congregati, Provincialem Synodum celebrarent; eumque morem, sicubi obsolevisset, Sacrosancta Tridentina Synodus renovandum restituendumque curavit. Ac Nos quidem, cum in Beneventana nostra Ecclesia resideremus, gravissimis licet calamitatibus conflictati ac terrae motibus horribiliter jam tertio concussi ac propo ruinis oppressi, Metropoli ipsa collapsa et solo pene aequata, B. Philippi Nerii praesenti ope servati, canonicae hujus observationis officium semel et iterum obire non praetermisimus. Ad hanc vero Apostolicae Sedis formidandam altitudinem evecti universaeque vineae Domini Sabaoth, licet immerentes, praepositi, nihil antiquius habuimus, quam ut saluberrimam hanc Episcopalis muneris partem et ipsi praestaremus alacrius et ceteris explen-
b dam vehementius commendaremus primae hujus Sedis exemplo; ut, cujus Episcopale viget Magisterium, Episcopalis etiam servitutis forma, cunctis Ecclesiae Pastoribus ad imitandum proposita, operarios ad laborem magis accenderet atque ad uberiorem agri Dominici fructum redundaret. Accessit praeterea ad studiorum nostrorum incitamentum magni Jubilaei opportunitas; cum nimirum perditas oves studiosius requirere atque ad earum salutem intentius advigilare Annus ipse Redemptionis, acceptabilis Domino, et materna Romanae Ecclesiae charitas et oblata Aeterni Patris benignitas admonet.

Volumus igitur ac mandamus, ut Episcopi omnes in speciali nostra Provincia constituti, videlicet inter Capuanam Provinciam et Pisanam, necnon Archiepiscopi Suffraganeis carentes, et tam Episcopi huic Sanctae Sedi immediate subjecti, quam Abbates nullius Dioecesis jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, qui alias sibi Metropolitanum, cujus Provinciali Concilio intersint, ad formam Tridentini non elegerunt, ad diem Dominicam in Albis proximi anni 1725. in hanc Almam Urbem conveniant, ut in Concilio Nobiscum congregati Ecclesiarum Suarum ne-
c cessitates proponere et, quae discutienda proponentur, communi consilio expendere et consensu firmare valeant. Simul etiam Capitulis et Cleris suis edicant, ut, si quae habeant negotia, quae ad Synodalem conventum, quem in antedictam diem indicimus, deferenda censuerint, per Procuratores suos Synodi judicio dirimenda aut componenda proponant. Preces autem interea et privatas effundant et publicas ex praescripto sacrorum Canonum indicant, ut Pater Coelestis, dives in misericordia, visitare vineam istam in benedictionibus suis et consilia actusque nostros aspirando praevenire et adjuvando prosequi dignetur. Datum Romae apud S. Petrum in pervigilio Nativitatis Domini die XXIV. Decembris MDCCXXIV.

F. A. Archiepisc. Episc. Abellinen.
Sac. Conc. Secretarius. [1]

---

[1] * *Dabimus decreta hujus concilii secundum editionem Romanam a. 1725. (ex typographia Rocchi Bernabo), Latinam vero eorum, quae Italice scripta in Appendice continentur, versionem secundum editionem Monachiensem a. 1726.*

[1] * Postea Tit. S. Sixti S. R. E. Presbyter Cardinalis Finy Minervinen. creatus a Benedicto PP. XIII. die 9. Decembris 1726. et publicatus die 26. Januarii 1728.

PROROGATIO CELEBRATIONIS CONCILII

Ad Dominicam Secundam post Pascha, die 15. Aprilis 1725.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Supremi cum Nostri sit Apostolatus officii gloriosum Ecclesiae Catholicae statum honore debito promovere et sacrosanctas ipsius actiones, quantum cum Domino possumus, ad Dei gloriam Fideliumque profectum celebrare; quaecumque his detrimenta afferre, quaeque ordinem et harmoniam turbare posse prospicimus, nostra Nos decet consideratione dimovere. Nuper siquidem sub Nostris datis literis apud Sanctum Petrum pervigilio Nativitatis Domini, 24. Decembris 1724., pro divino cultu peraugendo aliisque a sacris Canonibus ac generali Tridentino Concilio, ad Provincialium praesertim Synodorum excitandam celebrationem, salubriter sancitis exequutioni demandandis Concilium Romanum a Nobis, Deo opitulante, cum certis per Nos specialiter tunc vocatis Venerabilibus Fratribus Nostris Archiepiscopis et Episcopis aliquibusque Abbatibus, jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus, Dominica proxima in Albis habendum indiximus. Verum, quia rebus quibusdam digerendis, quae diebus hisce supervenere, indicta Concilii dies non satis fore commoda
a existimatur minusque etiam vocatis Patribus opportuna, quorum aliquos, ex Transalpinis praecipue et Transmarinis, longo jam itineri accinctos, paucis datis aliis induciis expectemus, oportet: matura idcirco deliberatione nostra Concilii praedicti celebrationem ad diem octavam indictae Dominicae in Albis, quae est secunda post Pascha, diem scilicet decimamquintam Aprilis hujusmet Anni, differimus ac prorogamus; ipsumque Concilium in Patriarchalem Nostram Lateranensem cogendum ibique solemniter celebrandum edicimus atque statuimus. Quocirca praefatos omnes aliosque quoscumque, qui de jure vel consuetudine interesse debent, iterum requirimus et monemus ac districte praecipientes mandamus, quatenus die supradicta in Concilium, tunc in praefata Nostra Ecclesia celebrandum, convenire ac personaliter eidem sacrisque omnibus functionibus ad Synodi usque conclusionem Patrumque dimissionem interesse teneantur. Interim Deum iterum atque iterum humiliter exorandum optamus, ut suae Spiritum Sapientiae mentibus nostris infundere dignetur, quatenus, eo inspirante, opportunis modis, quae recta sunt, exequi et malis omnibus obviare possimus. Datum Romae apud S. Petrum die 24. Martii 1725., Pontificatus Nostri Anno Primo.

J. A. Archiepisc. Episc. Abellinen.
Sac. Conc. Secretarius.

DECRETA CONCILII ROMANI

Celebrati Anno Jubilaei MDCCXXV. Diebus 15., 22., 29. Aprilis: et 6., 13., 22., 27. et 29. Maji.

TITULUS I.

De Summa Trinitate et Fide Catholica.

CAP. I. Fidei professio in Conciliis emittenda. Quando et a quibus extra Synodales conventus?

In nomine sanctissimae ac individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti. *Amen.*

Sanctam Catholicam et Apostolicam fidem, humanae salutis initium, Christiani aedificii basim divinique Numinis cultus firmamentum, sacrosancta quam coluit et colit docetque ac docuit Romana Ecclesia, quaque justus homo vivit, et sine qua impossibile est placere Deo, integram cum primis et inviolatam ab omnibus tenendam atque custodiendam decernentes, mysticum ejusdem nostrae fidei fundamentum, supra quod nemo aliud ponere potest, Jesum Christum, Dominum Nostrum, obsecramus, ne unquam nostris ipse malis offensus velut olim in navi dormitare videatur, sed sponsae suae Ecclesiae vocibus semper excitatus semperque erectus, in brachio virtutis suae ejus disperdat inimicos ventisque superbiae marique inconstantiae imperet, cessentque tempestates, haereses tollat, falsa dogmata dissipet et Apostolicam navem tuta semper statione conservet. Interim, ut iis, qui corde in fide ipsa firmi sunt et stabiles ad justitiam, ore insuper confessio fiat ad salutem, Tridentini Nos Concilii decreto [1] inhaerentes, ipsam fidei professionem eisdem verbis, quibus juxta formam a fel. rec. Pio Papa IV. praescriptam [2] Nos ipsimet et universa Synodus hujus initio Concilii publice praestitimus et solemniter professi sumus, ab infrascriptis suo loco et tempore in eorum respective Dioecesibus emittendam decernimus, sub poenis contra contumaces in Bulla ipsa latis aliisque Episcoporum arbitrio statuendis. Fidei itaque professionem emittent:

I. Episcopi aliique de Clero, recens Ecclesiasticis de beneficiis provisi aut sacris Ordinibus initiati, in Dioecesana Synodo primo celebranda.

II. Dignitates et Canonicatus obtinentes post adeptam possessionem, tum in manibus Episcopi vel ejus Vicarii Generalis tum in Capitulo infra bimestre.

III. Beneficia cum animarum cura habentes post
a ipsorum possessionem infra idem tempus in manibus tantummodo Episcopi vel Vicarii Generalis, prout et in alterutrius manibus.

IV. Quicumque alia Beneficia simplicia obtinentes.

V. Item novus Vicarius Generalis, Vicarii Foranei, Procuratores et Promotores Fisci Episcopalis, Cancellarii ceterique Ministri ejusdem Curiae.

VI. Novi Concionatores, etiam Regulares.

VII. Novi Confessarii, etiam Monialium.

VIII. Docentes publice vel privatim Theologiam, Philosophiam, Jus Canonicum aut Civile vel inferiores quaslibet disciplinas, etiam Grammaticam.

IX. Ac tandem Medicinam et Chirurgiam exercentes.

b **CAP. II. Constitutionis Unigenitus Clementis PP. XI. observantia Episcopis commendatur.**

Cum ad fidei Catholicae professionem integre inviolateque retinendam et custodiendam necessarium summopere sit, ut succrescentes per haec recentia tempora circa eandem fidem errores, a Sede Apostolica damnatos, fideles omnes vigilanti studio praecaveant et abominentur: idcirco ab omnibus Episcopis et animarum Pastoribus tota, ut hactenus, solicitudine curandum est, ut Constitutio a sanct. mem. Clemente XI. edita, quae incipit: *Unigenitus,* quamque nostrae uti ejusdem fidei Regulam agnoscimus, ab omnibus cujuscumque conditionis et gradus omnimoda ac debita obedientia et executione observetur. Si quem itaque
c cognoverint (sive Dioecesanus aut Provincialis sit sive exterus), in suis Dioecesibus permanentem, de Constitutione praedicta non bene sentire aut male loqui, in eum pro sua Pastorali potestate et jurisdictione procedere et animadvertere non negligant; et ubi remedii efficacioris opus esse senserint, ad Sedem Apostolicam pervicaces tales et Ecclesiae rebelles deferant. Invigilent etiam libros, contra ipsam Constitutionem editos aut falsas doctrinas, in illa damnatas, propugnantes, diligenter perquirere; eosque sibi tradi mandent, Nobis inde et Apostolicae Sedi denunciandos.

CAP. III. Onus Episcoporum per se ipsos concionandi ostenditur.

Episcoporum munus praecipuum cum sit verbi Dei praedicatio, quod suo praecepto induxit exemploque

---

[1] Sess. 24. de ref. cap. 12.

[2] Constitut. 89. *Injunctum nobis.* d. 13. Nov. 1564.

firmavit aeternus animarum Pastor, Christus Jesus, quotidie qui in Evangelio[1] dicitur fuisse docens in Templo: non immerito ad illud pro viribus exequendum nostros hic excitamus Episcopos, quatenus ne saecularibus ita intenti sint ipsi, ut supervacaneo circa ea labore se consumant et gregem interim, quae sunt ad Deum, per se docere minime curent; cum alias verbum Dei derelinquere et mensis ministrare Apostoli aequum non esse professi sint[2]. Multa sane Dominus *aliter et aliter,* Magister ut docet Angelicus[3], discipulis tradidit adimplenda: officium namque docendi commisit Apostolis, ut ipsi per se exercerent tanquam principalissimum; officium vero baptizandi eis commisit per alios exercendum. Nullam itaque Episcopi ad se rei familiaris curam revocent, sed lectioni et orationi et verbi Dei praedicationi tantummodo vacent[4]: neque Viduarum, Pupillorum ac Peregrinorum gubernationem per se ipsos, sed per Archipresbyteros vel per Archidiaconos agant[5]: solicitam imo operam navent, ut sine intermissione sint ipsimet in commissis sibi gregibus pascendis assidui, et vox Pastoris in Ecclesia, diebus saltem Dominicis et solemnibus Festis, sacras in exponendo Scripturas divinamque legem annunciando audiatur; id quod tandem, si legitime impediti non fuerint, juxta Christi, Apostolorum et sacrorum Canonum normam per semetipsos obire tenentur; excluso semper scientiae defectu, qui in Episcopis reprobandus est omnino nec de cetero tolerandus[6].

CAP. IV. **Parochorum munera commemorantur: Pueros Doctrinam Christianam edocendi methodus exhibetur.**

Invigilent etiam Episcopi, ut Parochi propria, quae sua sunt, munera exerceant: plebem per se videlicet in Catholica fide incessanter instruere et Sacramentis reficere; infirmos visitare et moribundis assistere; quotidianas pro populo ad Deum preces et orationes effundere; et laudabilis vitae ac conversationis exemplo, virtutibus et morum disciplina omnibus praelucere viamque salutis praemonstrare. Ad plebes quocirca suas Parochi ceterique animarum Rectores singulis saltem Dominicis festisque diebus, qui de praecepto observari solent, de mane post lectum in Parochiali Missa Evangelium sermonem brevem habeant et facilem auditorumque capacitati aptum; vitia, quae declinare, et virtutes, quas sectari oporteat, denunciantes, Romano adhibito Catechismo, pro Parochis potissimum impresso. Hora vero pomeridiana pueros puellasque, a septennio et supra ad annum usque decimumquartum, propriam convocandos in Paroeciam curent; eosque suo ordine et loco per Ecclesiam dispositos, maribus semper a foeminis separatis, fidei rudimentis doctrinaque Christiana ex libello, quem clar. mem. Cardinalis Bellarminus edidit et fel. rec. Clemens Papa VIII. retinendum mandavit, sensim et, quo poterunt, plane imbuant, unam semper eamdemque docendi regulam sequentes, quae servanda hic dabitur in Appendice. Puerorum vero parentes adhortari non omittant, quos etiam adhortamur Nos et admonemus, ut proprios Filios domi bonis moribus, verbis et exemplis instituant atque ea, quae ad Christianam doctrinam pertinent, sedulo edoceant, eadem crebro, quae illos Parochi edocuerint, repetentes.

CAP. V. **Rustici et Adulti quomodo in Fidei rudimentis instituendi?**

Ad haec Nos alia et dolenda quidem recogitamus, pueros nempe, Christianam doctrinam edocendos, non omnes in Civitatibus et Oppidis habitare, imo non paucos, in campestribus animalium custodiae addictos, rusticam sic vitam agere, ut post receptum salutaris aquae lavacrum, spirituali ibi absque educatore enutriti, neque, an Spiritus sanctus sit, unquam audierint, adultosque insuper multos intra communitates occurrere, qui nostrae etiam principaliora fidei, summae scilicet Trinitatis et Incarnationis, mysteria ignorent, et, quod magis lamentabile est, cum ceteris in schola addiscere verecundantur. Aeternae idcirco illorum saluti consulere quocumque modo cupientes, Parochis districte praecipimus et mandamus, ut infra earumdem solemnia Missarum statim post habitum ut supra sermonem alta voce et materno idiomate, populo universo respondente, quod et in secunda Missa post Parochum, ut omnimode ignorantium malitiae occurratur, qui Catechismum effugiunt, ac etiam in Oratoriis, Capellis et Ecclesiis ruralibus, ubi sacra celebrari consuevere, celebrantes adimplere teneantur, sub poena suspensionis a divinis, Episcoporum arbitrio imponenda, saltem sequentia paulatim cantando edoceant: Signum S. Crucis, Mysteria SS. Trinitatis et Incarnationis, Symbolum Apostolorum, Orationem Dominicalem, Salutationem Angelicam, Praecepta Decalogi, Praecepta Ecclesiae, Septem Sacramenta, Actum Contritionis.

CAP. VI. **Theologalis Praebenda ad Concilii Tridentini praescriptum erigenda decernitur.**

Episcoporum conscientiam, quam alias ipsi in Episcopatus Bullis oneratam agnoscunt, iterum Nos gravando injungimus eisdem, ut aeternae suae suorumque salutis memores, in Cathedralibus seu Collegiatis in Oppidis Dioecesis insignioribus Theologalem Praebendam ad sacrae Scripturae expositionem et interpretationem, sicubi erecta non est, cujusque erectionem adeo Concilium Tridentinum[1] inculcat, tandem aliquando instituant, iis ceteroquin expeditissimis mediis adhibitis, quae eodem in Concilio proponuntur: ut, ubi scilicet in Ecclesiis sive Cathedralibus sive Collegiatis praedictis ulla adhuc Praebenda ad id instituta non

[1] Luc. 19, 47.
[2] Actor. 6, 2.
[3] 3. q. 67. art. 2. ad 1.
[4] Can. *Episcopus nullam.* 6. dist. 88.
[5] Can. *Episcopus gubernationem.* 7. eadem dist.
[6] Cap. *Inter cetera.* 15. de officio jud. ordin. (I, 31).

[1] Sess. 5. cap. 1. de reform.

reperitur, Episcopi canonicatum quomodocumque, praeterquam ex causa resignationis, primo vacaturum, etiam (quod Nos adjungimus) Nobis et Sedi nostrae Apostolicae quovis modo affectum vel reservatum, cui tamen onus aliud incompatibile non sit annexum, ad eum usum ipso facto perpetuo constituant, et constitutum Nos esse volumus; ita ut collatio aliter facta ab Episcopo nullius sit roboris ac momenti, et Praebendae ipsius provisio ad Apostolicam Sedem nostram devolvatur; prout in nostra nuper edita Constitutione legetur, sequenti typis imprimenda cum Appendice. Quatenus vero Canonicatus idem, etiam cum Praebenda, si quam unitam habeat, tenuis et non sufficiens fuerit ad onus sustinendum praedictum, Episcopus eidem usque ad summam, quae cum Canonicatu et Praebenda scuta sexaginta non excedat, vel per assignationem fructuum alicujus simplicis beneficii, Nobis licet et nostrae Sedi affecti seu reservati, illius tamen debitis supportatis oneribus, vel per contributionem Beneficiatorum suae Civitatis et Dioecesis, vel alias, prout commodius fieri poterit, de Capituli consilio ita provideat, ut omnino Theologalem ipsam erigat, et sacrae Scripturae lectio habeatur.

CAP. VII. Cui et sub quibus oneribus Praebenda ipsa Theologalis sit conferenda?

Fructus vero hujusmodi Canonicatus onusque addictum eidem, sacrae scilicet exponendae interpretandaeque Scripturae, donec Theologus aliquis ex Clero saeculari, cui Canonicatus ipse cum Praebenda conferri queat, habeatur, Episcopi ad tempus pro arbitrio assignent delegentque quamprimum viro alii ecclesiastico in divinis erudito, etiam Regulari de sui licentia Superioris. Provisi autem de Praebenda hujusmodi Theologali tam in alma hac Urbe nostra quam alibi quadraginta saltem quotannis lectiones publice in Ecclesia habere teneantur per se ipsos, sin minus, per idoneos alios, quos Episcopi vel eorum Vicarii, cum oportuerit, substituent; et Theologum interim ordinarium ad satis suo muneri faciendum per fructuum subtractionem, quemadmodum in praecitata nostra Constitutione est cautum, cogant et compellant.

CAP. VIII. In sacra exponenda Scriptura methodus observanda proponitur.

Lectores autem, quicumque sint, divinas in Ecclesia Scripturas interpretantes, hortatos volumus, ut, cum non omnes auditores sint eodem ingenio praediti, clara et pro singulorum captu dicendi ratione utantur: potissimumque monemus, ut maximum circa hoc ministerium ea ipsis praecipua sit methodus, quatenus, literali in unaquaque lectione Textus enarratione praemissa, duas minimum ex eisdem sacrae Scripturae locis proponant semper solvantque quaestiones: historialem unam, moralem alteram, vel de nostrae fidei articulis et sacramentis, vel de Catholicae Ecclesiae ritibus eorumque mysteriis, vel aliis ad sanam doctri-
a nam et Christianam institutionem spectantibus, quae humanae nedum eruditioni, sed spirituali etiam valeant prodesse interessentium saluti.

CAP. IX. Sacrae Scripturae lectionibus quinam interesse teneantur?

Ecclesiarum proinde tum Cathedralium cum Collegiatarum Dignitates et Canonici, Parochi itidem et Confessarii saeculares (regulares etiam, sub suspensionis poena a confessionibus audiendis, quatenus haec ipsa lectio in eorum monasteriis non habeatur,) sacrae, ut praedictum est, Scripturae lectioni diebus et hora ab Episcopo praefigendis omnino interesse teneantur: imposita, quae eidem Episcopo placuerit, contra absque legitima causa absentes poena pecuniaria, nemini
b ullatenus remittenda.

CAP. X. Concionatores quomodo in concionibus se habere debeant, et qui ad id munus eligendi?

Reliquos tandem Concionatores admonemus, quatenus et ipsi, memores, se ad populorum utilitatem missos, fructuose suum impleant ministerium; ac Dei plebes non in humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis concionando doceant et docendo sermones discentium ingenio aptent et conforment. Quamobrem munus hoc subituri docti semper et eruditi, maturi, fortes et irreprehensibiles, optimis moribus imbuti, non se ultro offerentes quilibet, etiam ex Regularibus, ab Episcopis eligantur: iique praecipue,
c qui suis a Superioribus probati, plenae exhibuerint literas approbationis.

TITULUS II.

De Constitutionibus.

CAP. I. Metropolitani in Provinciis, Episcopi in Dioecesibus ad suas celebrandas Synodos excitantur; exemplo praeeunte Summo Pontifice Romano.

Satis inter ceteras, quae hujus fuerit congregandi causa Concilii, nostra fit ipsa Indictione manifestum. E nostra etenim Ecclesia Beneventana, ubi octo a Nobis supra triginta Dioecesanae ac duae etiam coactae fuere Synodi Provinciales, ad sacrosanctae Eccle-
d siae universalis regimen, viribus licet ac meritis imparibus, electi, id Nos cum primis dies noctesque sollicitavit, ut quantocius Episcoporum, qui nostra in peculiari Provincia sunt constituti, Archiepiscoporum insuper Suffraganeis carentium aliorumque Episcoporum et Abbatum, Nobis immediate et Sedi nostrae Apostolicae subjectorum, qui alias sibi Metropolitanum, Provinciali cujus Synodo interessent [1], non elegerant, almam in hanc Urbem nostram Concilium cogeremus; hinc forte non desperantes, ut Synodorum Conciliorumque hujusmodi celebrandorum usum, sicubi obsoletum, dum Nos generalis juxta Tridentini Concilii [2] mentem

[1] Conc. Trident. sess. 24. cap. 2. de reform.
[2] Loc. cit.

renovaremus, ceteri quoque, Apostolicae hujus cunctarum Ecclesiarum Matris, Romanae Ecclesiae, exemplo ducti, Metropolitani scilicet in suis Provinciis et Episcopi in Dioecesibus, innovarent ac restituerent.

CAP. II. Provincialia Concilia omnino quolibet triennio cogenda. Metropolitano deficiente, ab antiquiore Provinciae Episcopo celebrentur.

Cumque ex hoc, quia Episcoporum Concilia minime vel raro sunt celebrata, multae sane, quae correctione opus habent, ecclesiasticae res negligantur [1], controversiae perorescant, fidelium mores deformentur, et Religio ipsa in dies non pauca sustineat, eisdem contra eam pugnantibus sanctae matris Ecclesiae filiis: sacrorum Nos idcirco Canonum [2] et praecipue Tridentini Concilii [3] poenas innovando decernimus et Metropolitanis omnibus in virtute sanctae obedientiae mandamus, ut ab eis annuas praeter Synodos Dioecesanas provinciales etiam Synodi quolibet saltem triennio convocentur et ad earumdem canonicarum Constitutionum formam celebrentur omnino: quod, ipsis legitime impeditis vel agere negligentibus, seu Sede Metropolitana vacante, declaramus volumusque, fiat per Episcopum Provinciae antiquiorem [4].

CAP. III. Dioecesanae Synodi semel saltem in anno ab Episcopis cogantur: Prima vero post sex menses ab hujus Concilii publicatione.

Decreto simili Episcopis omnibus ac insuper Archiepiscopis suffraganeos non habentibus mandamus, ut, cum nulli Episcoporum liceat propria apud semetipsum Concilia facere [5] praeter eos, quibus sunt Metropoles concreditae, studeant et ipsi semel saltem in anno Synodum cogere Dioecesanam [6], in quam Clerici omnes Dioecesis aliique, qui de jure vel consuetudine interesse debent, sub poenis a jure sancitis convenire cogantur. Iis autem Archiepiscopis et Episcopis jubemus, ut primam infra sex menses post hujus Concilii evulgationem Synodum habeant Dioecesanam, in qua plenissime omnia coram omnibus referant publicentque, quae in hoc eodem Concilio (quod similiter in subsequentibus fiet) acta et definita esse noscuntur.

CAP. IV. Statuta propria infra sex menses Ecclesiarum Capitula et Collegia Ecclesiaeque pariter Conventuales, sub interdicti poena, conficiant.

Ecclesiarum Capitulis, tam Patriarchalium et Cathedralium quam Collegiatarum omnium et Conventualium, quae quidem velut corpora membris compacta suis legibus vivere suisque regulis nutriri et conservari oportet, definite praecipimus ac mandamus, ut antiqua, si qua habent, Statuta et capitulares Constitutiones depromant et, ubi non adsint, sex infra saltem

[1] Can. *Pervenit.* 6. dist. 18. ex Conc. Chalcedonen. cap. 19.
[2] Can. *De Conciliis.* 2. cit. dist. 18. per tot.
[3] Sess. cit. 24. cap. 2.
[4] Conc. Trid. ibid.
[5] Can. *Propter.* 4. ead. dist.
[6] Can. *Annis singulis.* 16. ibid.

a menses post praesentis Concilii publicationem, sub ecclesiastici interdicti poena, omnino conficiant; et utraque, antiqua scilicet et nova, per Nos quoad nostrae almae Urbis Ecclesiarum Statuta, et reliqua suos respective per Episcopos, accurate examinanda et corrigenda deducant atque approbanda praesentent. Episcopi igitur in iis examinandis, si quid contra jus vel Tridentini Concilii decreta aut Pontificias Constitutiones irrepsisse cognoverint, super eo Sedem consulant Apostolicam, a qua juris remedia expectent. Consuetudines autem nonnisi rationabiles et honestas admittant; et si quas a ratione declinasse vel contra Breviarii vel Missalis, Caeremonialis Episcoporum, Pontificalis vel Ritualis Romani Rubricas inolevisse ac proinde indebitam
b legis speciem usurpasse compererint, eas vel corrigant vel omnino delenda decernant.

CAP. V. Methodus pro Statutis capitularibus formandis proponitur.

His praehabitis, praecipuae Episcoporum partes erunt, ut tali methodo Statuta ipsa et Constitutiones condantur, quatenus, quae ipsarum sint Ecclesiarum et Capitulorum origines, fundationes, insignia, jura, consuetudines, reditus, onera et munera, suis sub capitibus distinctis exprimantur; nihilque in eis sit, quod a juris dispositione et Congregationum decretis usuque recepto et approbato exorbitet, sed illa apposite statuantur, quae pro opportunitate et necessitate temporum, rerum et locorum ad divini cultus augmentum,
c sanctioris disciplinae observantiam et ecclesiarum utilitatem statuenda judicaverint. Hoc interim Decretum una cum praecedenti, ut ceterarum Ecclesiarum Capitulis et Collegiis consulamus, ad Metropolitanos omnes extra hanc Synodum extendimus, qui primo in eorum Concilio providas ipsas et plane necessarias praefatis super condendis Statutis sanctiones publicare meminerint et executionem sedulo promovere; menti etiam obsequuturi fel. rec. Clementis Papae XI., qui similes Constitutiones primi [1] et secundi [2] nostri Concilii Provincialis Beneventani nedum pro paterna tunc sua benignitate laudavit, sed et de illarum executione certiorem se a Nobis fieri velle significavit, datis ad Nos, dum praefatae Ecclesiae praesidebamus, Literis in forma
d Brevis sub die 5. Aprilis 1715., quas ad perpetuam tanti Pontificis commendandam memoriam in hujus Concilii calce registrari volumus et mandamus.

TITULUS III.

De Rescriptis.

CAP. UNICUM. Superiorum Tribunalium decreta, epistolae et similia, ad Episcopos directa, non Episcopis, sed eorum Curiae Cancellario vel Promotori Fiscali exhibenda.

Rationi quidem et ecclesiasticae convenit politiae, ut literae, decreta, citationes et mandata, quae, parti-

[1] Anno 1693. V. hujus Syn. const. t. 2. c. 5., col. 26. d.
[2] Anno 1698. V. hujus Syn. const. t. 1. c. 4., col. 130. a.

bus instantibus, ad Episcopos eorumque Curias, Urbis a Congregationes, Camerae Auditoris Tribunal Judicesve dirigunt Metropolitani, plena, qua decet, reverentia recipiantur ab iis; quod pro debito ab omnibus jam impleri, Nobis est persuasum. Volentes Nos attamen frequenti laicorum quorumdam, imo et Ecclesiasticorum occurrere audaciae, qui modis passim inofficiosis, querulis ac petulantibus vocibus, Notariis ac Testibus tumultuose stipati, Episcopos saepe per vias, saepissime in Ecclesia divinis incumbentes, adeunt, ubi, omni erga Dei ministros ratione neglecta, irreverenter eis citationes ipsas, literas et decreta exhibent temereque etiam, ut quam citissime respondeatur, expostulant. Statuendum idcirco duximus, prout nostra hac sanctione statuimus ac decernimus, b ne citationes ullae in posterum, epistolae, mandata aut decreta quaelibet a litigantibus vel ab aliis eorum nomine recta in Episcoporum manus deferantur omnino, sed immediate Curiae Promotori Fiscali vel Cancellario praesententur; et ita habeantur, ac si Episcopis exhibita et praesentata fuissent: quodsi, hoc non obstante, praedicta quis Episcopis adhuc praesentare attentaverit, totum id, volumus, irritum sit illico et inane nullumque contra Episcopos eorumve Curias sortiatur effectum.

TITULUS IV.

De supplenda negligentia Praelatorum.

CAP. Unicum. Abbates Regulares perpetui post eorum electionem ab Episcopo Dioecesano solemniter benedicendi. c

Cum nemo plus in alium transferre possit, quam ipse habeat; meminerint propterea Abbates regulares perpetui, non posse eos, canonice licet electos, ex Innocentii III. rescripto in cap. *Cum contingat, De aetate et qualitate Praeficiendorum,* suis subditis benedicere et munia Abbatialia exercere, ni prius solemnem, servato Romani Pontificalis ritu, benedictionem susceperint ab Episcopo, in cujus Dioecesi fuerit electio celebrata. Quinam vero sint Abbates ipsimet, qui solemni hac teneantur benedictione initiari, et quaenam sit super his ratio habenda, cum pro singulis fusius declaratum a Nobis sit in Constitutione modo edita et legenda in Appendice: d quidquid idcirco in ea praescriptum est atque sancitum, ab omnibus in futurum volumus observari.

TITULUS V.

De temporibus Ordinationum.

CAP. I. Promovendi ad sacros Ordines extra tempora vigore dispensationis Apostolicae non a quocumque, sed a proprio Episcopo ordinentur.

Cum juxta regulas ecclesiasticas et sanctorum decreta Pontificum sacrae statis a jure temporibus celebrandae sint Ordinationes [1], poenas propterea contra extra ea tempora ordinantes sacrosque Ordines suscipientes innovamus. Singulis vero promovendorum expresse significamus, ut, si quis ipsorum Apostolicae dispensationis literas, sive per Datariam sive per Brevium Secretariam sive alio quocumque modo expeditas, quatenus ad sacros Ordines extra consueta ordinationum tempora, a quocumque maluerit Catholico Episcopo, promoveri valeat, obtinuerit, illas semper nonnisi cum clausula: *servata forma decreti Clementis VIII.* [1], concessas fuisse intelligat, atque ita et non aliter executioni ab ipsismet Episcopis promoventibus demandandas fore declaramus.

[1] Conc. Trident. sess. 23. de ref. cap. 8.

CAP. II. Regulares, suorum vigore privilegiorum, tuto absque novo indulto Apostolico extra tempora sacris initiantur.

Quo vero ad Regulares privilegia a summis Pontificibus habentes, sive expresse sive per viam communicationis concessa, sacros videlicet Ordines extra tempora suscipiendi, cum Privilegia ipsa in suo robore persistant, nec iis derogatum fuisse constet, decernimus proinde, Regulares eosdem absque novo indulto Apostolico tuto posse extra tempora ordinari.

TITULUS VI.

De aetate et qualitate praeficiendorum.

CAP. I. Scholares ad primam Tonsuram admittendi ratio praescribitur.

Cum per Apostolum scriptum sit: *Nemini cito manum imposueris* [2], Episcopis animadvertendum significamus, quam periculosa sit sacra manuum impositio, debita diligentia neglecta. Super iis itaque, qui prima Tonsura sunt initiandi, curam omnem adhibeant et inquisitionem: an tales sint, qui probabile judicium, non humano quidem consilio, aut fori secularis declinandi vel a laicalibus se muneribus et oneribus eximendi causa, ecclesiasticae eos militiae adscribi velle, prae se ferant, sed tale ipsos vitae genus eligere, ut jugi Ecclesiae servitio mancipati, majorem Deo cultum valeant exhibere. Caveant insuper, ne alios ad clericalem ipsam Tonsuram admittant, quam quos juxta Tridentini Concilii sanctiones [3] literarum studiis operam sic dare constiterit, ut quasi in via ad reliquos Ordines suscipiendos versari videantur, et quos tantummodo pro Ecclesiarum necessitate vel utilitate divinis ministeriis deputari noverint expedire.

CAP. II. Clericali Tonsura initiandi certo Ecclesiarum servitio in ipsa Ordinatione per Episcopos adscribantur.

Clericali insuper Tonsura nullus initietur, nisi eodem tempore Ecclesiae illi adscribatur, pro cujus servitio debet ordinari [4]. Si qui vero sint, etiam minoribus aut sacris Ordinibus insigniti, qui nulli certae

[1] Vide infra de Regular. c. 2.
[2] 1. Tim. 5, 22.
[3] Sess. 23. de ref. cap. 4. et 6.
[4] Conc. Trident. cit. sess. cap. 6. et 16.

Ecclesiae fuerint adscripti, Episcopi adscriptionem hujusmodi, etiam a suis Praedecessoribus omissam, suppleant et pro arbitrio servitium toties, quoties opus fuerit, praestandum designent: quam adscriptionem quoad eos, qui jam promoti, extra Dioecesim vel studiorum causa vel alia ab Episcopis probata commorantur, ad tempus ipsismet Episcopis benevisum differri posse indulgemus. Ita autem adscripti, etsi Clerici sint etiam conjugati, aut beneficia vel officia ecclesiastica non obtineant, ab Ecclesiae servitio, cui fuerint deputati, festis diebus singulis, praesertim solemnioribus, ne absint, propria ibi munia obituri; alias ad altiores gradus promovendi non promoveantur et jam promoti Episcoporum arbitrio pro inobedientiae gravitate multentur. Crescente vero contumacia, Episcopi ultra poenas a Tridentino Concilio indictas post trinam canonicam monitionem contra inobedientes et contumaces procedant ad omnium usque privilegiorum clericalium privationem: servata in reliquis nupera super hoc Constitutione nostra, quae in citata exhibebitur Appendice.

CAP. III. Ad sacros Ordines promovendorum qualitates.

Ceterum, qui propius ad sacratissima Mysteria accessuri sunt, ultra cetera requisita ea volumus scientia polleant et pietate, ut Ecclesiae sacramenta digne ministrare, Christi fideles sanam doctrinam edocere et eos in via salutis non minus exemplo quam verbis valeant anteire. Quapropter Episcopi nonnisi illos ad sacros Ordines promoveant, (+ quam) quos vere dignos et habiles, requisita etiam habentes a sacra ipsa Tridentina Synodo [1] praescripta, per diligentem inquisitionem compererint. Verum, qui ad Presbyteratum erunt assumendi, idonei prius ad sacramenta ministranda per diligens examen comprobentur et ad ea populum docendum, quae scire omnibus pertinet ad salutem; quod quidem, ut recte praestari possit, eosdem Episcopos in Domino exhortamur, ut, quantum fieri potest, eos tantum ad sacerdotium assumant, quos saltem Theologiae moralis competenter peritos agnoscant.

CAP. IV. Ordinandi in aliena Dioecesi ad titulum beneficii ab Episcopo domicilii examinentur. Fructus vero beneficii valorem aequet patrimonii ad taxam ejusdem domicilii.

Quicumque autem, domicilium in una Dioecesi habentes, in alia beneficium ecclesiasticum obtinuerint et ad illius titulum ab Episcopo, in cujus Dioecesi est beneficium, promoveri petierint, praeter literas testimoniales super eorum natalibus, aetate, vita et moribus, juxta Constitutionem fel. rec. Innocentii Papae XII., quae incipit: *Speculatores*, impetrandas, examen quoque coram domicilii Episcopo, si in ejus Dioecesim sint reversuri, super scientia et idoneitate, ut dictum est, subire teneantur; neque testimoniales literas ullatenus concedi volumus, nisi, praevio antedicto examine, habiles ad ordinem approbari meruerint. Beneficium autem ad congruam vitae sustentationem ita erit, ut absolute juxta taxam moremve propriae Dioecesis, ad quam ordinandus sit rediturus, sufficiens esse judicetur.

CAP. V. Requisita ad Canonicatus aliaque obtinenda simplicia Beneficia proponuntur.

In conferendis tandem Canonicatibus aliisve etiam Beneficiis simplicibus Episcopi non carnem respiciant aut sanguinem, sed servitium attendant et qualitates providendorum. Advigilent insuper, ut in faciendis collationibus, ne alii esuriant, et alii ebrii sint, justitia semper distributiva servetur, prudenti Collatorum arbitrio regulata. In Canonicatibus vero ut supra conferendis, ceteris paribus, semper eos praeferant, qui cantum callent Gregorianum; et collatione ad Sedem Apostolicam spectante, de ejusdem cantus peritia mentio fiat in testimonialibus, quae concedentur.

TITULUS VII.

De officio Judicis delegati.

CAP. I. Episcopi, in Civitatibus residentes, Dioecesis curam non negligant.

Cum Episcopi ad Apostoli [1] normam omnibus omnia fieri et esse teneantur, ut omnes sibi commissos Christo lucrifaciant, animadvertendum est illis, ut, dum in Civitatibus residentes, corpore ab aliis absunt Oppidis Dioecesis, studeant tunc, ut ipse Paulus ajebat, spiritu praesentes [2] omnibus inveniri; quod quidem assequentur, si post generalem habitam visitationem, post coactas Synodos et latas leges in utramque non obdormiant aurem, sed de ipsa decretorum executione soliciti, fideles ultra Testes Synodales deligant comministros, qui Dioecesim proprio eorumdem Episcoporum stipendio circumeuntes, hac atque illac pertranseant, omnia, an pro debito sint adimpleta, perlustrantes, et populis fiant bonus odor in omni loco.

CAP. II. In cultioribus Dioecesis locis Vicarii foranei constituendi. Eorum qualitates et officia recensentur.

Vicarios item foraneos in Oppidis insignibus, vel ubi Episcopi necesse judicaverint, ad sui beneplacitum ipsi constituant; iique curam ne habeant animarum, quantum fieri potest, pro viribus studeant. Sint etiam doctrina, pietate et prudentia praediti, qui pro Deo et propter Deum Evangelium non erubescant, sed de Clericorum et Laicorum vita ac moribus, et quomodo Parochi aliique animarum Rectores in Pastorali officio se gerant, diligenter inquirant et in laternis scrutentur; ad Episcopos fideliter delaturi, num Clerus et Populus, ut decet, vivant, num proprius in Ecclesiis cultus adhibeatur, num supellex, sacra praecipue, debito nitore

[1] Loc. cit. cap. 13. et 14.

[1] 1. Cor. 9, 22.
[2] 1. Cor. 5, 3.

conservetur, et visitationum decreta suae sint executioni a
mandata.

TITULUS VIII.

De officio Judicis Ordinarii.

CAP. I. Sanctae Visitationis munus quomodo per Episcopos implendum.

Cum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, verbi Dei praedicatione ac bonorum operum exemplo pascere et in cetera munia pastoralia incumbere; quae omnia ex generalis Tridentini Concilii [1] mente, declaratione ac definitione ab iis nequaquam praestari et impleri posse cognoscuntur, qui gregi suo non invigilant neque assistunt, sed hunc mercenariorum more b
deserunt: idcirco eos omnes admonemus atque hortamur, ut divinorum praeceptorum memores factique forma gregis ex animo, in judicio et veritate illum pascant ac regant: caveantque proinde, ne a commissis sibi Ecclesiis visitandis et sui vultu pecoris cognoscendo damnabiliter deficiant. Quam quidem visitationem ad praefati Concilii Tridentini [2] praescriptum annuatim vel saltem infra biennium, ubi tamen ampla sit Dioecesis, per se ipsos vigilantissime impleant, nec unquam per alios, nisi gravis urgeat necessitas, aut impedimentum adesse contingat, ut absque maximo et evidenti publicae vel propriae salutis discrimine ab eo onere non excusentur. Cumque alios ad munus hoc obeundum delegare oportuerit, curae sit ipsis diligenti, ut c
viros Ecclesiasticos, quorum saltem aliqui sint Presbyteri, probos, pios ac doctos manusque ab omni munere excussas habentes, eligant ac dimittant, quique attente cum Ecclesiarum ac subditorum fructu, suo muneri Conciliique menti satisfaciant.

CAP. II. Vicariorum Generalium electio, eorumque officium Episcopis commendatur.

Episcopi praeterea in Vicarios Generales suos fratres aut nepotes aut propriae Episcopalis urbis Cives non eligant; serioque itidem animadvertant, ut sacrae ab illis in causarum decisionibus juris et Conciliorum sanctiones ac praecipue Tridentini decreta, Synodales propriae et Provinciales Constitutiones observentur; at- d
que memores secundae opinionis inter sexaginta quinque a sanct. mem. Innocentio XI. Praedecessore nostro damnatas [3], Doctorum sententias minus probabiles penitus non sequantur. Sint insuper in causae cujuslibet cognitione maturi et in expeditione celeres: sintque ab omni cupiditate liberi et a personarum acceptione alieni. Praescriptas mercedum Taxas servent ipsi et a singulis quibuslibet Cancellariae Curiaeque Episcopalis ministris servari omnimode procurent, quacumque consuetudine penitus non suffragante.

[1] Sess. 23. de reform. cap. 1.
[2] Sess. 24. de reform. cap. 3.
[3] * Prop. damn. 2. *Probabiliter existimo, judicem posse agere juxta opinionem etiam minus probabilem.*

CAP. III. Procurator vel Advocatus Pauperum in qualibet Civitate ab Episcopis constituatur.

Regale ab Episcopis honoratur Sacerdotium, dum in populis judicium et justitiam faciunt et Pontificali, quo fulgent, imperio oppressos a calumniatoribus sublevantes, pauperibus etiam, viduis, peregrinis, pupillis et orphanis paratum ita contra potentes, a quibus illi facilius opprimuntur, auxilium exhibent et protectionem, ut non solum iis cito subveniant exorantibus, sed et soliciti semper sint et vigiles, ne opprimantur. Quocirca Episcopos in Domino adhortamur, ut unum aut plures, si id exposcat necessitas, et vires suppetant, in eorum deputent Civitate Pauperum Procuratores vel Advocatos pios, probos et doctos, qui miserabilium causas personarum tam in criminalibus quam in civilibus gratis defendant, lis quamvis sit coram Judice laico mota. Ut autem quam felicius id assequi possint Episcopi, curent, in eadem ipsorum Civitate erigi Confraternitatem S. Ivonis, hac in nostra alma Urbe magno cum pauperum solatio institutam, atque ad illius exemplar personas aeque pias ac doctas eidem aggregari; quae proprio labore, industria et eleemosynis proximi miseriis succurrant et pro eis apud Episcopos, miserabilium Patres, fiducialiter agant, ut eisdem paternae ac sacerdotalis ostendant viscera charitatis.

CAP. IV. Cathedraticum Episcopis solvendum declaratur.

Ipso communi jure [1] est cautum, ut Episcopis Cathedraticum a clericis debeatur, quod est duorum solidorum, viginti scilicet juliorum, census Cathedrali Ecclesiae solvendus in signum honoris et subjectionis Cathedrae Pontificali: ius sane inter cetera Episcopalia ita privilegiarium, ut neque ab Episcopis in totum remitti, nec a quoquam valeat quocumque titulo vel immemorabili consuetudine praescribi. Quod si forte aliquid sub alio vel fixorum munerum vel xeniorum nomine offeratur, decernimus, ut ab Episcopis, tanquam qui non praemium, sed honorem postulant, munera et xenia recusentur hujusmodi; et Cathedraticum dumtaxat, summam non excedens praedictam, ab Ecclesiis (non tamen Regularium) et a Beneficiatis sibi subjectis tali etiam volumus moderatione exigatur; videlicet

I. Quibus sunt reditus infra scuta decem (idem de ducatis monetae Neapolitanae intelligatur), duo julii.

II. Quibus scuta infra quinquaginta, julii quinque.

III. Quibus infra centum, julii decem.

IV. Quibus ultra centum vel quacumque in alia majori summa, julii quindecim.

V. Ab Ecclesiis vero, ubi plures de massa participant, ab omnibus in communi julii viginti, salvis tamen consuetudinibus Ecclesiis et Episcopis magis favorabilibus.

[1] Can. *Placuit.* 1. Can. *Illud te.* 4. Can. final. c. 10. q. 3. et cap. *Conquerente.* 16. extra h. t. (1, 31).

CAP. V. Parochis Quartam Funeralem a Regularibus deberi, decernitur. a

Quam demum, hoc decurrente Concilii tempore, edidimus Constitutionem in ejusdem calce Concilii exhibendam, super Quarta Funeralium in Italia et Insulis adjacentibus Parochis solvenda a Regularibus quibuscumque, in quorum Ecclesiis defunctos contigerit tumulari: Episcopi omnes suis in Civitatibus ac Dioecesibus statim, cum illa in eorum manus pervenerit, publicandam curent atque pro illius observantia invigilent, etiam tanquam nostri et Sanctae Sedis Apostolicae delegati.

TITULUS IX.

De majoritate et obedientia.

CAP. I. Episcopis exemptis, qui Metropolitanum adhuc ad Concilii Tridentini formam non elegerunt, ne ulterius illius electionem differant, interdicti poena proposita, demandatur.

In hujus celebratione Concilii nostrorum multos novimus Episcoporum, qui Tridentinae usque adhuc non obtemperavere sanctioni, qua Episcopi Nobis et Apostolicae Sedi immediate subjecti vicinum aliquem Metropolitanum semel eligere et cum aliis Provinciali Synodo interesse jubentur [1]. Ut itaque generali eidem Constitutioni debita praestetur obedientia, pari Nos decretali, sacro etiam approbante Concilio, mandamus, ut Episcopus quilibet exemptus, antequam alma ex hac Urbe nostra discedat, sub poena interdicti ab ingressu c
Ecclesiae Nobis reservata, donec usque paruerit, suum tandem aliquando eligat Metropolitanum; quam electionem absentes quoque, sub eadem poena, efficiant infra mensem ab hujus publicatione Concilii.

CAP. II. Archiepiscopos Provincia et Suffraganeis carentes nec Concilia Provincialia cogere, nec ab exemptis in Metropolitanos eligi posse, declaratur.

Cumque juris tantummodo sit majoritatis ac praeeminentiae Metropolitanorum [2], Provinciam et Episcopos sibi et Metropolitanae Ecclesiae suffragantes habentium, Concilia Provincialia cogere, quae merito Episcoporum Conventus appellantur: decernimus idcirco et ex Concilii Tridentini mente declaramus, nulli d
licuisse nec licere Archiepiscopo, qui Provincia et Episcopis careat suffraganeis, sub praetextu quoque, quod Abbates adsint in ejus Dioecesi exempti cum Territorio separato et jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, Provinciale Concilium solis cum iisdem Abbatibus celebrare: quod si fecerit, non Provincialem, sed Dioecesanam potius Synodum nuncupandam fore censemus; ac proinde nec talem Archiepiscopum ad Tridentinam, ut supra, sanctionem exequendam in Metropolitanum ab exemptis ipsis eligi posse definimus.

[1] Sess. 24. de ref. cap. 2.
[2] Can. *Propter*. 4. et 15. dist. 18.

CAP. III. Ad Clericos sub suorum Episcoporum disciplina continendos exemptionibus ac Patentium Literarum concessioni modus imponitur.

Quoniam, sicut Generalis ipsa declarat Tridentina Synodus, privilegia et exemptiones, quae Clericis a plerisque conceduntur, perturbationem hodie in Episcoporum excitant jurisdictione [1] atque exemptis ipsis, qui canonicam proprii Superioris disciplinam respuentes, exemptionum literas perquirunt, ita laxioris vitae occasionem praebere dignoscuntur, ut tantae demum pravitatis efficiantur, quod depressionem ejus cupiant, cujus acceperunt divinitus consecrationem [2]: Episcopis idcirco injungimus, ut, cum necesse fuerit, contra exemptos Clericos juxta praefati Concilii dispositionem pro-
b cedant [3]. Quo vero ad Subcollectores et Patentatos aliosque Camerae Apostolicae Ministros ubique locorum Italiae et Insularum adjacentium, ubi Generalis ejusdem Camerae Thesaurarius et Nuntii Apostolici jurisdictionem exercent, mandamus servari decretum Congregationis Concilii sub die vigesima septima Februarii 1677., confirmatum a sanct. mem. Innocentio XI., in hujus calce Concilii referendum, cum suis declarationibus.

TITULUS X.

De Foro competenti.

CAP. Unicum. Foro cuilibet Episcopali circa Taxas in eo servandas providetur.

Ad execrabilis, ut decet, e Foro Episcopali omnem dimovendam cupiditatis suspicionem Taxa cum primis Innocentiana, volumus, publice in omnibus prostet Cancellariis; et, quidquid in singulis causarum expeditionibus exolvi debet, juxta Taxam ipsam exigi sine ulla fraude jubemus. Quoad casus vero in ipsa Taxa non comprehensos propriam uniuscujusque Dioecesis servandam declaramus. Propria ubi autem non habetur, eam Romanae Provinciae Episcopi in prima eorum Dioecesana Synodo, regionis more spectato, statuant ac conficiant et ad Nos pro approbatione transmittant: alii vero, Nobis et S. Sedi immediate subjecti, vicini Metropolitani Taxam in eorum Tribunali servandam accipiant. Reliqui demum aliorum quorumcumque locorum Episcopi, qui similiter Taxa propria carent, ut, quae Notarii aliique Officiales in singulis causarum, functionum, scripturarum ceterarumque actionum generibus accipere stipendia debent, innotescat, eam in prima pariter eorum Synodo, eadem habita locorum circumspectione, constituant et ad primum eorum Provinciale Concilium deferant approbandam. Quae deinde Taxae typis datae pro communi omnium notitia suis respective affixae semper maneant in Cancellariis.

[1] Sess. 24. de ref. cap. 11.
[2] Ex Fulbert. apud Hallier De Sac. Elect. par. 1. cap. 2. art. 1. §. 12. n. 23.
[3] Sess. 6. cap. 3. Sess. 14. cap. 4. et cit. Sess. 24. cap. 11. de ref.

TITULUS XI.

De Feriis et Festorum dierum observantia.

CAP. I. Festorum dierum observantia inculcatur. Modus proprius illos sanctificandi ostenditur.

Ex quo Catholica nostra Ecclesia, veteris novique Testamenti oraculis instituta, dies Dominicos aliquosque alios per annum aeterno totius temporis Creatori ac Domino consecravit: illos suis fidelibus, ad quietem nedum e diuturnis laboribus capessendam, sed et praecipue ad majorem in iis Deo cultum praestandum, religiose semper observari mandavit omnique adhuc mandat devotione custodiri ac religione sanctificari. Districte itaque omnibus, qui christiana professione signantur, est ab ipsa Ecclesia praeceptum, et Missam diebus omnibus Dominicis ac Festis audire et insimul a quocumque eos labore et servili opere abstinere. Cum autem Toletani Concilii tertii decreto [1] graviter eos peccare definiatur, qui festis diebus, audita tantummodo Missa, otio se dedentes, totum diem in aleis et choreis inhonestis, in ebrietatibus, comessationibus aliisque peccatis et vanitatibus transigunt; ne propterea de ipsis apud Deum dicatur: *Tempus faciendi, Domine: dissipaverunt legem tuam* [2], illos ex animo monemus, ut diebus omnibus Deo consecratis Deo ipsi ac spiritualibus vacare studeant, Ecclesias religiosius adeant: Sacramentis se mundent communiantque, Concionibus divinisque officiis intersint ac ferventius se in operibus pietatis exerceant.

CAP. II. Servile opus quomodo Festis ipsis diebus permittendum, pietate id suadente, vel exigente necessitate?

Super iis autem, quae in eorumdem Festorum occursu vel pietas suaserit, vel humana exegerit necessitas, universis Christi fidelibus, volumus, juxta sacros Canones [3] consueta misericordia subveniatur. Unde et messis et vindemiarum tempore aliaque consimili urgente occasione, cui tunc aliter omnino provideri non possit, liceat, cum ita Episcopi in ipsorum licentia gratis concedenda convenire judicaverint, servile opus aggredi, Missa saltem prius audita. Qui vero licentiam obtinuerint, adhortatione moneantur, quatenus ex eo, quod illis utilitatis obvenerit, Ecclesiis circumpositis et Dei pauperibus aliquam, in alterius veluti cultus repensum, faciant portionem.

TITULUS XII.

De fide Instrumentorum.

CAP. I. Bonorum ecclesiasticorum Inventaria infra annum conficienda mandantur, a summo Pontifice et ab Episcopis respective recognoscenda et approbanda.

Ecclesiastica bona, quae sane Christi ejusque Ministrorum et pauperum patrimonia sunt, ut sacrilegis ab
a usurpatorum manibus vindicentur et primaevo suo ac legitimo juri restituantur in eoque, prout convenit, conserventur, officium et auctoritatem nostram interpellant. Itaque, sacro etiam approbante Concilio, et Motui proprio Nos inhaerentes fel. rec. Sixti V. [1], infra cum aliis subjungendo, Capitula quaecumque et Collegia atque Ecclesiarum et beneficiorum, etiam simplicium et de jure patronatus, Rectores omnesque Hospitalium, Confraternitatum, Congregationum ceterorumque locorum piorum, quomodolibet etiam exemptorum, Administratores requirimus; eisque et eorum singulis, sub poena etiam interdicti contra Capitula et Collegia ipsa, suspensionis contra Clericos sacris ordinibus initiatos et excommunicationis contra Laicos et reliquos Clericos
b in minoribus constitutos, in virtute sanctae obedientiae praecipimus ac districtissime mandamus, ut infra annum post hujus Concilii promulgationem, nostro respective et Episcoporum arbitrio ex rationabili tantum causa moderate prorogandum (eorumdem Nos Episcoporum conscientiam onerantes) bonorum omnium, quavis ratione ad eadem Capitula, Collegia, Ecclesias, Beneficia, Hospitalia, Confraternitates et Congregationes pertinentium, quorumque cura ipsis sive in communi sive in particulari commissa reperiatur, legale Inventarium conficere et perfectum Nobis respective ac suis Episcopis infra idem tempus pro recognitione et approbatione simul exhibere habeant et debeant, servata in omnibus methodo et instructione, quam hic dabimus in Appen-
c dice.

CAP. II. Authenticum cujusque Inventarii exemplar in Archivis Apostolico et Episcopali propriaeque Ecclesiae custodiendum.

Perfectorum autem duo fient authentica quorumlibet Inventariorum exempla, quorum alterum in Archivo nostro Apostolico et in Episcopali suo respective collocandum volumus et jubemus, alterum penes sit interesse habentes, servandum tamen in propriae Ecclesiae Archivo; quo si quis careat, in alio vicinioris Parochiae cum sua cautela deponat.

CAP. III. Archivi Episcopalis erectio ejusque instructio praecipitur. Scripturarum omnium Inventarium penes Episcopum servetur.

d Episcopale idcirco Archivum in Episcopio et loco, quo possit, tutiori simul atque commodiori Episcopi stabiliter erigant et constituant. In illo Curiae processus atque scripturae omnes, tam ad Episcopi mensam quam ad Dioecesim etiam universam pertinentes, suo ordine reponantur: eaque potissimum, quae de anno 1626. Concilii Congregatio suis literis, pro instructione hic dandis in Appendice, ad Episcopum Comensem enumeravit. Vigore autem Bullae S. Pii V., quae incipit: *Muneris nostri* [2], omnibus et singulis Episcopis districte praecipimus et mandamus, quatenus Archiva Episcopalia perpetuo integra custodiantur, et,

[1] Can. XXIII.
[2] Ps. 118, 126.
[3] Cap. *Licet.* 3. de Feriis (II, 9).

[1] D. 29. April. 1587.
[2] Const. 121. d. 1. Mart. 1571.

Cathedralibus Ecclesiis eorum Pastoribus viduatis, Vicarii capitulares aliive gratia, odio, timore vel sordibus, quos velint, processus et scripturas surripere vel lacerare non valeant; Inventarium authenticum omnium et quorumcumque Curiae ejusdem Episcopalis processuum, tam civilium quam criminalium, Instrumentorum etiam ac ceterarum quarumcumque causarum quotannis per ipsius Curiae Notarium conficiendum invigilent et confectum ejusdemque Notarii manu subscriptum penes se diligenti cura conservent. a

CAP. IV. **Casu eveniente mortis Episcopi, vel eo in longinqua profecturo, cui Inventarium ipsum pro custodia consignandum?**

Cumque Episcopi ex hac vita se migrare perspexerint, Inventarium ipsum, eorum sigillo obsignatum, b fideli Sacerdoti, cui, morte impendente, peccata confitebuntur, committant, ut illico, postquam obierint, illud Praelato dignioris Conventus suae Civitatis consignet, tute et fideliter custodiendum, successor donec Episcopus advenerit, cui clausum item et integrum praesentet: quod et ipsimet Episcopi per se implere non omittant, si quando longius e Dioecesi necesse habuerint peregre proficisci. Casu autem eveniente, quo Episcopus e vivis inopinato deficiat, tunc per Capitulum, in juribus succedens Episcopalibus, una cum Vicario Generali defuncti Episcopi confestim et, si fieri poterit, antequam ad Vicarii Capitularis electionem deveniatur, Archivum Episcopale praedictum visitetur, novumque Inventarium conficiatur, cum eo conferendum, quod penes Episcopum, dum vivebat, asservabatur, si inter alias illius scripturas acciderit inveniri. c

CAP. V. **Poenae recensentur contra Archivorum processus, documenta et scripturas quascumque temerantes vel surripientes.**

Quicumque tandem processus, scripturas et documenta hujusmodi violaverit, corruperit, subtraxerit, combusserit, suppresserit seu similia fieri mandaverit, aut auxilium, consilium vel favorem praestiterit, omni sit dignitate, officio et beneficio privatus et ad futura obtinenda inhabilis eo ipso.

CAP. VI. **Ad proprias conservandas scripturas unaquaeque Ecclesia locumque pium quodlibet suum erigat et instruat Archivum.**

Hinc ad Ecclesiarum monimenta servanda, tuta in d unaquaque Ecclesia, Cathedrali praesertim, Collegiata et Parochiali, ubi tamen instituta non adsint Archiva, quamprimum instituenda praecipimus, scripturis omnibus ad eas pertinentibus compulsatis, recensitis et summatis cum suo Indice seu Catalogo, Archivistae manu subscripto: quod et in Hospitalibus, Confraternitatibus locisque aliis piis consimilibus fieri mandamus, ne scripturae, per manus oberrantes, deperdantur vel iniqua usurpantium cupidine rapiantur et occultentur. Si cui vero Ecclesiae vel pio loco proprii non suppetant instituendi vires Archivi, a singulis in Episcopali Archivo speciale constituatur Armarium, in quo libri et scripturae omnes suo ordine reponantur.

TITULUS XIII.

De jure jurando.

CAP. I. **Excitantur Episcopi ad Sixtinam Constitutionem servandam in sacrorum Liminum visitatione, pro cujus faciliori observantia instructio datur in Appendice.**

Episcoporum nullus ignorat, ex antiquis sacrorum Canonum decretis, recol. mem. Sixti V. Constitutione incipiente: *Romanus Pontifex,* innovatis [1], speciali se Pontificalem ante ordinationem emisso juramento nedum ad Sanctorum haec Apostolorum Petri et Pauli Limina personaliter, ipsoque praepedito, certum per ejus Internuncium visitanda obligari, verum etiam Romano Pontifici vel pro eo Cardinalibus, Tridentini Concilii interpretationi praefectis, de pastorali officio suo deque omnibus ad illius, cui praeest, Ecclesiae statum pertinentibus rationem ore et scripto reddendam adstringi; responsa tunc Apostolica recepturus, debitae per eum mandanda executioni. Ipsius itaque Constitutionis, imo et Episcoporum juramenti, super illius observantia praestiti, memoriam hic Nos facientes, eorum singulos in Domino rogamus et ex animo admonemus, ne ita passim personali ab hac visitatione se dispensent, monita hic multa et sane proficua eorumdem Sanctorum Ecclesiae Principum Patrocinio e summi Pontificis vivae vocis oraculo percepturi, quae scriptis aliquando nequeunt consignari. In relationibus autem nuda se tantummodo Civitatis et Dioecesis descriptione inutiliter ne fatigent, sed utilia ab inutilibus secernentes, quae in eorum Ecclesiis ad Dei gloriam propagandam, Christianam Religionem promovendam animarumque salutem magis procurandam deducenda judicaverint, clare breviterque referant ac deducant: idque, ut felicius fiat et fructuosius, ad amussim super hoc in calce dandam instructionem perlegant et exequantur.

CAP. II. **Juramentum alias exigi solitum a Reis criminaliter inquisitis, dum judicialiter uti Principales examinantur, in posterum ne ullo modo ab iis in quocumque Tribunali exigatur, praesenti constitutione inhibetur.**

Reprehensibile judicari non debet, si secundum temporum varietates, ubi id necessitas vel utilitas exposcat, consuetudines et leges quandoque varientur humanae [2]; ipse enim Deus et Dominus, aeternus Legifer noster, ex iis, quae veteri in Testamento statuerat, multa postmodum mutavit in novo. Stylum itaque in quibusdam Curiis Secularibus et Ecclesiasticis, nullo unquam jure praeceptum, inolevisse perpendimus, ut Judices sive eorum Notarii aut Scribae, Reos criminali facinore accusatos examinaturi, juramentum ab his praestari jubeant de veritate dicenda. Quia tamen ex hoc, quotidiana sicuti est experientia compertum, nec in Fisci favorem nec contra Reos ipsos, qui ut plurimum patrata a se negant delicta, utilitatis aliquid

[1] Const. 15. d. 20. Dec. 1585.
[2] Cap. *Non debet.* 8. De Consang. et Affinit. (IV, 14).

elici non ignoratur, adeo ut peculiari in hac facti contingentia nedum talia deinceps juramenta exigendi necessitas non adesse probetur, imo potius, ne illa penitus exigantur, sacri ipsa juramenti ratio postulet ac suadeat: hinc est, quod Nos, rationibus utrinque perpensis, et quamplurium inhaerentes insignium Tribunalium praxi, juramentum ipsum per Reos sic criminaliter inquisitos praestandum consulto, dum uti Principales tantummodo constituuntur, tollendum et submovendum ducimus; prout, sacro etiam approbante Concilio, praesenti hac constitutione omnino tollimus ac submovemus: nec juramentum hujusmodi ullatenus a Reis eisdem, nisi tamen ut testes quoad alios examinentur, in futurum per quoscumque Judices et Ministros sub quovis praetextu, causa et quaesito colore, volumus, exigatur; alias examen sive constitutum et Acta omnia nulla sint eo ipso et irrita omnique careant contra Reos effectu.

TITULUS XIV.

De Appellationibus.

CAP. I. In Appellationum Judiciis Pontificiae quaedam declarationes observandae decernuntur.

Concilii IV. Lateranensis [1] salubri definitione docemur, iis non esse appellationibus deferendum, quarum remedia, cum ad aequitatis ac pacis praesidia sint instituta, ad injustitias ac dissidia fovenda usurpari videntur. Quocirca, ut recta in appellationum Judiciis ratio debitusque honor Judicibus servetur, atque litigantium expensis simul ac laboribus consulatur, quae ex Alexandri III. Decretali in cap. *Cum sit Romana* [2], et Innocentii IV. in cap. *Romana* [3] statuuntur ac etiam per Concilii Tridentini decreta demandantur, et quae consultissime item edidit Congregatio negotiis Episcoporum et Regularium praeposita atque Clemens VIII. ac Urbanus similiter VIII. comprobarunt, praesenti Nos Synodali sanctione innovantes nostris cum aliquibus declarationibus, ad hujus Concilii calcem apponendis, diligenter observanda decernimus, quacumque in contrarium consuetudine, etiam immemorabili, stylo aut privilegio penitus exclusis atque sublatis.

CAP. II. In Causis criminalibus ad favorem Fisci Curiarum Episcopalium et cujusvis Superioris Regularis constituitur Romae Generalis Promotor Fiscalis.

Praeterea, cum non raro contingat, contra Fiscum Curiarum ecclesiasticarum, etiam Regularium, ab aliquo criminalis delicti Reo nostram ad hanc Sedem Apostolicam appellari, et propter defectum alterius partis appellationi non adhaerentis, Episcopi videlicet vel ipsius Superioris Regularis, qui respective in praejudicium Dioecesis, Pauperum et propriae Religionis a lites hic expensasque sufferre non valent, controversias publico cum justitiae detrimento vel indecisas remanere vel ut plurimum, Fisci partes nemine tuente, terminari cum absolutione Rei tantummodo comparentis: praecipimus idcirco, ut, ubi in causis criminalibus Episcopi aliive locorum Ordinarii seu Superiores quilibet Regulares ex officio et ad nullius querelam vel accusationem processerint, atque ab eorumdem fuerit decretis vel sententiis ad Nos sive Camerae nostrae Apostolicae Auditorem appellatum, vel ad Congregationes recursus habitus, illico a partibus de recursu et appellatione hujusmodi certior fiat Promotor Fiscalis Generalis, quem hic in eadem Urbe nostra sub tali titulo in Episcoporum et Regularium Judicum levamen nuper perpetuo b constituimus. Is etenim in posterum jura Fisci ecclesiastici appellati tum in causis eisdem introductis tum introducendis et, quae actu in praefatis Tribunalibus pendent, pro sui muneris debito defendet; justo dumtaxat et convenienti per Nos eidem assignato stipendio scutorum viginti quinque, a Camera nostra Apostolica singulis mensibus solvendorum, contentus; prout in Chirographo nostro sub die 12. Julii elapsi anni 1724. expedito, in hujus Appendice Concilii legendo, plenius continetur.

[1] Cap. 48. De modo recusandi Judicem.
[2] C. 5. hoc Tit. (II, 28).
[3] C. 3. eod. Tit. in 6. (II, 15).

TITULUS XV.

De celebratione Missarum, Sacramento Eucharistiae et Divinis Officiis.

c **CAP. I. In Sacramentorum administrationibus, Missarum celebratione ceterisque divinis Officiis praescripti Ritus et Caeremoniae serventur.**

Cum invisibilia Dei per visibilia Religionis ac pietatis signa, quae caeremoniarum nomine censentur, intellecta conspiciantur: Pastoralis nostri muneris curam ad hoc intendimus et ab omnibus ita fieri volumus et mandamus, ut in Sacramentorum videlicet administratione, in Missis et divinis Officiis celebrandis aliisque ecclesiasticis functionibus obeundis non pro libito inventi et irrationabiliter inducti, sed recepti et approbati Ecclesiae Catholicae Ritus, qui in minimis etiam sine peccato negligi, omitti vel mutari haud possunt, peculiari studio ac diligentia serventur. Quamobrem Epi- d scopis districte praecipimus, ut contraria omnia, quae in Ecclesiis, seu Secularibus seu Regularibus (iis exceptis, qui proprio vel Rituali vel Missali vel Breviario utuntur, a S. Sede probato) contra praescriptum Pontificalis Romani et Caeremonialis Episcoporum vel Rubricas Missalis, Breviarii et Ritualis irrepsisse compererint, detestabiles tamquam abusus et corruptelas prohibeant et omnino studeant removere, quavis non obstante interposita appellatione, vel immemorabili allegata consuetudine; cum non, quod fit, sed, quod fieri debet, sit attendendum: et regula est, non cantari, nisi quod legitur esse cantandum [1].

[1] D. Aug. in suis Regulis.

CAP. II. Decretum Clementis PP. XI. circa Missarum celebrationem in Oratoriis privatis per Episcopos publicandum et observandum praecipitur.

Quod a fel. rec. Clemente XI. suo lato Decreto sub die 15. Decembris 1703., in allegata ipsa Appendice proferendo, opportune mandatum fuit circa usum Altaris portatilis et Missarum celebrationem in Oratoriis domesticis: volumus, Ecclesiarum omnium Episcopi in suis Dioecesibus publicent quamprimum et exequutioni demandent, cuivis insuper in privatis, ubi dormiri solet, cubiculis celebrandi facultate sublata. Haec ut ab omnibus, Regularibus praesertim, serventur, invigilent; adversusque contravenientes speciali adhuc privilegio exemptos Episcopi ipsi tanquam Sedis Apostolicae delegati censuris etiam ecclesiasticis procedant, indultis aut consuetudinibus quibuscumque non obstantibus.

CAP. III. Decreti supradicti declaratio, favore Episcoporum facta, hic refertur.

Supra relati vero Decreti, a recol. mem. Innocentio XIII. innovati, sed in eo, quod ad Episcopos pertinet, sua Constitutione super ecclesiastica disciplina pro Hispaniarum Regnis anno 1723. declarati et a Nobis alia consimili nostra praeterito anno 1724. confirmati, declarationem hic subjungi jubemus tenoris sequentis.

Declaramus tamen, quod, cum in praedicto Decreto statuatur, non licere Episcopis, extra Domum propriae habitationis in Domibus laicis erigere Altare ibique sacrosanctum Missae sacrificium celebrare sive celebrari facere, hujusmodi prohibitio intelligenda non sit de Domibus, etiam Laicis, in quibus ipsi Episcopi forte occasione visitationis vel itineris hospitio excipiantur, et nec etiam, quando Episcopi in casibus a jure permissis vel de speciali Sedis Apostolicae licentia absentes a Domo propriae ordinariae habitationis, moram idcirco faciant in aliena Domo per modum similis habitationis; his enim casibus licita iis erit erectio Altaris ad effectum praedictae celebrationis non secus ac in Domo propriae ordinariae habitationis.

CAP. IV. Anniversarium pro summis Pontificibus infra octavam commemorationis omnium Defunctorum celebrandum decernitur Romae in Cappella Pontificia et Ecclesiis Patriarchalibus et Collegiatis.

Quod antiquitus, Papali prout est in Caeremoniali[1] relatum, laudabili ex Alexandri IV. decreto erat in praxi, ut summi scilicet Pontifices aliquo die quotannis post fidelium omnium defunctorum commemorationem pro summis Pontificibus et S. R. E. Cardinalibus defunctis sacra in Apostolici Palatii Cappella coram se et Sacro Collegio Missam cum cantu per aliquem ex Episcopis celebrari facerent; quomodo id adhuc pro defunctis Cardinalibus fiat et pro summis sit Apostolicis Sacerdotibus abolitum, praefatum Caeremoniale haud plene declarat. Antiquum Nos atta-
a men ac pium ipsum commendantes usum atque dispositioni etiam inhaerentes Caeremonialis Episcoporum[1], dignum et congruum arbitramur, ut prisca resumatur consuetudo, et solemne pro summis eisdem Pontificibus perpetuum Anniversarium, ab eo, quod pro Cardinalibus agitur, omnino distinctum, coram etiam Pontifice et sacro ipso Collegio de more, Papali prout in dicto Caeremoniali cavetur, prima die post fidelium defunctorum commemorationem agatur cum Missa et absolutione in fine: quod similiter octavam infra eamdem in Patriarchalibus saltem et Collegiatis Urbis celebrari statuimus atque mandamus.

CAP. V. Quae in singulis Dioecesibus Anniversaria pro defunctis Episcopis celebranda praescribuntur.

b Ex ipsius insuper Caeremonialis Episcoporum mandato[2] in universis cujusque Civitatis et Dioecesis Cathedralibus et Collegiatis aliisque Conventualibus seu Receptitiis Ecclesiis praeter solemne Anniversarium, pro ultimi defuncti Episcopi anima in ejus die obitus celebrandum, alterum etiam per singulos annos agendum decernimus in perpetuum pro omnibus propriae Dioecesis Episcopis infra praedictam fidelium omnium Defunctorum octavam. Singulos quocirca, quos id agere oporteat, convenimus et illam eis Christi Domini sententiam[3]: *eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis,* paterne commemoramus.

CAP. VI. Musico cantui in Ecclesiis modus imponitur, et organorum sonus tempore Adventus et Quadragesimae prohibetur.

c Pro eo autem, quod musicam in Ecclesiis spectat, praeter extravagantem *Docta.* de vita et honestate Clericorum, Edictum pariter fel. rec. Alexandri VII.[4] innovandum esse statuimus, prout hoc nostro Decreto innovamus: ulteriusque prohibendum ducimus, ne in Missis Defunctorum diebusque Adventus et Quadragesimae, Festis dumtaxat exceptis, organa pulsentur, nec aliud quodvis musicum instrumentum adhibeatur: quo tempore, Dominica scilicet Adventus tertia, dicta *Gaudete,* et Quadragesimae quarta, nuncupata *Laetare,* pulsari organa permittuntur in Missa tantummodo Conventuali. Sub poenis interea in praecitata Extravagante et Edicto inflictis cohibeant Episcopi Musicae
d Magistros, Organistas et Cantores aliosque quoscumque a quibusvis in Ecclesia indecori cantus modulationibus, ne fidelium magis videantur auribus prurire quam pios in Deum affectus excitare.

CAP. VII. In solemnibus Sanctissimi Sacramenti Processionibus praeter consueta lumina quatuor semper accensas laternas circa Celebrantem deferri sancitur.

Pro consueta, quaeque alias haberi opus fuerit, solemni Sanctissimi Corporis Christi Processione, pluribus quamvis a caeremoniali Episcoporum sit, qua

[1] Anno 1516. edito per Christophor. Marcelli Archiep. Corcyren. lib. 2. cap. 34.

[1] Infra cap. 5.
[2] Lib. 2. cap. 36. et cap. 37.
[3] Luc. 6, 36.
[4] Anni 1665.

par est, cura omni praecautum, quatenus illa religiose semper et honorificentissime habeatur, luminibus praesertim adhibitis, a Clero et Populo deferendis; verumtamen cum, quae deferri solent, lumina aperta gestentur, eaque non raro, vento aut pluvia improviso superveniente, extincta omnia remanere videantur; ne idcirco (quod incongruum satis esset atque Augustissimo Domino indecentissimum) lumina tunc debita desiderentur, curent Episcopi, et cum eis sacrarum caeremoniarum Magistri advigilent, ut, per quos pertinet, quatuor saltem cum suis hastis laternae, quae tamen aliis sint nobiliores, comparentur; et suis semper cum intus accensis candelis hinc inde circa celebrantem, qui Sacramentum gestat, in posterum deferantur.

CAP. VIII. Facultas super Missarum reductione, Monachis Cassinensibus concessa, ad Episcopos extenditur, qui sive per se sive per Procuratores Romano huic Concilio interfuere.

Nuper, instante coram Nobis Procuratore Generali Congregationis Cassinensis, Ordinis S. Benedicti, pro absolutione ab hactenus ex causis expositis omissa in suis per Italiam constitutis Monasteriis perpetuarum Missarum celebratione ac insuper pro aequa ipsarum, ad quas in futurum eadem Monasteria tenerentur, Missarum reductione, sequens suo sub supplici libello de mandato nostro a Concilii Congregatione emanavit Decretum.

Beatissime Pater. *Procurator Generalis Congregationis Cassinen. Ordinis S. Benedicti, ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provolutus, exponit, suae Congregationis Monasteria per Italiam constituta ob bella, pestilentiam, contributiones, subsidia, decimas et alias calamitates et infortunia, a praedictis causis et aliis, heu, nimium notoriis, derivantia, dura premi paupertate: largitiones etiam Fidelium esse maximopere imminutas, et fundos quoque et capitalia Missarum perpetuarum ex praenarratis aliisque causis aut in totum deperdita aut magna ex parte detrita esse et consumpta. Quocirca idem Procurator pari humilitate exorat pro dictarum Missarum perpetuarum, quae usque ad praesentem diem celebrari debuissent et celebratae non sunt, benigna condonatione et pro earumdem Missarum moderatione et reductione in futurum.*

Die XV. Julii 1724.

Sanctissimus D. N. Benedictus Papa XIII., mature consideratis causis supra recensitis necnon exemplis suorum Praedecessorum Alexandri VII., Clementis X., Clementis XI. et praesertim Innocentii XIII., Romanorum Pontificum, ab hactenus omissa Missarum perpetuarum celebratione misericorditer absolvit mandavitque, ut a Patre Abbate Generali cum suorum Assistentium, quatenus juxta Constitutiones adsint in sua Religione Assistentes, sin minus, aliorum graviorum Patrum, quos in arduis consulere consuevit, consilio unum Monasterium in unaquaque Provincia eligatur cum facultate mutandi et alterum toties, quoties sibi videbitur, adhibito praedicto consilio, in unaquaque Provincia sub-

a *stituendi, in quorum respective Monasteriorum designandorum Ecclesiis quolibet anno in perpetuum, initio ducto ab anno 1725., uno die infra octavam commemorationis omnium fidelium defunctorum unum Anniversarium, in tabella onerum Monasteriorum describendum, celebretur et applicetur pro Animabus illorum, pro quibus praefatae Missae perpetuae erant celebrandae et applicandae et hactenus non fuerunt celebratae et applicatae. Quoad onera vero perpetuarum Missarum usque in praesentem diem acceptata et in posterum adimplenda, Sanctitas sua eidem Patri Abbati Generali demandavit, ut, adhibito suorum praedictorum consilio, e singulis Italiae Provinciis binos aut etiam plures eligat Religiosos, pietate, zelo, doctrina et probitate praeditos, qui, testamentis, instrumentis, libris, tabellis ceterisque documen-*

b *tis, quibus onera Missarum, unicuique Monasterio suae Provinciae respective incumbentia, descripta continentur, perspectis ac sedulo examinatis, et redditibus unicuique oneri attributis necnon eorum diminutionibus diligenter perquisitis atque perpensis, et praesertim, an ipsae diminutiones perpetuae sint vel temporaneae, distinctam atque fidelem descriptionem ad eundem Patrem Generalem transmittant, qui una cum dictis Patribus Assistentibus aut aliis supra memoratis, quos in arduis consulere consuevit, pro eorum omnium conscientia (cujus rationem supremo Judici Christo Domino se districte reddituros, meminisse debebunt) unamquamque Missam perpetuam moderari valeat et reducere ad rationem eleemosynae scutorum sexaginta monetae Roma-*

c *nae pro qualibet Missa quotidiana, intra terminum trium annorum a data praesentium, factaque post reductionem distincta onerum descriptione in Tabella onerum Missarum uniuscujusque Monasterii. Ceterum quoad novorum onerum seu eleemosynarum aut oblationum pro Missis perpetuis celebrandis acceptationem in futurum, Sanctissimus Dominus Noster, inhaerendo Decretis de celebratione Missarum jussu fel. rec. Urbani PP. VIII. et fel. rec. Innocentii Papae XII. per Sac. Congregationem Concilii editis, prohibuit omnibus et singulis Regularium Superioribus vel aliis, ad quos pertinet, ne in posterum onera perpetua Missarum celebrandarum suscipiant sine Generalis pro tempore vel Provincialis consensu et licentia, in scriptis et gratis concedenda,*

d *renovata poena privationis contravenientibus omnium officiorum, quae tunc obtinebunt, et perpetuae inhabilitatis ad alia de cetero obtinenda et privationis pariter ipso jure et absque alia declaratione vocis activae et passivae: et quoad ipsos Generales seu Provinciales, de licentia requisitos pro dictis oneribus perpetuis acceptandis, Sanctitas sua in eorum memoriam revocavit, ipsos in singulis casibus teneri diligenter inquirere de singulis Missarum celebrandarum obligationibus, nec eos antea assensum aut licentiam praebere debere, quam ipsis legitime constiterit, Sacerdotes uniuscujusque Ecclesiae et Monasterii tam novo oneri suscipiendo quam antiquis jam susceptis satisfacere posse; praecipuamque demum ab ipsis Generalibus et Provincialibus habendam esse ra-*

tionem, ut reditus et bona, quae Monasteriis assignantur pro Missis perpetuis omnino respondeant non eleemosynae manuali, sed eleemosynae perpetuae, taxandae juxta morem cujusque Civitatis, Dioecesis vel Provinciae: et, si in re tanti momenti desides fuerint aut negligentes, sciant, se tam poenis arbitrio Sanctitatis Suae et aliorum pro tempore Romanorum Pontificum esse subjectos quam praetermissi muneris in novissimo die rationem esse supremo Judici Christo Domino reddituros.

Cumque communes modo a Venerabilibus Episcopis, qui in hoc convenere Concilium, similes Nobis fuerint preces expositae, et suarum respective Ecclesiarum nomine petitum pro ejusdem ad ipsos et ipsorum quemlibet extensione decreti: eis Nos idcirco gratiam volentes facere specialem decretum idem juxta petita extendimus; et facultates ipsas Episcopis non modo, qui personaliter sacrae huic Synodo interfuere, sed et qui legitime impediti certum per eorum Procuratorem accesserunt, favorabiliter, congrua congruis referendo, concedimus et impertimur, eisdem tamen in omnibus, quae in eo exprimuntur, conditionibus servatis.

CAP. IX. Sacrarum Caeremoniarum neglectui occurritur. Cleri Congregatio quater saltem in mense habenda mandatur pro sacrorum Rituum et Casuum conscientiae disceptatione.

Sane, prout, quibusdam referentibus, et experientia ipsa non sine gravi nostri cordis dolore didicimus, plures sunt Ecclesiarum, etiam non ignobilium, sacrorumque Altarium Ministri, qui parum illius attendentes majestatem et dignitatem, ad cujus intimum sunt famulatum addicti, in Choro, in Altari et reliquis officiis ecclesiasticis ita minus apte se habent, ut in plurimorum scandalum et exemplum perniciosum id cedere dignoscatur. Rubricae namque ut plurimum ignorantur, et sacrae caeremoniae usu ipso vilescunt. Quocirca operae pretium ducant Episcopi omnemque curam ac diligentiam adhibere non desistant, quousque Congregationes tum in Civitatibus tum in Dioecesibus per omnes de Clero sacris initiatos, Canonicos, Parochos et Confessarios, (Regulares etiam, dummodo morales in eorum Conventibus lectiones non habeantur, alias ab audiendis confessionibus suspendendos) semel in unaquaque hebdomada certoque designando die et sub certa poena pecuniaria contra contumaces habeantur, in quibus alternatim et Rituum et Conscientiae casus proponantur, discutiantur et practice exerceantur, methodo servata synodali, quae legetur in Appendice.

TITULUS XVI.

De vita et honestate Clericorum.

CAP. I. Episcoporum vita ceteris sit bonae conversationis exemplo. Invicem ipsi juxta tempus Ordinationis se honore praeveniant.

Episcopi cum ceteros dignitate praecellant (sunt etenim mundi lumina, sal terrae, praecones divini, populorum duces ac Magistri, quos Deus tamquam Aaron ad animarum praefecturam vocavit et Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam suam); ut omnibus similiter optimae vitae exemplo praeluceant, locum in iis, quae morum reformationem spectant, postremum obtinere haud debent. Nos itaque, judicium quasi incipientes a Domo Dei, universos monemus et hortamur Archiepiscopos et Episcopos, ut fraterna se semper charitate diligant, invicem aequali se veneratione praevenientes, servatoque Metropolitani primatu, secundum suae ordinationis tempus alius alii deferat locum et honorem [1].

CAP. II. Suae memores dignitatis, secularium consuetudine ne se deprimant.

Sui praeterea gradus altitudinis summique honoris ac dignitatis memores, ad infima quaeque se non abjiciant, nimium se potissimum secularium consuetudine ac familiaritate deprimentes. In aulis Principum, nisi Ecclesiae vel alia id postulet pietatis necessitas, non versentur; nec, iis discumbentibus, stent ipsi eo adhuc praetextu, ut, sumpto cibo, Deo pro illis gratias agant. Cum Regum Ministris, Baronibus aliisque consimilibus Dynastis ita se gerant, ut omnino in Epistolis et earum subscriptione formulis numquam utantur inferioribus, atque in mutuis visitationibus omnique alio humanitatis commercio sive intra sive extra Ecclesiam cum omnibus uti Patres et Pastores se habeant, et supra omnes veluti superiores locum sibi servent digniorem. Ceterum ut, qui ex adverso est, nihil habeat dicere de ipsis, ab iis se omnibus abstineant, quae Concilia, Canones Sanctionesque Apostolicae Episcopis vitanda praecipiunt, et ea rite, recte ac solicite exequantur, quae Episcopali uti commissa ministerio praecipue ipsi tenentur obire.

CAP. III. Quae Clericorum vitam honestent?

Cum Clericorum vitam non minus habitu et tonsura quam scientia et conversatione integram esse et laudabilem videri deceat, ut, qui laicis gradu et ordine praesunt, moribus eos etiam praeeant ac doctrina: omnem nostram requirit solicitudinem, quidquid ad canonicam eorum noscimus pertinere institutionem. Quamobrem Clericos omnes monemus, ut in sortem Domini vocati, quae seculi sunt, amare dediscant: mittentes enim manum ad aratrum et respicientes retro aptos non esse Regno Dei, sapientia edixit Divina [2]. In optimis itaque se studiis sacrisque literis diligenter exerceant: sacros ritus, rubricas et caeremonias calleant: cantum Gregorianum addiscant: divinaque munia in Ecclesiis cum pietate obeant et majestate. Officia vero profana ne agant: a prohibitis venationibus, ab indecoris ludis et illicitis negotiis se abstineant: mulierum consuetudinem omnino devitent et cum eis, nisi primo vel secundo consanguinitatis

[1] Can. *Placuit.* 1. dist. 18.
[2] Luc. 9, 62.

vel affinitatis gradu conjunctis, multoque magis extraneis non cohabitent. Quique insuper ignominiam secularis habitus et comas capitum pro Christi amore deposuerunt, veste ac tonsura Clericis congruente semper utantur comamque fictitiam, vulgo *Perucca* aut *Cerchietti*, nunquam adhibeant: non annulos deferant, nisi hi eis ratione dignitatis competant, et tunc illos, nisi Abbates sint benedicti, in Missae celebratione deponant. In reliquis tandem Edictum super Clericorum nostrae Urbis vita et honestate, die 20. Decembris elapsi anni 1724. publicatum, hic in calce apponendum, Synodali hoc Decreto confirmamus; illudque Episcopi aliique respective in suis etiam Dioecesibus publicandum et omnimode observandum curent.

CAP. IV. Clericalis vestis laicis Curialibus permittitur praeter Collare, quod sit a Collari Clericorum diversum.

Laicis vero Curialibus, cum saepe sit eis in Palatio nostro Apostolico versandum saepissimeque etiam cum Cardinalibus et Praelatis agendum, togam clericalem nigram communem facimus: at Collaria Clericorum propria, sive rotundae sint formae sive quadratae, penitus prohibemus eisdem, et prohibita jam sibi esse sciant, tenore servato nostri Edicti die 22. Januarii 1725. expediti.

CAP. V. Sacramentorum frequentia Clericis commendatur.

Ipsi autem Clerici, sive in minoribus sive in Subdiaconatus aut Diaconatus Ordinibus constituti, quatenus in dies valeant de virtute progredi in virtutem et laicis etiam exemplo possint esse majori, sacris initiati singulis quibusque quindenis diebus ultra solemniores anni festivitates sacramentali mundentur exomologesi et sacratissima, quotiescumque fieri poterit, intra Missarum solemnia, communione reficiantur: Clerici vero alii inferiores id semel quolibet saltem mense efficiant, optamus; super quorum omnium executione, instante ordinationis tempore, proprii Parochi respective, Rectores Ecclesiarum et Sacristae Majores deputato ab ordinandorum requisitis ministro fidele testimonium perhibeant; tepidos autem et incurios, qui ea adimplere neglexerint, ad Episcopum deferant coercendos.

TITULUS XVII.

De Clericis non residentibus.

CAP. I. Ad debitam Episcoporum excitandam in eorum Dioecesibus Residentiam Concilii Tridentini Decreta, hic relegenda, inculcantur.

Quantum Episcoporum conscientiam aggravet suis e Dioecesibus absentia, quantumque noceat Christiano populo hujusmodi negligentia Pastorum, satis superque ab ipso elicitur Concilio Tridentino. Quocirca Decretum *de Residentia,* tam sub Paulo III. *sess. 6. de ref. cap. 1.* quam aliud consimile sub Pio IV. *sess. 23.*
a *de ref. cap. etiam 1.* ab eodem Concilio latum, ne ibidem sancitae ordinationes ulla temporum injuria, desuetudine aut hominum oblivione abolescant, hic relegi ac publicari volumus et mandamus.

„Eadem sacrosancta Synodus, eisdem praesidentibus Apostolicae Sedis Legatis, ad restituendam collapsam admodum Ecclesiasticam disciplinam depravatosque in Clero et populo Christiano mores emendandos se accingere volens, ab iis, qui majoribus Ecclesiis praesunt, initium censuit esse sumendum; integritas enim praesidentium salus est subditorum. Confidens itaque, per Domini ac Dei nostri misericordiam providamque ipsius Dei in terris Vicarii solertiam omnino futurum, ut ad Ecclesiarum regimen (onus quippe
b Angelicis humeris formidandum), qui maxime digni fuerint, quorumque prior vita ac omnis aetas, a puerilibus exordiis usque ad perfectiores annos per disciplinae stipendia ecclesiasticae laudabiliter acta, testimonium praebeat, secundum venerabiles beatorum Patrum sanctiones assumantur: omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis et Cathedralibus Ecclesiis quibuscumque quovis nomine ac titulo praefectos monet ac monitos esse vult, ut attendentes sibi et universo gregi, in quo Spiritus sanctus posuit eos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, vigilent, sicut Apostolus praecipit, in omnibus laborent et ministerium suum impleant; implere autem illud se nequaquam posse sciant, si greges sibi commissos mercenariorum more deserant atque ovium suarum, qua-
c rum sanguis de eorum est manibus a supremo Judice requirendus, custodiae minime incumbant; cum certissimum sit, non admitti pastoris excusationem, si lupus oves comedit, et pastor nescit. Ac nihilominus, quia nonnulli (quod vehementer dolendum est) hoc tempore reperiuntur, qui, propriae etiam salutis immemores terrenaque coelestibus ac divinis humana praeferentes, in diversis Curiis vagantur aut in negotiorum temporalium solicitudine, ovili derelicto, atque ovium sibi commissarum cura neglecta, se detinent occupatos: placuit sacrosanctae Synodo antiquos Canones, qui temporum atque hominum injuria pene in desuetudinem abierunt, adversus non residentes promulgatos, innovare, quemadmodum virtute praesentis decreti in-
d novat ac ulterius pro firmiori eorumdem residentia et reformandis in Ecclesia moribus in hunc, qui sequitur, modum statuere atque sancire. Si quis a Patriarchali, Primatiali, Metropolitana seu Cathedrali Ecclesia, sibi quocumque titulo, causa, nomine seu jure commissa, quacumque ille dignitate, gradu et praeeminentia praefulgeat, legitimo impedimento seu justis et rationabilibus causis cessantibus, sex mensibus continuis extra suam Dioecesim morando abfuerit, quartae partis fructuum unius anni, fabricae Ecclesiae et pauperibus loci per Superiorem ecclesiasticum applicandorum, poenam ipso jure incurrat. Quodsi per alios sex menses in hujusmodi absentia perseveraverit, aliam quartam partem fructuum, similiter applicandam, eo ipso amittat.

Crescente vero contumacia, ut severiori sacrorum Canonum censurae subjiciatur, Metropolitanus suffraganeos Episcopos absentes, Metropolitanum vero absentem suffraganeus Episcopus antiquior residens sub poena interdicti ingressus Ecclesiae, eo ipso incurrenda, infra tres menses per litteras seu nuncium Romano Pontifici denunciare teneatur, qui in ipsos absentes, prout cujusque major aut minor contumacia exegerit, suae supremae Sedis auctoritate animadvertere et Ecclesiis ipsis de Pastoribus utilioribus providere poterit, sicut in Domino noverit salubriter expedire." *(Sess. 6. de reform. c. 1.)*

„Ne vero ea, quae de residentia sancte et utiliter jam antea sub fel. rec. Paulo III. sancita fuerunt, in sensus a sacrosanctae Synodi mente alienos trahantur, ac si vigore illius decreti quinque mensibus continuis abesse liceat: illis inhaerendo, declarat sacrosancta Synodus, omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis ac Cathedralibus Ecclesiis quibuscumque quocumque nomine et titulo praefectos, etiamsi S. R. E. Cardinales sint, obligari ad personalem in sua Ecclesia vel Dioecesi residentiam, ubi injuncto sibi officio defungi teneantur; neque abesse posse nisi ex causis et modis infrascriptis. Nam cum Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia ac evidens Ecclesiae vel Reipublicae utilitas aliquos nonnunquam abesse postulent et exigant: decernit eadem sacrosancta Synodus, has legitimae absentiae causas a beatissimo Romano Pontifice aut a Metropolitano vel, eo absente, a suffraganeo Episcopo antiquiori residente, qui idem Metropolitani absentiam probare debebit, in scriptis esse approbandas; nisi cum absentia inciderit propter aliquod munus et Reipublicae officium, Episcopatibus adjunctum: cujus quoniam causae sunt notoriae et interdum repentinae, ne eas quidem significari Metropolitano necesse erit: ad eumdem tamen cum Concilio provinciali spectabit judicare de licentiis a se vel a Suffraganeo datis et videre, ne quis eo jure abutatur, et ut poenis Canonicis errantes puniantur. Interea meminerint discessuri ita ovibus suis providendum, ut, quantum fieri poterit, ex ipsorum absentia nullum damnum accipiant."

„Quoniam autem, qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum Canonum sententia non videntur abesse, quia statim reversuri sunt: sacrosancta Synodus vult, illud absentiae spatium singulis annis, sive continuum sive interruptum, extra praedictas causas nullo pacto debere duos aut ad summum tres menses excedere, et haberi rationem, ut id aequa ex causa fiat, et absque ullo gregis detrimento: quod an ita sit, abscedentium conscientiae relinquit, quam sperat religiosam et timoratam fore; cum Deo corda pateant, cujus opus non fraudulenter agere suo periculo tenentur. Eosdem interim admonet et in Domino hortatur, ne per illius temporis spatium Dominici Adventus, Quadragesimae, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes item et Corporis Christi diebus, quibus refici

a maxime et in Domino gaudere Pastoris praesentia oves debeant, ipsi ab Ecclesia sua Cathedrali ullo pacto absint, nisi Episcopalia munia in sua Dioecesi eos alio vocent."

„Si quis autem (quod utinam nunquam eveniat) contra hujus decreti dispositionem abfuerit, statuit sacrosancta Synodus, praeter alias poenas adversus non residentes, sub Paulo III. impositas et innovatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum pro rata temporis absentiae fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere posse: sed teneri, aut ipso cessante, per Superiorem ecclesiasticum, illos fabricae Ecclesiarum aut pauperibus loci erogare; prohibita quacumque
b conventione vel compositione, quae pro fructibus male perceptis appellatur, ex qua etiam praedicti fructus in totum aut pro parte ei remitterentur, non obstantibus quibuscumque privilegiis, cuicumque Collegio aut fabricae concessis."

„Eadem omnino, etiam quoad culpam, amissionem fructuum et poenas, de Curatis inferioribus et aliis quibuscumque, qui beneficium aliquod ecclesiasticum curam animarum habens obtinent, sacrosancta Synodus declarat et decernit; ita tamen ut, quandocumque eos, causa prius per Episcopum cognita et probata, abesse contigerit, Vicarium idoneum, ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione relinquant. Discedendi autem licentiam, in scrip-
c tis gratisque concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant. Quodsi per edictum citati, etiam non personaliter, contumaces fuerint, liberum esse vult Ordinariis per censuras ecclesiasticas et sequestrationem et subtractionem fructuum aliaque juris remedia, etiam usque ad privationem, compellere; nec executionem hanc quolibet privilegio, licentia, familiaritate, exemptione, etiam ratione cujuscumque beneficii, pactione, statuto, etiam juramento vel quacumque auctoritate confirmato, consuetudine, etiam immemorabili, quae potius corruptela censenda est, sive appellatione aut inhibitione, etiam in Romana Curia, vel vigore Eugenianae Constitutionis, suspendi posse. Postremo tam decretum illud sub Paulo III.
d quam hoc ipsum in Conciliis Provincialibus et Episcopalibus publicari sancta Synodus praecipit: cupit enim, quae adeo ex pastorum munere animarumque salute sunt, frequenter omnium auribus mentibusque infigi, ut in posterum, Deo juvante, nulla temporum injuria aut hominum oblivione aut desuetudine aboleantur." *(Sess. 23. de reform. c. 1.)*

CAP. II. Episcopi post mensem ab eorum electione ab Urbe discedere et propriae residentiae Ecclesias adire tenentur, reservata Cardinali Vicario ejusdem temporis prorogandi facultate.

Omnes interim Episcopos admonemus et in Domino Jesu, qui Pastorum est Pastor, adhortamur, ut divinis obedientes praeceptis, commissum sibi Gregem,

per eos pascendum regendumque, adire ne differant, memores, se vigore Constitutionis Urbani VIII.[1] post mensem ab electione ad personalem in eorum Ecclesiis residentiam obligari. Ad quorumdam autem levandas anxietudines, cum unius mensis terminus, ipsis plerumque ab Urbe expediendis sufficiens, aliquando non satis esse videatur, Cardinali Vicario nostro pro tempore, quatenus juxta casuum contingentias et causa cognita indultum mensem ad alios quadraginta dies et non ultra prorogare valeat, facultatem concedimus et impertimur, ipsius Urbani Motu proprio servato.

CAP. III. Absentiae facultates, per usum solitae Episcopis concedi, in Congregatione super Episcoporum residentia expendi mandantur.

Provide cum nonnulla secundum loca et tempora indulgeat Sedes Apostolica, quibus mutatis, concessa jam in aedificationem in destructionem probentur inde permitti: mandamus quocirca, ut, Synodalibus hisce completis actionibus, antiquus in Congregatione super Episcoporum residentia expendatur Episcoporum Catalogus, quibus licentiae fere per usum, recenti nulla exposita necessitate, aestivis praesertim vel autumnalibus temporibus, ut ipsi pravi aëris praetextu suis ab Ecclesiis absint, conceduntur, et, si quid fuerit in eo dignum correctione repertum, ad grave Pastoralis residentiae debitum restituendum ejusdem Congregationis sententia canonice corrigatur et emendetur.

CAP. IV. Stylus Congregationis Concilii in hujusmodi Episcopis concedendo licentias commendatur.

Ad haec laudabilem Concilii Congregationis stylum, facultates scilicet hujusmodi ad quatuor menses impertiendi cum clausula, *tribus tamen Conciliaribus comprehensis,* omnino servandum censemus. Meminerint itaque Episcopi aliique, qui talibus se facultatibus indigere praenoscunt, ut non passim Dioecesim et Chorum extra vagentur, ne tempus proprium atque ad residendum aptum alibi insumentes, de concessae postmodum absentiae brevitate inutiliter conquerantur.

CAP. V. Pro hujusmodi licentiis obtinendis num aliud praeter Medicorum testimonium requiratur, Congregationis arbitrio remittitur decernendum.

Quamvis non solo Medicorum testimonio, etiam jurato, probari debeat, talis num sit eorum necessitas, qui residere tenentur, ut aërem illis mutandi ac proinde e Dioecesi libertatem postulet abscedendi: nihilominus, cum de Episcopis, fide ceteroquin dignis, agatur, si quid ultra pro hujusmodi impetranda licentia exhiberi oporteat, eadem Congregatio super Episcoporum residentia videat et pro suo arbitrio decernat. Consulant sibi interea Episcopi et, quantum cum Dei adjutorio poterunt, tum Tridentinis Decretis tum Apostolicis Constitutionibus sese studeant conformare atque illis

[1] *S. Synodus* d. 12. Dec. ann. 1634. [V. Conc. Neap. t. VII. col. 209.]

a cum effectu parere, sub poenis ac censuris ibidem contentis et comminatis. Super contumaces vero Synodi Provinciales invigilent, quae eos insuper moneant et a negligentibus absentiae rationes in Conciliis exigant; atque, ut opus esse judicaverint, summo Ecclesiae Hierarchae pro debita animadversione denuntient[1].

CAP. VI. Parochi ultra biduum absque Episcoporum licentia a Cura non absint. Graviter contumaces fructuum subtractione aliisque poenis mulctentur.

Sacrosanctae insuper Tridentinae Synodi Decreto sancitum esse novimus[2], ut, quandocumque Parochos ab eorum cura abesse contigerit, causam ipsi coram Episcopo cognoscendam et per eum probandam exponant.
b Prohinc omnibus et singulis Parochis et animarum Rectoribus, qui, sacro ut huic relatum est Concilio, per bimestre absque poenarum per sacros Canones inflictarum metu a cura, Episcopis inconsultis, abesse putant sibi licere, praecipimus, ne ultra biduum absque Episcopi sive ejus Vicarii Generalis licentia, in scriptis et gratis concedenda, idoneo tamen Oeconomo relicto, ab Episcopali Curia approbato, ullatenus ab illorum Parochiali statione discedant. Eos vero, qui contra hujusce Decreti dispositionem abesse praesument, Episcopi pro rata temporis absentiae Parochialium mulctent fructuum subtractione et, si in absentia perseveraverint, ad aliarum quoque poenarum executionem pro contumacia procedant.

c **CAP. VII. Qui residentiae obnoxii in Urbe commorantur, ad eorum Ecclesias redire coguntur.**

Ceterum pro reliquis etiam inferioris Ordinis Clericis, tam secularibus quam regularibus, nostra in hac alma Urbe existentibus, qui alias[3] in partibus Parochias, Dignitates, Canonicatus vel alia quaecumque, quae residentiam requirunt, ecclesiastica beneficia obtinent, quatenus hinc statim discedere et ad personalem in iis residentiam se conferre debeant, Edictum innovamus fel. rec. Innocentii XIII.[4], cujus tenoris partem hic subnecti et observari mandamus.

„Pari modo universis et singulis Clericis beneficiatis, tum Secularibus quam Regularibus, cujuscumque conditionis et gradus, dignitatis et praeeminentiae, in
d eadem alma Urbe existentibus, qui in suis Ecclesiis Parochialibus, Dignitatibus, Canonicatibus vel aliis quibuscumque Beneficiis ecclesiasticis, de jure vel consuetudine personalem residentiam facere tenentur, de mandato ejusdem SS. D. N. Papae (revocando in primis omnes et quascumque licentias, supradictis omnibus quomodolibet concessas) stricte praecipimus et mandamus eosque monemus et requirimus, quatenus infra duodecim dierum spatium, quorum quatuor pro primo, quatuor pro secundo et reliquos quatuor pro

[1] Conc. Trid. sess. 6. cap. 1. et sess. 23. cap. 1. de ref.
[2] Cit. sess. 23. de ref. cap. 1.
[3] * Scribendum videtur *aliis*.
[4] Anni 1723.

tertio ultimo et peremptorio termino eisdem et cuilibet eorum assignamus, debeant et quilibet eorum debeat, omni mora et cunctatione postposita, ab eadem Urbe et Romana Curia discedere et ad suas Ecclesias seu Beneficia rectis itineribus se conferre ibique personalem facere residentiam. Quodsi nostris hujusmodi, imo verius Apostolicis monitionibus non paruerint, ultra poenas in sacrosancti Concilii Tridentini Decretis et Apostolicis Constitutionibus contentas eo ipso Beneficiati Seculares poenam centum scutorum, applicandam pro medietate piis usibus, pro altera secreto denuntiatori, necnon tam Seculares quam Regulares praedicti poenam carceris ad nostrum arbitrium incurrant. Et si aliquis praedictorum, elapsis terminis praefatis, per mensem neglexerit a Curia recedere ad effectum se conferendi ad suam Ecclesiam ibidemque residendi, ut superius est mandatum, ex tunc fructus Beneficiorum residentiam, ut praefertur, requirentium non faciat suos nec tuta conscientia, etiam alia declaratione non sequuta, illos sibi detinere possit: sed teneatur illos fabricae Ecclesiarum aut Pauperibus loci erogare, aut, ipso non erogante, per Superiorem Ecclesiasticum ad dictam erogationem faciendam compellatur. Lapsis vero sex mensibus, et praemissis non adimpletis, ipso facto et absque alia sententia eisdem Beneficiis et Dignitatibus sit ipso jure privatus, ita ut illa Sedes Apostolica tantum conferre valeat, eademque ab ea respective possint impetrari, et provisiones per ipsam factae debitae exequutioni demandari debeant, quacumque appellatione postposita, verificato dumtaxat coram Executore literarum simplici facto contraventionis. Certificantes omnes et singulos praenominatos, quod in morosos et contumaces irremissibiliter procedetur ad praefatarum poenarum exequutionem, sine tamen praejudicio poenarum jam incursarum per eos, qui hactenus contravenerunt."

TITULUS XVIII.

Ne Sede Vacante aliquid innovetur.

CAP. I. Sede Episcopali vacante, canonica per Vicarios Capitulares in Clericorum Ordinationibus disciplina servanda injungitur.

Idonei ut in Christi Ecclesia Sacerdotes aliique sint semper in ea ministri, qui digne et laudabiliter in eorum gradu pro majestate deserviant, quam Episcopi in inquirendo de vita et scientia ordinandorum diligentiam adhibere, quaque in imponendis manibus uti ratione teneantur: sacrum peraccurate statuit Concilium Tridentinum. Cumque leges, quae bono sunt innixae principio, quandoque hominum malitia subvertantur et eludantur; volumus sibi quoque caveant Vicarii omnes Capitulares, ne provehendorum magis indulgendo ambitioni, quam praedefunctorum aemulando zelum Episcoporum, ipsi sint in antiqua hac tuenda Ecclesiae disciplina remissi.

a **CAP. II.** Intra annum Episcopalis Sedis vacationis, quibus pro ordinatione dandae literae dimissoriae? Facultativas in Episcoporum et Concilii Congregationibus expediri prohibetur.

Ideoque sub poenis, quas idem statuit Concilium Tridentinum [1], aliisque Episcopi successoris arbitrio reservatis, Vicariis eisdem Capitularibus inhibemus, ne intra annum a Sedis vacationis die (Epistolas in posterum facultativas Episcoporum et Concilii Congregationibus concedendi permissione sublata) aliquem, nisi beneficio acquisito vel proxime acquirendo arctatum, et dummodo non fuerit is alias ab antecessore Episcopo rejectus, ad Clericalem tonsuram seu Ordines suscipiendos dimittant. Post annum vero, quos moribus habuerint, virtutibus ac doctrina laudabiles,
b nunquam tamen officiis, plerumque importunis, commendatos, liberum est eis, servatis reliquis de jure servandis, dimissorias literas pro arbitrio et conscientia concedere.

TITULUS XIX.

De Rebus Ecclesiae non alienandis.

CAP. UNICUM. In bonorum ecclesiasticorum concessionibus ratio canonica declaratur. Laudemia recipi et locationes ac emphyteuses antiquis conductoribus et emphyteutis renovari vel confirmari prohibentur.

Usu est et experientia probatum, quantum Ecclesiis locisque piis detrimenti damnique saepe illae afferant bonorum ecclesiasticorum locationes et emphy-
c teuses, quae ab Ecclesiarum Rectoribus, Oeconomis et Administris humano potius affectu, imo et effraenata quadam certam in primo conductorum ingressu ab his pecuniarum summam recipiendi cupiditate, quam habita Ecclesiarum utilitatis ratione, modico sub annuo canone vel in perpetuum vel ad longum tempus seu sub emphyteusis titulo ad viginti novem, saepiusque etiam ad bis viginti novem annos vel tertiam generationem, iniri solent. Quodque dolendum est magis, absoluto concessionis tempore, a conductoribus seu emphyteutis jure veluti haereditario locationes et emphyteuses hujusmodi renovandae sibi et confirmandae petuntur; ad quarum renovationem et confirmationem Ecclesias et loca pia teneri, imo cogi posse praesu-
d mitur. Volentes hinc Nos, sacro hoc etiam approbante Concilio, Ecclesiarum omnium locorumque piorum, quaecumque sint, indemnitati ac statui firmius providere, satis sit licet super his a lege provisum, consultissima hac sanctione Episcopis omnibus et inferioribus locorum Ordinariis, Episcopalem quasi jurisdictionem habentibus, apertius declaramus et mandamus:

I. Ne immobilia quaecumque Ecclesiarum ceterorumque piorum locorum bona a quovis sive ordinaria sive Apostolica auctoritate ad longum tempus, ultra triennium, vel quadriennium, uti oliveta, locentur vel in emphyteusim, nunquam tamen perpetuam, concedantur, nisi evidens plane in eorum Curia pro-

[1] Sess. 7. cap. 10. et sess. 23. cap. 10. de ref.

banda concurrat earumdem Ecclesiarum vel piorum locorum utilitas, et alia serventur, quae in Extravagante: *Ambitiosae,* hoc titulo, demandantur; his insuper clausulis ferendo decreto adjectis, quod scilicet concessio fiat absque spe renovationis et, concessionis tempore expleto, bona ipsa cum suis membris, juribus et pertinentiis universis necnon et melioramentis, desuper pro tempore quomodolibet factis, ad Ecclesias et loca pia, quibus ex directo dominio pertinent, ad eorum dispositionem pleno jure atque omnino libera, vacua et expedita relinquantur.

II. Ne hujus occasione locationis vel in emphyteusim concessionis aliquid, sub contractus nullitatis poena, pro laudemio seu pro primo, ut ajunt, ingressu a quoquam recipiatur; ex quo Ecclesiis piisque locis praejudicium fiat, vel justus annui canonis valor decrescat aut imminuatur.

III. Ne, completo concessionis tempore, aliove casu adveniente devolutionis, locatio seu in emphyteusim concessio ad ejusdem conductoris vel emphyteutae suaeve familiae vel haeredum favorem renovetur (iis tamen locis exceptis, in quibus non asserta, sed rite et recte probata legitima adsit consuetudo renovandi, vel Apostolica ad hoc indulta aut privilegia expresse concessa reperiantur): sed Ecclesiis locisque piis quibuscumque liceat bona alias locata vel in emphyteusim concessa et inde, ut supra, devoluta pro se, si velint, servata forma nostrae Constitutionis, quam nuper [1] pro Archidioecesi nostra Beneventana edidimus, libere retinere propriisque bonis aliis incorporare, nec ullo jure a quoquam sub quovis praetextu seu ex quacumque causa ad concessiones renovandas adstringi aut cogi posse declaramus; salva tamen Alexandri III. Constitutione [2], ubi ex aequitate dumtaxat terras illas, quae de sylvis extirpatis sunt arabiles factae, sub annuo censu iis haereditario jure iterum tradi posse indulget, a quibus suo ipsas vel parentum suorum labore constiterit fuisse extirpatas, nisi forte aliis possent cum majori utilitate concedi.

TITULUS XX.

De Testamentis.

CAP. I. **Testamenta a Parochis, tribus tantum testibus adhibitis, rata esse et valida, contrarium ubi non obstet Statutum: Legata pia, ad Confessarii aures facta, quomodo valeant, declaratur.**

Cum Alexandri III. [3] sanctione decretum sit, ut testamenta, quae Parochiani coram tribus vel duobus testibus a suo Presbytero conficienda mandarint, rata semper existere ac firma debeant permanere: advigilent idcirco Episcopi, ne (ubi tamen contrarium non obstet Statutum, auctoritate Apostolica in forma specifica confirmatum, quo juris civilis dispositio servari
a mandetur) quivis praesumptione aliqua, excommunicationis poena contra sic praesumentem proposita, taliter facta testamenta rescindere audeat vel irritare. In legatis vero piis [1] et quae ab aegrotantibus ad Parochorum aures fieri quandoque solent, ut fraudes litesque evitentur, testes etiam in eodem numero adhibeantur, coram quibus Testator se quaedam ad pias causas eroganda, suo prout Parocho seu Confessario injunxit, ita velle declaret; talique declaratione pia testatoris dispositio suum semper sortiatur effectum.

CAP. II. **Laudatur quorumdam Regnorum consuetudo, qua Episcopi animarum testamenta conficiunt pro mortuis ab intestato. Sicubi ea non adest, inducenda proponitur.**

Eam postmodum laudabilem, quae quibusdam in
b locis viget, in Regno praecipue Neapolitano aliisque Regnis, consuetudinem, ut pro decedentibus ab intestato, superstites hi licet relinquant haeredes, testamenta, ut ajunt, animarum per Episcopos efficiantur, aliquid de defuncti bonis pro ejus animae suffragio disponendo, approbamus et Episcopos omnes, ut eorum plebes ad usum ipsum, ubi non adsit, amplectendum hortentur, admonemus.

TITULUS XXI.

De Regularibus.

CAP. I. **Regulares ad Subdiaconatum promovendi authenticum Episcopis testimonium de solemni emissa professione et**
c **exercitiis spiritualibus factis exhibeant.**

Antiqua cum sit Ecclesiae consuetudine inductum et Apostolicis Constitutionibus probatum, ut Regulares tantummodo, quibus gloriosum est mendicare, non alio quam paupertatis seu professae ab eis approbatae Religionis titulo sacris possint Ordinibus initiari: attendant Episcopi, ne Regularium quempiam ad Subdiaconatus ordinem promoveant, si initiandus ipse, ut exploratius de requisito valeat ordinationis titulo constare, expressam de solemni per eum emissa regulari professione proprii non secum attulerit fidem Superioris deque praeviis exercitiis spiritualibus peractis attestationem non exhibuerit, una postmodum cum dimissoriis literis servandas in Archivo Episcopali.

d CAP. II. **Regulares nonnisi ab Episcopo loci ad Ordines promovendi, servata forma Decreti Clementis VIII.**

In suis vero subditis ad ordinationes dimittendis Superiores Regulares Decretum fel. rec. Clementis VIII. servent ad unguem, sub ipsis in Decreto eodem expressis officii et dignitatis seu administrationis ac vocis activae et passivae privationis poenis aliisque summorum Pontificum arbitrio reservatis. De cetero, ne quem Superiorum excuset illius ignorantia Decreti, illud hic ad verbum subjungendum decernimus evulgandumque etiam ab Episcopis in eorum Dioecesana Synodo, post hoc Concilium primo tempore celebranda.

[1] Die 29. Julii 1724.
[2] Cap. *Ad aures.* 7. hoc tit. (III, 13).
[3] Cap. *Cum esses.* 10. hoc. tit. (III, 26).

[1] Cap. *Relatum.* 11. eod. tit.

DECRETUM CLEMENTIS PAPAE VIII.

Circa Ordines a Regularibus suscipiendos.

De mandato SS. D. N. Clementis, divina providentia Papae VIII., tenore praesentium mandatur omnibus et singulis quorumcumque Regularium Superioribus, ut de cetero observent et observari faciant ea, quae in Decreto S. Congregationis Concilii Tridentini continentur, cujus tenor est talis: Congregatio Concilii censuit, Superiores Regulares posse suo subdito itidem Regulari, qui praeditus qualitatibus requisitis Ordines suscipere voluerit, literas dimissorias concedere, ad Episcopum tamen Dioecesanum, nempe illius Monasterii, in cujus familia ab iis, ad quos pertinet, Regularis positus fuerit, et, si Dioecesanus abfuerit vel non esset habiturus ordinationes, ad quemcumque alium Episcopum; dum tamen ab eo Episcopo, qui Ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam, et dum ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem Dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus Dioecesanus vel abfuturus vel nullas habiturus esset ordinationes. Verum, cum a Superioribus Regularibus, Episcopo Dioecesano absente vel ordinationes non habente, literae dimissoriae dabuntur, in eis utique hujusmodi causam absentiae Dioecesani Episcopi vel ordinationum ab eo non habendarum exprimendam esse. Quod qui non fecerint, officii et dignitatis seu administrationis ac vocis activae et passivae privationem ac alias arbitrio ejusdem SS. D. N. Papae reservatas poenas incurrent. In quorum fidem etc. Datum Romae die 15. mensis Martii 1596.

CAP. III. Proprietatis vitium a Monialibus vitandum. Ratio earum victus et vestitus exhibetur. Super munerum largitionibus Constitutio Clementina innovatur.

E Monialium Monasteriis, imo ab ipsarum cordibus Monialium, incumbant Episcopi, proprietas omnis exulet; et illa, quam maxime fieri poterit, in eis stabiliatur serveturque rerum omnium communio, quae nihil habet, et cui nihil deest. Illinc insuper, quatenus corrupta omnis foras abscedat affectio particularis, curent, ut ex Monasteriorum reditibus eadem sit Religiosis omnibus (aegrotantibus exceptis) mensa, victus et vestis praecipue uniformis, quae in interiori etiam sericum excludat et modestae, quae Christi Sponsas deceat, formae sit et proprii cujusque Religionis coloris. Cumque paupertatem professae sint illae, singula nos idcirco, quae super munerum largitionibus sua Constitutione [1] sancivit Clemens VIII., innovamus et a quibuslibet, sub latis in ipsa poenis, decernimus observari.

CAP. IV. Puellae in Asceteriis educandae vestibus ornatuque modesto utantur: quaeque pro ipsis constituta sunt, ad amussim, etiam Superiores, adimpleant.

Studeant et quam accuratissime Moniales ipsae, ut, quas Superiorum accedente consensu et impetrata ab
a Episcoporum et Regularium Congregatione licentia, educandas ac formandas susceperint puellas convictrices, pie illas et catholice instituant; incumbantque, ne ipsarum ornatus et vestes puellis inter Christi Sponsas versantibus disconveniant. Sint itaque non sericae nec alius quam nigri aut fusci vel albi aut violacei coloris: nulloque illae exquisito, quod sacris non conveniat Asceteriis, ornamenti genere utantur. In reliquis et puellae ipsae, ab Asceterio alias dimittendae, observent, et Abbatissae vel Priorissae Superioresve aliae, quocumque nomine vocentur, quae eadem Congregatio in concessa licentia praescripserit, faciant adimpleri. Interim omnes admonemus Episcopos, quatenus et ipsi super eorumdem observantia vigilent et,
b ubi ubi opus erit, pro viribus provideant.

TITULUS XXII.

De statu Monachorum et Eremitarum.

CAP. I. Pro Eremitarum institutione zelus Episcoporum excitatur: et Regulae pro illis dantur in Appendice.

Ad antiquum, quoquo modo possit, reparandum floridum Eremitarum statum, exacta quorum vivendi ratione solitudo olim exultabat et florebat quasi lilium, suam quatenus pro his curam aliquam impendant Episcopi, horum solicitudines excitamus. Nostris interea Eremitis, qui hic Hospitium habitant non ignobile prope
c Portam Angelicam, mandamus, ut Regulas, Synodali adjungendas Appendici, cum seorsim fuerint typis impressae, apud se habeant et religiose observent; alias Nos ipsis, ut oportuerit, instructiones daturi pro recta eorum vita et exemplari conversatione.

CAP. II. Regulae ipsae Episcopis proponuntur, a cujusque Dioecesis Eremitis observandae.

Easdem Nos propterea Regulas Episcopis pro Dioecesanis suis Eremitis ducimus proponendas, quas Episcopi ipsi per illorum quemlibet in propria haberi curent Eremo et illarum observantiam studeant practice promovere.

d **CAP. III. Quotannis Eremitae omnes ab Episcopis coram se convocentur, super illorum actibus et Eremorum statu perscrutandi.**

De cetero non incongruum, imo perutile judicamus, si Eremicolas omnes et singulos quotannis certa die ab Episcopo praefigenda e Dioecesi in Civitatem convenire praescribatur; ibi coram Episcopo ipso vel ejus Vicario Generali peculiari scrutinio de Ecclesiis et Eremis, quarum servitio et custodiae deputati fuerint, de eleemosynis insuper et istarum usu deque illorum actibus et in via spirituali profectu rationem reddituros.

[1] Const. 28. *Religiosae.* d. 19. Jun. ann. 1594.

TITULUS XXIII.

De Religiosis Domibus, ut Episcopo sint subjectae.

CAP. I. Laicorum Confraternitates intenta solicitudine ab Episcopis visitentur, adhibitis, quae in sua Constitutione statuit Clemens Papa VIII.

Inter cetera loca pia, quibus non minorem suam debent Episcopi curam et vigilantiam, religiosas esse indicamus laicorum Sodalitates; quare diligenter eas juxta Tridentini Concilii sanctiones [1] visitent Episcopi; et in omnibus Constitutionem praecipue servent servarique faciant Clementis VIII., quae incipit: *Quaecumque a Sede Apostolica* [2]: cujus summarium hic legetur in fine.

CAP. II. Ab Oeconomis administrationum rationes quotannis exigant Episcopi. Si aliis reddenda sit ratio, minister etiam interveniat Episcopalis.

A Confraternitatum insuper, Hospitalium ceterorumque locorum piorum Oeconomis administrationum rationes praefati juxta Concilii decreta [3] exigant Episcopi singulis annis, ni secus expresse in illorum fundatione sit cautum. Quod ubi ex privilegio aut justa alia causa, ab Episcopo probanda, aliis esset ratio reddenda, cum iis, declaramus, adesse debeat et Episcopus sive ejus minister, ad id specialiter deputatus; alias factae a ratiocinatoribus liberationes irritae sint et nullae minimeque Administratoribus suffragentur. Qui vero ex ejusdem Concilii praescripto vel alia laudabili consuetudine Episcopo rationem reddere tenentur, si ab eo moniti non paruerint, per censuras etiam ecclesiasticas compellantur.

TITULUS XXIV.

De Jure Patronatus.

CAP. Unicum. Cujuscumque Dioecesis Patronatus qui sint legitime concessi et justo titulo acquisiti, inquirendum ab Episcopis. Legalem omnium Catalogum summo Pontifici et Cardinali Datario transmittant.

Christianae est moderationi conveniens, ut, amputato usurpationum excessu, unusquisque impetratis gaudeat, nec ea praesumat, quae nullo modo sibi concessa perspiciuntur. Mandamus quocirca Episcopis, ut illius memores Tridentini Concilii sanctionis [4] disponentis, quomodo jus patronatus, Communitatum praesertim, Universitatum, Collegiorum ac potentium personarum, in quibus praesumptio urget usurpationis, probari oporteat, diligentissime ipsi propriae Dioecesis patronatus omnes examinent et ex documentis in eorum Curiis praecedentium occasione praesentationum exhibitis inquirant, qua occasione, qua causa, quove titulo et jure patronatus sint hujusmodi constituti, et, quos ipsimet repererint juxta formam ab eadem Tridentina
a Synodo praescriptam legitime concessos, solemni describant in inventario, in quo instrumenta aliaeve cujuslibet probationes patronatus, ad dicti Concilii normam acquisiti, breviter referantur. Si qui patronatus vero reperiantur ex privilegio, etiam Apostolico, concessi vel ad tempora ante vel post Tridentinum pertinere aut legitimis titulis destituti et sine requisitis in eodem decreto Concilii relatis, ipso pariter adnotentur in inventario, quod Episcopi subscribant et in Archivo Episcopali recondant. Simile autem exemplar ad Sedem Apostolicam et ad summi Pontificis Datarium transmittant, ut ita et Sedes eadem Apostolica ipsique Episcopi eorumque successores facile examinare possint ac de jure deliberare vel saltem futuris praecavere va-
b cationibus, num danda vel deneganda sit institutio praesentatis.

TITULUS XXV.

De consecratione Ecclesiae vel Altaris.

CAP. I. Cathedrales Ecclesiae et Parochiales cum majoribus saltem Altaribus intra annum in Civitatibus, et in Dioecesibus intra biennium post earum restaurationem ab Episcopis consecrentur.

Antiqua mandant sanctorum Patrum decreta [1], ut, sicut non alii possunt quam sacrati Domino Sacerdotes sacra peragere et hostias offerre super Altare, ita non alibi, necessitas nisi summa coegerit, quam in Deo dedicatis locis, id est in Tabernaculis divinis ab Epi-
c scopo precibus delibutis, divina debeant sacrificia celebrari. Incumbant quocirca Episcopi, ut Ecclesiae saltem Cathedrales et Parochiales et majora ipsarum Altaria, quae adhuc perfecta non sunt nec dedicata, intra annum, si fieri poterit, in Civitatibus, per Dioeceses vero intra biennium, omnino perficiantur et solemniter consecrentur [2].

CAP. II. De Ecclesiarum dedicatione anniversarium quotannis Officium celebretur.

Encaenia autem seu solemnes Ecclesiarum dedicationes ipsis, quibus initiantur, diebus recurrentibus [3] vel aliis, quos Episcopi in consecrationis actu pro libito designarint, in perpetuum anniversaria solem-
d nitate celebrentur, Rubricis servatis Breviarii et Missalis Romani.

CAP. III. Ubi de dedicatione dubitetur, Consecratio fiat absolute.

Ecclesiae vero vel Altaria si adsint, de quorum dedicatione dubitetur, nec scripturae aut testes existant, qui de consecratione testentur hujusmodi: absolute ea ulla absque dubitatione consecrari posse declaramus; talis namque trepidatio iterationem non facit, quoniam, quod nescitur factum, iteratum non esse monstratur [4].

---

[1] Sess. 22. de ref. cap. 8. et 9.
[2] Ann. 1604. c. 115. 7. Dec.
[3] Loc. cit.
[4] Sess. 25. cap. 9. de ref.

[1] Can. *Sicut non alii.* 11. de Consecr. dist. 1.
[2] Conc. Londin. Ann. 1237. cap. 1.
[3] Can. *Solemnitates.* 16. et 17. de Consecr. dist. 1.
[4] Eod. Can. *Solemnitates.* 16.

TITULUS XXVI.

De Baptismo et Confirmatione.

CAP. I. **Solemnem Baptismalis fontis benedictionem et Baptismi administrationem, bis in anno efficiendam, per se etiam Episcopi aliquando habere non graventur.**

Non est Parochorum tantum, quod juxta sacra Canonum statuta [1] Rituali Romano praescribitur, ut solemnis scilicet per eos bis in anno, utroque Sabbato ante sacratissimum Pascha et Pentecosten, Baptismalis fontis benedictio persolvatur, sacrumque Baptisma tunc solemnius ministretur. Speciali id etiam ratione ab Episcopis exigit Caeremoniale Episcoporum [2]; et Nos ipsis praecipuas velut inter Pontificalis ordinis actiones non minori solicitudine commendamus.

CAP. II. **Catechumeni non ante, sed post Baptismum veste candida induendi.**

Non est in solemni Adultorum Baptismate sine redargutione praetereunda illa sacri Ritus inversio, dum Catechumeni ad divinum permittuntur accedere lavacrum candida induti Neophytorum veste, quam tantummodo post Baptismum tradimus baptizatis [3] in gloriosae signum resurrectionis, ad quam homines e sacro fonte regenerantur, novaeque vitae innocentiam significandam, quam post veteres ablutas maculas servare debent immaculatam ante Christi tribunal perferendam. Haec itaque et similia a sacrarum caeremoniarum Magistris animadvertantur: caveantque Parochi, ne suarum instructionum defectu, quod fidelibus ab Ecclesia mystice traditum est ad salutem, pompae serviat et vanitati.

CAP. III. **Baptizandorum catechesis extra omnino, non intra Ecclesiam fiat; Baptismus vero in ea ministretur.**

Quia Baptismus janua est sacramentorum et porta, per quam in Christi Ecclesiam intramus, sciant Parochi, non nude a Romano Rituali [4] praescribi, ut Baptizandorum Catechismus ad Ecclesiae januam, his cum patrinis extra existentibus, peragatur. Ipsis itaque districte praecipimus, ut Ritum omnino servent eumdem; nec unquam committant, [ut] contrarius ultra procedat abusus: quemadmodum et alter ille, domi scilicet infantes baptizandi extra necessitatem, quae si unquam eveniat, erit ab Episcopo probanda.

CAP. IV. **In Confirmationis Sacramento ministrando soliciti sint Episcopi: cauteque provideant, ut aequali praeparatione ac devotione ministretur et suscipiatur.**

Solerti tandem Episcoporum curae subjicimus, ut, quemadmodum Confirmationis Sacramentum magna est
a baptizatis veneratione tenendum, utpote quia illius virtute Deus in Nobis perficit, quod Baptismo operari coepit [1], nec alii ipsum nisi summi conferunt Sacerdotes [2]; ita incumbendum summopere, ne minori devotione et tumultuarie, ut assolet, sed, qua decet, praeparatione ac reverentia ministretur aeque ac suscipiatur. Hinc sibi quoque consulant Episcopi illi, qui segnes in hoc conferendo Sacramento, Baptizatos a septennio et supra, adversus malignos spiritus colluctantes, speciali hac sancti Spiritus unctione corroborare praetermittunt. Hoc itaque quotannis in Civitate, in Dioecesi vero tempore saltem visitationis solemniter ministrare non negligant, semper tamen, quoad fieri poterit, de mane in Ecclesia et jejuni jejunis, maribus
b a feminis seorsim dispositis, conferant, et adultis nonnisi sacramentali prius confessione mundatis.

TITULUS XXVII.

De Ecclesiis aedificandis et reparandis.

CAP. Unicum. **Ecclesiarum Cathedralium et Collegiatarum fabricis providetur concessione mediorum fructuum primi anni cujuslibet beneficii, ab Episcopis in propria Dioecesi conferendi.**

Haereticorum blasphemiam damnamus, qui Ecclesias dotare divinae scripturae et Christi regulae contrarium esse divulgabant. Sacris etenim cum sit Canonibus [3] provisum, ut Ecclesiae, quatenus divino cultui aptae et in suo semper decore permaneant, absque dotis con-
c stitutione non aedificentur: plurimarum Nos, quas sine subsidio hujusmodi constructas scimus, supplentes indigentias Ecclesiarum, cum alias vel Apostolico privilegio vel consuetudine vel statuto induci possit, ut fructus quorumcumque beneficiorum primi anni, imo et duorum vel plurium ad quinquennium [4] usque Ecclesiarum fabricis reserventur, singulis Italiae Insularumque adjacentium Episcopis concedimus, (nostrae prout Ecclesiae Beneventanae concessit Pius II. [5], et Cathedralem Nolanam in antiqua sua esse consuetudine novimus) ut scilicet in quibuscumque Ecclesiasticis beneficiis, ab eis aliisque inferioribus conferendis, dimidios primi anni cujusque beneficii fructus sibi respective reservent. Volumus vero et expresse mandamus,
d ut fructus ipsi non in alia quam in propriae Cathedralis et Collegiatarum Ecclesiarum fabricam, augmentum, reparationem et ornatum fideliter impendantur: declarantes insuper, nostrae intentionis non esse nec unquam fuisse, ut fructus hujusmodi in musicas aut organistarum vel aliorum Ecclesiae servientium salaria aut stipendia dissipentur: super quibus Episcopi et Ecclesiarum Capitula sibi et ipsorum conscientiae consulant, prout fusius in nostra Constitutione exprimitur, in Appendice legenda.

---

[1] Can. *Non ratione.* 11. Can. *Duo tempora.* 12. de consecr. dist. 4. Can. *Proprie.* 13. Can. *Si quis autem.* 14. Can. *De Catechumenis.* 15. Can. *Venerabilis.* 17. Can. *Baptizandi.* 18. Can. *Baptizandos.* 58. Can. *Non liceat.* 59. de Cons. dist. 4. et Can. *Ut Episcopi.* 7. ibid. dist. 5.

[2] Lib. 2. cap. 27.

[3] Can. *Post Baptismum.* 91. et Can. *Accepisti.* 92. cit. dist. 4. de Consecr.

[4] In rubric. de Sacram. Baptismi.

e

[1] Catechism. Rom. de Sacram. Confirmat. §. 18.

[2] Can. *De his.* 3. et Can. *Manus.* 4. de cons. dist. 5.

[3] Can. *Nemo.* 9. de Cons. dist. 1.

[4] Cap. *Si propter.* 10. de Rescriptis in 6. (I, 3).

[5] Anno 1459.

TITULUS XXVIII.

De Immunitate.

CAP. I. Gregorii XIV. Constitutio super Ecclesiarum immunitate nova Benedicti XIII. Constitutione in casibus aliquibus declaratur et ad quosdam alios extenditur.

Consueto Apostolicae Sedis moderamine convenimur, sic Nos paternorum debere Canonum decreta librare et Pontificum praedecessorum nostrorum statuta metiri, ut, quae praesentium necessitas temporum extendenda vel declaranda deposcit, providenter, diligenti adhibita consideratione, extendamus et declaremus. Sane siquidem celeberrima Gregorii XIV. Constitutio [1] super Ecclesiarum immunitate, consilio licet optimo ab initio edita, tractu tamen temporis, vel quia multifariam a Doctoribus exposita, vel quia Ecclesiasticis ipsis in Tribunalibus praxi est observata dissimili, quotidianae tantummodo videtur esse fori utriusque Judicibus disputationi. Quamobrem Constitutionem ipsam, quam ceteroquin salvam semper volumus in sua firmitate remanere, sacro hoc etiam approbante Concilio, in aliquibus casibus declarare et ad novos alios, ultra jam in eadem expressos, extendere judicavimus, prout in perpetua nostra, quam Concilii hujus exhibebit Appendix, fusius Constitutione continetur.

CAP. II. Laicos, qui Clericorum immunitatem turbare non verentur, Episcopi censurarum comminatione a sententia revocent et, si opus fuerit, ad earum fulminationem deveniant.

Cum in locis quibusdam, etiam praecipuis, Judices et Gubernatores haud desint, qui seculari non contenti sibi a Deo concessa auctoritate, in ecclesiasticam messem sacrilegas non raro falces immittere, Clericos ad eorum Tribunal convenire et sacros Ecclesiae Ministros in sua audent jurisdictione turbare: idcirco, ii quatenus detestanda ipsa facinora perhorrescant, latas in *Bulla Coenae* [2] censuras ad eorum memoriam revocamus. Episcopos vero serio excitando monemus, ut contra sic temere audentes eorumque ministros, complices et fautores juris et facti remediis opportunis ad incursarum etiam procedant censurarum declarationem; ut ita illi, Dei ulciscentis plagam sentientes, ad ceterorum emendationem tandem aliquando confundantur et resipiscant.

CAP. III. Barones prohibentes laicis, ne Clericali militiae sine ipsorum licentia adscribantur, excommunicationis sententia terrentur: prout et laici ipsi, qui illam audent licentiam impetrare.

Non sunt insuper ullo modo ferenda, quae a Dominis quibusdam temporalibus injuriosa noscimus ecclesiasticam contra libertatem inducta praejudicia. Mittentes enim ipsi cum Ozia manus in sacra thuribula, in juvenes nempe Deo consecrandos, eos, minis ac metu incussis, ab Ecclesiae ineundo servitio retrahunt, qui clericali se militiae appetunt initiari. Supplices

[1] Const. 7. *Cum alias nonnulli.* d. 24. Maji 1591.
[2] §§. 15. et 16.

a namque ab his praesumunt sibi offerri libellos et, dum placet, aut voce aut scripto, ut ad Episcopos se conferant ordinandos, licentiam impertiuntur. Hujusmodi Nos volentes audaciam cohibere excommunicationis poenam ferimus latae sententiae, Episcopis respective reservatam, tam contra Dominos temporales ipsos, qui directe vel indirecte, mediate vel immediate praedicta adhuc praesumpserint attentare, quam contra laicos promovendos vel eorum consanguineos, si per se vel per alios licentiam ipsam in posterum unquam audeant impetrare.

CAP. IV. Laici Divinorum Officiorum tempore in Ecclesiis, etiam Regularium, intra Presbyteriorum et Altarium septa ingredi ibique manere, sub interdicti poena Romano Pon-
b **tifici reservata, prohibentur.**

Alias generali S. Sedis Decreto [1] in Ecclesiis, etiam Regularium, intra Presbyteriorum et Altarium septa, dum Missae ibi celebrantur, aliave Divina Officia persolvuntur, secularium personarum cujuscumque conditionis et sexus assistentiam prohibitam fuisse, non ignoratur. Veruntamen, cum adhuc laici quidam in vetita temere nitantur et ibidem aut stare aut scamna habere vel genuflexoria sibi arrogare praesumant, id iterum juxta sacrorum Canonum [2] ejusdemque Apostolicae Sedis mentem, sub Ecclesiarum, Regularium etiam et quomodocumque exemptarum, interdicti poena ipso facto incurrenda et Romano Pontifici reservata, inhibemus; mandantes, ut, si quae sint pro laicis
c sacra intra loca praedicta sedes, scamna et genuflexoria, illinc auferantur et removeantur omnino.

TITULUS XXIX.

De Accusationibus.

CAP. Unicum. In Provincialibus Conciliis Synodales Testes eligantur et ad eorum officia deputentur.

Quarti Lateranensis Concilii Decreto, in Capitulo *Sicut olim* [3] relato, provide sub poena ibidem contra negligentes proposita, suspensionis scilicet ab officio, constitutum habemus, ut qualibet in Provinciali Synodo idoneae et honestae personae statuantur, quae quasi Testes Synodales simpliciter et de plano et absque
d ulla jurisdictione, quaecumque in Dioecesi, eis assignata, correctione et reformatione sint digna, inquirant, ea respective ad Metropolitanum et suffraganeos ac alios, in Concilio Provinciali sequenti congregatos, fideliter delaturi, ii quatenus super eisdem, prout utilitati et honestati congruerit, provida deliberatione procedant et, quae statuerint, adimplenda praecipiant. Idcirco Nos, sacro hoc etiam approbante Concilio, Decretum ipsum a Metropolitanis omnibus in eorum prima Provinciali Synodo celebranda pro debito sub eadem poena

[1] Sac. Rit. Congr. Ann. 1688. et Ann. 1690. [V. col. 108. 109.]
[2] Can. *Pervenit.* 29. et Can. *Sacerdotum.* 30. de Cons. dist. 2. Cap. *Ut laici.* 1. de vita et honest. Clericor. (III, 1.) et cap. *Inhibendum.* 1. de cohabit. Clericor. et Mulier. (III, 2).
[3] C. 25. hoc Tit. (V, 1).

observari jubemus: ac interim pro unaquaque specialis a
Romanae Provinciae Dioecesi Ecclesiasticos Viros, quorum nomina hic in Appendice recensebuntur, in Synodales Testes eligimus et ad eorum officia deputamus, cum facultatibus opportunis.

TITULUS XXX.

De Magistris.

CAP. I. Pro bono Seminariorum regimine, ubi erecta jam sint, Tridentini Concilii instructiones serventur: pro iis vero et aliis erigendis Constitutio Benedicti XIII. nuper edita observanda exhibetur.

Cum satis compertum unicuique sit, quam utilis ac proficua ad pueros in ecclesiasticis disciplinis instituendos et ad pietatem religionemque informandos Seminariorum erectio extiterit; ut tam pium propterea et sanctum institutum conservetur omnino atque in dies magis magisque augeatur, Episcopi, in quorum Dioecesibus eadem Seminaria erecta jam fuerint, quae ad bonum illorum regimen sacrosancta Tridentina Synodus [1] censuit praescribenda et a locorum Ordinariis executioni demandanda, ea ipsi observent et nullatenus negligant adimplere. Ubi vero ea nondum constructa et fundata fuisse cognoverint, hujuscemodi ne diutius opere, non minus laudabili quam necessario, in suis Dioecesibus Dei Ecclesia privetur, omni ope illa quantocius, eadem ut sancta Tridentina Synodus praecipit, erigenda procurent; et pro Seminariis iisdem, sive erectis sive erigendis, illa ipsi prorsus exequantur, quae Nos Episcopis singulis et eorumdem Seminariorum Deputatis in nostra, quam nuper edidimus, Constitutione, sequenti Appendici adjungenda, plenius praecipimus observari.

CAP. II. Sacris Ordinibus initiandi per semestre in Seminariis respective vel Episcopiis permaneant.

Turonensis Concilii III. [2] Constitutione decretum est, ut Presbyter, priusquam ad Presbyteratus consecrationem accedat, in Episcopio maneat, suum discendi gratia officium, donec mores etiam et actus ejus animadverti possint, et tunc, si dignus fuerit, ad Sacerdotium promoveatur. Omnes igitur ad sacros Ordines promovendos, per sex saltem menses continuos ante ordinationem, in Seminariis respective vel Episcopiis apud Episcopos omnino, sacro hoc etiam approbante Concilio, commorari debere decernimus; alias nunc pro tunc ab Ordinibus suscipiendis rejectos esse sciant; nec cum eis nisi prudenti Episcoporum arbitrio dispensandum. Eodem vero tempore, ut inde Ordines digne suscipere et in Dei Ecclesia laudabiliter ministrare valeant, consuetos ultra spiritualium exercitiorum dies sacrorum Rituum, moralis Theologiae et Romani Catechismi studio, volumus, incumbant; atque Clericali disciplina et latina lingua, si opus sit, satius imbuantur.

[1] Sess. 23. de ref. cap. 18.
[2] Can. 12. Ann. 813.

TITULUS XXXI.

De sententia Excommunicationis.

CAP. I. In ferenda majoris excommunicationis censura, omni habita circumspectione, procedatur.

Ecclesiasticae disciplinae nervus, excommunicatio, gladius ad Christi fideles in officio continendos valde salutaris, qua sane sit circumspectione adhibenda, ne malum augeat, cui data noscitur in medelam, sacri Canones exprimunt, et Tridentini Concilii probat auctoritas [1]. His Episcopi omnesque Judices ecclesiasticis sanctionibus inhaerentes attendant, ne reos levibus pro quibusque excessibus ita repente gladio feriant hujusmodi, aliis ubi commode possint juris uti remediis: et
b juste quatenus ac recte, cum oportuerit, gladius sit ipse exerendus, Tridentinas tunc super his latas leges in eorum Tribunalibus omnimodis exequantur.

CAP. II. Censurae ab uno Episcopo latae ab aliis, Regularibus praecipue, servandae.

Fideles omnes sacrorum Canonum voce admonentur, ut illis non communicent, qui ab Episcopis excommunicantur, et, quos isti ejecerint, ipsi non recipiant [2]. Antiquam hanc disciplinam a Regularibus religiose tenendam mandamus, sanctionibus inhaerentes Concilii Generalis Viennensis [3] atque Tridentini Decreto [4], ubi censurae et interdicta, nedum ab Apostolica Sede emanata, sed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Episcopo, praecipiuntur a Regularibus in
c eorum Ecclesiis publicari atque servari. Quod ut Episcopi mutuo inter ipsos observent, magis convenire declaravit Innocentius III., ita scribens Archiepiscopo Rothomagensi [5]: „sicut latas a vobis in subditos censuras vultis, ut alii observent, ita latas ab aliis et vos ipsi servetis et a vestris faciatis subditis observari."

TITULUS XXXII.

De Poenitentiis et Remissionibus.

CAP. I. Ultra poenas alias excommunicatio proponitur adversus Medicos tertio visitantes Infirmos, post decubitum non confessos.

Saluberrima quamvis alia Innocentii III. Constitu-
d tione in Concilio [6] generali declaratum fuisse legatur, corporales nonnunquam infirmitates ex peccato provenire, propter quod Medicis optimo fuit ibi consilio praeceptum, ut, cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant, ut Medicos advocent animarum; quatenus, quia, cessante causa, cessat effectus, postquam infirmo fuerit de spirituali salute provisum, ad corporalis medicinae remedium salubrius procedatur:

[1] Sess. 25. de ref. cap. 3.
[2] Conc. Nicaen. I. Can. 5. Lateran. I. Can. 9. et Lateran. II. Can. 3.
[3] Clem. C. *Ex frequentibus.* hoc Tit. (V, 10).
[4] Sess. 25. de Regular. cap. 12.
[5] Cap. *Ad reprimendam.* 8. de off. Judic. ordinar. (I, 31).
[6] Lateran. IV. Can. 22. Ann. 1215. in Cap. *Cum infirmitas.* 13. h. t. (V, 38.)

statutum hoc nihilominus, tam sanctum et salutare, in a dies contemni videtur ab iis, dum frequenter gravi cum animarum praejudicio evenire dolemus, quod, morbo ingravescente, plures ex hac vita sacramentali sine confessione demigrant. Nos igitur Episcopis omnibus jubemus, ut Decretalem ipsam Innocentianam et Constitutionem S. Pii V., quae incipit: *Super Gregem Dominicum* [1], super hoc etiam emanatam, invigilent omnimode observari; imposita contra Medicos excommunicationis poena, sibi reservata, si tertiam post infirmi visitationem ab infirmi cura non abstineant, infirmus dum usque ipse Poenitentiae non susceperit Sacramentum, quod Confessarius, relicta apud aegrotantem schedula ejus manu subscripta, testari teneatur.

b

CAP. II. Episcopi Regularibus confessionis munus non committant absque probationis testimonio eorum Superioris.

Sacrae audiendae Confessionis munus Sacerdotibus regularibus, quamvis ad illud ipsi et peritia et scientia idonei appareant, Episcopi non committant, nisi a Monasterii Praefecto literis testatum fiat, eos in probatissimis etiam pro confessariis datis S. Caroli monitis instructos esse et vitae disciplina ac moribus probatos haberi ac dignos, quibus id munus laudabiliter imponatur. Hoc in testimonii genere Superior ipse animadvertat, ne quid testificando admittat, quod religiosae conscientiae suae fraudi sit aut labem inferat.

CAP. III. Pro Pueris, primo ad Poenitentiae sacramentum et ad Eucharistiae communionem admittendis, instructiones dantur in Appendice. c

Instructiones ad sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae, a pueris primo suscipiendorum, usum et cultum pertinentes, breves simul et claras, dabimus in nostri hujus Concilii fine. Ceterum Parochos omnes admonemus, ut in illis instruendis sedula attentione utantur, ne praxim eos peccata confitendi edocentes, dum erga bonum, quod scire debent, amorem instillant, mali, quod nesciunt, vel minimam indant agnitionem.

CAP. IV. Poenitentiariae [2] Praebenda in Cathedralibus instituatur. Poenitentiarii munus ostenditur.

Quae alias hoc in eodem Concilio [3] sunt constituta de adhibenda ab Episcopis diligentia pro Theologalis d Praebendae erectione in suis Cathedralibus, super quibus et specialem tunc temporis Constitutionem nostram evulgavimus, eadem etiam ab ipsis in praenecessaria, ubi erecta non sit, Poenitentiariae institutione ad Tridentini Concilii [4] et ipsius nostrae Constitutionis praescriptum observari volumus ac mandamus. Qui ita vero Poenitentiarius fuerit institutus, statis ipse diebus et horis in Cathedrali Ecclesia sua in sede confessionali assistat; ac tunc et non alias, si Canonicus erit, integros, ac si Choro intersit, suos faciat fructus et habeat distributiones.

[1] Const. 3. d. 8. Mart. 1566. [2] * Forte *Poenitentiaria*.
[3] Supra Tit. I. Cap. 6. [4] Sess. 24. de ref. cap. 8.

DECRETUM

de Concilii Conclusione et dimissione.

Haec sunt, quae Spiritui sancto et Nobis visa sunt decernenda sacro in hoc Concilio, quod optatum finem consecutum complemus. Quocirca ipsum, Deo, qui idem coepit et perfecit, gratias agentes, concludendum ac dimittendum esse decernimus et conclusum ac dimissum denunciamus.

Ego Benedictus, S. Ecclesiae Catholicae Episcopus, his Synodalibus constitutis, a me probatis atque firmatis, subscripsi: et post me subsequentes Reverendissimi Cardinales et Venerabiles Episcopi.

Ego Fabritius, Episcopus Portuensis, Cardinalis Paulutius, subscripsi.

Ego Petrus, Episcopus Sabinensis, Cardinalis Otthobonus S. R. E. Vice-Cancellarius, subscripsi.

Ego Franciscus, Episcopus Praenestinus, Cardinalis Barberinus, subscripsi.

Ego Joseph Tit. S. Praxedis S. Romanae Ecclesiae Presbyter Cardinalis Sacripantes subscripsi.

Ego Laurentius Tit. S. Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis Corsinus subscripsi.

Ego Augustinus Tit. S. Augustini S. R. E. Presbyter Cardinalis Fabronus subscripsi.

Ego Annibal Tit. S. Clementis Presbyter Cardinalis S. R. E. Camerarius subscripsi.

Ego Ludovicus Tit. S. Sylvestri S. R. E. Presbyter Cardinalis Picus subscripsi.

Ego Antonius Felix Tit. S. Balbinae Presbyter Cardinalis Zondadari subscripsi.

Ego Petrus Marcellinus Tit. S. Joannis ante Portam Latinam Cardinalis Corradinus subscripsi.

Ego Jo. Baptista Tit. S. Stephani in Monte Coelio S. R. E. Presbyter Card. Ptolomaeus subscripsi.

Ego Melchior Tit. S. Mariae in Via Presbyter S. R. E. Cardinalis de Polignac subscripsi.

Ego B. Tit. S. Petri in Monte Aureo Presbyter S. R. E. Cardinalis Scottus subscripsi.

Ego N. Tit. SS. Ner. et Achil. Presbyter S. R. E. Cardinalis Spinula subscripsi.

Ego G. Tit. S. Agnetis Presbyter S. R. E. Cardinalis Spinula, S. Agnetis nuncupatus, subscripsi.

Ego Ludovicus Tituli S. Mariae in Transpontina Presbyter S. Romanae Ecclesiae Cardinalis Belluga subscripsi.

Ego Joseph Tit. S. Susanae S. R. E. Presbyter Cardinalis Pereyra subscripsi.

Ego Joannes Baptista Tit. S. Priscae P. S. R. E. Cardinalis Salernus subscripsi.

Ego Alvarus Tit. S. Bartholomaei in Insula S. R. E. Presbyter Cardinalis Cienfuegos subscripsi.

Ego Bernardus Maria Tit. S. Bernardi Presbyter S. R. E. Cardinalis de Comitibus, Maj. Poenitentiarius, subscripsi.

Ego Jo. B. Tit. S. Matthaei in Merulana S. R. E. Presbyter Cardinalis de Alteriis subscripsi.

Ego Vincentius Tit. S. Honuphrii Presbyter S. R. E. Cardinalis Petra subscripsi.

Ego Prosper Tit. S. Chrysogoni Presbyter S. R. E. Cardinalis Marefuscus subscripsi.

Ego Fr. Augustinus Ord. Praed. Tit. S. Sixti S. Romanae Ecclesiae Presbyter Cardinalis Pipia subscripsi.

Ego J. R. S. R. E. Diaconus S. Georgii in Velabro Cardinalis Imperialis subscripsi.

Ego Laurentius S. R. E. Diac. S. Agathae Cardinalis de Alteriis subscripsi.

Ego C. S. Angeli in foro piscium Diaconus Cardinalis Columna subscripsi.

Ego Curtius S. Eustachii Diaconus Cardinalis Origus subscripsi.

Ego Fabius SS. Viti et Modesti Diaconus Cardinalis de Abbatibus Oliveriis subscripsi.

Ego Carolus S. Mariae in Aquiro S. R. E. Diaconus Cardinalis Marinus subscripsi.

Ego Julius S. Adriani S. R. E. Diaconus Cardinalis Alberonus subscripsi.

Ego Alexander S. Mariae in Cosmedin S. R. E. Diaconus Cardinalis Albanus subscripsi.

Ego Jo. Baptista Congregationis S. Philippi Nerii de Urbe, Archiepiscopus Conventati, Episcopus Terracinensis et Setinus, subscripsi.

Ego Franciscus Maria Muscettula Archiepiscopus Rossanen. subscripsi.

Ego Salvator Miroballo Archiepiscopus Nazarenus subscripsi.

Ego Antonius Paterno Archiepiscopus Lancianen. subscripsi.

Ego Mondillus Ursinus Archiepiscopus Corinth. et Episcop. Melphien. et Rapollen. subscripsi.

Ego Antonius Fonseca Episcopus Tiburtinus subscripsi.

Ego Joseph de Carolis Romanus, Episcopus Aquinaten. in Pontecurvo, subscripsi.

Ego Hyacinthus Dragonetti Episcopus Marsorum subscripsi.

Ego Honuphrius Elisei Episcopus Urbis Veteris subscripsi.

Ego Nicolaus Rocco Episcopus Cassanensis subscripsi.

Ego Fabius de Mancinfortibus Episcopus Eugubinus subscripsi.

Ego Antonius Sanfelicius Episcopus Neritonen. subscripsi.

Ego Jo. Baptista Bassus Episcopus Anagninus subscripsi.

Ego Vincentius Vecchiarellius Episcopus Sutrinus et Nepesinus subscripsi.

Ego Faustus Guidottus Episcopus Civitatis Plebis subscripsi.

Ego Bernardinus Aegidius Recchi Episcopus Aquaependentis subscripsi.

Ego Fr. Carolus Hyacinthus Ord. Praed., Episcopus Spoletanus, subscripsi.

a Ego Adrianus Sermattejus Episcopus Viterbiensis et Tuscanensis subscripsi.

Ego Emanuel Joseph Episcopus Ovetensis subscripsi.

Ego Fabritius Antonius Salernus Episcopus Molphictensis subscripsi.

Ego Laurentius de Tartagnis Episcopus Verulanus subscripsi.

Ego Carolus Pignatelli Episcopus Cajetanus subscripsi.

Ego Simon Gritti Episcopus Ferentinus subscripsi.

Ego Ludovicus Maria Pandolfini Episcopus Vulteranus subscripsi.

Ego Alphonsus Mariconda Episcopus Triventinus subscripsi.

Ego Gabriel de Marchis Episcopus Soranus subscripsi.

b Ego Nicolaus Terzaghus Episcopus Narniensis subscripsi.

Ego Bernardus Cavalerius et de Acugna Episcopus Sancti Marci subscripsi.

Ego Dominicus Taglialatela Episcopus Aquilanus subscripsi.

Ego Joseph Falconius Episcopus Ortonensis et Camplensis subscripsi.

Ego Joannes Franciscus Tenderini Episcopus Civitatis Castellanae et Horten. subscripsi.

Ego Cosmus Torellus Episcopus Camerinen. subscripsi.

Ego Martinus de Zelaretta Episcopus Legionensis subscripsi.

Ego Antonius Carrara Episcopus Fundanus subscripsi.

Ego Theodorus Pongelli Episcopus Interamnensis subscripsi.

c Ego Jo. Baptista Renzolius Episcopus Amerinus subscripsi.

Ego Alexander Dolfi Episcopus Fanen. subscripsi.

Ego Felix Solatius Episcopus Bisinianen. subscripsi.

Ego Honuphrius Pini Episcopus Balneoregiensis subscripsi.

Ego Hercul. Michael ab Aragonia Episcopus Miletensis subscripsi.

Ego Fr. Antonius Seraphinus Camarda Ord. Praed., Episcopus Reatinus, subscripsi.

Fr. Jo. Baptista Chiappe Congregationis B. Petri de Pysis, Episcopus Nuceriae in Umbria, subscripsi.

Ego Antonius Fonseca Episcopus Aesinus subscripsi.

Ego Septimius Cinughius Episcopus Pientinus subscripsi.

d *Ego D. Leander de Porzia Abbas S. Pauli extra moenia Urbis subscripsi.*

Ego Joannes Baptista Piart Abbas S. Salvatoris de Domnoapro in Lotharingia subscripsi.

Ego Justus Fontaninus Abbas S. Mariae Sextensis in Provincia Aquilejensi subscripsi.

Ego Jacobus Amadorius, olim de Lanfredinis, U. S. R., Procurator Eminentissimi et Reverendissimi Francisci Cardinalis de Judice, uti Episcopi Ostien. et Veliternen., S. Collegii Decani, subscripsi.

Ego Michael Giura, Metropolitanae Ecclesiae Neapolitanae Canonicus, Procurator Eminentissimi et Reverendissimi D. Francisci Cardinalis Pignatelli Archiepiscopi Neapolitani, tamquam Episcopi Tusculani, subscripsi.

Ego Alexander Formaliari, Metropolitanae Ecclesiae Bononiensis Primicerius, Procurator Eminentissimi et Reverendissimi D.

Jacobi Cardinalis Boncompagni Archiepiscopi Bononien., a
tamquam Episcopi Albanensis, subscripsi.

Ego Petrus Franciscus Bussius, U. S. R., Procurator Eminentissimi et Reverendissimi D. Joannis Baptistae Cardinalis Bussi Episcopi Anconitani, subscripsi.

Ego Franciscus Rudolphus Degen, Procurator Eminentissimi et Reverendissimi Francisci Lotharii S. Sedis Moguntinae Archiepiscopi, per Germaniam S. R. I. Archicancellarii et Electoris, tamquam Episcopi Bambergensis, subscripsi.

Ego Agapitus Liberatus, J. U. D., Procurator Reverendissimi Episcopi Valven. et Sulmonen., subscripsi.

Ego D. Petrus Franciscus Tamburinus, Procurator Reverendissimi Episcopi Segnini, subscripsi.

Ego Julianus Gotius, Procurator Reverendissimi Episcopi Montis Falisci et Corneti, subscripsi.

Ego Joseph Benedictus Gherardi, U. S. R., Procurator Reverendissimi Laurentii Gherardi Episcopi Recinaten. et Lauretani, subscripsi.

Ego Joannes Didacus Casacci, Procurator Reverendissimi Episcopi
scopi Joseph Mariae Borgomini, Episcopi Ilcinen., subscripsi. b

Ego D. Gaspar Antonius Petrina, Abbas Montis-Regalis, Procurator Reverendissimi Episcopi D. Caroli Joseph Murotii Episcopi Salutiarum, subscripsi.

Ego Nicolaus Casonius, U. S. R., Procurator Reverendissimi Ambrosii Spinulae Episcopi Lunen. Sarzanen., subscripsi.

Ego Joseph Castellucci, Procurator Reverendissimi Joseph Baptistelli Episcopi Fulginaten., subscripsi.

Ego Angelus Antonius Reppius, Procurator Reverendissimi Ludovici Gualterii Episcopi Tudertini, subscripsi.

Ego Petrus Guerra, Procurator Reverendissimi Joseph Guerra Episcopi Alatrini, subscripsi.

Ego Philippus Josias Cauccius, Procurator Reverendissimi Joannis Gambi Episcopi Asculani, subscripsi.

Ego Alexander Salaroli, Clericus Regularis, Procurator Reverendissimi Vitalis Joseph de Bobus Episcopi Perusini, subscripsi.

Ego Petrus Pieraccinius, Procurator Reverendissimi Episcopi Bernardini Guinisii Episcopi Lucensis, subscripsi.

Ego Ludovicus Fantonus, Procurator Reverendissimi Christo-
phori Joannis Szembech Episcopi Varmien. et Sambien., c
subscripsi.

Ego Gabriel de Sinis, Procurator Reverendissimi Petri Joannis Baptistae Puccini Episcopi Cortonen., subscripsi.

Ego Matthaeus Scaglionus, Sacrosanctae Ecclesiae Lateranensis Canonicus, Procurator Reverendissimi D. Marci Simeonis Palmerini Episcopi Assisien., subscripsi.

Ego Joseph Rossi, Procurator Reverendissimi Dominici Potenza Episcopi Montis-Pelusii, subscripsi.

Ego Paulus Vitelli, Procurator Reverendissimi Alexandri Codebo Episcopi Civitatis Castelli, subscripsi.

Ego Paulus Antonius Lubonia, Procurator Reverendissimi Nicolai Guerrerii Episcopi Ravellen.

Ego Galvanus Landi, Procurator Reverendissimi D. Episcopi Gherardi Zandemaria Episcopi Burgi S. Domnini, subscripsi.

Ego Antonius Franciscus de Valentibus S. J. Votans, Praelatus Domesticus SS. D. N., Procurator Reverendissimi Petri Vincentii Piatamonis Episcopi Liparitani, subscripsi.

Ego Fabius Troyli, Procurator Reverendissimi Francisci Antonii
Bussolini Episcopi Pennen. et Adrien., subscripsi. d

Ego Joannes Appianus, Procurator Reverendissimi Jo. Antonii Sacchi Episcopi Monopolitani, subscripsi.

Ego Abbas Joseph Dominicus Manerius, Procurator Reverendissimi Petri Augustini Scorti Episcopi Aprutini, subscripsi.

Ego Hieronymus Lucinus Episcopus Capsensis, Procurator Reverendissimi D. Francisci Pertusati Episcopi Papiensis, subscripsi.

Ego D. Petrus Maria Justinianus, Monachus Casinen., Procurator Abbatis SS. Monasterii Montis Casini, post Abbatis D. Archangeli Brancacci obitum, subscripsi.

Ego D. Seraphinus Tansius, Abbas et Procurator Generalis Congregat. Casinensis, Procurator Abbatis D. Maximi Albrizi Abbatis Monasterii SS. Trinitatis Cavae ejusdem Congregat., subscripsi.

Ego Joannes Baptista Piart, uti Procurator Abbatis S. Joannis de Calmusiaco in Lotharingia, subscripsi.

Ego Franciscus de Vico, Episcopus Elusinus, Judex querelarum et controversiarum hujus Sancti Concilii, Canonicus SS. Ecclesiae Lateranen. ejusdemque Capituli Procurator, tamquam Abbatis S. Petri de Ferentillo, subscripsi.

Ego Marcus Antonius Ansideus, Archiepiscopus Damiatae, Assessor S. Officii, Canonicus et Procurator Capituli Sacrosanctae Basilicae Vaticanae pro Abbatiis exemptis et Nullius, ad dictum Capitulum spectantibus, subscripsi.

In quorum omnium fidem

Ego Franciscus Antonius Finy, Archiepisc. Damascenus et Episc. Abellinen. et Frequentinus, hujus Sacri Concilii Secretarius, subscripsi.

Ego Michael Carolus de Althann, alter Secretarius, subscripsi.

ACCLAMATIONES PATRUM

in fine Concilii

Cantatae ex Ambone ab Episcopo Reatino, pluviali induto.

EPISCOPUS.

Deo, Patri misericordiarum et Deo totius consolationis et gratiae, omnis laus, honor et gloria in saecula saeculorum.

RESPONSIO PATRUM.

Amen, Amen, Amen.

Episc. Beatissimo BENEDICTO Papae et Domino Nostro, Sanctae et Universalis Ecclesiae Pontifici, multi anni et aeterna memoria.

Resp. Domine Deus, Sanctissimum Patrem diutissime Ecclesiae tuae conserva multos annos.

Episc. Serenissimis Electo Imperatori Carolo, semper Augusto, Orthodoxo et pacifico, ac omnibus Regibus, RPublicis et Principibus nostris multi anni.

Resp. Pium et Christianum Imperatorem, Domine, conserva: Imperator Coelestis, terrenos Reges, rectae fidei conservatores, custodi.

Episc. Eminentissimis ac Reverendissimis Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus cum multis annis gloria atque felicitas.

Resp. Multos annos cum gloria et felicitate Dominus concedat ad Ecclesiae suae ornamentum et defensionem.

Episc. Sanctissimis Episcopis ceterisque hujus Concilii Patribus vita et felix ad Ecclesias suas reditus.

Resp. Praeconibus veritatis perpetua memoria: Orthodoxo Senatui multi anni.

Episc. Sacrosancta Romana Synodus: ejus fidem confiteamur, ejus Decreta semper servemus.

Resp. Semper confiteamur, semper servemus.

Episc. His Decretis inhaerentes, digni reddamur misericordiis et gratia Primi et Magni Supremi Sacerdotis Jesu Christi Dei; intercedente simul inviolata Domina Nostra, Sancta Deipara, Maria et omnibus Sanctis.

Resp. Fiat, fiat. Amen, Amen.

Episc. Anathema cunctis Haereticis.

Resp. Anathema, Anathema.

ELENCHUS MINISTRORUM CONCILII.

I. Promotores Fiscales.

Alphonsus Mariconda, Ord. S. Benedicti Congregationis Casinensis, Episcopus Triventinus.

Fr. Antoninus Seraphinus Camarda Ord. Praed., Episcopus Reatinus.

II. Secretarii.

Franciscus Antonius Finy Archiepiscopus Damascenus, Episcopus Abellinensis et Frequentinus.

Michael Carolus de Althann, SS. Prael. Domest.

III. Judices Querelarum et Accusationum.

Joannes Baptista Braschi Archiepisc. Nisibenus.

Franciscus de Vico Episcopus Elusinus.

IV. Judices Excusationum et Recognitores electionum Metropolitanorum, an rite factae ab Episcopis, Sedi Apostolicae immediate subjectis.

Antonius Sanfelicius Episcopus Neritonensis.
Alexander Dolfi Episcopus Fanensis.

V. Magistri Caeremoniarum.

Jo. Bapt. Gamberucci, U. S. R. et Prael. Domest. SS.
Ignatius Reali.
Franciscus Bolza.
Venantius Philippus Piersanti.
Placidus Eustachius Ghezzi.
Nuntius Sperandio.
Franciscus Diversini.

VI. Notarii.

Maphaeus Nicolaus Farsetti, Protonot. Apost.
Franciscus Adrianus Ceva, Protonot. Apost.

VII. Scribae.

Not. Jo. Dominicus de Rossi.
Not. Nicolaus de Rossi Angelini.
Not. Claudius Rota.

VIII. Ostiarii.

Petrus Antonius Pagnoni.
Venantius Costaroli.

IX. Theologi.

Nicolaus Maria Tedeschi Archiepiscopus Apameae, S. Congr. Rituum Secret.
P. Mag. Gregorius Selleri Ord. Praed., Sac. Pal. Apost. Magister.
Raphael Cosmus Girolami, S. C. Indulg. Secret.
Abbas Angelus Guernieri, Presbyter Januensis.
Abbas Joseph de Saporitis et Serrano, Presbyter Gaditanus.
P. Abbas Placidus Pezzancheri Ord. Cistercien.
P. Darius Redaelli Ord. Cisterciensis.
P. Donatus de Bugatis Ord. Cisterciensis.
P. Fortunatus Tamburini Ord. S. Benedicti Congreg. Casinen.
P. Petrus Aloysius de la Torre Ord. S. Benedicti Cong. Casinen.
P. Augustinus Flores Ord. S. Benedicti Congreg. Monachor. Camaldulen.
P. Joannes Rosso Procur. Gener. Cleric. Regul.
P. Mag. Hyacinthus Maria Viviani Ord. Praed., a Confessionibus Sanctissimi.
P. Mag. Hyacinthus Amat de Graveson Ord. Praed.
P. Mag. Jo. Benedictus de Zuannelli Ord. Praed.
P. Mag. Joannes Mazenares Ord. Praed.
P. Mag. Joseph Aloysius de Andujar Ord. Praed.
P. Mag. Ferdinandus Augustinus Bernabei Ord. Praed.
P. Franciscus Diaz Ord. Min. S. Francisci de Observantia.
P. Joseph Maria ab Ebora Ord. Min. de Observ.
P. Mag. Joseph Maria Baldrati Ord. Minorum Convent.
P. Antonius Lucci Regens Ord. Min. Convent.
P. Mag. Henricus Vaccari Ord. Min. Convent.
P. Franciscus a S. Severino Ord. Min. Reform.
P. Felix a Roma Ord. Min. Reform.
P. Franciscus Antonius a Collelongo Ord. Min. Reform.
P. Mag. Fulgentius Bellelli Ord. Eremit. S. Aug.
P. Mag. Gaspar de Molina Assist. Gen. Hispan. Ord. Eremit. S. Augustini.
P. Mag. Jo. Chrysostomus Bianchi Ord. Eremit. S. Aug.
P. Antonius a S. Clara Portugallien. Ord. Erem. S. Aug. Discalceat.
P. Mag. Philippus Maria Iturbide Ord. Carmelit.
P. Mag. Ignatius Oliviera Ord. Carmelitar.
a P. Eustachius de Sancta Maria Ord. Carmelit. Discalceat.
P. Mag. Petrus Maria Pieri Ord. Servor. B. M. V.
P. Mag. Hieronymus Maria Allegri Ord. Servor. B. M. V.
P. Mag. Jo. Petrus Fancelli Ord. Servor. B. M. V.
P. Mag. Joseph Maria Nardi Ord. Servor. B. M. V.
P. Eusebius a Matrito Ord. SS. Trinit. Discalceat.
P. Didacus de Revillas Hieronymianus.
P. Dominicus Antonius Briccialdi Soc. Jesu.
P. Aloysius Sparvieri Soc. Jesu.
P. Andreas Budrioli Soc. Jesu.
P. Vincentius Caravita Soc. Jesu.
P. Januarius Rey Soc. Jesu.
P. Emanuel de la Reguera Soc. Jesu.
P. Angelus Maria de Cruce Scholarum piarum.
P. Jo. Chrysostomus a S. Joseph Scholar. piarum.
P. Sebastianus Paoli Cler. Regul. Congr. Lucen.
b P. Cajetanus Corazza Cleric. Regular. Minor.
P. Leo Bartolotti Cleric. Regul. Minor.
P. Alexander Bussi Cong. Orat. S. Philippi Nerii.

X. Decretalistae.

Marcus Antonius Ansidei Archiepiscopus Damiatae, S. Officii Assessor.
Thomas Cervini Archiepiscopus Nicomediensis, Cong. Exam. Episcoporum Decanus.
Prosper Lambertini Archiepiscopus Theodosiae, S. Congr. Concil. Secret.
Joseph Accoramboni Philipporum Archiepiscopus, Subdatarius.
Antonius Maria Pallavicini Archiepiscopus Naupactinus, Sac. Cong. Visit. Secret.
Nicolaus Xaverius Albini, a Secretiori Cubiculo Sanctissimi et Eleemosynarius.
Nicolaus de Simoni, a Secret. Cubiculo Sanctissimi.
c Nicolaus Xaverius Santamaria, a Secret. Cubic. Sanctissimi.
Joannes Bortoni, ab honoris Cubiculo Sanctissimi.
Cajetanus Ivones, Parochus Romanus.
Abbas Elzearius Franciscus des Achards, Praepositus Avenionensis.
Abbas Dionysius Pieragostini, Archidiac. Camers.
Franciscus de Espinosa de los Monteros, Presbyter Granaten.
Alexander Advocatus Tozzi.
Antonius Advocatus Coloreti.
Bonifacius Advocatus Spreti.
Carolus Advocatus Chiappolinus.
Dominicus Advocatus Georgius.
Dominicus Advocatus Ursaya.
Dominicus Maria Advocatus Bagnara.
Franciscus Maria Advocatus Gasparri.
Franciscus Maria Advocatus Pitoni.
d Joseph Advocatus Isoldus.
Joseph Chrysostomus Advocatus de Sanctis.
Joseph Innocentius Advocatus de Foelicibus.
Julius Caesar Advocatus Fidi.
Macarius Advocatus de Valentibus.
Marcellus Advocatus Passari.
Nicolaus Advocatus de Marinis.
Stephanus Advocatus Vincenti.
Xaverius Advocatus Justiniani.

XI. Historici, Chronologi et Geographi Sacri.

Franciscus Bianchini, Sanctissimi Prael. Domest.
Justus Fontanini, ab honoris Cubiculo Sanctissimi.
Joannes Vignoli, ab honoris Cubiculo Sanctissimi.
P. Abb. Coelestinus Gagliani Congr. Coelestinor.
P. Mag. Gerardus Capassi Ord. Serv. B. M. V.
P. Gaspar Cerati Cong. Orat. S. Philippi Nerii.
P. Jacobus Laderchi ejusdem Oratorii.

APPENDIX AD CONCILIUM ROMANUM ANNI 1725.

I. Instructio ad facilitandam methodum docendae doctrinae Christianae.

Cit. Tit. I. Cap. IV. pag. 348. a.

Versio Latina ex Italico.

Non sufficit lac infantibus utcunque praeberi, si modus illud praebendi adeo sit incongruus, ut desideratum in lactentibus non producatur nutrimentum. Similem defectum Sanctissimus Dominus Noster non sine gravi animi dolore in Catechizandis parvulis intervenire observavit; quamvis enim Parochi lac Christianae Pietatis saltem quoad substantiam subministrare non negligant, erudiendo illos in eadem doctrina, aliqui tamen illorum hoc praestant modo tam confuso et inepto, ut a parvulis neutiquam bene vel tantum indigeste et cum difficultate recipiatur. Quamobrem, ut huic non parvi momenti incommodo occurratur, necessarium judicavit in hac instructione methodum praescribere magis facilem planioremque, secundum quam in omnibus Parochiis doctrina Christiana imposterum proponi et doceri debeat.

I. Diebus festis in hoc Concilio Romano stabilitis a prandio post solitum in Ecclesia Parochiali campanae pulsum statim unus vel duo secundum Parochiae amplitudinem ex diligentioribus et devotioribus parvulis (vel in horum defectu Clericus Parochianus) mittentur, ut per plateas cum campanula circumeant clamantes: *O Patres et Matres, mittite filios vestros ad Doctrinam Christianam, alioquin strictam Deo reddituri estis rationem.*

II. Ex adultis duae eligentur personae zelo et charitate insigniores, quae *Piscatorum* vocabulo designentur, ut manibus bacilla tenentes, cum mansuetudine parvulos utriusque sexus ad Catechesin congregent, quibus Sanctitas Sua, quotiescunque hoc pietatis opere defungentur, *centum dierum indulgentias* in consueta Ecclesiae forma concedit, exhortans simul ad tam sanctum charitatis exercitium conspicuas et nobiliores quasque locorum personas, ut praevia illarum auctoritate ad frequentandas Catecheses parvuli aliique facilius inducantur. In Laicorum autem defectu Clerici et Presbyteri Parochiae hoc muneris supplebunt, quibus etiam cura incumbet, ut iidem in Ecclesia tempore Doctrinae Christianae sine strepitu et debita cum modestia assistant.

III. Juxta numerum et capacitatem Parochianorum ad Catechesin obligatorum fiet divisio in plures classes, ita ut per singulas classes octo vel ad summum decem distribuantur et in modum circuli collocentur: singulis autem classibus Sacerdos aut Clericus aut alia quaepiam in Doctrina Christiana admodum instructa Persona cum titulo *Magistri* praesidebit: ex ipsis etiam Catechumenis poterunt peritiores classibus praefici et unus ex quarta classi pro *Magistro* tertiae classis deputari aut ex tertia pro secunda, et sic de caeteris.

IV. Tam pro pueris quam puellis quatuor distribuentur classes: in prima disponentur Tirones et uniformiter ab omnibus Parochis instruantur ex parvo Catechismo Bellarmini (omni alio excluso juxta Decretum Clementis VIII. in sua Constitutione *Pastoralis.* de anno 1598.)[1] incipiendo a §. *Esne Christianus?* usque ad explicationem *Symboli Apostolici*, in II. classi a *Symboli Apostolici* explicatione usque ad *praecepta Decalogi*, in III. a *Decalogo* usque ad *virtutes Theologicas et Cardinales*, in IV. a *virtutibus Theologicis et Cardinalibus* usque ad finem. Multipli-
a cato instruendorum numero, poterunt etiam multiplicari classes, subdividendo illas secundum necessitatis aut opportunitatis exigentiam.

V. Quot Classes, totidem fient tabellae, quae Litteris inscriptae maiusculis: PRIMA CLASSIS, SECUNDA CLASSIS, TERTIA CLASSIS, QUARTA CLASSIS, distributis proportionaliter locis, desuper affigentur, ut quilibet Classem et locum suum agnoscere possit. Praeterea in Libello annotentur, qui pro tali aut tali Classi apti judicabuntur: neque enim ab inferiori ad superiorem transire permittentur, nisi quos in doctrinis ad inferiorem classem spectantibus ex Magistrorum judicio apprime exercitatos cognoverint.

VI. Archi-Presbyteri, Parochi, Rectores et Vicarii Curati respective has omnes dispositiones regere et dirigere et illis assistere tenebuntur; utque omnia debito et decenti ordine ac cum fructu peragantur, solerti conabuntur vigilantia se totos in omnibus et totos in singulis classibus praesto esse, providendo sibi idoneos coadjutores, monendove Episcopos (si opus fuerit) de clericorum aut Presbyterorum negligentia: si secus fecerint aut tacuerint, tota culpa in proprium ipsorum damnum redundabit.

b VII. Omnes masculi a septimo usque ad quartam decimum omnesque foeminae a septimo usque ad duodecimum annum obligantur Catechesibus interesse: si autem Parentes Liberos vel Domini servos et operarios suos mittere neglexerint, tales a proprio Parocho post tertiam vel quartam monitionem ab ipso factam interdicto personali secundum prudens Episcoporum arbitrium subjiciendi sunt. Sin vero Parochi connivere aut indulgere voluerint, ipsi poenis in alios statuendis subjacebunt.

VIII. Adulti, si qui invenirentur principalium fidei nostrae mysteriorum eorumque, quae ad consequendam aeternam salutem scitu necessaria sunt, ignari: similiter sub poena interdicti non ingrediendi Ecclesiam secundum arbitrium propriorum Episcoporum astringendi sunt, ut Catechesi vel brevi instructioni a Parocho (uti infra n. 10. dicetur) post Evangelium Missae Parochialis vel Missae Capellanorum habendae intersint. Hinc omnes utriusque sexus homines admonentur, ut tempore et exercitio doctrinae Christianae diligenter in Ecclesia conveniant, ea tamen adhibita cautela, ut adultae foeminae in distincto Ecclesiae loco separatim a viris collocentur, concessis a Sanctitate Sua tam Catechizantibus quam auscultantibus *centum dierum indulgentiis.*

IX. Ipsum Exercitium docendi mediam durabit horam, pro
c cujus certiori dimensione Parochus de clepsydra sibi prospiciet. Finita media hora, pueri et puellae singularum classium, non amplius in circulos divisi, sed obversis collocati vultibus, per aliam mediam horam vacabunt disputationi sic dictae, quod unus puer vel una puella alter alteri interrogationes proponat, errantesque ab ejusdem Classis peritioribus condiscipulis corrigantur.

X. Finita hac disputatione, brevis subsequetur Instructio ad eum modum, quo diebus festis post Evangelium Missae Parochialis fieri praescribitur: duobus lenta voce praecinentibus, caeterisque respondentibus Parochianis, quae sequuntur:

1. Signum Sanctae Crucis. 2. Symbolum Apostolorum. 3. Orationem Dominicam. 4. Salutationem Angelicam. 5. Praecepta Decalogi. 6. Praecepta Ecclesiae. 7. Septem Sacramenta. 8. Actum Contritionis.

XI. Ultimo recitabuntur Litaniae B. V. cum oratione posita in fine Catechismi Bellarmini, sicut etiam ante initium recitari orationes consuetae debent, ab eodem praescriptae.

XII. Ut horum omnium notitia ad omnes perveniat, Parochis et Curatis injungitur, ut post acceptum Concilii hujus exemplar primis tribus diebus festis inter Parochialis Missae So-

[1] * Verba (*omni alio* — 1598.): desunt in simili instructione, quam Appendix ad Conc. Benevent. a. 1693. (v. pag. 101. a.) continet.

lemnia haec omnia promulgent ac deinceps duabus per annum vicibus, prima nempe Dominica Januarii necnon Dominica *in Albis*, repetant; quotiescumque vero Parochi horum observantiam vel in partem vel in totum transgredientur, aut etiam reliqui Ecclesiastici a Parochis destinati assignatum sibi officium recusabunt vel negligent, arbitrio Episcoporum corrigendi puniendique relinquuntur. Sess. 3. Concilii Romani die 29. Aprilis 1725.

F. A. Archiepisc. Episc. Avellin. et Frequentin. Secret. Concilii.

II. Constitutio Sanctissimi Domini Nostri Benedicti Papae XIII., qua Praebendae Theologalis et Canonici Poenitentiarii in Ecclesiis Cathedralibus Italiae Insularumque adjacentium, ubi non sunt, institutioni consulitur, cum aliis ordinationibus.

Cit. Tit. I. Cap. VII. pag. 349.

Benedictus Episcopus, Servus Servorum Dei.
Ad perpetuam rei memoriam.

Pastoralis officii nostri esse ducimus assiduo enixoque studio curare, ut universa Sacrae Tridentinae Synodi Decreta ubique inviolabiliter observentur; sed eorum prae ceteris executionem strenue promovendam urgendamque Nobis esse arbitramur, ex quibus majorem in Ecclesia Dei utilitatem proventuram fore conspicimus; ac eos potissimum, quorum opus in praedicatione et doctrina consistere debet, ut cunctos aedificent tam fidei scientia quam actionum disciplina, excitari maxime posse confidimus ad impensius frequentandam tantopere necessariam Sanctarum Scripturarum lectionem, quas qui nescit, ut Beatus Hieronymus admonet, nescit Dei virtutem ejusque sapientiam; nam ignoratio Scripturarum ignoratio Christi est.

Cum itaque saluberrimo praedicti Concilii Tridentini Decreto, relato in *cap. 1. Sess. 5 de reform.*, cautum sit, ut nedum in Ecclesiis Cathedralibus, sed in Collegiatis etiam Oppidorum insignium, in quibus Praebenda aut praestimonium seu stipendium pro Sacrae Scripturae Lectoribus constitutum non reperitur, Praebenda quomodocumque praeterquam ex causa resignationis primo vacatura ipso facto ad eum usum perpetuo constituta ac deputata intelligatur, et, quatenus nulla vel non sufficiens Praebenda foret, Locorum Ordinarii per assignationem fructuum alicujus simplicis Beneficii, debitis tamen ejus supportatis oneribus, vel per contributionem Beneficiatorum suarum Dioecesum vel alias, prout commodius fieri poterit, ita provideant, ut ipsa Sacrae Scripturae lectio omnino habeatur; verum ejusmodi provida praefati Concilii dispositio in aliquibus Cathedralibus, sicut non absque gravi animi nostri dolore percepimus, hucusque neglecta debitaeque executioni demandata non fuerit: hinc igitur est, quod Nos, illius executionem pro Pontificiae vigilantiae debito urgere intendentes, Motu proprio, ex certa scientia ac matura deliberatione nostris deque Apostolicae potestatis plenitudine hac nostra perpetuo valitura Constitutione sancimus, decernimus et mandamus, ut in Cathedralibus quibuscumque Italiae Insularumque adjacentium, in quibus Praebenda Theologalis hactenus instituta non fuerit, Praebenda primo vacatura post ejusdem praesentis Constitutionis publicationem, sive ad Nos Sedemque Apostolicam sive ad Ordinarium illius collatio atque provisio pertineat, ipso jure et absque ulla alia declaratione sit ac esse censeatur Praebenda Theologalis constituta. Volumus insuper, ut tam illa quam reliquae omnes aliae Praebendae Theologales, hactenus constitutae et deputatae, conferri semper debeant Doctori in Sacra Theologia, vel qui infra annum Doctoralem lauream in eadem facultate suscipiat, et caeteroquin magis idoneo in formali concursu ab Examinatoribus renunciato, eo plane modo, quo Parochiales Ecclesiae conferuntur. Hunc porro in finem, quotiescumque ejusmodi Praebenda Theologalis conferenda erit, per Edictum publicum vocentur, quicumque concurrere et examini sese subjicere voluerint, coram Episcopo et quatuor Examinatoribus, etiamsi Synodales non sint, ab eodem Episcopo actu eligendis ac deputandis, in Theologali tamen facultate Licentiatis et valde peritis, sive Secularibus sive Regularibus, et illi, qui in ejusmodi concursu probatus magisque idoneus renunciatus fuerit, Praebenda conferatur. Quoties autem Praebendae

a collatio ad Sanctam Sedem spectabit, Episcopus ad Romanum Pontificem pro tempore existentem acta concursus transmittere teneatur, ut ipse vacantem Praebendam illi assignare atque conferre possit, quem ceteris digniorem et magis idoneum in Domino judicaverit.

Quodsi Episcopus primo vacaturam Praebendam contra formam in praesenti Constitutione praescriptam conferre praesumpserit vel etiam in aliis occurrentibus casibus eamdem formam observare neglexerit, illius collatio atque provisio ipso jure nulla et irrita nulliusque prorsus roboris vel momenti sit ac esse debeat, ejusdemque Praebendae dispositio statim devolvatur et pertineat ad Sanctam Sedem et Romanum Pontificem pro tempore existentem, a quo Doctori in Sacra Theologia conferetur.

Ceterum, ut fructus, quem Tridentina Synodus ex Praebendae Theologalis institutione perceptum iri speravit, omnino re ipsa et cum effectu percipiatur, volumus, statuimus et mandamus, tertiam partem proventuum dictae Praebendae Theologalis ab Episcopo distribui et proportionabiliter applicari singulis Lectionibus Sacrae Scripturae, quae a Praebendato praeb scriptis diebus et horis totius anni habendae erunt, ita ut, si Praebendatus universas lectiones habuerit, assignatas distributiones integras absque ulla prorsus diminutione consequatur: si vero in aliqua vel pluribus lectionibus defecerit, distributiones neglectis lectionibus respondentes amittat, quae in Sacristiae Ecclesiae beneficium cedant ac erogentur. In casu autem gravioris contumaciae Praebendati liceat Episcopo deputare alium Theologum Sacerdotem Secularem vel Regularem, qui, jugiter supplendo ejusdem Praebendati vices, praefatis distributionibus potiatur.

Quoniam vero nonnulli Episcopi, sicut accepimus, ut propriae incuriae aliquod velamen obtendant, dilatae erectionis ejusmodi Praebendae Theologalis causam in tenuitatem ac insufficientiam Praebendarum suarum Ecclesiarum rejicere solent: Nos, omnem de cetero praetextum sive excusationem e medio tollere ac penitus eliminare volentes, Motu, scientia ac potestatis plenitudine similibus decernimus, statuimus atque praecipimus, quod, ubi Praebenda Theologalis, computatis etiam distributionibus quotidianis, ad annuum saltem reditum scutorum sexaginta monetae c Romanae non ascendat, pro summa ad hanc Taxam conficiendam deficiente iidem Episcopi unire possint et debeant eidem Praebendae aliquod simplex Beneficium, cujus supplemento praedicta summa conficiatur, primo vacaturum in quocumque mense et qualitercumque ac quomodocumque Sedi Apostolicae affectum et reservatum, ita tamen, ut a tali unione illa omnia Beneficia, quae pro Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, Papae Familiaribus, Nunciis Apostolicis atque Praelatis Congregationum, quibus iidem S. R. E. Cardinales intersunt, Secretariis in alia Constitutione ad promovendam Seminariorum erectionem novissime per Nos condita peculiariter reservavimus, perpetuo reservata et excepta sint ac esse intelligantur, et quidquid secus fieri contingeret, ex nunc prorsus irritum ac inane nulliusque roboris vel momenti esse ac fore decernimus et declaramus.

Postremo quaecumque hactenus de Praebenda Theologali et Sacrae Scripturae lectione sancivimus, extendimus etiam ac ad amussim observari volumus et mandamus (congrua tamen congruis referendo) quoad institutionem Canonici Poenitentiarii in illis Cathedralibus, in quibus nondum fuerit institutus, ejusque d honestam sustentationem, concursum, deputationem omniaque alia ad illius officium pertinentia: et praeter illa, quae a Nobis superius disposita sunt, ea insuper, quae Tridentina Synodus *cap. 8. sess. 24. de reformat.* de hujus Ministri qualitate, aetate ac exemptione a servitio Chori constituit, exacte observari decernimus, praecipimus et mandamus.

Decernentes etiam, praesentes Literas semper firmas, validas et efficaces existere ac fore suosque plenarios et integros effectus sortiri ac obtinere, necnon praemissa omnia et singula in illis contenta per eos, ad quos spectat et in futurum quomodolibet spectabit, perpetuo inviolabiter observari; sicque et non aliter per quoscumque Judices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, et alios quoslibet, quacumque potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate ac auctoritate, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari: non obstantibus, quatenus opus sit, Nostris et Cancellariae Apo-

stolicae Regulis quibuscumque aliisque Apostolicis, etiam in Universalibus Provincialibusque et Synodalibus Conciliis ad favorem quarumcumque personarum editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, necnon quorumvis Ordinum, Congregationum, Societatum ac Institutorum aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis Statutis et consuetudinibus etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis et Literis Apostolicis, eisdem Ordinibus, Congregationibus, Societatibus et Institutis et quibusvis aliis sub quibuscumque verborum tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibus et aliis decretis vel alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscumque.

Ut autem praesentes Literae ad omnium notitiam facilius deveniant, et nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas seu earum exempla ad valvas Ecclesiae Lateranensis et Basilicae Principis Apostolorum necnon Cancellariae Apostolicae Curiaeque Generalis in Monte Citatorio, ac in acie Campi Florae de Urbe, ut moris est, affigi et publicari, sicque publicatas et affixas, omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctare et afficere, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent: utque earumdem praesentium Literarum transsumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis et sigillo Personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem ubique fides in judicio et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrarum sanctionis, institutionis, praecepti, voluntatis, mandati, decreti et derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo vigesimo quinto decimo quarto Kalendas Junii, Pontificatus nostri anno primo.

P. M. Card. Prodat. *F. Card. Oliverius.*
Visa de Curia I. C. Archiepiscopus Amasenus.
Loco † Plumbi. *L. Martinettus.*
Registrata in Secretaria Brevium.

III. Breve fel. rec. Clementis PP. XI., quo a Cardinali Ursino Archiepiscopo Beneventano de executione illius I. et II. Concilii Provincialis decreti super Capitulorum Statutis efformandis certiorem fieri demandat.

Cit. Tit. II. Cap. V. pag. 352.

Foris: Venerabili Fratri nostro Vincentio Mariae Episcopo Portuensi S. R. E. Cardinali Ursino nuncupato.
Intus vero: Clemens XI.

Venerabilis Frater Noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Inter cetera, quae in priori tua Provinciae Beneventanae Synodo anno 1693. celebrata pie non minus quam salubriter constituta fuerunt, *Tit. 2. de Constitutionibus cap. 5.* sancitum fuisse animadvertimus, ut Capitula, quae Statutis carerent, ne veluti naves fluctuantes quovis vento circumferrentur, infra sex menses ea conderent et suis Episcopis examinanda atque probanda deferrent; idemque Decretum in altera Provinciali Synodo, quam subinde anno scilicet 1698. coëgisti, *Tit. 1. de Constit. cap. 4.* instauratum fuisse perspeximus: etsi autem minime vereamur, quin pro eximio ac abunde Nobis explorato zelo tuo providi ejusmodi ac plane necessarii Decreti executionem strenue postmodum ac sedulo promoveris; quia tamen ea de re certiores fieri maxime cupimus, ut exemplum ad alias etiam Provincias
a ac Dioeceses, quae eadem indigent provisione, manare possit, propterea hisce nostris literis a te petimus, ut, an idem Decretum ab omnibus praefatae Provinciae Capitulis debitae executioni demandatum revera fuerit, diligenter inquiras ac Nobis significes: nec interim praetermittas, si quae Capitula illud exequi neglexisse compereris, ita urgere ac instare, ut ab omnibus, quemadmodum par est, ad effectum primo quoque tempore perducatur. Assiduum divinae gratiae incrementum ac longam annorum seriem ab aeterno Pastorum Principe tibi, Venerabilis Frater Noster, enixe precamur, ut vigilantiae tuae commissos populos (quod hactenus egregie praestitisti) non tam doctrinae verbo instruere quam bonorum operum exemplo aedificare diu possis. Tibique intimae Nostrae benevolentiae pignus, Apostolicam benedictionem, peramanter impertimur. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die secunda Aprilis 1715., Pontificatus Nostri Anno decimo quinto.

Joannes Christophorus Battellus.

b
IV. Constitutio Sanctissimi Domini Nostri Benedicti Papae XIII. Abbatibus Regularibus perpetuis etiam solummodo ratione administrationis injungens atque praescribens ut infra annum a die eorum electionis Episcopalem benedictionem suscipere teneantur, cum aliis ordinationibus et derogationibus opportunis.

Cit. Tit. IV. Cap. Unic. pag. 353.

Benedictus Episcopus, Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Commissi Nobis coelitus Apostolici Ministerii solicitudo Nos admonet, ut omnium quidem Christi fidelium paternam geramus curam, sed eorum praesertim, qui contemptis illecebris seculi sub suavi Religionis jugo divinis sese obsequiis manciparunt, prospero statui salubrique directioni, quantum Nobis ab Alto conceditur, prospicere studeamus et, si quid in regulari disciplina
c inordinatum et absonum vel a sacrarum Legum sensu alienum inter eos irrepsisse constiterit, Pontificiae providentiae et auctoritatis ope submovere ac e medio tollere satagamus, quatenus ipsi vota sua Domino reddere in sanctitate et justitia ac in ea, quam elegerunt, tutioris vitae ratione amplioribus in dies proficere valeant incrementis.

Cum itaque, sicut accepimus, Abbates Regulares perpetui non quidem ratione tituli, quia ad triennium vel sexennium aut aliud limitatum tempus eliguntur, sed ratione administrationis, quia ab unius Monasterii regimine, expleto limitato tempore, transferuntur ad aliud, ab Episcopis, in quorum Dioecesibus sita sunt Monasteria, benedictionem obtinere, imo et petere negligant: hinc est, quod Nos, gravi ejusmodi abusui pro Pastoralis officii debito opportune consulere ac providere cupientes, de nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium et aliquot insuper Romanae Curiae Praelatorum super hoc a Nobis specialiter deputatorum consilio, suadentibus etiam Episcopis et aliis Ecclesiarum Praelatis in praesenti Sacro Concilio congregatis, necnon Motu proprio, ex certa scientia ac matura deliberatione
d Nostris deque Apostolicae potestatis plenitudine, hac Nostra perpetuo valitura Constitutione injungimus, praecipimus et districte mandamus omnibus et singulis Abbatibus Regularibus, licet perpetuis solummodo ratione administrationis, ut praefertur, qui Monasteriis cujuscumque Ordinis, Congregationis ac Instituti de cetero praeficientur, ut infra annum a die eorum electionis computandum solemnem benedictionem ab Episcopis, in quorum Dioecesibus Monasteria consistunt, juxta Ritum in Pontificali Romano praescriptum omnino suscipiant vel saltem eam ter ab ipsis humiliter postulent, servata forma sancita in *cap. Statuimus. de supplen. neglig. Praelator.* Quodsi secus fecerint, ab officio per annum sint ipso jure suspensi. Volumus tamen et expresse declaramus, quod ipsimet Abbates electi, durante praefato termino, ac interim omnia munia Abbatialia libere ac licite exercere possint et valeant; quodque Abbas semel benedictus iterum benedictionem petere vel obtinere non teneatur, tametsi ad gubernium diversorum Monasteriorum, aliarum etiam Dioecesum, translatus extiterit.

Quoniam vero nonnulli ex praedictis Abbatibus Regularibus

Apostolicis, ut asseritur, muniti sunt privilegiis, quibus ampla ipsis tribuitur facultas suscipiendi benedictionem a quocumque, quem maluerint, Catholico Antistite, gratiam et communionem Sanctae Sedis Apostolicae habente: Nos, justis et rationabilibus adducti rationibus, Motu, scientia ac potestatis plenitudine paribus statuimus atque decernimus, ut ejusmodi Abbates in posterum non a quocumque Antistite, sed a Dioecesano tantum Episcopo vel a Metropolitano infra praedictum terminum benedictionem omnino suscipere teneantur et, quatenus ille, quem Abbas elegerit, tertio humiliter requisitus ipsi petitam benedictionem impertiri detrectet aut negligat, tunc, et eo dumtaxat casu, eamdem benedictionem a quocumque Catholico Antistite Abbas libere suscipere possit et valeat, ac ita perpetuis futuris temporibus ubique servari volumus et mandamus. a

Ceterum ejusmodi Indulta exemptiva ab obligatione suscipiendi benedictionem a proprio Episcopo illis dumtaxat Abbatibus, quibus ab Apostolica Sede directe concessa fuerunt, juxta modum supra expressum, suffragentur: reliquis autem Abbatibus, qui ea ex generali tantum Privilegiorum aliis Ordinibus, Congregationibus vel Institutis concessorum communicatione sibi competere praetendunt, minime suffragari posse nec debere decernimus et declaramus. b

Quo vero ad Abbates, quibus a Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris indultum fuit, ut a suis Superioribus Regularibus vel ab eorum Praelatis delegatis benedictionem sumere possint, vel etiam per speciale Indultum Apostolicum concessum fuit, ut electi habeantur pro benedictis ab ipso Summo Pontifice, nihil omnino innovandum esse sancimus, et Apostolica, quibus gaudent, privilegia ubique inconcusse observari praecipimus et mandamus.

Universos demum Episcopos atque etiam Archiepiscopos, a quibus benedictio tribuenda erit, eorumque Officiales, Assistentes et Ministros quoscumque in Domino hortamur ac admonemus, ut occasione similium benedictionum excutiant ac prorsus emundent manus suas ab omni munere; quin etiam praedictis Praesulibus sub poena Interdicti ab usu Pontificalium per annum vetamus ac inhibemus, ne tam ante quam post easdem benedictiones earumque intuitu cujuscumque generis aut speciei, etiam bellariorum et comestibilium, munera vel xenia a quoquam recipere audeant; illisque praeterea districte injungimus, ut ab omni abstineant solemni pompa, quae sumptus quantumvis modicos, etiam prandii, secum ferat; cum ejusmodi sacrae functiones ab interna solidaque potius Benedicentium ac Benedicendorum religione et pietate quam ab externa et vana apparatus magnificentia debeant commendari. c

Decernentes, praesentes literas et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod praedicti et alii quicumque in praemissis interesse habentes vel habere quomodolibet praetendentes, cujusvis status, gradus, Ordinis, Congregationis ac Instituti existant, seu alias speciali nota digni, illis non consenserint et ad ea vocati, citati et auditi, seu causae, propter quas praesentes emanarunt, adductae et sufficienter justificatae non fuerint, sive ex alia quacumque, quantumvis justa, legitima et privilegiata causa, colore, praetextu et capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis ac enormissimae laesionis, nullo umquam tempore impugnari, redargui, infringi, in controversiam revocari aut ad terminos juris reduci posse; sed semper firma et efficacia existere ac fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere d ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter et inconcusse observari; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Judices ordinarios et delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos et Apostolicae Sedis Nuncios, aliosve quoslibet, quavis praeeminentia, dignitate et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate ac auctoritate, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari: non obstantibus praemissis et, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae Regula de jure quaesito non tollendo aliisque Apostolicis ac in Universalibus Provincialibusque et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, Collegiorum, Ordinum, Congregationum et Institutorum quorumlibet aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, usibus, stylis et consuetudinibus etiam immemorabilibus: Privilegiis quoque, Indultis et Literis Apostolicis, quibuscumque Ordinibus, Congregationibus ac Institutis praedictis eorumque Monasteriis et Abbatibus sub quibusvis tenoribus et formis et cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis ac irritantibus et aliis decretis, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter ac alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quaevis alia expressio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas et occasiones ac alia etiam speciali expressione digna praesentibus pro plene et sufficienter expressis, insertis ac servatis respective habentes, hac vice dumtaxat, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus ac derogatum esse volumus ceterisque contrariis quibuscumque.

Ut autem praesentes literae ad omnium notitiam facilius deveniant, et nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas seu earum exempla ad valvas Ecclesiae Lateranensis et Basilicae Principis Apostolorum necnon Cancellariae Apostolicae Curiaeque generalis in Monte Citatorio, ac in acie Campi Florae de Urbe, ut moris est, affigi et publicari, sicque publicatas et affixas, omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctare et afficere, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent: utque ipsarum praesentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis et sigillo alicujus Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in judicio quam extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrae voluntatis, sanctionis, praecepti, mandati et derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo vigesimo quinto, pridie nonas Maii, Pontificatus nostri anno primo.

P. M. Card. Prodatarius. *F. Card. Oliverius.*
Visa de Curia I. C. Archiepisc. Amasenus.
Loco † Plumbi. *L. Martinettus.*
Registrata in Secretaria Brevium.

V. Constitutio Sanctissimi Domini Nostri Benedicti Papae XIII., qua Locorum Ordinariis norma praescribitur coërcendi Clericos Beneficiatos in habitu laicali incedentes, eosdemque Clericos teneri sub mortali ad restitutionem fructuum perceptorum decernitur et declaratur, cum aliis Ordinationibus.

Cit. Tit. VI. Cap. II. pag. 3.4.

Benedictus Episcopus, Servus Servorum Dei.
Ad perpetuam rei memoriam.

Catholicae Ecclesiae regimini per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum Nostrorum suffragio, praesidentes, eo potissimum Apostolicae vigilantiae studia dirigenda esse arbitramur, ut, qui in sortem Domini vocati sunt Ecclesiasticaeque Militiae nomen dederunt, ubique irreprehensibiles inveniantur. Maxime siquidem ipsos decet vitam moresque suos omnes ita componere, ut habitu, gestu, incessu aliisque omnibus rebus nil nisi grave, moderatum ac religione plenum prae se ferant. Quocirca Clericos quoscumque, praesertim vero Beneficia Ecclesiastica obtinentes, teneri Vestes honestas et proprio congruentes Ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant, et, si secus fecerint, etiam poena privationis Beneficiorum plectendos esse, Sacrae Tridentinae Synodi Decretis, pluribus Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum sanctionibus provide atque salubriter cautum est.

Cum itaque, sicut non sine maximo animi Nostri moerore, a imo etiam horrore percepimus, quorumdam Clericorum Beneficia Ecclesiastica obtinentium audacia et temeritas hodie eo usque processerit, ut in dedecus Ordinis Clericalis, Sacrorum Canonum contemptum magnamque Animarum suarum perniciem incedere in habitu laicali minime vereantur: Nos, gravissimo huic abusui et Christi fidelium offensioni pro Pastoralis officii debito, quantum Nobis ex Alto conceditur, opportune consulere cupientes, de nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium et aliquot insuper dilectorum Filiorum Romanae Curiae Praelatorum, quos ad id specialiter deputavimus, consilio ac etiam Motu proprio, ex certa scientia et matura deliberatione Nostris deque Apostolicae potestatis plenitudine hac Nostra perpetuo valitura Constitutione decernimus, statuimus et mandamus, quod Ordinarii locorum, ubi sita sunt Beneficia, ejusmodi Clericorum Vestes laicales deferentium impudentiam canonicis remediis omnino coërceant et hunc in finem non modo possint, sed etiam debeant contra ipsos procedere per citationes domi dimissa copia, quatenus domicilium habeant in eorum respective Dioecesi, sin minus, per citationes ad valvas, Jurisque ordine b ceteroquin servato, sententiam declaratoriam privationis obtentorum Beneficiorum [in] ipsos ferre et pronunciare, ita tamen, ut eadem Beneficia juxta Constitutionem fel. rec. Sixti V. Praedecessoris Nostri incipientem: *Cum Sacrosanctam*, Nostrae ac Romani Pontificis pro tempore existentis collationi, provisioni ac omnimodae dispositioni reserventur et reservata censeantur.

Praeterea volumus, statuimus et declaramus, praedictis Clericis Beneficiatis in habitu laicali incedentibus minime licere percipere nec facere suos fructus et proventus quoscumque suorum Beneficiorum, cujuscumque generis, speciei, qualitatis et valoris existant: quin etiam expresse decernimus et sancimus, ejusmodi Beneficiatos ex mero facto incessus in habitu laicali, quamvis nulla praecesserit Ordinariorum sententia declaratoria privationis Beneficiorum, quae obtinent, imo etiamsi nulla citatio, monitio vel alius judicialis actus in eos fuerit institutus, ipso jure amissionis et privationis fructuum praedictorum poenam incurrere, ita ut illos nullo modo percipere nec perceptos retinere vel facere suos possint: sed ipsos absque ulla prorsus diminutione ad commodum fabricae Ecclesiarum, in quibus erecta sunt Beneficia, c illico sub poena lethalis culpae restituere teneantur; a qua quidem restitutionis obligatione a nemine praeterquam a Nobis et a Romano Pontifice pro tempore existente (sublata ceteris omnibus, etiam Poenitentiariae Apostolicae officio et Majori Poenitentiario, condonandi facultate) eos absolvi et liberari posse volumus, praecipimus et mandamus.

Decernentes, easdem praesentes literas et in eis contenta quaecumque semper firma et efficacia existere ac fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Judices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos et Apostolicae Sedis Nuncios, aliosve quoslibet, quavis praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate ac auctoritate, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari: d non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, necnon Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, Statutis, usibus, stylis et consuetudinibus etiam immemorabilibus, etiam juramento, confirmatione Apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, privilegiis quoque, indultis et literis Apostolicis quibuscumque sub quibusvis tenoribus et formis et cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis ac irritantibus et aliis decretis, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, etiam Consistorialiter ac alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quaevis alia expressio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas et occasiones ac alia etiam speciali expressione digna praesentibus pro plene et sufficienter expressis, insertis ac servatis respective habentes, hac vice dumtaxat, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus ac derogatum esse volumus ceterisque contrariis quibuscumque.

Ut autem praesentes Literae ad omnium notitiam facilius deveniant, et nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus, illas seu earum exempla ad valvas Ecclesiae Lateranensis et Basilicae Principis Apostolorum necnon Cancellariae Apostolicae Curiaeque generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Florae de Urbe, ut moris est, affigi et publicari, sicque publicatas et affixas, omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctare et afficere, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent; utque ipsarum praesentium Literarum transsumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis et sigillo alicujus Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in judicio quam extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrae voluntatis, sanctionis, praecepti, mandati et derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo vigesimo quinto, sexto Non. Maji, Pontificatus Nostri anno primo.

P. M. Card. Prodat. *F. Card. Oliverius.*
Visa de Curia I. C. Archiepisc. Amasenus.
Loco † Plumbi. *L. Martinettus.*
Registrata in Secretaria Brevium.

VI. Constitutio Sanctissimi Domini Nostri Benedicti Papae XIII., qua decernitur et mandatur, ut in Italia eique adjacentibus Insulis Parochis Defunctorum, qui in Ecclesiis quorumcumque Regularium de caetero tumulabuntur, Quarta funeralis persolvatur, cum aliis ordinationibus et derogationibus opportunis.

Cit. Tit. VIII. Cap. V. pag. 359.

Benedictus Episcopus, Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex, aequi bonique supremus Assertor, auctoritatem a Christo per Beatum Petrum, Apostolorum culmen, sibi traditam intelligens, ut ex Agro Dominico pro temporum necessitate noxia evellat et destruat utiliaque plantet ac aedificet, ea interdum, quae a Praedecessoribus suis ob rationabiles et justas causas olim sancita fuerunt, ubi in grave aliorum praejudicium et detrimentum redundare cognoscit atque dissidiis et contentionibus fomentum praebere animadvertit, maxime inter Dei et Ecclesiae Ministros, quorum est evangelizare pacem, et quibus a Domino non aliud frequentius neque enixius commendatur, quam ut pacem ac unitatem diligant: moderari et immutare aliasque Pastoralis Officii sui partes desuper interponere solet, prout, rerum, locorum temporumque circumstantiis mature pensatis, discordiarum extinctioni, Ecclesiasticorum Ministrorum quieti, fidelium Animarum saluti divinoque cultui conspicit salubriter expedire.

Sane quamplures Romani Pontifices Praedecessores Nostri multiplicia ac plane insignia considerantes merita Ordinum Regularium, qui militantem in terris Ecclesiam fortissimis omni tempore auxerunt praesidiis, Viris nempe vitae sanctitate, doctrinae laude ac Orthodoxae Religionis zelo praestantibus, eidemque in Coelis triumphanti eximii fulgoris lumina addiderunt, ipsos Ordines eorumque Professores plurimis satis amplis indultis et privilegiis benigne decorarunt; ac inter alia iis illud concesserunt, ut canonicam portionem seu Quartam funeralium emolumentorum partem pro personis, quae in eorum Ecclesiis sepulturam sibi eligerent, Parochis persolvere minime tenerentur; ac ad majorem ejusmodi Privilegii firmitatem, sanctioni etiam a fel. rec. Clemente V. Praedecessore Nostro, editae in Concilio Viennensi et relatae in Clementina *Dudum de Sepulturis.*, necnon Con-

cilii Tridentini Decreto, relato in *cap. 13. sess. 25. de reformat.*, a praedictam Quartam Funeralem Parocho aperte reservantibus, non semel amplissime derogarunt. Unde non acerbae modo Parochorum querelae, sed innumerae etiam contentiones atque lites inter eos et Regulares super solutione ejusdem Quartae diversis temporibus excitatae fuerunt, quae coram Ordinariis Locorum et deinde in variis quoque almae Urbis Nostrae Tribunalibus, praesertim vero in Auditorio Palatii Nostri Apostolici et in Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, praefati Concilii Tridentini Interpretum, magno partium studio nec minori sumptuum incommodo discussae, sicut accepimus, aliquando ad favorem Parochorum, aliquando autem ad favorem Regularium, pro diversis Causarum circumstantiis atque vario Judicantium sensu, decisae ac definitae fuerunt. Haec porro judicatorum sententiarumque diversitas, cum nullam certam ac determinatam constituerit regulam in evenientibus casibus observandam, magnum plane fomentum et ansam relinquit, imo et latam sternit viam ulterioribus inter praedictos Regulares et Parochos litibus et controversiis, ex quibus ipsi, qui in domo Dei ambulare debent cum consensu, novis de cetero perturbari b dissidiis novisque praegravari dispendiis possunt cum divini cultus detrimento et scandalo plurimorum.

Quocirca nos maxime expedire censentes, ut ejusmodi controversiae et lites ab Ecclesia Dei penitus arceantur ac insuper, licet universos Ordines Regulares, in quibus, nempe in Ordine Fratrum Praedicatorum, Nos ipsi plurium annorum spatio versati sumus, speciali paternae charitatis affectu prosequamur eosque, uti de Ecclesia, Catholica Fide et Sede Apostolica optime meritos, praecipuo semper in honore ac pretio habuerimus et habeamus; nihilominus considerantes, exemptionem a solutione Quartae Funeralis, praefatis Ordinibus a dicta Apostolica Sede concessam, modo vergere in maximum Parochorum praejudicium tum propter multiplicationem Conventuum et Monasteriorum Regularium, tum etiam propter auctam devotionem et consuetudinem Fidelium sepulturam eligendi in Ecclesiis praedictorum Regularium; ac proinde non modo consentaneum, sed etiam necessarium arbitrantes, ut eorumdem Parochorum, quibus ceteroquin Sacri Canones et prisca Ecclesiae disciplina aperte suffragantur, indemnitati opportune consulatur et antedicta Apostolica c Privilegia ad aequitatis limites reducantur: hinc igitur est, quod Nos omnia et singula memorata Privilegia exemptiva a solutione Quartae Funeralis, quibusvis Ordinibus, Congregationibus ac Institutis Regularibus ab Apostolica Sede, ut praefertur, quandocumque et quomodocumque concessa, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes ac de eorum tenore et substantia satis superque instructi, de nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium et aliquot etiam Romanae Curiae Praelatorum, a Nobis ad id specialiter deputatorum, consilio, suadentibus etiam Episcopis et aliis Ecclesiarum Praelatis in praesenti Sacro Concilio congregatis, ac insuper motu proprio, ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque Apostolicae potestatis plenitudine, hac Nostra perpetuo valitura Constitutione, praemissa omnia Privilegia quoad Quartam Funeralem tantum pro locis infra exprimendis moderamur, reformamus, ad viam juris reducimus et, quatenus opus sit, etiam revocamus et abrogamus neque cuiquam deinceps suffragari posse vel debere decernimus.

Praeterea motu, scientia et potestatis plenitudine similibus d sancimus, statuimus et mandamus, ut in Italia eique adjacentibus Insulis a die publicationis praesentis Constitutionis in futurum Parochis Defunctorum, qui in Ecclesiis quorumcumque Regularium praedictorum tumulabuntur, persolvatur et cum effectu tradatur Quarta Pars omnium Intorticiorum et Candelarum, quibus Defuncti Cadaver in itinere ad Ecclesiam tumulantem associabitur, necnon omnium Intorticiorum et Candelarum, quae in eadem Ecclesia circa Cadaver vel etiam in Altaribus in die funeris accendentur. A praedicta tamen Quarta Funerali exceptae intelligantur et sint Candelae, quas Sacerdotes, etiam Regulares, vel piarum Sodalitatum Confratres funus associantes, manualiter per viam accensas deferent. Quodsi funus non fieret in die tumulationis, sed ad diversam diem vel ad aliud longius tempus differretur, Parocho nihilominus assignetur Quarta Pars omnium Intorticiorum et Candelarum, quae ipsamet peracti funeris die in Ecclesia, ubi Defunctus humatus fuit, circa Cenotaphium seu tumulum honorarium atque etiam in Altaribus eiusdem Ecclesiae accensa fuerint. Haec porro omnia locum habeant et exacte in posterum observentur, quotiescumque Defunctus extra suam Parochialem Ecclesiam tumuletur vel exponatur, sive quia in Ecclesia tumulante vel exponente Beneficium obtinuerit, sive quia ibidem Sepulchrum habuerit gentilitium, sive tandem quia in ea Sepulturam elegerit. Ceterum sub praedicta Quarta Funerali comprehendi non intendimus, imo expresse ab ea excipimus legata Missarum et Anniversariorum hisque similia pia relicta ad favorem Ecclesiae tumulantis vel exponentis a Defuncto disposita. Circa quae ac omnia et singula alia, de quibus in praesenti Constitutione mentio facta non fuit, Privilegia praedictis Regularibus Ordinibus ab Apostolica Sede concessa salva prorsus, illaesa ac inviolata perpetuo permanere et ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inconcusse ac irrefragabiliter observari debere volumus, decernimus et mandamus. Ubi vero consuetudines legitime probatae, conventiones, concordiae vel statuta vigerent, quae praefatis Parochis magis faverent illisque pinguiorem praedicta Quarta emolumentorum funeralium portionem assignarent, ea in iis, in quibus vigent, locis inconcusse ab omnibus observari motu, scientia ac potestatis plenitudine paribus sancimus, praecipimus et jubemus.

Decernentes pariter, praesentes literas et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod praedictorum Ordinum Regularium Superiores vel quicumque alii in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, seu causae, propter quas praesentes emanarint, adductae, verificatae seu alias justificatae non fuerint, vel etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, aut alio quovis praetextu et ex quocumque capite, colore et causa etiam necessario exprimenda, de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio aut intentionis Nostrae vel alio quopiam defectu notari, impugnari, in toto vel in parte rescindi, retractari, invalidari, in jus vel controversiam revocari, ad terminos juris reduci, seu adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris aut quodcumque aliud juris vel facti gratiae vel justitiae remedium impetrari seu eo impetrato quemquam uti seu [se] juvare in judicio vel extra nullatenus posse; sed eas semper validas, firmas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri ac obtinere et ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari debere, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Judices ordinarios et delegatos, etiam causarum dicti Palatii Apostolici Auditores et Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos et Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari: non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae Regula de jure quaesito non tollendo aliisque Apostolicis ac in Universalibus Provincialibusque et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus, nec quorumvis Ordinum praedictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis Statutis et Consuetudinibus, etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis et Literis Apostolicis per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores Nostros eisdem Ordinibus, ut praefertur, illorumque Superioribus et Professoribus quibuscumque sub quibusvis verborum tenoribus et formis ac cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis et aliis efficacioribus et insolitis clausulis et Decretis irritantibus, etiam motu simili et consistorialiter ac alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quaevis alia expressio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas et occasiones ac alia etiam speciali expressione digna praesentibus pro plene et sufficienter expressis, insertis ac servatis respective habentes, hac vice dumtaxat, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus ac derogatum esse volumus ceterisque contrariis quibuscumque.

Ut autem praesentes literae ad omnium notitiam facilius deveniant, et nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus, illas seu earum exempla ad valvas Ecclesiae Lateranensis et Basilicae Principis Apostolorum necnon Cancellariae Apostolicae Curiaeque generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Florae

de Urbe, ut moris est, affigi et publicari, sicque publicatas et affixas, omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctare et afficere, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent, utque ipsarum praesentium Literarum transsumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis et sigillo alicujus Personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in judicio quam extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum voluntatis, declarationis, reformationis, moderationis, concessionis, assignationis, praecepti, sanctionis, mandati et derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo vigesimo quinto, quarto Kalendas Maji, Pontificatus nostri anno primo.

P. M. Card. Prodat. *F. Card. Oliverius.*

Visa de Curia I. C. Archiepiscopus Amasenus.

Loco † Plumbi. *L. Martinettus.*

Registrata in Secretaria Brevium.

VII. Decretum S. Congregationis Concilii circa Subcollectores, latum die 27. Februarii 1677.

Cit. Tit. IX. Cap. III. pag. 360.

Die 27. Februarii 1677. Sacra Congregatio EE. S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, ad occurrendum controversiis ac querimoniis circa Subcollectores Spoliorum aliosque Commissarios Camerae Apostolicae, praesertim Regni Neapolitani, ad eamdem Sacram Congregationem delatis salubriter intenta, auctoritate etiam sibi a s. m. Clemente IX. et s. m. Clemente X. et Sanctissimo D. N. Innocentio XI. tributa, praevia matura consultatione statuit ac decrevit, ut in posterum in singulis infrascriptis Dioecesibus, videlicet; Aquinaten., Acerrarum, Aliphana, Avellin., Asculana in Piceno, Asculana in Apulia, Atrien., Bisacciarum, Bituten., Bituntina, Brundusina, Bellicastren., Boven., Carinolen., Calven., Cajacen., Casertan., Campanien., Capritan., Conversan., Cotronen., Castren., Castellaneten., Civitatis Ducalis, Camplen., Cariaten., Fundana, Frigentin., Guardien., Gravinen., Gallipolitan., Isclan., Insulan., Juvenacen., Literen., Lavellen., Laquedonien., Motulen., Massallubren., Marturanen., Minerbinen., Monopolitan., Melphiten., Minoren., Marsicen., Montis Marani, Montis Pelusii, Melphien., Murana, Nuscana, Nicoteren., Nucerina, Ostunen., Oritan., Ortonen., Pennen., Puteolan., Polignanen., Ravellen., Ruben., Rossanen., Rapollen., Reatina, Surrentina, Suessana, S. Agathae, Satrianen., Stabien. seu Castri Maris, Sarnen., S. Severi, S. Angeli Lombardorum, Trojan., Theanen., Thelesina, Trivicana, Tranen., Ugentin., Umbriaticen., Vican., Vulturarien., Vestan., Venusina, Valven., Vigilien., Venafrana;

Et in singulis pariter infrascriptis Locis exemptis seu nullius Dioecesis, videlicet: Canusii, Cerignolae, Casalis novi, Cetrani, Centolae, Castri S. Laurentii, Castellan., Carbonarien., Brosii, Fasan., Montis Virginii, Montis Casini, Marubii, Putignani, Rutiliani, S. Stephani de Nemore, Sanctissimae Trinitatis Caven., S. Angeli ad Fasanellan., S. Vincentii de Vulturno, Terlitii et aliis, in quibus fortasse hactenus Subcollectores deputari solitum fuit, unicus Subcollector;

In sequentibus vero, scilicet: Aprutina, Aversana, Arianen., Amalphitan., Alexanen., Aquilana, Baren., Bojanen., Bovinen., Bisinianen., Caven., Capuana, Compsan., Cathacen., Hieracen., Hydruntina, Isernien., Larinen., Licien., Marsorum, Nolan., Neritonen., Neocastren., Oppiden., Policastren., Potentin., Rheginen., Sorana, Sypontina, Sulmonen., Squillacen., S. Severinae, S. Marci, Theatina, Termularum, Triventin., Tarentin., Tricaricen., et Tropien., duo tantum;

In sequentibus, nimirum: Acheruntin. et Matheranen. unicus; in Anglonen., Beneventan., Cosentin., Caputaquen., Cassanen., Mileten. et Salernitan., non plures quam tres; et in Neapolitana decem Subcollectores et non ultra, respective deputentur et exerceant.

Ad evitandam autem confusionem remisit arbitrio Nuncii

a dividere et assignare cuilibet Subcollectori partem Dioecesis seu Loca, intra quorum limites debeant in exercitio se continere.

Et ne semel in Subcollectores deputati necessitatem inducant multiplicandi alios Subcollectores renunciando Officium, licet possint in eo continuare et idonei sint: declaravit, nullum Subcollectorem post renunciatum Officium gaudere exemptione ab Ordinario, nisi laudabiliter exercuerit saltem per duodecim annos.

Eos vero, qui in Officio aut alias ita deliquisse comperti fuerint, ut a Nuncio amoveantur, et alii eorum loco deputentur, nullatenus exemptione hujusmodi gaudere; et e contra illos, qui probe ac fideliter se gesserint velintque in Officio continuare, confirmandos esse a Nuntio, nec alios eorum loco deputari posse.

Praeterea, attenta Subcollectorum hujusmodi multitudine et causa a sa. me. Urbano VIII. in sua Constitutione 35. considerata concedendi illis exemptionem, censuit expedire, ut Sanctissimus declaret, ita esse intelligendam dictam Constitutionem, ut Subcollectores, terminato Officio, non gaudeant amplius exemptione, defuncto vel alias deficiente Ordinario, in cujus tempore exer-
b cuerunt; sicuti etiam declaravit illos, qui, licet in Subcollectores deputati fuerint, nunquam exercuerunt, minime gaudere, nec pariter illos, qui non resident in Dioecesi, pro qua sunt deputati, et Ordinarium certiorare debere Sac. Congregationem de dicta non residentia ejusque provisionem expectare: generaliter vero Subcollectoribus exemptionem ab Ordinario in Civilibus non suffragari, nisi adesset in Dioecesi Judex a Nuntio deputatus, qui habeat tantummodo facultatem in Causis passivis et nullo privilegio aut exemptione gaudeat.

Quod vero attinet ad Substitutos et Officiales Subcollectorum, declaravit, dictos Substitutos non gaudere exemptione, illam tantum concedendam esse uni tantum Notario pro quolibet Subcollectore in actu exercitii, et quoad Commissarios super illicitis negociationibus aut ad alias Causas particulares deputatos, non gaudere exemptione nisi in actu exercitii, et tam Commissarios hujusmodi quam Subcollectores, quando procedunt contra Denunciatos vel alios Inquisitos de illicitis negociationibus, si ex Processu informativo constet de eorum innocentia, non posse illos cogere ad expensas ejusdem Processus et Decreti absolutorii.

c Et quod majoris momenti est, ne praetextu hujusmodi Officii cura animarum, servitium Ecclesiae ac divini cultus morumque honestas detrimentum patiantur, declaravit, Parochos in Subcollectores aut Commissarios ad quascumque Causas particulares non esse deputandos, sicuti nec Poenitentiarium nec Theologum: quod si post deputationem de aliqua Parochiali aut Poenitentiali vel Theologali praebendis fuerint fortasse provisi, tunc minime gaudere exemptione in concernentibus curam animarum et respective adimplementum onerum ipsarum Praebendarum; et eadem ratione non gaudere Canonicos et alios Beneficiatos Subcollectores in concernentibus servitium Ecclesiae et adimplementum onerum ipsorum Canonicatuum et Beneficiorum nec lucrari distributiones quotidianas, si non inserviant; insuper teneri ratione Beneficiorum, quae obtinent, ad publicas processiones accedere, solvere Cathedraticum et subsidium charitativum et interesse Synodo ac visitationi, non tamen pluries quam semel in anno; posse vero solummodo cogi ab Ordinario ad exequendum visitationem in iis, quae respiciunt cultum divinum, ipsumque Ordinarium posse procedere contra Subcollectores accedentes sine
d ejus licentia ad Monasteria Monialium aut non servantes praeceptum Communionis Paschalis, et contra percutientes Presbyterum vel Clericum posse procedere ad declaratoriam excommunicationis ex cap. *Si quis suadente,* et si quando repererit, aliquem Subcollectorem in publico concubinatu vivere, certiorare debere eamdem Sacram Congregationem ac ipsum Nuntium, cujus partes erunt severe eos punire ac privare Officio, posse tamen eumdem Ordinarium carceribus mancipare, ad Superiorum dispositionem retinendos, Subcollectores deprehensos in flagranti crimine, quod meretur poenam corporalem, non tamen minorem relatione, dummodo statim de carceratione Nuntium certioret: item Administratores Locorum piorum in Subcollectores deputatos subesse Ordinario quoad redditionem rationum administrationis: nec posse Subcollectores a casibus Episcopo reservatis absolvi absque illius licentia, et nullum Inquisitum posse a Nuntio in Subcollectorem deputari, nisi de ejus absolutione constiterit.

Ut autem sciant Ordinarii, quos in Subcollectores aut Commissarios debeant recognoscere, declaravit, Subcollectores teneri ostendere Ordinario suas commissiones, antequam illas exequan-

tur; Commissarios vero particulares teneri vel per literas patentes vel privatas sui Superioris aut alio modo certiorare Ordinarium de demandata jurisdictione.

a

Demum quatenus supradictae declarationes vel aliquae illarum futuris temporibus non observentur, Sacra Congregatio voluit, incumbere locorum Ordinariis, ut pro eorum zelo ac pastorali solicitudine, quaecumque secus audiverint, huic Sanctae Sedi fideliter referant pro opportuna provisione obtinenda.

Et die 16. ejusdem facta de praemissis omnibus relatione eidem Sanctissimo D. N. Innocentio XI., Sanctitas Sua declaravit, praecitatam Constitutionem fel. record. Urbani VIII. esse intelligendam juxta praedictam Sacrae Congregationis sententiam, et praesens Decretum omniaque et singula in eo contenta approbavit et confirmavit et inconcusse ac inviolabiliter observari et exequi mandavit, salva tamen semper ejusdem Sac. Congregationis auctoritate omniaque et singula praefata declarandi, moderandi et ampliandi et in totum vel in parte annullandi et interpretandi.

Voluit tamen Sanctitas Sua, quod praesenti Decreto, restricto ad Collectores et Subcollectores Spoliorum Regni Neapolitani, per Nuntium Apostolicum deputatos sive deputandos, derogatum sive praejudicatum minime censeatur reservationibus et affectionibus Beneficiorum eorumdem Collectorum et Subcollectorum, resultantibus ex Regulis Cancellariae Apostolicae.

b

Ita reperitur in Regesto S. C. C. et in fidem etc.

Prosper Archiep. Theodosiae Secret.

Sequuntur aliquae suprarelati Decreti declarationes seu additiones, emanatae a Congregatione particulari, deputata in Concilio Romano a SS. D. Nostro, sub die 23. Maji 1725.

Cit. eod. Tit. IX. et Cap. III. in fine.

Primo: quod in hac parte, scilicet in §. *Et quod majoris momenti,* in quo Decretum ejusdem Congregationis Concilii loquitur de Subcollectoribus, qui obtinuerunt postmodum Parochias vel Praebendam Theologalem seu Poenitentialem, amplietur Decretum ipsum, et eidem addatur, prout nova hac declaratione additur, quod tunc Subcollectorum officia illico cessent, et Thesaurarius vel Nuncius Apostolicus alium deputare teneatur.

c

Secundo: non posse Thesaurarium Generalem et Nuntios in quacumque Dioecesi, etiam extra Statum Ecclesiasticum, literas Patentales Subcollectoribus in futurum concedere, nisi eis attestatio exhibeatur Curiae Episcopalis,* in qua de ipsorum bona vita et moribus, ac eosdem nec inquisitos nec processatos esse, testimonium feratur; quam attestationem et Thesaurarius et Nuntius in actis conservare teneantur; alias Patentales literae, quocumque alio modo concessae et expeditae, nullae sint et invalidae, ita ut contra istos procedere possit Episcopus Ordinarius.

F. A. Archiepisc. Episc. Abellinen. et Frequentin. Concilii Secret.

VIII. Constitutio Sanctissimi Domini Nostri Benedicti Papae XIII., qua literae Apostolicae sanct. mem. Sixti V., Urbani VIII. et Innocentii XI., atque Decretum DD. Judicum querelarum et Controversiarum Sacri Concilii Romani in favorem Abbatialis Ecclesiae et Abbatis Sacri Monasterii Casinensis Ord. S. Benedicti amplissime confirmantur: necnon eamdem Abbatialem Ecclesiam fuisse et esse quasi Cathedralem, et Abbati praedicto Jurisdictionem quasi Episcopalem in omnibus Dioecesis Casinensis Ecclesiis competiisse et competere declaratur; ac insuper Capitulo, Clero et Populo Oppidi seu Civitatis S. Germani, quoad novi Episcopatus erectionem seu restitutionem, perpetuum silentium imponitur, cum aliis ordinationibus et clausulis atque derogationibus opportunis.

d

Benedictus Episcopus, Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Const. 13. *Quod inscrutabilis.* d. 9. Aug. 1725. [1]

IX. Motus proprius fel. rec. Sixti Papae V. sub die 29. Aprilis 1587. Circa revocationem officii Archivistae Ecclesiastici generalis in Urbe et confectionem Inventariorum seu Platearum bonorum omnium, ad singulas Ecclesias et loca pia quaelibet spectantium in Italia.

Cit. Tit. XII. Cap. I. pag. 361.

Motu proprio, etc. Provida Romani Pontificis circumspectio revocat interdum, justis suadentibus causis, atque abrogat ea, quae, licet ab initio utilia fore viderentur, usus tamen et experientia docet nimium incommodi, nimium difficultatis, molestiae aut perturbationis afferre. Quod nuper in erectione Archivi generalis Ecclesiastici, in quo omnia Inventaria rerum, bonorum ac jurium et scripturarum, pertinentium ad Ecclesias et pia loca per universam Italiam constituta recondere et in Palatio Nostro Apostolico asservare meditabamur, rei ipsius difficultas satis aperte monstravit. Ideoque, etc. sicuti nuper audivimus, quod in multis Ecclesiis et locis hujusmodi Archiva antiquitus instituta reperiuntur et in nonnullis Italiae Provinciis per Archiepiscopos, Episcopos aliosque Praelatos et locorum Ordinarios in visitationibus ordinariis seu generalibus, quas in suis Civitatibus, Dioecesibus, Districtibus et Provinciis ordinaria vel alia auctoritate faciunt inter alia omnium bonorum, mobilium et stabilium, jurium, censuum et redituum, ad singulas Ecclesias et quaecumque Beneficia Ecclesiastica, quas et quae visitant, spectantium, Inventaria et Instrumenta conficere solent et in eorum Curiis asservant; idemque a reliquis etiam Episcopis et Praelatis per Italiam constitutis haud magno incommodo, labore et negotio fieri posse sperantes, et aliis rationabilibus de causis, atque ad publicam quietem et commodum universi Cleri, secularis et regularis totius Italiae, erectionem et institutionem tam Archivi generalis Ecclesiastici quam ipsius officii Archivistae generalis etc. supprimimus et extinguimus, mandantes universis et singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus aliisque Praelatis et Praesidentibus Ecclesiarum, Monasteriorum, Universitatum, Collegiorum et Praeceptoriarum majorum ac similium Ecclesiasticarum Dignitatum, quocumque nomine censeantur, secularium et quorumvis Ordinum ac Militiarum Regularium, Nobis et S. Sedi Apostolicae immediate subjectorum, sive nullius sint Dioecesis, sive alias quomodolibet exempta existant, dum tamen ordinariam in subditos aut quasi Episcopalem jurisdictionem de jure et consuetudine aut privilegio habeant aut exerceant, per Italiam constitutis, ut loco Archivi generalis Ecclesiastici, sic per Nos suppressi, ipsi et eorum unusquisque, qui hactenus Inventaria hujusmodi non confecerunt, debeant omnino intra annum a die, quo praesentes Nostrae ad eorum notitiam pervenerint, omnium et quorumcumque bonorum immobilium, censuum, canonum, livellorum, proventuum annuorum, jurium, jurisdictionum ac privilegiorum et scripturarum, quae eis eorumque arbitrio annotatione digna videbuntur, ad Ecclesias, Monasteria, Collegia, Universitates, Praeceptorias majores et Dignitates, quibus ipsi respective praesunt, pertinentium, et in quorum possessione existunt, Inventaria diligenter conficere, et deinde quicumque eorum in regimine seu administratione Ecclesiarum, Monasteriorum, Collegiorum, Universitatum et Praeceptoriarum majorum seu in Dignitatibus hujusmodi successores fuerint, similiter intra annum a die habitae possessionis, similia Inventaria de novo conficere seu renovare teneantur. Curent praeterea, sine ulla impensa, gravamine, exactione aut solutione suorum subditorum, per omnes et singulos, qui vel eorum jurisdictioni quomodolibet subjecti sunt, vel in eorum Civitatibus, Dioecesibus et Districtibus respective existunt, etiamsi exempti et pariter Nobis ac dictae Sedi immediate subditi esse noscantur, Abbates, Praepositos, Priores, Vicarios, Guardianos, Abbatissas,

[1] * Constitutiones Apostolicas, quae neque in Concilio Romano latae sunt, neque in Bullario desunt, in hac appendice omittendas censuimus.

Priorissas et cujuscumque Ecclesiae vel pii loci seculares vel regulares et alios quocumque titulo et nomine praefectos utriusque sexus, bona stabilia, jura, census, reditus et proventus quomodolibet possidentes, ceterasque personas Ecclesiasticas, quascumque Dignitates, personatus, administrationes vel officia aut Beneficia Ecclesiastica, cum cura et sine cura, secularia et quorumvis Ordinum Regularia in quibusvis Ecclesiis, seu ipsas Parochiales aut alias Ecclesias in Titulum vel Commendam aut alias quomodolibet obtinentes, Praeceptores quoque minores et alios, qui Beneficia quarumcumque Militiarum obtinent; denique per omnes et quoscumque Administratores, Rectores, Custodes, Officiales, Operarios et quocumque nomine nuncupatos Superiores quorumcumque Hospitalium, Sodalitatum, Confraternitatum, Seminariorum, Montium pietatis, Collegiorum, Studiorum generalium, fabricarum Ecclesiarum et piorum vel religiosorum locorum, etiam quae per Laicos seu Clericos, conjunctim vel divisim regi aut gubernari solent, per modernos quidem, intra eumdem annum, ut praefertur, eorum vero singulorum pro tempore successores, etiam intra annum, ut dictum est, Inventaria hujusmodi bonorum ac aliorum supradictorum, quae eorum curae seu administrationi commissa sunt, similiter accurate et diligenter confici et ad se deferri, eosque ad id per censuras et poenas Ecclesiasticas aliaque opportuna juris et facti remedia sibi benevisa cogant et compellant. Ac demum Inventaria omnia praedicta, tam a se ipsis quam ab aliis confecta, similiter gratis et sine ulla, etiam minima impensa aut exactione in loco congruo, ad id deputato ac tuto et bene clauso, reponant atque perpetuo custodiant et conservent; laudabilemque hanc consuetudinem, ubi jam viget, prosequantur, ubi vero non est, quamprimum introducant, etc. Non obstantibus praemissis, etc., ceterisque contrariis quibuscumque, *cum clausulis opportunis et consuetis.*

Fiat. Motu proprio F.

Et quod, etc.

Datum Romae apud S. Petrum, tertio Kal. Maji, anno secundo.

X. Methodus pro compilandis Inventariis bonorum Ecclesiasticorum.

Cit. Tit. XII. Cap. I. pag. 362. b.

Quo promptius executioni mandari possit, quod Sanctitas Domini Nostri in praesenti Conc. Rom. sub Tit. XII. *De Fide Instrumentorum Cap. I.* praescripsit circa confectionem Platearum aut Inventariorum conformiter ad Motum proprium Sixti V. felicis mem., qui incipit *Provida,* sub die 29. April. 1587., ex mandato ejusdem Sanctitatis Suae omnibus ad conficienda Inventaria obligatis sequens methodus ob oculos ponitur, sub poena in dicto Conc. statuta ad amussim observanda ab omnibus Capitulis tam Patriarchalium quam Cathedralium aut Collegiatarum vel Conventualium Ecclesiarum, item ab omnibus Parochis, Beneficiatis et Capellanis, a Prioribus, Oeconomis, Administratoribus et Procuratoribus Monasteriorum Monialium et Conservatoribus Conventuum suppressorum, Ecclesiarum, Capellarum, Hospitalium, Confraternitatum, Montium Pietatis aut quorumcumque locorum piorum (+et religiosorum), quocumque demum titulo, modo aut ratione exemptorum, quae impraesentiarum vel imposterum in quacumque Provincia et Dioecesi Italiae vel Insularum adjacentium exstiterint. Praenominatis igitur cura incumbet hanc ipsam methodum exacte observandi, res omnes secundum ordinem et distinctionem in Codices referendo juxta partitionem infra in propriis Paragraphis subjiciendam.

§. I. *De initio Inventarii, si a Notario conficiatur.*

In Nomine Domini Nostri Jesu Christi. Amen.

Hoc est Inventarium omnium bonorum mobilium, stabilium, se moventium, fructuum, redituum, jurium, actionum atque onerum omnis generis ad Ecclesiam Cathedralem vel Collegiatam vel Parochialem Sancti N., in Civitate N. vel Pago N. et Dioecesi N. sitam, pertinentium *(si sit simplex Ecclesia, dicetur:* ad Ecclesiam Sancti N. sine cura in Civitate N. aut Pago vel Castello N. et Parochia N., *et reliqua uti supra)* confectum die... Mens. ... Anno .... a N. N. Rectore Ecclesiae et me infra scripto Notario publico in aedibus dictae Ecclesiae, conscriptum in praesentia et secundum relationem et assertionem praefati

a Rectoris necnon N. et N., testium provectae aetatis et de statu Ecclesiae, utpote cujus Parochiae subsunt, bene informatorum, qui mediante etiam juramento a me infra scripto Notario illis exhibito dicunt et affirmant, quod dicta Ecclesia non habeat alia bona aut fructus, reditus, Jura etc., quam infra scripta, nempe etc.

Si Inventarium conficiendum sit in Curia Dioecesis, dicetur sic:

In praesentia N. et N. Syndici et Electi dicti loci mediante juramento etc. *uti supra.*

Si autem testes non sint Parochiani, eo quod sit tantum Ecclesia simplex, dicetur:

In praesentia N. et N., hominum senum et bene informatorum.

§. II. *De initio Inventarii, si a Rectore vel Parocho Ecclesiae conficiatur.*

Inventarium, quod a Rectore conficietur, ita incipiet:

Hoc est Inventarium omnium bonorum tam mobilium quam stabilium, fructuum, redituum, jurium, actionum et onerum ad
b Ecclesiam S. N. in Civitate: vel etc. *ut supra,* pertinentium, factum die .... Mensis .... Anno .... a me moderno dictae Ecclesiae Rectore in praesentia N. et N. virorum longaevorum et Syndici dicti loci, ex integro informatorum de bonis, fructibus et reditibus etc. Et sunt sequentia.

§. III. *De initio Inventarii a Vicario vel Capellano conficiendi.*

Si a Vicario perpetuo aut amovibili aut Capellano inventarium conficietur, idem servabitur modus, mutato nomine Rectoris in illud Vicarii aut Capellani.

Quod si pro aliqua Confraternitate, Monte Pietatis aut Hospitali formandum sit, eaedem observabuntur regulae, ac insuper Administratores cum Parochis locorum et Vicariis foraneis subscribent Inventario.

Antequam ad Ecclesiae vel altarium aut bonorum ejus descriptionem deveniatur, exprimi debet tam tempus quam auctoritas erectae fundationis. Deinde annotentur Canonici aliique moderni Ecclesiae Ministri: item Fratres Confraternitatum etc. Caetera,
c *habita proportione, describentur, ut infra sequitur.*

§. IV. *De Ecclesiae Descriptione.*

Post titulum et Principium Inventarii incipietur describi Ecclesia, illius titulus, situatio et confinia, dicendo:

Praefata Ecclesia S. N. sita est in Civitate N. platea N. Parochia N. *vel* in Castello *aut* Pago N. Parochia N. prope viam publicam, ex uno latere contermina habet bona N., ex altero latere N. *et sic de reliquis.* Fuit aedificata Anno ...., consecrata a Reverendissimo Domino N. Anno ...; in Ecclesia existunt Capellae num. ... Altaria num. ... *debent omnia singillatim describi et nomina Sanctorum, quibus dedicata sunt, necnon situs illorum exprimi.*

Post haec annotabitur Dos illius reparationi assignata; aut, si certam non habeat assignatam, exprimi debet, quinam ad expensas reparationis aut fabricae, item supellectilis sacrae contribuere debeant.

§. V. *De Capellis aut Altaribus dotatis cum obligatione Missarum.*

d *Si in dictis Capellis aut Altaribus fuerint Missae fundatae, dicetur:* Altare vel Capella N. fuit fundata et dotata ab N. loci ... Anno ... cum obligatione legendi Missas ... vel celebrandi Anniversaria *tali tempore:* uti constat ex Instrumento formato a Notario Publico N. die .. Mens. .. Anno ... *vel ex tabula, si desit instrumentum.*

Deinde separato scribantur, uti supra dictum fuit, bona mobilia aut stabilia Capellarum et Altarium.

Si Capella aut Altare certam dotem pro sua conservatione non habuerit (de dote pro Missis hic non est sermo) exprimatur, quinam ad expensas concurrere teneatur.

§. VI. *De rebus mobilibus Ecclesiae.*

Post Ecclesiae, Capellarum et Altarium descriptionem scribentur res mobiles, sacrae et non sacrae, celebrandis divinis et administrandis Sanctissimis Sacramentis destinatae, tam eae, quae in Ecclesia et Sacristia asservantur, quam quae aliis fortassis mutuo, aut ab ipsis Beneficiatis ex propriis mediis Ecclesiae dono vel usui

concessae sunt, exprimendo non solum rerum illarum numerum, sed etiam pondus mensuramque. Exempli gratia: a

Planetae albae ex serico Damasceno, fimbriis aureis ornatae, duae, *aut quotquot erunt.* Dico: Planetae num. 2

Planetae virides: *et sic de reliquis.*

Calix unus argenteus, inauratus librarum . . . et unciarum . . . Dico: Calix 1

Mappae ex lino num. . . . longae palmos . . . . largae palmos . . . . novae et integrae (aut veteres et detritae). Dico: mappae 3

Et sic de omnibus aliis rebus ponderandis aut mensurabilibus: si autem res ponderari aut aliunde pondus illius exacte aestimari nequeat, uti sunt grandiores campanae: dicatur tot vel tot librarum circiter, aut signa et characteres campanis impressi adnotentur una cum illarum altitudine, exempli gratia:

Una campana palmorum . . . . librarum . . . . cum inscriptione illius et figuris . . . . benedicta Anno . . . . a Reverendissimo Domino N. Dico: Campana 1

Notandum, in describenda hac supellectile eum esse servandum ordinem, ut a nobilioribus, nempe Tabernaculo, Crucibus, etc. incipiatur. Poterunt etiam eo ordine uti, quem P. Gavantus in sua praxi visitationis §. IX. tenuit. b

§. VII. *De rebus mobilibus aedium Parochi aut Beneficiati.*

Facta rerum ad Ecclesiam pertinentium descriptione, idem de aedibus et rebus mobilibus, ad usum Parochorum destinatis, secundum numerum et ordinem supra notatum fiet.

§. VIII. *De aedium descriptione.*

In aedium descriptione dicetur: Domus una pro Parochi aut Vicarii aut Capellani habitatione, contigua *vel* vicina Ecclesiae etc. confinis ex una parte etc. ex altera etc. *Pariformiter describentur mansiones Canonicorum, ubicumque exstiterint.*

§. IX. *De Bonis stabilibus.*

Denique ad descriptionem rerum stabilium deveniendo, imprimis scribentur omnes aedes aut tabernae in Civitate, Pagis aut Castellis ad Ecclesiam spectantes, una cum annuis locationis mercedibus, notando etiam illarum situm et confinia. c

§. X. *De descriptione praediorum in territoriis.*

Postea omnes fundi et praedia ab ipsis Parochis, Vicariis aut Beneficiatis actu possessa vel in usumfructum elocata, cum suis pertinentiis, nominibus, confiniis et mensuris, describentur sequenti modo.

Praedium unum aut vinea una sita in territorio N. loco N. confinans ex uno latere cum bonis N. *et sic de reliquis.* Fructificat coros aut modios decem, *aut quaecumque alia mensura fuerit.*

Si autem certa non habeatur mensura, dici poterit: modios circiter tres. Dico: modios 3

Quod Praedium singulis annis Domino suo reddit frumenti modios viginti, *aut quantumcumque erit:* fabarum modios sex: *et sic de omni alio leguminum genere.* Qui, pecunia aestimati, valent communiter florenos . . . .

Musti cados duos, *aut quotquot erunt:* vendibiles pretio florenorum . . . . d

Si fundus ad tempus elocatus fuerit, subjungetur:

Fundus iste usque ad tertiam generationem vel ad dies vitae *aut alium annorum numerum* locatus fuit N. et annuatim reddit florenos . . . .

Frumenti modios etc. *uti supra* . . . aequivalentes communiter pretio florenorum decem. Dico: florenorum 10

Prout constat ex Instrumento authentico N. sub die . . . Anni . . . .

(Notandum, quod Ducatus sit moneta Italica argentea, uni et medio floreno Germanico ferme aequivalens; ut vero usitatiori apud nos Germanos et verbo et computandi more uteremur, loco Ducatorum ponere voluimus florenos.)

§. XI. *De Bonis Emphyteuticis.*

Bona Emphyteutica, ex quibus in recognitionem directi Dominii certus penditur census, eo quo in Urbariis notata sunt modo, describentur, vel etiam sic:

N N., oriundus aut habitans in loco N., habet et possidet usque ad tertiam generationem, *aut* ad dies vitae suae etc. *vel alio modo* unam domum, aut fundum situm in etc. . . . . confinem etc. . . . ., ex quo in recognitionem directi Dominii reddit dictae Ecclesiae pro annuo Canone florenos decem. Dico . 10 *(vel alia pecuniae summa, prouti reapse solvitur).*

§. XII. *De censibus perpetuis aut redimibilibus.*

Et si habuerit census, descriptio fiet in hunc modum: Dicta Ecclesia habet censum perpetuum florenorum . . . super *talem* fundum, aut domum; refert singulis annis florenos decem. Dico: florenos 10, *aut aliam quamcumque quantitatem,* uti constat ex instrumento N. die . . . Mensis . . . Anni . . .

§. XIII. *De animalibus in societate, quorum, utpote ad Ecclesiae dotem pertinentium, numerus non potest imminui.*

Si Ecclesia in suis aut alienis praediis gregem animalium cum altero in contractu societatis habuerit, scribatur: Dicta Ecclesia et suus Rector habet oves 100, *aut quotquot erunt:* in societate cum N. oves 100.

Porcos num. centum, *aut quotquot erunt.* Porcos 100.

Et sic de reliquis animalibus, subjungendo: Ex quibus, deductis expensis, annuatim in lucro ponuntur floreni. . . .

§. XIV. *De Decimis.*

Insuper distincte describentur omnes possessiones et fundi, ex quibus propriae Ecclesiae decimae persolvi debent, notando etiam singillatim quantitatem decimarum: an nempe integrae aut medietas illarum aliave portio ad Ecclesiam spectent.

Scribantur etiam nomina illorum, qui ex talibus agris decimas aut aequivalens pretium persolvunt, sequenti modo:

Praefata Ecclesia singulis annis percipit ex decimis modios tritici tres, *aut quotquot erunt.* Dico 3. *Et sic de reliquis frugibus aut leguminibus: aut in pecunia* florenos. . . *Si autem ab aliis usurpatae fuerint decimae, aut etiam ex primitiis secundum loci consuetudinem praestari debuerint, utrumque in Inventario notabitur,* quales decimae ex consuetudine loci *tali modo* persolvuntur.

§. XV. *De Summa omnium fructuum et redituum.*

Postremo computabitur Summa omnium fructuum, dicendo: Praefata Ecclesia annuos reditus habet:

Ex bonis stabilibus florenos	20
Ex fundis locatis pro frumento pecuniis aestimato .	30
Ex censibus	25
Ex decimis	40
Summa Summarum	115

vel quanta est. Dico: florenos . . . .

§. XVI. *De Congrua Vicariorum.*

Idem observabunt omnes Vicarii perpetui quoad fundos, aedes aut cujuscumque generis fructus, ipsis pro sua portione assignatos, allegando obligationis instrumentum publicum aut litteras Apostolicas desuper expeditas die . . . . Mens. . . . Anno . . . . ut sequitur.

Vicarius perpetuus dictae Ecclesiae pro sua portione congrua, ipsi ex fructibus *talis* fundi, *aut talis* domus, sitae etc. confinis etc. *(uti supra)* assignata percipit frumentum, legumina, vinum, aut pecunias etc., *a tali persona* et *tali tempore persolvendas.*

§. XVII. *De Salariis Capellanorum amovibilium.*

Capellani amovibiles suum Salarium sequenti modo annotabunt: Dicta Ecclesia aut ipsius Parochus pro annuo salario praebet suo Capellano triticum, legumina, vinum, oleum, pecunias etc., prout constat ex instrumento N. die . . . . Mens. . . Anno . . . aut ex simplici promissione N. N. Parochi aut aliorum Ministrorum Ecclesiarum; *singularum etiam rerum quantitates describentur.*

§. XVIII. *De Collectis et Contributionibus.*

Ubi decimae et alii reditus Parochi aut Vicarii amovibilis congruae sustentationi non sufficerent, fiet descriptio illarum rerum, quas Parochiani per modum collectarum contribuere solent, dicendo:

Praedicta Ecclesia pro sustentatione sui Curati quotannis percipit ex collectis seu largitionibus suorum Parochianorum florenos 50, *aut quotquot erunt.* Dico: florenos ... *aut certam quantitatem frumenti, aut cujuscumque alterius rei:* prout constat ex instrumento N. *aut in hujus defectu* ex consuetudine. a

§. XIX. *De Legatis Piis.*

Habeatur etiam Catalogus omnium Piorum Legatorum et his annexarum obligationum, scribendus in hunc modum:

Dicta Ecclesia inter annuos reditus habet florenos 30 vigore testamenti aut Legati facti ab N. eo pacto et onere, ut suus Parochus unam Missam pro ipsius anima debeat celebrare *tali tempore, vel* cum obligatione celebrandi quotannis, mensibus, septimanis, missas privatas num. ... pro quibus assignati sunt floreni ....

§. XX. *De aliis oneribus*

Si pro aliqua Confraternitate, Monte Pietatis aut Hospitali construendum sit Inventarium, et talis locus pius obligationem habeat dotandi puellas aut faciendi eleemosynam aut alendi et curandi infirmos, quodlibet horum operum, et an vi fundationis aut alicujus Legati praescriptum sit, exprimi debet, ut sequitur. b

Duabus puellis in dotem donat unicuique florenos 30 vi Legati N. N., qui eapropter legavit domum N., valentem tria millia florenorum et fructificantem florenos 70, uti constat ex testamento ... *vel* donatione firmata per instrumentum publicum Notarii N. die ... Mense ... Anno ...

Si ista opera exerceri soleant quidem, sed non ex debito justitiae, dicatur: Iste locus pius singulis annis consuevit *tale* pium opus facere permissu Episcopi, servata forma Constitutionis Clementis VIII. Anni 1604.

§. XXI. *De Pensionibus.*

Si Ecclesia aut ipsius Parochus gravatus esset quadam pensione, dicetur: Praefata Ecclesia habet onus solvendi N. pensionem florenorum ... *tali tempore:* secundum tenorem Literarum Apostolicarum de reservata pensione, expeditarum die ... Mense ... Anno ... c

§. XXII. *De Usurpationibus.*

Si quaedam bona Ecclesiae ab altero occupata et usurpata forent, dicetur: Dicta Ecclesia praetendit, talem fundum, situm et confinem N. et N., propter fines motos aut non positos totum vel quoad partem sibi abstractum et usurpatum fuisse, ita affirmantibus senioribus Parochianis, et nominatim N. et N., *aut ex aliis indiciis et rationibus.*

§. XXIII. *De Alienationibus absque dispensatione factis.*

At si quaedam bona sine dispensatione alienata fuissent, dicetur: Dicta Ecclesia praetendit, se laesam esse ob concessionem talis fundi ad *tot* annos pro censu florenorum ... *aut* propter permutationem factam cum N. etc. absque dispensatione Sedis Apostolicae aut Ordinarii.

§. XXIV. *De Litibus pendentibus.*

Si quaedam lites adhuc penderent, dicetur: Dicta Ecclesia praetendit super *talem* fundum, domum, decimas aut census etc. se jus habere ex rationibus etc. et hac de causa pendet lis in tribunali N. secundum acta Notarii N. d

§. XXV. *De Subscriptione Notarii.*

Postquam Inventarium a Notario confectum fuerit, idem subscriptione sua authenticum efficere debebit, scribendo: Ita est etc. et in fidem etc. *aut alia consimili formula* etc. Ego N. Notarius etc. rogatus signavi et subscripsi.

§. XXVI. *De Subscriptione Rectoris aut Parochi.*

Ego N. Rector dictae Ecclesiae S. N. conscripsi supradictum Inventarium omnium rerum ac bonorum actualiter a me possessorum: in quorum fidem propria manu subscripsi: hoc die ... Mense ... Anno ... Et ita juro etc.

In hunc modum etiam Canonici et Beneficiati suis Inventariis subscribent.

§. XXVII. *De Senioribus et informatis, Electis et Syndicis.*

Ego N., Senior *aut* Electus *aut* Syndicus N., praesens adfui, dum hoc compilabatur Inventarium rerum et bonorum supradictorum, de quibus notitiam habeo *(et si illis constabit dicta bona ab Ecclesia actu possideri, addent)* et scio, Ecclesiam actu frui et possidere etc.

In quorum fidem subscripsi propria manu et juro etc.

Si tantum Parochiani essent, non vero Seniores neque Electus aut Syndicus, dicent.

Ego N. Parochianus: *reliqua ut supra.*

§. XXVIII. *De illis, qui alterius nomine subscribent.*

Ego N. ex commissione N., qui se praesentem fuisse supradicto inventario rerum et bonorum inibi specificatorum horumque plenam habuisse notitiam jurejurando affirmavit, cum literas formare nesciat, nomine et in praesentia illius subscripsi propria manu et juro etc.

XI. Catalogus Scripturarum, in Archiviis Curiarum Episcopalium conservandarum.

Cit. Tit. XII. Cap. III. pag. 362. d.

§. I. *De Scripturis ad personas Ecclesiasticas spectantibus.*

1. Omnes scripturae vel acta de Canonizationibus Servorum Dei, tam Ecclesiasticorum quam Saecularium.
2. Scripturae Ordinationum aut Collationum Ordinum, tam Majorum quam Minorum, cuicumque personae factarum.
3. Scripturae Collationum vel institutionum Beneficiorum, concursuum habitorum, resignationum aut permutationum omnesque aliae Scripturae ad beneficia spectantes.
4. Scripturae Professionis Sanctae Fidei a Beneficiatis aut aliis factae.
5. Instrumenta omnia possessionum Beneficiatis cujuscumque ordinis aut gradus et in quocumque loco datarum.
6. Catalogus approbatorum Curatorum et Confessariorum.
7. Licentiarum Parochis, Canonicis, Presbyteris aut Clericis pro abitu ex Dioecesi concessarum cum Literis testimonialibus.
8. Dimissoriarum aut Literarum recommendatitiarum.
9. Licentiarum pro colloquio aut ingressu [in] Monasterium Monialium concessarum.
10. Omnes scripturae exploratoriae voluntatis Novitiarum, Instrumenta circa dotes Monialium et licentias emittendi professionem datas et reliqua ad Moniales pertinentia.
11. Omnia Decreta et interpositae auctoritates pro renunciationibus Novitiorum et Novitiarum[1].
12. Omnia Praecepta et Decreta qualiscumque materiae ad personas Ecclesiasticas aut Saeculares in causis spiritualibus vel alio modo ad forum Ecclesiasticum spectantibus.

§. II. *De Scripturis loca Sacra aut Ecclesiastica concernentibus.*

1. Omnia Statuta, Regulae, Ordinationes cujuscumque Ecclesiae, Capituli et Collegii in Civitate et tota Dioecesi.
2. Acta et Scripturae concernentes fundationem Ecclesiarum, Altarium, Locorum piorum cum fundationum instrumentis.
3. Omnes Scripturae et Instrumenta Consecrationum Ecclesiarum, Altarium et Coemeteriorum necnon Benedictionum Campanarum, in particulari Tomo conscribenda.
4. Acta Visitationum Ecclesiarum, Monasteriorum aut aliorum Locorum Piorum, una cum Decretis occasione talium Visitationum emanatis.
5. Omnes Relationes et Scripturae ad Visitationem Sacrorum Liminum pertinentes.

§. III. *De Scripturis ad res Sacras et Ecclesiasticas pertinentibus.*

1. Omnes Scripturae, erectiones Fontium Baptismalium aut fundationes, uniones et suppressiones Parochiarum, Beneficiorum et Capellaniarum concernentes.
2. Scripturae ad Sacra Seminaria spectantes.

---

[1] * In simili catalogo, quem appendix ad Conc. Benevent. a. 1693. exhibet, hic additur: n. 12. *Decreta, quae in causis alienationis bonorum ecclesiasticorum interponuntur.*

3. Acta omnium Synodorum tam Dioecesanarum quam Provincialium.
4. Scripturae denunciationes Matrimoniales et probationes status libertatis concernentes.
5. Scripturae divortia et alias causas Matrimoniales concernentes.
6. Scripturae continentes executionem Dispensationum Matrimonialium et aliarum Literarum Apostolicarum.
7. Codices Bullarum ordinariarum aut etiam Apostolicarum ad Curias Episcopales directarum.
8. Decreta interposita in Causis alienationum bonorum Ecclesiasticorum cum auctoritate Apostolica aut Ordinaria.
9. Omnia Acta et Scripturae ad materias S. Officii spectantia, quae in separato et clauso scrinio conservanda sunt [1].

§. IV. *De aliis Scripturis in Causis Civilibus et criminalibus.*

1. Omnes literae monitoriales *ad finem revelationis.*
2. Omnia Inventaria bonorum stabilium, mobilium etc. omnium Ecclesiarum et Locorum Piorum Civitatis et totius Dioecesis.
3. Omnia mandata Procuratoria negotiorum Mensae Episcopalis et Instrumenta ad dotem et bona dictae Mensae spectantia.
4. Omnes Scripturae Emphyteuseon, Locationum aut conductionum bonorum Mensae Episcopalis.
5. Uti etiam aliorum Beneficiorum, Ecclesiarum et Locorum Piorum.
6. Omnia edicta de qualicumque materia cum illorum indice.
7. Omnes Processus et acta Civilia, Criminalia et Mixta Fori Episcopalis.
8. Elenchus sententiarum in supradictis causis et transactionibus Reorum et Inquisitorum in Curia Episcopali.
9. Elenchus Mulctarum et poenarum.
10. Elenchus Supplicationum et Absolutionum quorumcumque Inquisitorum.

XII. Instructio S. Congregationis Concilii pro Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus et Patriarchis super modo conficiendi Relationes statuum suarum Ecclesiarum, quas occasione Visitationis Sacrorum Liminum eidem Sacrae Congregationi exhibere tenentur.

Cit. Tit. XIII. Cap. I. pag. 364. c.

Summus Pontifex Sixtus Papa Quintus, qui tempora statuit, quibus singuli Episcopi, Archiepiscopi, Primates et Patriarchae per seipsos vel per eorum certum Nuntium visitare tenentur Limina Beatissimorum Apostolorum Petri et Pauli, antiquissimae observantiae inhaerendo, nedum voluit, ut ultra Sacrorum Liminum visitationem Romano pro tempore Pontifici de toto eorum Pastorali Officio et de rebus omnibus ad ipsarum, quibus praesunt, Ecclesiarum statum, ad Cleri et Populi disciplinam, animarum denique, quae illorum fidei creditae sunt, salutem quovis modo pertinentibus rationem redderent, uti fusius habetur in praedicti Pontificis Constitutione, quae incipit *Romanus Pontifex,* sed in alia etiam Constitutione, quae incipit *Immensa aeterni Dei,* Sacrae Congregationi praepositae Interpretationi Sacrosancti Concilii Tridentini curam demandavit, praedictam rationem, quae dicitur *Relatio status Ecclesiae,* perpendendi et examinandi ac postulatis, in eadem proponendis, respondendi.

Sixtinae hae Constitutiones suo non caruerunt effectu tum quoad Sacrorum Liminum visitationem tum quoad Relationem statuum Ecclesiarum; sed cum nulla unquam edita fuerit instructio pro dictis Relationibus exarandis, factum hinc est, ut aliquae ex eis aliquando fuerint exhibitae abundantes in superfluis et aliquae aliquando deficientes in necessariis: cumque ad haec avertenda in Synodo Romana, hoc anno 1725. a Sanctissimo Domino Nostro Benedicto Papa XIII. habita in Basilica Lateranensi, praescriptum sit, ut Instructio hactenus omissa a Sacra Concilii Congregatione ederetur: haec idcirco Instructio publici juris fit, ut in Relationibus statuum suarum Ecclesiarum, ad eandem Sac. Congregationem in posterum transmittendis, curent Episcopi, Archiepiscopi, Primates et Patriarchae ipsi se confor-

[1] * Quae sub n. 8. et 9. scribuntur, in catalogo Append. Conc. Beneventani desunt.

a maro et suas Relationes ad quaedam distincta Capita reducere, quorum Primum ad statum Ecclesiae materialem, Secundum ad Personam ipsius Referentis, Tertium ad Clerum Saecularem, Quartum ad Clerum Regularem, Quintum ad Moniales, Sextum ad Seminarium, Septimum ad Ecclesias, Confraternitates et Loca pia, Octavum ad Populum et Ultimum denique referatur ad Postulata, quae ab ipso Referente Sacrae Congregationi proponuntur.

§. I. *De Primo Relationis Capite, pertinente ad statum Ecclesiae materialem.*

In hoc primo Relationis Capite sequentia erunt exponenda:
I. Institutio.
II. Confinia.
III. Privilegia et praerogativae Episcopatus, Archiepiscopatus aut Patriarchatus.
IV. Numerus Civitatum, Oppidorum aut Locorum, qui Episcopatui, Archiepiscopatui aut Patriarchatui subjecti sunt.
V. Status Cathedralis, Metropolitanae aut Patriarchalis Ecclesiae una cum numero Canonicorum et aliorum servitio Chori addictorum, et an erectae fuerint Praebendae Poenitentiaria et Theologalis. b
VI. Status Ecclesiarum Collegiatarum una cum numero pariter Canonicorum et ceterorum, qui Choris earum intersunt, et an in Collegiatis erecta sit Praebenda Theologalis.
VII. Status et numerus Ecclesiarum Parochialium necnon aliarum Ecclesiarum et Oratoriorum in Episcopatu, Archiepiscopatu aut Patriarchatu existentium, referendo signanter, an Cathedralis, Metropolitana aut Patriarchalis et Collegiatae, Oratoria, necnon Parochiales ceteraeque Ecclesiae sint sacris supellectilibus sufficienter instructae, et quaenam ex eis habeant redditus pro fabrica assignatos.
VIII. Numerus Monasteriorum tam Virorum quam Mulierum, exprimendo, an aliqua ex Monasteriis Virorum sint subjecta suae jurisdictioni; et an et quae Mulierum Monasteria sibi subjecta sint vel Praelatis Regularibus.
IX. An adsit in Dioecesi Seminarium Clericorum, quot Clerici in eodem alantur, an fuerit statuta taxa et in qua quantitate, et an aliqua Beneficia fuerint eidem unita, et in universum, quinam et quot sint redditus praedicti Seminarii. c
X. Numerus Hospitalium, Collegiorum, Confraternitatum et aliorum Locorum piorum, quae sunt in Episcopatu, Archiepiscopatu aut Patriarchatu, et quinam sint eorum redditus.
XI. An adsint Montes pietatis, et quot sint, una cum aliis consimilibus, ad statum materialem Ecclesiae spectantibus; cum advertentia tamen, ut plena status materialis Relatio in prima Relatione tantum, quae fit ab Episcopo, Archiepiscopo aut Patriarcha exhibeatur; in subsequentibus etenim Relationibus satis erit, quod ipsi se referant ad primam, nisi aliquid novi, pertinens ad dictum statum materialem, contigisset, quod Referens notificandum Sacrae Congregationi existimaret.

§. II. *De Secundo Relationis Capite, pertinente ad ipsum Episcopum, Archiepiscopum, Primatem et Patriarcham.*

In hoc Capite exponi debebit:
I. An residentiae praeceptum, a Sacris Canonibus, Concilio Tridentino et Constitutione Urbana praescriptum, adimpleverit, et an aliquo et quo tempore abfuerit, et an ultra menses Conciliares, et an cum vel sine Sedis Apostolicae licentia. d
II. An et quoties Dioecesis sibi commissae visitationem expleverit.
III. An per se vel per alium Episcopum sacras Ordinationes expleverit et Sacramentum Confirmationis administraverit.
IV. An et quoties Synodum Dioecesanam coegerit; et si Episcopus nulli Archiepiscopo subjectus sit, an ad Synodum Provincialem ejus Archiepiscopi, quem ad tramites Tridentini eligere tenetur, ut ejus Synodo Provinciali intersit, accesserit; et si sit Archiepiscopus, an Synodum Provincialem habuerit, et quinam Suffraganei eidem interfuerint.
V. An verbum Dei per seipsum praedicaverit, et an, legitimo concurrente impedimento, viros idoneos assumpserit ad hujusmodi praedicationis officium salubriter exequendum.
VI. An habeat Depositarium poenarum et mulctarum pecuniariarum, et an eaedem fuerint piis usibus applicatae.
VII. Quaenam Taxa, et an Innocentiana in sua Cancellaria observetur.

VIII. An aliquid habeat, quod sibi obstet circa exercitium a
Episcopalis officii, Jurisdictionis Ecclesiasticae, necnon tuendae libertatis et immunitatis Ecclesiarum.

IX. An aliquod pium opus peregerit pro Ecclesia, pro Populo aut pro Clero.

§. III. *De Tertio Capite, ad Clerum Saecularem pertinente.*

In hoc Capite exponendum erit:

I. An Canonici ceterique Choro addicti Cathedralis, Metropolitanae aut Patriarchalis Ecclesiae necnon Collegiatarum Choro jugiter intersint.

II. An ultra Matutinum, Laudes ceterasque alias Horas Canonicas quolibet die celebrent Missam Conventualem.

III. An quolibet die eam applicent pro Benefactoribus.

IV. An suas habeant Constitutiones et eas punctualiter observent.

V. An, qui obtinent Praebendam Poenitentiariam aut Theologalem, adimpleant, quae adimplenda sunt, et quomodo.

VI. An Parochi in suis Parochiis resideant.

VII. An librum Matrimonii et Baptizatorum aliosque libros, quos ad normam Ritualis Romani retinere debent, retineant.

VIII. An aliqui ipsorum indigeant aliorum Sacerdotum opera, ut Sacramenta Populo administrent.

IX. An iidem per se vel per alios idoneos, si legitime im- b
pediti fuerint, diebus saltem Dominicis et Festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo, quae scire omnibus necessarium est ad salutem, juxta monitum Tridentini et praecitati Concilii Romani.

X. An saltem Dominicis et aliis festis diebus in suis Parochiis Fidei rudimenta et obedientiam erga Deum et Parentes pueros ceterosque hoc adjutorio indigentes doceant; et an et qui eis operam praestent in hoc opere adimplendo, et an fructuose hoc opus adeo necessarium in singulis Parochiis proficiat.

XI. An singuli Parochi ceterique curam animarum exercentes singulis Dominicis Festisque de praecepto Missam applicent pro Populo eorum curae commisso.

XII. An et quae praemittantur, antequam quis ad Primam Tonsuram et Minores Ordines admittatur, et an sacris Ordinibus c
initiandi ante cujuscumque Ordinis sacri receptionem piis meditationibus, vulgo spiritualibus exercitiis, vacent per aliquot dies in aliqua Domo Religiosa.

XIII. An omnes praedicti vestes jugiter deferant Clericales, et an quoad fori privilegium serventur disposita a Sacrosancta Synodo Tridentina Sess. 23. Cap. 6. de Reform. et a Constitutione SS. D. N. Benedicti PP. XIII., in eodem Concilio Romano emanata.

XIV. An habeantur Conferentiae Theologiae Moralis seu Casuum conscientiae et etiam Sacrorum Rituum, et quot vicibus habeantur, et qui illis intersint, et quinam profectus ex illis habeatur.

XV. Quinam sint mores Cleri saecularis, et an aliquod in eo adsit scandalum, quod remedio indigeat potentiori.

§. IV. *De Quarto Capite, ad Clerum Regularem pertinente.*

In hoc Capite exponendum erit:

I. An Regulares, curam animarum exercentes, qui Episco- d
pali jurisdictioni, visitationi et correctioni subsunt in iis, quae ad curam pertinent et administrationem Sacramentorum, munus sibi commissum fideliter adimpleant juxta ea, quae in praecedenti capite dicta sunt de Parochis saecularibus.

II. An aliquis Regularis extra Monasterium degat: an aliqui adsint in Dioecesi, a suis Superioribus, servatis servandis, ejecti, vel aliquis fuerit Regularis intra Claustra Monasterii degens, sed qui extra ea ita notorie deliquerit, ut Populo scandalo fuerit, et quomodo in hisce casibus in sic delinquentes animadverterit.

III. An sua jurisdictione delegata usus sit in explenda Visitatione Conventuum et Granciarum Monasteriorum, in quibus Religiosi non aluntur in numero a Sacris Constitutionibus praefixo; et quinam sint Religiosorum mores, in dictis Conventibus et Granciis degentium.

IV. Denique, an aliquod habeat cum Regularibus offendiculum in exercitio jurisdictionis delegatae in illis casibus, in quibus eadem ipsi tributa est a Sacro Concilio Tridentino vel a Summorum Pontificum Constitutionibus et signanter a Bulla Clementis Papae X., quae incipit *Superna.*

§. V. *De Quinto Relationis Capite, ad Moniales pertinente.*

In hoc Capite exponendum erit:

I. An Moniales Episcopo subjectae suas servent Constitutiones.

II. An Clausura in earum Monasteriis inviolate custodiatur.

III. An aliqui abusus in iisdem Monasteriis irrepserint, qui consilio aut auxilio Sacrae Congregationis indigeant.

IV. An praeter ordinarium Confessorem alius extraordinarius ab ipso bis aut ter in anno fuerit oblatus.

V. An dictorum Monasteriorum redditus fideliter administrentur, et Monialium Dotes fuerint persolutae, et quomodo erogatae.

VI. An in Monasteriis Monialium, quae sunt Praelatis Regularibus subjecta, curaverit, ut Clausura dictarum Sanctimonialium fuerit exacte observata; et an contra inobedientes et contradictores per censuras Ecclesiasticas et alia juris remedia processerit.

VII. An harum Monialium Confessarii Regulares, sive ordinarii sive extraordinarii, fuerint ab ipso approbati, antequam earum confessiones exceperint.

VIII. An, adhibitis Superioribus Regularibus, singulis annis exegerit rationem administrationis ab his, qui administrarunt bona pertinentia ad haec Monialium Monasteria, Regularibus subjecta: et an fideliter eorum redditus administrentur, et alia fuerint adimpleta, quae praescribuntur in Bulla Gregorii XV., quae incipit *Inscrutabili.*

§. VI. *De Sexto Relationis Capite, pertinente ad Seminarium.*

In hoc Capite exponendum erit:

I. Quot sint in Seminario Alumni.

II. An in Ecclesiastica disciplina recte instituantur.

III. Quibusnam studiis vacent et quo profectu.

IV. An Cathedrali et aliis locis Ecclesiae diebus Festis inserviant.

V. An cum consilio duorum Canonicorum seniorum, a se electorum, necessaria pro recto regimine statuerit.

VI. An illud aliquando visitet et operam det, ut Constitutiones adimpleantur.

VII. An statuta sit Taxa ad tramites Concilii Tridentini, eademque exigatur; et an aliqui sint morosi in ejus solutione.

§. VII. *De Septimo Capite, ad Ecclesias, Confraternitates et Loca pia pertinente.*

In hoc Capite exponendum erit:

I. An in Sacristiis omnium et singularum Ecclesiarum exposita sit Tabella onerum Missarum et Anniversariorum ad tramites Decretorum sanct. mem. Urbani VIII., et an eis punctualiter satisfactum sit.

II. An in Confraternitatibus, Scholis aliisque Locis piis punctualiter executioni mandentur pia opera a Testatoribus injuncta.

III. An quolibet anno sibi fecerit reddi rationes ab horum locorum Administratoribus.

IV. An Montem Pietatis sive Charitatis visitaverit; et an idem habeat redditus, qui superabundent sustentationi Ministrorum aliisque necessariis expensis, et in quas causas redditus illi erogentur, et si quid exigatur ab illis, qui pecuniam, frumentum, si agatur de Monte frumentario, ab eo recipiunt.

V. An Infirmorum Hospitalia visitaverit, reddituum rationes ab Administratoribus exegerit, et an Infirmis necessaria quoad salutem animae et corporis in eis subministrentur.

§. VIII. *De Octavo Relationis Capite, ad Populum pertinente.*

In hoc Capite exponendum erit:

I. Quinam sint Populi mores, et an in pietate proficiat.

II. An aliquis irrepserit abusus aut prava quaedam in eodem inoluerit consuetudo, quae consilio indigeat et Sedis Apostolicae adjutorio.

§. IX. *De Ultimo Capite, ad Postulata pertinente.*

Ultimo loco Episcopi, Archiepiscopi, Primates et Patriarchae, qui suarum Ecclesiarum Relationes ad Sacram transmittunt Con-

gregationem, si quae habent Postulata proponenda pro suarum regimine Ecclesiarum, proponere poterunt cum clara facti et omnium circumstantiarum expressione; et quatenus Postulata spectent ad negotia forensia, exponant, an ea sint in aliis Tribunalibus introducta, an adsint super iisdem aliorum Tribunalium sententiae, ut, omnibus mature pensatis, possit Sacra Congregatio congruum suppeditare praedictis Postulatis responsum.

Et haec sunt, quae opportuna visa fuerunt, ut in hac Instructione inserantur. Quodsi aliqua fuerint, quae Episcopi, Archiepiscopi, Primates et Patriarchae pro suarum indigentia Ecclesiarum atque Dioecesum addenda existimaverint, sciant, sibi liberum esse addere, quae ipsis addenda videbuntur, et ad notitiam Sacrae Congregationis deferre, quae ex charitatis et justitiae norma per se expediet, quae poterit, et majora ad Summum Pontificem deferet, qui Fratribus suis Episcopis, quantum cum Domino licet, gratificari semper exoptabit.

C. Card. Origus Praefectus.

Loco † sigilli. *P. Archiep. Theodos. Secret.*

XIII. Decreta S. Congregationis Episcoporum, de mandato Clementis Papae VIII. lata Anno 1600. Circa Appellationes et Inhibitiones.

Cit. Tit. XIV. Cap. I. pag. 353. d.

Ad tollendas ambiguitates et controversias jurisdictionales, quae inter appellationum et prioris instantiae Judices non sine Partium dispendio cursusque justitiae impedimento et saepe cum scandalo oriuntur, Sacra Congregatio Causis Episcoporum praeposita, facta prius relatione SS. D. N. Clementi Papae VIII., ac de Sanctitatis Suae mandato, vivae vocis oraculo desuper habito, in hunc, qui sequitur, modum ab omnibus, ad quos spectat, in posterum fieri ac servari debere mandavit et mandat.

I. Metropolitani, Archiepiscopi, Primates aut Patriarchae in Suffraganeos eorumve Subditos non judicent nisi in casibus a jure expressis.

II. Item nec alii Superiores, etiam Nuntii vel Legati de latere, specificam facultatem majorem non habentes, Causas in Curiis Ordinariorum vel aliorum inferiorum Judicum pendentes ad se advocent, nisi per viam legitimae appellationis ad ipsorum Tribunalia deferantur; tuncque Appellantes ab inferiorum jurisdictionibus quoad alias Causas eximere non possint.

III. Appellationes nunquam recipiantur, nisi per publica documenta, quae realiter exhibeantur, prius constiterit, appellationem a sententia definitiva vel habente vim definitivae aut a gravamine, quod per definitivam sententiam reparari non possit, in casibus a jure non prohibitis per legitimam personam et intra debita tempora fuisse interpositam ac prosequutam.

IV. Nec, dum causa coram inferioribus Judicibus pendet, ante definitivam sententiam vel vim definitivae habentem de gravamine illato Superiores cognoscere valeant, licet citra praejudicium cursus Causarum se id facere contestentur; nec ad hunc effectum liceat eis inhibere aut simpliciter mandare, ut ipsis copia processus transmittatur, etiam expensis Appellantis.

V. Inhibitiones post appellationem, sicut praemittitur, receptam non concedantur, nisi cum inscriptione tenoris sententiae aut decreti definitivi aut vim definitivae habentis vel damnum per definitivam irreparabile continentis; alias inhibitiones et processus et inde sequuta quaecumque, sint ipso jure nulla, eisque impune non parere liceat.

VI. Si Appellans asserat, sententiae aut appellationis exemplum culpa Judicis a quo vel Actuarii habere non posse, non ideo recipienda erit appellatio aut aliqua inhibitio concedenda; sed eis tantum, ad quos pertinet, injungi poterit, ut, soluta condigna mercede Actorum, exemplum authenticum Appellanti intra brevem aliquem competentem terminum tradatur. Caveat tamen Judex a quo, ne, si vere appellatum fuerit in casu appellabili, interim aliquid in praejudicium Appellantis attentet; et si per actum publicum aut per testium depositionem constiterit, Acta denegari Appellanti, tunc mandato tradendi Acta possit Judex appellationis adjicere, ne interim aliquid novi contra Appellantem attentetur.

VII. Ab exequutione Decretorum Sac. Concilii Tridentini aut Visitationis Apostolicae appellationes a Metropolitanis non recipiantur, nec si Episcopi virtute ejusdem Sacri Concilii pro-

a cedunt, uti Sedis Apostolicae Delegati in Causis, quae sub eorum jurisdictione Ordinaria non comprehenduntur; salva tamen in hoc casu Legatorum et Nuntiorum Apostolicorum auctoritate.

VIII. In Causis vero Visitationis Ordinariorum aut correctionis morum quoad effectum devolutivum tantum admittantur, nisi de gravamine per definitivam irreparabili agatur; vel cum Visitator, citata Parte, et adhibita Causae cognitione, judicialiter procedit; tunc enim appellationi locus erit, etiam quoad effectum suspensivum.

IX. Cum a gravamine, quod per definitivam reparari nequit, ut indebitae carcerationis vel torturae aut excommunicationis, etiam comminatae, appellatur: nonnisi visis Actis, ex quibus evidenter appareat de gravamine, appellatio admittatur, aut inhibitio vel provisio aliqua concedatur.

X. Causa appellationis pendente, appellans in eodem, quo reperitur carcere, permanebit, quoad Judex, ad quem appellatum est, visis actis, et Causa cognita, aliter decreverit: et tunc si a Judicis ad quem decreto, vim definitivae habente, fuerit appellatum, nihil mandare aut pro sui decreti exequutione attentare
b poterit, donec per Judicem Superiorem aliud fuerit ordinatum.

XI. Acta originalia processus primae instantiae ad Judicem appellationis Notarius mittere non cogatur, nisi probabilis aliqua falsitatis causa et suspicio incidat, quae judicialiter objiciatur; et tunc, terminata causa, remittenda sunt ad Ordinarium, ut in suo Archivo conserventur.

XII. Censura Ecclesiastica in Appellantem prolata relaxari aut nulla declarari per Judicem appellationis non possit, nisi auditis Partibus, et Causa cognita; tuncque, si constiterit, eam justam esse, ad Judicem, qui excommunicavit, Appellans remittendus est, ut ab ipso juxta Sacros Canones beneficium absolutionis, si humiliter petierit debitamque emendationem praestiterit, obtineat: si vero injustam esse clare apparet, superior absolutionem impendat; si dubitetur, honestius est, ut ad excommunicatorem intra brevem aliquem competentem terminum eidem praefigendum absolvendus remittatur, licet etiam superior hoc casu idipsum per se praestare jure possit.

XIII. Absolutio ad cautelam, nonnisi parte citata, et visis Actis, cum dubitatur de nullitate excommunicationis ab homine
c prolatae, vel a jure, si occurrat dubium facti vel probabile dubium juris, concedenda erit, tuncque ad tempus breve cum reincidentia et praestita per excommunicatum cautione de stando juri et parendo mandatis Ecclesiae tantum: et si juxta formam a jure praescriptam apparebit, [ali]quem ob manifestam offensam excommunicatum fuisse, debitam etiam satisfactionem praestare, et si ob contumaciam manifestam, expensis pariter satisfacere et cavere de judicio, sisti coram excommunicatore is tenebitur, priusquam ad cautelam absolvatur.

XIV. A sententia etiam definitiva, contra verum contumacem prolata, appellatio non recipiatur, nec inhibitio aut alia quaevis provisio, quamdiu Appellans in hujusmodi vera contumacia perstiterit, concedatur. Romae in Sacra Congregatione die 16. Octobris 1600.

Decreta Urbani Papae VIII. Anni 1626. Circa eamdem materiam appellationum et inhibitionum.

d Declaratio Sacrae Congregationis Cardinalium et Praelatorum, a sanct. mem. Urbano VIII. alias deputatae et a Sanctissimo D. N. Innocentio X. renovatae, super appellationibus et inhibitionibus Tribunalis Auditoris Camerae et aliorum Tribunalium Curiae Romanae in praejudicium Nuntiorum, Episcoporum ac Superiorum Regularium, tenoris infrascripti, videlicet: Dubitatum fuit:

Primo, an in Tribunali Auditoris Camerae Romanae possint concedi monitiones seu Monitoria cum absolutione, etiam cum reincidentia vel ad cautelam, excommunicatis per Episcopos et alios Ordinarios ex causa violatae jurisdictionis, immunitatis vel libertatis Ecclesiasticae Appellantibus vel alias recurrentibus ad supradicta Tribunalia.

Secundo, an in Causis, quae agitantur in supradictis Tribunalibus Curiae Romanae, possit recursus haberi ad Sacram Congregationem super Immunitate et controversiis jurisdictionalibus pro resolutione vel declaratione, an sit vel non sit commissa violatio jurisdictionis, immunitatis vel libertatis Ecclesiasticae, et an sit locus reintegrationi hujusmodi violationis, et

interim debeant dicta Tribunalia supersedere usque ad resolutionem seu declarationem ejusdem Sac. Congregationis illamque sequi et exequi.

Die 4. et 11. Augusti 1626., Dubiis supradictis cum interventu omnium Illustrissimorum DD. Cardinalium et Reverendissimorum Praelatorum deputatorum mature discussis, ac rationibus hinc inde deductis diligenter ponderatis, unanimi consensu censuit:

Quoad Primum, Tribunal Auditoris Camerae necnon alia Tribunalia supradicta non posse hujusmodi absolutiones concedere, etiam cum reincidentia vel ad cautelam.

Quo vero ad Secundum, ut supra, recurri posse, et interim supradicta Tribunalia expectare debere resolutionem seu declarationem et illam omnino sequi et exequi.

Quibus quidem decretis eidem Sanctissimo die 5. Septembris ejusdem anni 1626. plene relatis una cum rationibus et auctoritatibus, Sua Sanctitas ea approbavit et confirmavit illaque omnia exequi jussit; et ad hunc effectum notificata fuerunt. Et subinde, cum de supradictis dubiis iterum actum esset in Congregatione habita die 27. Aprilis 1650., nemine dissentiente, resolutum fuit, Auditorem Camerae debere decreta ut supra edita omnino observare ac praecipere, ut a suis Ministris et Officialibus exacte observentur.

Sequuntur additiones seu declarationes Sanctissimi Domini Nostri Benedicti Papae XIII. super quibusdam ex allatis Decretis, quas Sanctitas Sua de consilio et Voto Congregationis particularis, ab ipsamet deputatae super reformatione Tribunalium et Congregationum, servandas in posterum districte mandat et praecipit.

Cit. eod. Tit. XIV. Cap. I. pag. 365. c.

Ad II. Decretum Clementis VIII.

1. Recipi possint, et dumtaxat in Tribunali Auditoris Camerae, constituta Reorum in causis primae instantiae, in quibus de poenis corporalibus agitur, habita ratione ad titulum inquisitionis, non vero in causis censurarum vel simplicis mulctae vel declarationis Irregularitatis sive in aliis causis, in quibus dicta poena corporalis non intrat.

2. Regularium constituta nunquam recipiantur.

3. Hujusmodi constituta fieri tantum possint coram A. C. in criminalibus, non vero coram alio Judice appellationis, neque in Urbe neque extra eam, nec etiam in Sacra Congregatione negotiis Episcoporum et Regularium praeposita.

4. Constitutus Reus coram A. C. debeat statim in Carceribus formalibus Urbis detineri, deinde primum expediantur in ejus Tribunali literae inhibitoriales et compulsoriales (absque eo, quod constitutus juret, se suspectum habere Ordinarium) pro transmissione Actorum coram dicto Ordinario; nec possit Reus habilitari per Urbem et extra Carceres formales, nisi visis et discussis Actis, et quatenus de jure sit locus dictae habilitationi, audita Parte offensa vel ejus Procuratore, si in Curia sit praesens, necnon Fisco R. C. A., et quatenus causa sit cum Procuratore Fiscali Curiae Ecclesiasticae, audito Promotore Fiscali Curiarum Episcopalium in Urbe, atque insuper facto desuper verbo in plena Congregatione Criminali A. C.

5. Si Acta vel non incoepta coram Ordinario vel sufficienter impinguata non fuerint, non communicentur Reo, sed, eo retento in Carceribus formalibus, committatur Ordinario processus informativi compilatio vel respective impinguatio, facienda expensis Partis querelantis vel Fisci Ecclesiastici, si ea non adsit.

6. Actis sufficienter impinguatis, servatis servandis, procedatur ad expeditionem Causae, prout de Jure, audita semper Parte offensa vel ejus Procuratore, necnon Fisco R. C. A. et Curiarum Episcopalium, ut supra, in quolibet actu; districte injungente Sanctitate Sua, ut coram semetipso A. C. tractari et expediri faciat hujusmodi causas juxta meritum justitiae, ne Rei inquisiti forum Ordinarii declinantes in prima instantia, in Urbe quaerant reatuum praesidium.

Ad V. et VI. Decretum.

Cum experientia docuerit, non raro Appellantibus ad Tribunal A. C. Ordinarios denegare copias publicas Sententiarum vel Decretorum et aliquando continuare actus praejudiciales contra Appellantes in odium etiam appellationis interpositae; quapropter, si forma *decreti VI.* indistincte servanda esset, tempore, quo requisitoriae Judicis appellationis expediuntur et ad

a manus Judicis, a quo appellatum fuit, perveniant, praesertim si magna sit locorum distantia, praejudicia contra Appellantes cumularentur: ideo Sanctissimus Dominus Noster declarat et denuo statuit et mandat, in aliquibus casibus et circumstantiis, in quibus arbitrio et prudentia A. C. et Locumtenentium, ad quos appellatio fuit interposita, necesse est opportune et solicite provideri, ut praevia in Actis productione copiae simplicis sententiae seu decreti possint expediri inhibitiones vigore appellationis cum insertione ejusdem simplicis copiae: ita tamen, ut in corpore ejusdem inhibitionis exprimatur, quod, si sententia sive decretum insertum non fuerit latum ante expeditionem literarum inhibitorialium, vel copia non fuerit conformis originali, sententiae sive decreto promulgato, tunc inhibitio nullatenus vim habeat et afficiat, sicuti praesentis decreti tenore nulla et irrita declaratur, ut impune sperni possit ac valeat.

Caveant autem Notarii, ne inhibitiones vigore appellationis concedant, nisi cum copia publica ad formam dictorum Decretorum sub Clemente VIII. et in casibus particularibus cum copia simplici, modo tamen supra expresso, facto de his verbo cum
b Judice, sub poena suspensionis ab officio aliisque corporalibus arbitrio Sanctitatis Suae.

Ad IX. Decretum.

Sanctitas Sua declarat et mandat, in casu praetensae indebitae carcerationis, quatenus sit sequuta cum mandato Judicis verbali, ut possint expediri inhibitiones vigore appellationis, constito tantum de carceratione per publicum documentum Notarii vel Carcerarii sive etiam cum depositione duorum Testium. In Causis vero comminatae injustae carcerationis, torturae vel excommunicationis, Sanctitas Sua declarat et mandat, ut non expediantur inhibitiones generales et indefinitae, sed tantum compulsoriales pro transmissione copiae Actorum ad effectum cognoscendi, an sit deferendum necne appellationi, adjuncta in dictis literis compulsorialibus inhibitione, ut interim Judex a quo ad ulteriora non procedat: et quatenus, visis Actis, resultet evidens gravamen, tunc admittatur appellatio cum inhibitione, et Causa cognoscatur coram Judice ad quem; si vero de hujusmodi gravamine non constet, remittatur Causa ad Judicem a quo, cognoscenda in prima instantia.

c *Ad I. et II. Decretum Urbani VIII.*

Statuit praeterea Sanctitas Sua, quod in Causis violatae Jurisdictionis, Immunitatis et libertatis Ecclesiasticae A. C. vel alia quaelibet Tribunalia Urbis et extra eam nequeant appellationes admittere, inhibitiones relaxare aut absolutionem a censuris, etiam cum reincidentia vel ad cautelam, concedere, sed recursus et appellationes fieri tantum possint ad Sac. Congregationem Immunitatis. Quodsi in aliqua Causa dubitari contingat, an agatur de casu violatae Immunitatis seu Jurisdictionis aut libertatis Ecclesiasticae, supersederi debeat in Causa coram quolibet Judice, donec fuerit resolutum in eadem Sacra Congregatione, an fuerit violata Immunitas, Jurisdictio vel libertas Ecclesiastica, et an sit locus reintegrationi juxta declarationem allatam in supra recensitis Decretis Urbani VIII.

Insuper cum A. C. ex facultatibus sibi concessis sit exequutor omnium literarum Apostolicarum, vel solus, cum alii non sunt deputati Executores, vel quando sunt deputati, cumulative cum ipsis, atque etiam sit exequutor omnium sententiarum tam in Curia quam extra per quosvis Judices prolatarum, ac tandem
d concedere soleat monitoria super exequutione resolutionum Sacrarum Congregationum: Sanctitas Sua decrevit, quod monitoria in Tribunali A. C. super exequutione literarum Apostolicarum non expediantur, nisi exhibito legitimo documento earumdem literarum Apostolicarum. Quoad vero sententias monitoria non concedantur, nisi praevio documento publico Actuarii Causae cum legalitate Ordinarii, et quoad decreta Sac. Congregationum exhibeantur copiae subscriptae a Secretario cum Sigillo Cardinalis Praefecti: nec possint hujusmodi monitoria super exequutione sententiarum vel decretorum aliter expediri, etiam si sententiae et decreta publice typis evulgata fuerint vel in libris impressa referantur; et in dictis monitoriis apponatur clausula: dummodo non vigeat lis adhuc pendens coram Judice competenti super sententia vel Constitutionibus Apostolicis aut decretis Sacrarum Congregationum, de quibus agitur.

Quia vero inoluit abusus, quod citationibus typis impressis in Urbe cum subscriptione alicujus ex Notariis A. C., quae dicuntur Camerales, quaeque introductae sunt ad hoc, ut Partes absentes a Curia citentur, ut compareant coram A. C. seu ejus

Locumtenente in judiciis exequutivis seu obligationibus Cameralibus, in ejus Tribunali promovendis, utantur Curiales et Partes in aliquibus Causis appellationum ab Ordinariis, et etiam audeant iis uti in Causis coram Sacris Congregationibus, adeo ut per intimationem in Partibus hujusmodi citationum cum appositione inhibitionis deterreantur Judices a quibus procedere, et Partes Judicia continuare coram dictis primis Judicibus et Ordinariis desinant, ob reverentiam Tribunalis A. C. et fortius Sacrarum Congregationum et ob timorem incursus attentatorum: ideo Sanctitas Sua mandavit, quod per intimationem dictarum citationum, etsi in iis apponatur clausula inhibitoria, non intelligatur ulla inhibitio facta aut interposita, ita ut sperni impune valeat ac debeat in quibuscumque Causis in Sacris Congregationibus et coram A. C., sed quoad istius Curiam dictae citationes suam vim, prout de jure, habeant, quatenus Causae exequutivae seu obligationes Camerales fuerint, quae in prima instantia coram eo agitari possint, ita quod dictae citationes in aliis Causis nullo modo afficiant neque ad comparendum arctent.

Itidem Sanctissimus Dominus Noster in Causis exemptorum et mercedum et miserabilium personarum servari omnino et districte mandat dispositionem Sac. Concilii Tridentini cap. 14. sess. 7. de reform., privilegiis, exemptionibus et consuetudinibus quibuscumque, etiam post Tridentinum a Sede Apostolica concessis et respective introductis, non obstantibus; quae Conciliaris dispositio est sequens „In Civilibus Causis mercedum et miserabilium personarum Clerici seculares aut Regulares extra Monasterium degentes, quomodolibet exempti, etiamsi certum Judicem a Sede Apostolica deputatum in partibus habeant, in aliis vero, si ipsum Judicem non habuerint, coram locorum Ordinariis, tamquam in hoc ab ipsa Sede delegatis, conveniri et, prout de jure, ad solvendum debitum cogi et compelli possint, privilegiis, exemptionibus, Conservatorum deputationibus et eorum inhibitionibus adversus praemissa nequaquam valituris."

Ad XII. et XIII. Decretum Clementis VIII.

Quoad absolutionem ultimatam a censuris, servetur dispositio supradicti *decreti XII.* Clementis VIII., juxta etiam canonicam sanctionem: quod in casu [quo] constet de justitia censurarum, debeat remitti absolutio danda ad Judicem a quo; si vero constet clare de injustitia, Judex ad quem absolutionem impendat; si vero adsit dubietas, an fuerit justa vel injusta, honestius esset, ut ad excommunicatorem infra aliquem competentem terminum praefigendum absolvendus remittatur, licet etiam Judex ad quem hoc casu idipsum per se praestare jure possit. Verum quoad absolutiones cum reincidentia, quae Partibus concedi solent a Judicibus, ad quos appellatur, ad effectum audiendi, cum inoluerit usus tam in Tribunali A. C. quam forsan etiam in Metropolitanis aliisque Tribunalibus appellationum, quod committantur absolutiones cuicumque Confessario, ita ut Rei absque ulla reverentia proprii Ordinarii pro absolutis se publice habeant: Sanctitas Sua statuit, ut in futurum hujusmodi absolutiones cum reincidentia, tam in Tribunali A. C. quam in Curiis Metropolitanis aliorumque Judicum appellationum, committantur ipsis Ordinariis excommunicantibus cum clausula, ut infra tres dies absolvant censuratos juxta commissionem; quibus elapsis, si requisitus Ordinarius absolvere recusaverit vel neglexerit, absolvantur a Confessario juxta commissionis formam, quae in praesenti servatur in dictis commissionibus absolutionum. Quoad vero censuratos in Urbe commorantes, committi debeat absolutio Cardinali Urbis Vicario seu ejus Vicesgerenti, ac praefata servari etiam mandavit in absolutionibus, quae conceduntur per Congregationes, prout jam religiose in ipsis servatum fuit. Declaravitque rursus Sanctitas Sua, quod hujusmodi commissiones de absolvendo praesentari debeant Cancellario Ordinariorum, a qua praesentatione currere debeant tres dies, post quorum lapsum, et non data absolutione, possint ab aliis absolvi, ut supra, in commissione.

Quoad insuper censuratos mandat Sanctitas Sua, quod, reportata absolutione a censuris cum reincidentia, cedulones, quatenus affixi fuerint, amoveri non debeant, sed tantummodo tegantur et tecti remaneant, durante termino obtentae absolutionis.

Cum in hujusmodi decretis agatur de appellationibus in Causis judicialibus, Sanctitas Sua enixe hortatur omnes Ordinarios, ut, cum ipsi Patrum nomen erga subditos promereantur potius quam Judicum, caveant, ne lites excitent, sed excitatas componere curent, praesertim inter pauperes et miserabiles personas, quas protegere praecipuum munus eorum est. Ideoque

a Sanctitas Sua mandat, quod pauperibus condonentur sportulae et emolumenta quaecumque, etiam Cancellarii, et aliae quaecumque expeditiones gratis dentur, etiam copiae Actorum transmittendorum ad Judices ad quos: et quoad qualitatem paupertatis, haec summarie cognoscatur per testes, gratis etiam examinandos, et de ea stetur arbitrio ipsius Ordinarii et Judicis, serio onerando conscientiam Ordinariorum et Judicum in re tam gravi, de qua specialiter Deo ipsi rationem erunt reddituri, ultra condignas poenas contra inobservantes, relaxandas arbitrio Sanctitatis Suae; quodque decretum servari debeat in quacumque Curia Ordinariorum, Metropolitanorum et quorumcumque Judicum appellationum, etiam Nunciorum Apostolicorum, et in quacumque Causa tam civili quam criminali.

Similiter, ut satis provideatur pauperibus litigantibus, prout summopere Ecclesiasticos Judices decet, Sanctitas Sua mandat, in quibuscumque supradictis Curiis deputari Procuratorem Pauperum et Advocatum, qui iis assistant in quibuscumque Causis Civilibus et Criminalibus, viros pietate et doctrina praestantes, cum assignatione alicujus mercedis, si possibile foret, et de iis electis
b habeatur ratio in provisionibus beneficiorum et in attestationibus faciendis Datariae Apostolicae, ut per Romanos Pontifices in provisionibus haberi valeat respectus ad servitia praestita in tam pio opere.

Itidem Sanctitas Sua quoad Tribunal A. C. mandavit, inviolabiliter servari reformationem Pauli Papae V. in Constitutione incipiente: *Universi agri §. 20.*, videlicet, ut pauperibus dentur gratis extractus, registra, instrumenta, etiam publica, copiae et aliae quaecumque expeditiones et scripturae, tam Civiles quam Criminales, et ostendantur etiam originalia Pauperum Advocato et Procuratori similiter gratis et absque ulla impensa: et si quando contigerit, probandam esse paupertatem, testes similiter gratis et summarie examinentur, et de paupertate stetur arbitrio Judicis; addito per Sanctitatem Suam, quod in casu gravaminis Judicis, quoad paupertatem non admissam, recurri valeat ad Auditorem pro tempore Summi Pontificis, qui debita charitate servari faciat, quod aequum erit; praedictaque omnia mandat Sanctissimus servari in quibuscumque Curiis Urbis inviolabiliter.

c Quia in Causis infra summam scutorum quinquaginta monetae Romanae, in quibus a Judicibus de partibus appellatur ad Urbem, juxta stylum et Apostolicas Ordinationes non debet in Curia procedi in gradu appellationis, sed per viam recursus deputantur Judices in partibus; cum ex penuria temporum videatur gravans appellantibus in Causis etiam ultra dictam summam scutorum 50 Causas prosequi appellationum in Curia: ideo Sanctitas Sua extendit dictam summam scutorum quinquaginta monetae usque ad centum ejusdem monetae Romanae, ita ut, si summa causae non sit ultra quantitatem scutorum centum, ut supra, Causa non dicatur curialis et appellabilis per viam appellationis, sed tantum deputandos esse Judices in partibus, qui procedant per viam recursus, quorum deputatio fieri debeat per Tribunalia Urbis, ad quae pertinet.

Mandat rursus Sanctitas Sua, ut in Causis mercedum miserabilium personarum recursus et appellationes respective non admittantur a quocumque Judice appellationum, nisi in devolutivo pro rata scutorum quinquaginta monetae Romanae, et ultra dictam summam admitti debeant in suspensivo vel devo-
d lutivo, prout juris est, firmis tamen remanentibus Apostolicis ordinationibus, stylis et privilegiis, quae forsan existerent in Tribunalibus Urbis et districtus ejusdem, in quibus nihil innovari intendit.

Demum ad conservandam debitam reverentiam Pontificali dignitati Alexander Papa IV. Decretalem edidit, relatam in cap. *Quia Pontificali* de Offic. et Potest. Judic. deleg. in 6.; ibi: „Quia Pontificali dignitate praeditis ob reverentiam sacri officii plurimum deferri convenit, et eos plus aliis honorari decet, ut, cum a Judicibus vel Conservatoribus, a Sede Apostolica deputatis, contra eos ad coactiones aliquas sive poenas fuerit procedendum, gradus et modestia in hujusmodi processu servetur, ita quod (eis quadam condigna reverentia supportatis) ingressus primo ipsius Ecclesiae vel sacerdotale interdicatur ministerium, ac deinde ab officio suspendantur, et subsequenter aggravetur censura Ecclesiastica contra eos, nisi forte aliter fieri suaserit nimia contumacia, protervitas sive culpa." Hanc itaque Decretalem Sanctitas Sua inviolabiliter servari mandavit in quibuscumque Curiis Judicum appellationum tam A. C. quam Metro-

politanorum et etiam Nunciorum Apostolicorum et aliorum quorumcumque.

F. A. Archiepisc. Episc. Abellinen. et Frequentinus Sacri Concilii Secretarius.

XIV. Chirographus Domini Nostri Benedicti Papae XIII., vi cujus decernitur Promotor Fiscalis Generalis, qui pro Curiis Ecclesiasticis patrocinium causarum criminalium suscipiat, assignato in singulos menses salario viginti quinque scutorum, a Camera Apostolica persolvendorum. 12. Julii 1724.

Cit. Tit. XIV. Cap. II. pag. 366. b.

Versio Latina.

Postquam mature perpendimus atque etiam propria, dum adhuc *in Minoribus* constituti eramus, experientia cognovimus, quam intolerabilis cum Ecclesiasticis tum Regularibus Praelatis oneris existeret necessitas sustinendi et prosequendi in hac Curia Romana lites et Controversias, quae a Reis inquisitis per viam recursus aut appellationis ab illorum Decretis et sententiis isthinc introducuntur: ita quidem, ut plerique illorum ad evitanda haec suis Dioecesibus et pauperibus Dioecesanis ac Religionibus respective damnosa dispendia Causas in secundis et ulterioribus instantiis indefensas derelinquant, ex quo dein sequitur, quod, cum a dictis Curiis necessariae informationes Judicibus non suppeditentur, saepius delinquentibus succedat absolutorias extorquere sententias in publicum justitiae detrimentum necnon scandalum illorum, qui, in Dioecesibus et Religionibus de veritate criminis bene informati, delicta impune transire mirantur, quae malis perseverantiae in malo, bonis autem subversionis causa existit: quam ob rem his tam perniciosis in bonorum morum et disciplinae Ecclesiasticae eversionem, quibus tamen conservandis omnes Superiores omne studium et vigilantiam suam impendere deberent, vergentibus exemplis opportunum poni obicem semper et summopere desiderabamus. Postquam igitur Divinae placuit Providentiae Nos, nullo licet meritorum Nostrorum suffragio, ad supremum Apostolatus apicem elevare, partem Pastoralis solicitudinis Nostrae in illa consistere vigilantia reputantes, ut delinquentium supplicio caeteri emendentur, et vitia, bonorum contages, eradicentur: post maturam deliberationem determinavimus praedictis perniciosis exemplis debitum afferre remedium, liberando Praelatos et Superiores tam Ecclesiasticos quam Regulares a dispendioso onere prosequendi in hac Curia actiones Fiscales in suorum Judicatorum defensionem et providendo iisdem Ministrum capacitate, integritate et experientia praeditum, qui tamquam Promotor Fiscalis Generalis supra dictarum Curiarum rationes in Judicio deducere simulque id omne praestare debeat, quod ad bonam et Canonicam defensionem necessarium et opportunum videbitur. Itaque ad effectum hujus Nostrae determinationis ex motu Nostro proprio, certa scientia et plenitudine potestatis Nostrae absolute creamus, instituimus et stabilimus in perpetuum officium Promotoris Fiscalis Generalis pro praefatis Curiis Ecclesiasticis, quod dehinc administrabit deputanda a Nobis et Successoribus Nostris persona, supradictis ornata qualitatibus, quas tota attentione impendere teneatur nomine et vice praetactarum Curiarum in patrocinium causarum Criminalium, per viam appellationis aut recursus ad Tribunalia aut alias Congregationes competentes hujus Civitatis Nostrae Romae devolutarum et ibi adhuc pendentium aut imposterum devolvendarum. Proinde ut dictus Promotor Fiscalis Generalis omnimoda cum applicatione huic suo muneri vacare possit et debeat, destinamus et assignamus illi pro emolumento et salario menstruo viginti quinque scuta singulis mensibus a Nostra Camera Apostolica persolvenda ex mandato Thesaurarii Nostri Generalis; quo salario ipsum contentum esse nec a Praelatis Saecularibus aut Regularibus aliam quamcumque remunerationem, etiam titulo aut praetextu honorariorum, pro functionibus et laboribus suis praetendere posse volumus, solis literarum hinc inde mittendarum expensis exceptis: quodsi secus fecerit, gravibus atque etiam gravissimis poenis ad Nostrum Nostrorumque Successorum arbitrium obnoxius erit. Porro, cum intentio Nostra eo collimet, ut ad efficacius et validius dictarum causarum patrocinium Promotor Fiscalis Generalis omnibus illis, quibus Procurator Generalis Fisci et Camerae Nostrae Apostolicae fruitur,

a subsidiis necessariis et opportunis adjuvetur: volumus et ordinamus, quod intervenire et assistere debeat Congregationi Criminali Auditoris Generalis ejusdem Nostrae Camerae, in cujus Tribunali similes causae specialiter agitari et judicari solent. Similiter volumus, dicto Promotori Fiscali Processus et omnia acta gratis communicari, sicut etiam citationes gratis expediri, expensas quoque pro describendis exemplis aut scripturis typo edendis necessarias ab Apostolica Camera Nostra suppeditari, eo prorsus modo, quo haec omnia ex parte Fisci a Procuratore Fiscali Generali fieri et observari solent. Ut denique saepe dictus Promotor Fiscalis in qualicumque actu et negotio audiatur, volumus, ipsum in omnibus et singulis hujusmodi causis in judicium citandum, citationesque ab ipso subscribendas esse eo modo et forma, quibus a Procuratore Fiscali subscribuntur, ea prorsus lege, ut, si dictus Promotor non fuerit citatus, neque ulla citatio subscripta, actus ex citationis defectu nullitatis vitio subjaceat. Declaramus autem, quod praesens Noster Motus proprius quoad omnes et singulas dispositiones locum habere debeat in illis tantum causis, in quibus fient instantiae nomine solorum Pro-
b motorum Fiscalium ex praescripto officii sui, nullo modo autem, quando adhaerentes Fisco in judicio stare et pro defendendis Juribus propriis allegare et scribere vellent; in talibus enim casibus dictus Promotor Fiscalis Generalis nullam navare operam, neque Camera Nostra Apostolica ullos facere sumptus, aut alius quicumque qualecumque onus aut incommodum subire tenebitur. Postremo volumus et decernimus, Congregationem Episcoporum et Regularium necnon Auditorem Generalem Nostrae Camerae Apostolicae plenae omnium a Nobis in hoc Motu proprio dispositarum et ordinatarum rerum observantiae invigilare, ac insuper hunc Motum proprium (qui a supradicto Auditore Camerae in Codices actorum referendus et a Notario Congregationis Episcoporum et Regularium in suis libris signandus est) plenum omni tempore effectum, vigorem et executionem sortiri debere, nunquam vero obreptionis vitio aut intentionis Nostrae vel alio quopiam specialem, individuam et expressam mentionem requirente defectu notari et impugnari, neque in contrarium interpretari aut judicari posse, declarantes irritum et inane, si secus a quolibet scienter vel ignoranter attentari contigerit: non
c obstantibus, quatenus ratione omnium et singulorum praemissorum opus sit, quod in praemissis interesse habentes seu habere praetendentes ad ea non fuerint vocati nec auditi, neque Regula Nostrae Cancellariae *de Jure quaesito non tollendo*, aliisque facultatibus et privilegiis praefatis quibuscumque concessis, Bulla reformationis Pauli V. et omnibus quibuscumque aliis Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis Nostrorum Praedecessorum, Legibus Civilibus et Canonicis, Statutis, Reformationibus, Usibus, Stylis, Consuetudinibus caeterisque contrariis quibuscumque, quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene expressis et de verbo ad verbum insertis habentes, ad praemissorum effectum hac vice duntaxat specialiter derogamus, quoniam talis est Nostra certa, expressa et determinata mens atque voluntas. Datum ex Palatio nostro Apostolico in monte Quirinali die 12. Julii 1724.

Benedictus Papa XIII.

XV. Decretum Fel. Rec. Clementis Papae XI. circa
d celebrationem in Oratoriis privatis, emanatum 15. Decembris 1703.

Cit. Tit. XV. Cap. II. pag. 367. a.

Nonnulli Episcopi et complures Regulares sub praetextu privilegiorum ea sibi licere putant, quae prohibita sunt; siquidem Episcopi, etiam in aliena Dioecesi, extra domum propriae habitationis in privatis Laicorum domibus erigi faciunt Altare ibique per unum aut plures e suis Cappellanis vivificam Christi hostiam immolari; Regulares vero in quibusdam Magnatum seu aliarum Nobilium personarum privatis Oratoriis, quae certis quandoque ex causis a Sede Apostolica concedi solent, celebrare audent vel plures Missas, quam in iis sit indultum, vel absque praesentia personarum, quarum contemplatione gratiosa concessio emanavit, vel extra debitas horas et post meridiem, vel illis etiam diebus, quibus per Constitutiones Dioecesanas aut etiam Decreta Sac. Congregationis Concilii celebrari prohibentur, aut quae in ipsis Indultis Apostolicis excipiuntur, quo minus in illis

celebrari possit, aut etiam Altari portatili uti non verentur, in **a** sanctarum sanctionum contemptum ac sancti Sacrificii irreverentiam. Quamobrem ad abusus hujusmodi eliminandos et ad instaurandam venerationem tremendo mysterio debitam Sanctissimus Dominus Noster ex unanimi voto S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, inhaerendo declarationibus alias hac de re editis, expresse declarat: Episcopis et his majoribus Praelatis, etiam Cardinalatus dignitate fulgentibus, neque sub praetextu privilegii clausi in corpore juris neque alio quoque titulo, nullo modo licere, extra domum propriae habitationis in domibus laicis etiam in propria Dioecesi, quod fortius intelligitur in aliena, etiamsi Dioecesani consensus adhiberetur, erigere Altare ibique sacrosanctum Missae sacrificium celebrare sive celebrari facere; ac pari modo in Oratoriis privatis, quae per Sanctam Sedem concessa fuerint, non licere Regularibus cujusvis Ordinis aut Instituti seu Congregationis, etiam Societatis Jesu, aut etiam cujuscumque Ordinis Militaris, etiam S. Joannis Hierosolymitani, aut aliis quibuscumque Sacerdotibus, etiamsi essent Episcopi, in iis celebrare in diebus Paschatis, Pentecostes, Nativitatis Christi Domini aliisque anni festis solemnioribus ac **b** diebus in Indulto exceptis: in reliquis vero diebus, praedictis Regularibus et Sacerdotibus quibuscumque, etiam Episcopis, in praefatis Oratoriis celebrare non licere, ubi etiam unica Missa, quae in Indulto conceditur, fuerit celebrata; super quo celebraturus teneatur diligenter inquirere et de eo se optime informare; atque illa etiam in casibus praemissis[1] celebrari nequeat post meridiem: demandando ulterius et declarando in omnibus hujusmodi casibus, personas quascumque dictas Missas audientes nullatenus praecepto Ecclesiae satisfacere. Quo vero ad Altare portatile, iterum inhaerendo declarationibus supradictis, censuit, licentias seu privilegia, concessa nonnullis Regularibus in Cap. *In his. de priv.*, per aliquos Summos Pontifices aliis Regularibus communicata, utendi dicto Altari portatili in eoque celebrandi absque Ordinariorum licentia in locis, in quibus degunt, omnino revocata esse per idem Concilium (Tridentinum), atque idcirco eosdem Regulares prohibendos, ne illis utantur, ac mandandum, prout praesentis tenore mandat Episcopis aliisque Ordinariis locorum, ut contra quoscumque contravenientes, quamvis Regulares, procedant, etiam tamquam Sedis Apostolicae delegati, ad **c** poenas praescriptas per idem Sac. Concilium in dicto decreto *sess. 22. cap. unico*, usque ad censuras latae sententiae; tributa etiam iisdem facultate per hoc decretum ita procedendi, perinde ac si per Sanctam Sedem specialiter concessa fuisset: et ita Sanctitas Sua declarat et servari mandat etc.

XVI. Constitutio Sanctissimi Domini Nostri Benedicti Papae XIII., qua confirmantur et innovantur litterae, a sanct. mem. Innocentio Papa XIII. editae super Ecclesiastica Disciplina in Regnis Hispaniarum, cum aliis Ordinationibus.

Cit. Tit. XV. Cap. III. pag. 367. b.

Const. 1. *In supremo militantis.* d. 23. Sept. 1724.

XVII. Methodus servanda a Clero super Congregationibus Sacrorum Rituum et[2] Casuum Conscientiae. **d**

Cit. Tit. XV. Cap. IX. p. 371. d.

Versio Latina.

Qui in memoriam revocat, quod Deus per Oseam Sacerdotibus veteris Testamenti dixit: *quia tu repulisti scientiam, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi*, facile comprehendet, quanta scientia in Evangelico requiratur sacerdotio, cum veritati denegari nequeat, quod pro umbris et aenigmatibus exigebatur. Sane major jure merito requiritur in illis scientia, qui super Sacra Altaria non jam victimas immundorum animalium, sed immaculatum Agnum Dei offerre et illa ministrare debent Sacramenta, quae ex aperto illius latere ad salutem Universi emanarunt. Ne igitur Sacerdotes et alii quicumque Ministri Altaris[3], tanquam ignorantes, ab exercitiis Sacrosanctorum Mysteriorum nostrorum repelli debeant, frequentabunt Congregationes Casuum et Rituum, toties et praecipue in praesenti Concilio Romano inculcatas[1], quae methodo statim dicenda et observanda instituentur.

1. Una per singulas septimanas vice in locis, ab Episcopis, Romae vero ab Eminentissimo Domino Cardinali Vicario stabiliendis[2], Congregatio aut Casuum aut Rituum alternatim instituetur. Aderit et praesidebit unus Praefectus, ab Episcopis constituendus, sicuti etiam Secretarius cum infra describendo officio ab eisdem designandus erit.

2. Praefectus cujuscumque loci diem et horam praefixas caeteris significabit. Media hora ante conventum Secretarius Congregationis campanam Ecclesiae[3], in qua Congregatio tenebitur, per medium horae quadrantem pulsari faciet.

3. Congregatis in loco destinato omnibus, qui convenire debent, principium conferentiae dabit Praefectus incipiendo Hymnum: *Veni Creator Spiritus*, subjungendo Orationem de Spiritu Sancto, de Beata Virgine etc. necnon illam, *Actiones nostras* etc., quo tempore omnes flexis persistent genibus.

4. Finita Oratione, omnes secundum ordinem et in duas divisi partes considebunt: in medio Praefectus[4] mensulae assidebit, tenens ante se libros, quos necessarios judicabit, una cum clepsydra mensurandi temporis gratia, quo Congregatio durare et ad minimum horam integram explere debebit.

5. Ex uno mensulae latere sedebit Secretarius, penes se habens Catalogum omnium illorum Ecclesiasticorum, qui convenire tenentur, cum charta, calamo, atramentario et magno volumine, a Procuratoribus Capitulorum, Collegiorum et Clericorum obligatorum subministrandis[5]: in hoc volumine annotabuntur Casus discutiendi cum illorum decisionibus in qualibet conferentia, sicut infra explicatius dicetur, ubi de officio Secretarii sermo erit.

6. Considentibus omnibus, Praefectus per quadrantem horae leget et explicabit unum caput alicujus Concilii Provincialis aut Dioecesani, ad propriam Dioecesin attinentis, ut cuilibet hoc pacto in memoriam reducantur et inculcentur leges, quas aut ipse observare aut, ut ab aliis observentur, conari[6] debet.

7. Terminata hac lectione et explicatione, fiet transitus ad discussionem unius solius Casus, sive ritualis sive moralis[7], prout supra *num. 1.* dictum fuit: de quo ad minimum duo discursum miscebunt, quorum nomina sortito exiverint ex urna, in quam et reliquorum omnium ad Congregationem obligatorum nomina totidem schedulis inscripta conjicientur, ut omnes praeparati accedere debeant: huic discursui alter horae quadrans aut parum amplius, prout expedire visum fuerit, impendetur, ita tamen, ut talis discussio sine verborum strepitu brevi et solida doctrina absolvatur.

8. In fine discussionis Praefectus aut alius quidam (juxta aliam meliorem regulam, ex praesentibus, qui ex alia urna sorte extractus et quindecim diebus de hoc praemonitus fuerit)[8] casus propositi conclusionem ex solidioribus et verioribus doctrinae fundamentis statuet: atque, ut omnes rite se praeparare possint[9], injungendum est illis, ut de quodam Auctore Classico sibi prospiciant, qui de Theologia Practica et Casibus moralibus tractet: pro materia Sacrorum Rituum Commentarios *Sarnelli*, jussu Sanctissimi Domini Nostri reimpressos, item *Gavantum* et *Bauldry*, Parochi autem etiam *Corsetti* penes se habeant.

9. Tertius quadrans exercendis Sacris Ritibus transigetur, incipiendo a Missa privata, Missa Solemni, Functionibus Paro-

[1] * Forte *permissis.*

[2] * Verba: *Sacrorum rituum et*, desunt in simili methodo, quam continet Appendix ad Conc. Benevent. a. 1693. (v. pag. 103. a.)

[3] * Verba: *et alii quicumque Ministri altaris*, desunt in methodo Conc. Benevent.

[1] * Verba: *toties et praecipue in praesenti Concilio Rom. inculcatas*, desunt in Method. Conc. Benevent.

[2] * Method. Benevent.: *in omni civitate et vicariatu Dioecesis Congregatio casuum et rituum instituetur.*

[3] * Method. Benevent. addit: *Matricis.*

[4] * In Methodo Benevent., qui praeest, nominatur: *Pater Praefectus.*

[5] * Verba: *a Procuratoribus Capitulorum, Collegiorum et Clericorum obligatorum subministrandis*, Methodus Benevent. versus finem ponit.

[6] * Verba: *aut, ut ab aliis observentur, conari*, desunt in Method. Benevent.

[7] * Verba: *sive ritualis sive moralis*, desunt in Method. Benevent.

[8] * Verba: *aut alius quidam (juxta aliam meliorem regulam, ex praesentibus, qui ex alia urna sorte extractus et quindecim diebus de hoc praemonitus fuerit)*, desunt in Methodo Benevent.

[9] * Quae deinceps sequuntur usque ad n. 9., desunt in Methodo Benev., ubi pro illis haec scripta sunt: *volumus, ut saltem Medullam Theologiae Busenbaum et Compendium Bonacinae apud se quisque habeat.*

chialibus et administratione Sacramentorum, ubi advertendum, a
hujusmodi ritus singulis vicibus per partes tantum, sed cum attentione exercendos esse ab illo, quem Praefectus deputabit; cujus etiam erit destinare Magistrum Caeremoniarum propter occurrentes animadversiones et correctiones necessarias[1].

10. Ultimus quadrans orationi mentali tribuetur, propositis ab uno, quem pro primis vicibus Praefectus designaverit, Punctis meditationis, juxta methodum S. Francisci Salesii, depromendis pro majori commoditate et facilitate ex celebri Thoma de Kempis. Deinceps vero, cum Praefecto bene visum fuerit, sortes ex alia urna trahendae determinabunt, quinam Meditationem instruere debeant, ut omnes in hoc necessario non minus quam utili orandi exercitio usum acquirant.

11. Demum brevi aliqua oratione vocali, e. g. *Agimus* etc. *Confirma hoc Deus* etc., et Litaniis Beatae Virginis cum sua oratione in fine meditatio terminabitur.

12. Post haec Congregatio proxime futura intimabitur, praelecta in hunc finem a Secretario Scriptura, in qua dies et hora illius necnon Casus discutiendus cum exercendae Functionis parte[2] a Praefecto praescribentur, designato etiam illo, qui Me- b
ditationem proponere debeat: folium autem hujus scripturae in patenti Sacristiae loco affigetur, ut praefixam materiam omnes videre et congruo studio tam pro resolutione casus quam exercitio functionis[3] se praeparare possint.

13. Porro Secretarii officium erit, finita conferentia, omnia in praetactum librum succincte referendi; notando imprimis diem, horam et locum Congregationis, necnon nomina omnium Ecclesiasticorum congregatorum, aut brevitatis causa solos notare poterit absentes, ut corrigantur. Deinde scriptis mandabit Casum examinatum et nomina eorum, qui ex dispositione sortis de eo disputaverunt, subjungens decisionem, ab illo, qui fecit, accipiendam, notansque postremo partem functionis in exercitium deductae[4]: in fine nomen et cognomen suum subscribet.

14. Quibus omnibus finitis, idem Secretarius in notula a se subscripta nomina absentium sine legitimo, quod a Praefecto semper approbari debet, impedimento describet et Vicario loci exhibebit, ut statuta poena adversus illos procedatur. Ipsis porro Vicariis praecipua incumbet obligatio cavendi, ne Secretarius muneri suo desit, atque etiam Episcopos monendi de op- c
portunis afferendis remediis.

15. Cum vero Secretarii munus summam requirat fidelitatem, propterea quod supradicto libro penes ipsum conservando et testimoniis de mandato Episcopi aut suae Curiae[5] exinde desumendis circa frequentiam et diligentiam Ecclesiasticorum in dictis exercitiis plena sit fides adhibenda: ideo Secretarius coram Vicariis Locorum de officio suo fideliter administrando ad Sancta Evangelia jurare debebit; quod juramentum in ipso Conferentiarum libro literis consignandum erit[6].

---

[1] * Pro iis, quae sub n. 9. leguntur, Methodus Beneventana haec habet: *Discusso casu conscientiae, per alium horae quadrantem Rubricae explicentur ea ratione, ut primum earum textus, dein commentarius legatur, denique breve temporis spatium difficultatibus, quae occurrere poterunt et a Praefecto erunt solvendae, proponendis detur. Atque ut congregati ad hanc quoque exercitationem se praeparent, omnis sacerdos rituum s. Missae commentarios, in nostro Provinciali concilio Tit. XXXV. cap 1. praescriptos, habeat, et Parochi praeterea librum a Corselli concinnatum.* d

[2] * Pro verbis: *cum exercendae Functionis parte*, habet Methodus Beneventana: *et rubrica explicanda.*

[3] * Method. Benev. omittit: *tam . . . . quam exercitio functionis.*

[4] * Method. Beneventana omittit: *ab illo, qui fecit, accipiendam notansque postremo partem functionis in exercitium deductae.* Ibi autem legitur: *decisionem a P. Praefecto factam.*

[5] * Verba: *aut suae curiae*, desunt in Method. Benevent.

[6] * Pro iis, quae sequuntur, in Methodo Benevent. haec habentur: *Studeat igitur secretarius debitae fidelitati non deesse, ne incurrat veluti perjurus in divinam indignationem et in gravem Episcopi quoque reprehensionem, quando huic de ipsius infidelitate vel negligentia constabit. In singulis vero locis eidem secretario procurator capitulorum, cleri vel congregatorum librum, chartam, calamum et attramentum subministrabit. — Exhortamur omnes ecclesiasticos, ut exercitationi tam salutari intersint et ii praesertim, qui in Edictis peculiaribus suorum Episcoporum sunt nominatim expressi. Qui ad confessiones audiendas admitti volunt, excludentur, nisi secretarii testimonium a P. Praefecto subscriptum, se saltem per sex menses hanc exercitationem frequentasse, attulerint.*

Denique si quis eorum, qui adesse debent, sine legitima ratione a P. Praefecto approbanda abfuerit, in poenam ab Episcopo propositam incur-

16. Librum istum, in cujus capite haec ipsa Methodus transscribenda est, Episcopi aut illorum Vicarii Generales singulis ad minimum annis semel scrutabuntur atque etiam similibus Congregationibus aliquoties adesse non gravabuntur, ad explorandam praxin et utilitatem, praecipue vero (quia major semper solet esse negligentium pars quam Leges observantium) ad fastidiosos practico suo exemplo alliciendos.

F. A. Archiep. Episc. Abellinen. et Frequentinus
Sacri Concilii Secretarius.

XVIII. Edictum de vita et honestate Ecclesiasticorum Romae existentium, et speciatim de habitu et Tonsura Clericali.

Cit. Tit. XVI. Cap. III. pag. 373. a.

Versio Latina.

Fabritius Dei miseratione Episcopus Portuensis, S. R. E. Cardinalis Paulucci, Sanctissimi Domini Nostri Vicarius Generalis etc.

Sanctitas Domini Nostri recogitans, strictam illam obligationem, quam omnes Ecclesiastici ubique terrarum communem et gradui suo essentialiter habent annexam praebendi virtutum exempla, peculiari quadam ratione crescere quoad Ecclesiasticos in Alma Civitate Roma commorantes, qui hac de causa fieri deberent forma et exemplar reliqui per totum mundum Christianum diffusi Cleri, quoniam, ut ait S. Bernardus, *Clerum illum ordinatissimum esse decet, ex quo praecipue in omnem Ecclesiam Cleri forma processit;* ut devoti et fideles Peregrini, qui huc ex remotis etiam regionibus conveniunt, in Domino aedificentur: propterea injunxit nobis praesens publicare Edictum illiusque exactam promovere observantiam.

Inhaerendo igitur dispositionibus Sacrorum Canonum et Constitutionum Apostolicarum aliisque ordinationibus alias publicatis tam circa decentiam habitus quam Tonsuram Ecclesiasticam, qua Sacerdotes et proximi Ordinibus Sacris, necnon Clerici primae Tonsurae, ii praesertim, qui Beneficia Ecclesiastica, quamvis simplicia, obtinent aut in Ecclesiis deserviunt, incedere, multo magis Altaribus assistere debent, ibidem celebraturi aut alias sacras functiones debita cum modestia et aedificatione peracturi: atque etiam considerando, quantum decentia et modestia habitus externi ad denotandam internam morum honestatem conducat: primum praesenti Edicto renovantur alia super hac materia jam promulgata, speciatim die 29. Junii 1667., 10. Octobris 1681., 20. Novembris 1691., 22. Novembris 1696., 31. Martii 1699. et 7. Decembris 1706., ex mandato Summorum Pontificum Clementis IX., Innocentii XI., Innocentii XII. et Clementis XI., felicis memoriae, quibus insistendo et respective ampliorem vim tribuendo ordinat et mandat:

1. Ne ullus Sacerdos aut Sacris initiatus aut Clericus Beneficiatus, uti supra, quantumvis tenui frueretur Beneficio, juxta Decretum Sacrae Congregationis Concilii 13. Septembris 1677., ab ortu solis usque ad mediam inchoatae noctis horam vestibus curtis per Urbem possit, sed debeat incedere habitu longo a collo usque ad pedes defluo, dicto vulgariter habitu talari, quo quilibet ex supradictis instructus esse debet; si quis autem tali vestitu adhuc careret, spatio unius mensis de eo sibi prospiciat: insuper quilibet supradictorum Coronam aut Tonsuram Clericalem deferat magnitudine ordini aut gradui cujuscumque congruente, quae tamen minor non sit testone *(est moneta Romana argentea)* et totaliter appareat saepiusque renovetur, ut commode dignosci queat.

2. Pariter statuit et praecipit, ne ullus Sacerdos aut Sacris initiatus aut etiam Clericus primae Tonsurae comam, quae frontem auresque tegat, nutriat, multo minus adoptiva caesarie (vulgo perucca) utatur, sub poena toties, quoties transgredietur, decem scutorum, illico operibus et locis piis applicandorum, necnon incarcerationis totidem dierum. Contravenientes insuper certo sciant, hanc inobedientiam illis totali impedimento exituram a consecutione cujuscumque Beneficii aut Officii Ecclesiastici.

3. Clerici prima Tonsura initiati aut in ordinibus minoribus constituti, quamvis nullum possideant Beneficium Ecclesiasticum,

---

rat; speramus tamen, fore ut omnes non poenae timore, sed virtutis amore conveniant; eos denique admonemus, ut, sicuti diligentes in praemiis distribuendis semper praeferantur, ita negligentes omnino postponantur, quia secundum Apostolum: qui ignorat, ignorabitur.

privilegio Fori non gaudebunt, ex dispositione Sacri Concilii a
Tridentini *sess. 23. cap. 6. de reformat.*, nisi habitum et Tonsuram Ecclesiasticam deferentes Ecclesiis, quibus adscripti sunt, inserviant (juxta declarationem Congregationis deputatae, approbatam ab eodem Sanctissimo Domino Nostro), ibidem Divinis Officiis et Sacris functionibus assistendo in diebus solemnibus, praesertim Hebdomadis Sanctae, comitando Sanctissimum Viaticum, cooperando frequentiae Sacramentorum et Catechismi traditioni, eo magis, quod in dictis Functionibus Ordines suos exercebunt. Porro advertant, quod in cujusque Ecclesiae Parochialis Sacristia asservabitur Album omnium Clericorum eidem adscriptorum, ad finem observandi negligentes, qui, testimonio Parochi proprii circa frequentiam dicti ministerii destituti, ad alios Ordines neutiquam promovebuntur; imo post primam monitionem a Parocho factam Nobis aut Domino Vicesgerenti Nostro denuntiabuntur, poenis Canonicis compellendi: prout Decreto peculiari singulis Curatis fusius praescribetur.

4. Permittuntur tamen occasione faciendi itineris aut ob aliam justam et legitimam causam, a Nobis aut Domino Vicesgerente Nostro approbandam, vestes breviores, ita tamen, ut b
genua tegant et Ecclesiasticae conveniant modestiae; propterea alterius non erunt, quam nigri coloris, nec globulos majores, nec peras, nec togam interiorem (vulgo camisola) habebunt, sed sola longitudine excepta, tam quoad manicas quam quoad reliqua omnia similes erunt vestibus talaribus: contravenientes vero non solum supradictas poenas, sed etiam jacturam talium vestium incurrent.

5. Mandat pariter omnibus Rectoribus, Sacristanis, Capellanis, Custodibus atque aliis quocumque demum nomine deputatis ad curam, inspectionem et administrationem qualiscumque Sacristiae tam in Patriarchalibus, Basilicis, Collegiatis, Congregationibus, Oratoriis, Capellis, Hospitalibus et aliis Ecclesiis Saecularibus quam quibuscumque Ecclesiis Regularibus, quomodocumque privilegiatis, sive in urbe sive in suburbiis sitis, ne in Ecclesiis aut Capellis suis ullum Sacerdotem sine Tonsura Clericali aut habitu decenti sive talari celebrare permittant: quo habitu Sacerdos ante templi ingressum indutus esse debeat, nec illum in Sacristia primum mutuare aut induere possit: pariformiter nullum Sacerdotem cum capillamento fictitio (vulgo *Perucca* c
dicto) aut annulo celebrare concedant; quin et illos prohibeant, quos certa indicia produnt alias capillamento uti, quamvis illud in Sacristia aut ante hujus ingressum deponant, sub poena suspensionis a Divinis ad dies quindecim, tam ab ipsis deputatis et Sacristanis quam a Sacerdotibus in quocumque ex dictis casibus ipso facto absque alia declaratione incurrendae et Nobis reservatae, praeter alias carceris et pecuniarias mulctas supra expressas.

6. Inhaerendo Sanctitas Domini Nostri Edicto, publicato jussu Innocentii XII. 23. Decembris 1699. ex occasione Anni Sancti ultimo elapsi, permittit Sacerdotibus duntaxat Peregrinis, specialiter Ultramontanis, (durante proximo Anno Sancto) vestes breves, Statum tamen Ecclesiasticum decentes; hisque solis poterunt Sacristani convenientem pro celebrando commodare amictum, nunquam tamen illos cum habitu brevi Missam legere sinant, sub poenis praedictis.

7. Sacerdotes tempus, quo in Sacristiis morabuntur, vanis non consumant colloquiis, sed quieti et modesti locum revereantur tamquam cultui Divino et praeparationi gratiarumque actioni d
ante et post Sanctum Sacrificium peragendae dedicatum, nec quidquam munditiei aut decoro Ecclesiastico repugnans ibidem committant, sub praefatis poenis carceris et pecuniariis, applicandis uti supra et exigendis tam a contravenientibus quam a Sacristanis conniventibus aut debitum non afferentibus remedium. Debebunt praeterea Sacristani aut Deputati vel per se ipsos aut per alios sedulo attendere, ut a Sacerdotibus celebrantibus omnes et singulae Caeremoniae et ritus juxta dispositionem Rubricarum Missalis Romani accurata devotione, reverentia et distinctione exerceantur: si qui vero sine debita attentione et religione celebrare atque yel ex imperitia vel nimia festinatione aliave negligentia aliquam ex caeremoniis et ritibus praescriptis omittere praesumerent, jubet Sanctitas Sua, hos tales non amplius ad celebrationem Missarum admittendos, sed a Sacristanis et Deputatis immediate Nobis aut Domino Vicesgerenti Nostro denuntiandos esse, ut ab exercitio suspendi et pro merito puniri queant, sub poena in casu inobservantiae privationis officiorum et scutorum viginti quinque et aliarum adhuc graviorum ad Nostrum arbitrium. Hunc in finem sub iisdem poenis mandamus, ut in qualibet Sacristia asservetur horologium rotatum aut arenarium, mediante quo observari possit, an proportionatum tempus Celebrans Sacrificio impendat, quod tertia parte horae brevius esse non debet. Eisdem irremissibiliter poenis subjacebunt supra nominati Sacristani et Deputati permittentes qualemcumque Sacerdotem celebrare sine Nostra aut Domini Vicesgerentis Nostri licentia in scriptis, in Secretaria Nostra *gratis* expedienda, atque etiam Sacerdotes celebrantes sine dicta licentia, qua exspirata amplius ad celebrandum admitti non debent, sub iisdem poenis: propterea dicti Sacristani et Deputati in quodam folio annotabunt datum talium licentiarum. Praeterea statuimus, Religiosos, qui Romae Conventum non habent, absque dicta licentia Nostra ad celebrandum non esse admittendos; monentes insuper, quod pro celebratione in Ecclesiis Monialium necessaria sit licentia peculiaris, talem exprimens facultatem.

8. Ad haec mandamus et praecipimus omnibus Superioribus Regularibus cujuscumque Ordinis et Instituti, Regimini Monasteriorum, Conventuum, Congregationum, Collegiorum, Domuum Regularium et Hospitiorum hujus Almae Urbis praesidentibus, ut maxima diligentia procurent, Sacerdotes Regulares locales Monasteriorum, Conventuum, Congregationum, Collegiorum, Domuum et Hospitiorum, quibus ipsi praesunt, a Religioso quopiam probatae habilitatis, ad hoc munus ab iisdem Superioribus expresse deputando, in Caeremoniis et Ritibus Sanctae Missae juxta praescriptum Rubricarum perfecte instrui, easque exactissime observari: expresse prohibentes, ne imposterum Sacerdotes exteri Ordinis et Instituti sui, nisi prius Caeremonias et Ritus in Missa observandos probaverint et in illis perfecte instructi et versati a praefato Religioso deputato agniti fuerint, ad illam celebrandam admittantur, sub poena privationis officiorum et vocis tam activae quam passivae ad decem annos.

9. Ad tollendum abusum celebrandi Missas horis intempestivis, decernimus, ante tertiam partem horae auroram praecedentis illas non incipi, similiter post meridiem tertia horae parte omnes terminari debere, sub praefatis poenis carceris et pecuniariis, applicandis ut supra atque irremissibiliter luendis tam a Sacerdotibus celebrantibus quam a Sacristanis permittentibus; non obstante quacumque praetensa consuetudine in contrarium aut privilegio, needum exhibito in Secretaria Nostra, recognito et approbato a Nobis.

10. Ut Laicis integritatis specimen ab Ecclesiasticis undequaque praebeatur, omnisque murmurationis tollatur occasio, mandamus sub praedictis poenis et aliis arbitrariis, ne in aedibus pro habitatione Canonicorum, Parochorum et aliorum Ecclesiae Ministrorum constructis foeminae cohabitent, quocumque demum propinquitatis gradu conjunctae; excepta occasione alicujus legitimae et urgentis causae, a Nobis solummodo aut Domino Vicesgerente Nostro approbandae.

11. Patrocinari, advocare, defendere aut qualemcumque actum Causarum, sive Civilium sive Criminalium, coram Tribunali Laico suscipere Sacerdotibus non liceat, etiam sub praetextu merae charitatis, exceptis causis a Sacris Canonibus permissis; quo casu a Nobis impetranda erit licentia in scriptis, gratis concedenda, considerata qualitate personae, sub poena carceris et aliis arbitrariis adversus transgressores.

12. Praecipimus ulterius de Sanctitatis Suae mandato speciali omnibus Sacerdotibus et aliis Ecclesiasticis, etiam ad Ordines Sacros needum promotis, ut a lusu chartarum omnino abstineant, neque arma cujuscumque generis sive sclopos sive gladios aut enses in vel extra Civitatem deferant, nequidem sub praetextu venationis, absque Nostra aut Domini Vicesgerentis Nostri licentia in scriptis, gratis, si aequum visum fuerit, concedenda, sub praememoratis poenis carceris et pecuniariis atque etiam jacturae armorum.

13. Admonentur omnes Superiores Ecclesiarum Patriarchalium, Basilicarum, Collegiatarum, Regularium et omnium aliarum, nulla excepta, quantumvis se exemptas praetenderent, ut horum omnium et singulorum in praesenti Edicto contentorum et tamquam de Sanctitatis Suae mandato speciali praeceptorum exactae observantiae invigilent: alioquin praeter executionem poenarum in transgressores statutarum etiam ad interdictum illarum Ecclesiarum procedetur, ubi, quae a Nobis hic expresse injuncta sunt, negligi videbuntur.

14. Ultimo volumus, Edictum hoc, ut plenam obtineat executionem, et nemo illius ignorantiam unquam allegare valeat, in

Sacristiis omnium Ecclesiarum, tam Saecularium quam Regularium, continuo affixum prostare debere in loco patenti, ut ab omnibus videri et legi possit, sub poena carceris decem dierum a Sacristanis incurrenda; quodque publicatum et affixum, ut moris est, omnes, quos illud concernit, perinde obliget, ac si unicuique eorum personaliter fuisset intimatum. Datum Romae 20. Decembris 1724.

F. Card. Vicarius.

Nicol. Antonius Canonicus Cuggius Secretarius.

XIX. Breve Sanctissimi Domini Nostri Benedicti Papae XIII., quo indemnitati atque utilitati Locorum piorum Civitatis et Dioecesis Beneventanae providens, abusus, qui super bonis in emphyteusim concessis irrepserunt, tollendos omnino decernit.

Cit. Tit. XIX. Cap. Unic. pag. 381. c.

Benedictus Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Ex quo Divina bonitas humilitatem Nostram in sublimi Sedis Apostolicae specula nullo meritorum Nostrorum suffragio collocare dignata est, sicuti omnium universi Orbis Ecclesiarum statui et decori jugi studio assiduisque laboribus incumbere non praetermittimus; ita peculiari quadam ratione et solicitudine ad Metropolitanam Ecclesiam Beneventanam, cui, dum Cardinalatus honore fungebamur, triginta octo annorum spatio praefuimus, quamque, durante etiam Nostro Apostolicae servitutis officio, retinere intendimus, necnon in ceteras illius Civitatis et Dioecesis Ecclesias ac Loca pia quaecumque Nostrae dirigentes considerationis intuitum, illorum utilitati et commodis, prout praecipuus, quo eam prosequimur, paternae charitatis affectus suadet, ac in Domino salubriter expedire arbitramur, impensius prospicere ac consulere, et ne aliquod detrimentum accipiant, solertem vigilantiam adhibere non desinimus, nec in futurum quoque desinere satagemus. Cum itaque ab ipsius suscepti per Nos ejusdem Ecclesiae Beneventanae regiminis primordiis non sine gravi animi Nostri moerore animadverterimus, quamplura bona, jurisdictiones et jura Ecclesiarum, Monasteriorum, Domuum, Collegiorum, Hospitalium aliorumque Locorum piorum Civitatis et Dioecesis Beneventanae in locationem ad longum tempus, emphyteusim, livellum vel feudum, humano potius affectu, quam habita utilitatis Ecclesiarum et Locorum piorum hujusmodi ratione, modico sub annuo canone olim concessa fuisse, et (quod gravius ferebamus) eveniente casu devolutionis eorundem bonorum, jurisdictionum et jurium, ad novam illorum concessionem sive antiquarum concessionum renovationem non semel deventum esse compertum habuerimus, inani quidem sub praetextu, quod illa ita concedi solita essent, quodque in Civitate et Dioecesi praedictis asserta vigeret consuetudo renovandi praecedentes concessiones seu investituras cum reservatione melioramentorum favore Ecclesiarum et Locorum piorum praedictorum, quae tamen consuetudo nunquam, quemadmodum de jure requirebatur, legitime probata fuit (tametsi fel. rec. Clem. PP. VIII. Praedecessor Noster illius probationem alias demandaverit), sed revera intuitu et animo potius inde retrahendi laudemium seu ingressum, quem *intraturam* vulgo appellant, quorum emolumenta in personarum Ecclesiasticarum commodum cedebant, non autem in Ecclesiarum et Locorum praedictorum usus et utilitatem convertebantur: hinc est, quod Nos abusus, qui hac in re irrepserunt, e medio tollere simulque Ecclesiarum et Locorum piorum hujusmodi indemnitati providere cupientes, motu proprio ac ex certa scientia et matura deliberatione Nostris deque Apostolicae potestatis plenitudine Constitutionem rec. mem. Pauli PP. II. etiam Praedecessoris Nostri, relatam in *Extravag. Ambitiosae, de reb. Eccles. non alienand.*, in ea praesertim parte, in qua rerum et bonorum Ecclesiasticorum locationes ultra triennium, necnon infeudationes ac concessiones in emphyteusim, etiam in casibus a jure permissis, et quamvis agatur de rebus et bonis in emphyteusim concedi solitis, fieri expresse prohibentur, nisi concurrat evidens Ecclesiarum utilitas, sub nullitatis contractuum aliisque poenis, in eadem Constitutione adjectis quoad bona, jurisdictiones et jura, tam ad praedictam Metropolitanam Beneventanam quam
a alias Ecclesias, Monasteria et Domus cujuscumque Ordinis, Instituti vel Societatis, etiam Jesu, Collegia, Hospitalia etiam Militiae S. Joannis Hierosolymitani, ceteraque Loca pia, qualitercumque nuncupata et qualificata, in Civitate et Dioecesi Beneventana sita, quomodolibet spectantia, tenore praesentium innovamus et confirmamus, illamque a pro tempore existente Archiepiscopo Beneventano aliisque personis Ecclesiasticis ceterisque quibuslibet, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, cujuscumque qualitatis, status, ordinis et conditionis existant, etiam specifica et individua mentione et expressione dignis, exacte sub eisdem poenis observari praecipimus et mandamus. Insuper, eveniente casu devolutionis bonorum, jurisdictionum ac jurium Ecclesiasticorum, in Civitate et Dioecesi praedictis consistentium, sive ob lineam finitam sive ob exspiratum tempus, in praecedentibus locationibus, concessionibus et investituris praefinitum, Metropolitanae aliisque Ecclesiis, Monasteriis, Domibus, Collegiis, Hospitalibus et Locis piis, seu Archiepiscopo ceterisque personis praedictis licere bona, jurisdictiones et jura praedicta cum suis melioramentis supradictis pro illorum Mensa, quatenus eis ex-
b pedire censuerint, retinere, neque Ecclesias, Monasteria, Domos, Collegia, Hospitalia et Loca pia, seu personas hujusmodi ad denuo in locationem, emphyteusim, livellum vel feudum concedenda eadem bona, jurisdictiones et jura, seu ad renovandas et prorogandas illorum locationes et concessiones vel investituras antea factas, quantumvis augmentum annui canonis, laudemii et ingressus aut alia quaelibet melior conditio a quibusvis personis, etiam speciali nota dignis, offerretur, ullatenus teneri aut obligata vel obligatas esse minusque ad id cogi aut compelli posse: motu, scientia et potestatis plenitudine paribus harum serie decernimus, et declaramus. Idque servari volumus et statuimus non solum in devolutionibus, quae in futurum accidere poterunt, sed etiam in iis, quae jam evenerunt propter lineam finitam vel exspiratum tempus praecedentis locationis, concessionis vel investiturae, ubi adhuc facta non fuerit illarum renovatio et prorogatio seu nova bonorum et jurium praedictorum concessio, etiamsi ab ultimo conductore, emphyteuta, livellario ac feudatario seu alias de eis investito illorumve proximioribus petita et ab Ecclesiis, Monasteriis, Domibus, Collegiis, Hospitalibus et Locis piis vel per-
c sonis praedictis denegata seu hactenus minime concessa reperiatur: decernentes pariter, quascumque locationes, concessiones, infeudationes, investituras illarumque prorogationes et renovationes, quas deinceps contra praesentium literarum tenorem, formam et dispositionem qualitercumque et quandocumque fieri contigerit, prorsus nullas, irritas et invalidas nulliusque roboris et momenti fore ac viribus et effectu omnino carere. Ipsas vero praesentes literas etiam ex eo, quod quicumque in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et justificatae fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis justa, legitima, pia et privilegiata causa, colore, praetextu et capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae aut interesse habentium consensus aliove quocumque etiam quantumvis magno et substantiali ac incogitato et inexcogitabili individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, limitari, ad terminos juris
d reduci aut in controversiam vocari seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum aliudve quodcumque juris, facti vel gratiae remedium impetrari vel intentari, aut impetrato seu etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato quempiam in judicio vel extra illud uti seu se juvare posse, sed easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac illis, ad quos spectat et pro tempore etiam quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari: sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos ac Apostolicae Sedis Nuncios, aliosve quoslibet, quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari ac definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari: non obstantibus praemissis ac, quatenus opus sit, Metropolitanae Beneventanae aliarumque Eccle-

a siarum, Monasteriorum, Domorum, Ordinum, Institutorum et Societatum, etiam Jesu, Collegiorum et Militarium[1], etiam S. Joannis Hierosolymitani, ceterorumque Locorum piorum praedictorum, necnon Civitatis Nostrae Beneventanae illiusque districtus, Oppidorum, Locorum et Terrarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis ac legibus, etiam Imperialibus et municipalibus, privilegiis quoque, indultis et literis Apostolicis, iis et eorum cuilibet sub quibuscumque verborum tenoribus et formis ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie et motu, scientia et potestatis plenitudine paribus ac consistorialiter et alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et pluries innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro eorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, b tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus ac derogatum esse volumus ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 29. Julii 1724. Pontificatus Nostri anno primo.

F. Card. Olicerius.

XX. Epistola Encyclica Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium, qua ex mandato speciali Clementis XI. sanct. mem. omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis et aliis Ordinariis Italiae et Insularum adjacentium, atque etiam Generalibus cujuscumque Ordinis Regularis, curam et Regimen Monialium habentibus, injungitur observantia omnium infra praescriptorum quoad officia Monialium, non particularibus illarum expensis, sed Communitatis Monasteriorum exercenda.

Cit. Tit. XXI. cap. III. pag. 383.

Const. 7. *La Santità* d. 28. Jul. 1708.

XXI. Regulae observandae quoad Eremitas destinatos ab Episcopis ad Custodiam et servitium Eremorum Ecclesiarumque ruralium.

Cit. Tit. XXII. cap. I. pag. 384. c.

Cum ad florentissimum Ecclesiae statum pertineat etiam cultura Eremitoriorum, adjacentium nonnullis Ecclesiis ruralibus, quandoque etiam cuidam civitati vicinorum, quale nimirum Romae est Sanctae Mariae de Angelis ad Portam Angelicam nuncupatum; in quibus supernae vocationis ductu nonnulli saecularium Deo vivere satagunt, propenso studio ejusdem non minus servitio quam propriae animarum saluti vacandi, tamquam amatores illius solitudinis, in qua Deus invisibiliter loqui solet ad cor juxta effatum Oseae: *Ducam eam in solitudinem et loquar ad cor ejus:* quare, quantum ad illos spectat, quibus incumbit regimen similium personarum, quae plerumque in his privatis Eremitoriis degere solent sine ullo ordine, quo in via spirituali dirigantur ac instruantur, Sanctitas Domini Nostri, confirmando Decretum jussu Clementis XI. fel. mem. editum 6. Octob. 1702., expedire judicavit pro communi omnium norma sequentes tradere Regulas; ob quarum observantiam secundum alterius S. Prophetae vaticinium nostris quoque temporibus *Exultabit solitudo et florebit quasi lilium*, in fragrantiam Christianarum virtutum, Dei gloriam ac Ecclesiae honorem.

[1] Scribendum videtur: *Militiarum.*

CAP. I. Quomodo Eremitae suscipiendi sint.

Nullus, cujuscumque demum status aut conditionis sit, valeat proprio arbitrio assumere et induere habitum Eremiticum aut inhabitare Eremitoria cujuscumque Dioecesis sine licentia proprii Episcopi et Ordinarii loci; sed, si quis similem vocationem sentiat, sistat se Episcopo, qui, attento spiritu et qualitate personae, concedet Habitum, assignabit Eremitorium et Ecclesiam, cui debeat servire, et hunc in effectum debitas literas patentes expediet.

CAP. II. Praescribitur immutabilis forma Habitus Eremitici.

Nullus pro lubitu proprio valeat immutare Habitum, quo ab Episcopo indutus est, specialiter Capuccium et Scapulare, quae semper omnino distincta esse oportet ab iis, quibus utuntur Regulares approbatarum Religionum.

CAP. III. Prohibetur erectio novorum Eremitoriorum eorumque vicinitas.

Nec possint omnino sine Episcopi licentia in quacumque civitate aut loco erigi nova similia Eremitoria; quae, nisi ad minimum uno milliari inter se distent, pro uno solo reputentur.

CAP. IV. Quodlibet Eremitorium a duobus ad summum Eremitis incolatur.

Ut Eremitae de eleemosynis congruenter vivere et vestiri queant ac providere sustentationi ipsorum Eremitoriorum Ecclesiarumque ipsis unitarum, in nullo plures quam duo cohabitent; remittendo Episcoporum prudentiae permissionem majoris numeri, habito respectu ad qualitatem locorum, in quibus degunt.

CAP. V. Quomodo et quibus reddenda sit ratio de Eleemosynis.

Quivis Eremitarum singulis annis suo proprio Episcopo aut alii ab Episcopali Curia deputato rationem reddere teneatur de receptis cujuscumque generis eleemosynis, ut ex earum residuo Ecclesiarum Eremitoriorumque necessitatibus provideri queat.

CAP. VI. Praesentent se ter in anno respective Vicariis Generalibus et Vicariis Foraneis.

c Singulis quatuor mensibus unusquisque eorum se sistat in civitate coram Vicario Generali aliove Ministro ad id deputato ac in Dioecesi Vicariis Foraneis, ut eos informent et de statu proprio rationem reddant; hique, peracto debito scrutinio, rem deferent ad Curiam Episcopalem.

CAP. VII. Annuus in Civitate Conventus pro collatione generali.

Iidem singulis annis tempore ab Episcopo determinando (quod in primam hebdomadem post Pascha optime quadrare videretur) conferant se in locum destinatum civitatis, e. g. Xenodochium quoddam Peregrinorum, in quo ipsimet Episcopi hospitio illos benigne excipi curabunt. Ibi die et in Ecclesia magis commoda post Sacramentalem confessionem congregati et ordinate dispositi audient Sacrum, quod conveniret celebrari ab Episcopo, et sub eo recipient Sacram Synaxin. Postea eodem mane Episcopus aut alius quidam sermonem ad eos habebit, quo amplius instruantur atque animentur ad continuandum lau- d dabilis vitae tenorem in statu suscepto. Post haec successive inter ipsos instituetur Collatio seu conferentia generalis quoad necessaria tam in spiritualibus quam temporalibus Eremitarum, Ecclesiarum et Eremorum, quibus omnibus Episcopi pro rerum exigentia opportuna provisione consulent; animadvertendo etiam in contumaces poena quadam, imo si opus fuerit, privatione ipsius habitus Eremitici.

CAP. VIII. Quomodo instruendi sint in Doctrina Christiana.

Omnes Eremitae singulis saltem Dominicis et Festis de praecepto conveniant, quivis in sua propria Ecclesia Parochiali, in quarum districtu Eremitoria fuerint, ut semper magis proficiant in Doctrina Christiana.

CAP. IX. Inculcatur frequentia Sacramentorum.

In propriis Ecclesiis Parochialibus singulis saltem Mensibus praeter Solemnia Festa confiteantur et accedant Sacram Synaxin ad exemplum et aedificationem reliquorum fidelium.

CAP. X. Devotio erga Beatam Virginem aliaque exercitia spiritualia quotidiana.

Singulis diebus devote recitent tertiam saltem partem Sanctissimi Rosarii Beatae Virginis et sub vesperum, priusquam cubitum eant, instituant examen conscientiae, quo absoluto eliciant actum contritionis et, facta Deo debita gratiarum actione, recitent Litanias ejusdem Magnae Coeli Reginae.

CAP. XI. Prohibetur retentio cujusvis libri sine permissione Directoris spiritualis.

Nullus Eremitarum, sub gravi poena ad arbitrium proprii Episcopi, retineat libros qualescumque, quin prius fuerint recogniti et permissi a Patre Directore eorum spirituali.

CAP. XII. Praecipitur Mundities Ecclesiarum et Eremorum.

Ad exemplum S. Bernardi dicentis: *Quamvis paupertatem amem, spurcitiem nihilominus semper abominor,* inter alia exercitia, quibus interdiu occupabuntur, primum sit curare munditiem et nitorem Ecclesiae, sacrae supellectilis et ipsorum Eremitoriorum; hortamurque Episcopos, ut ejusdem sint rigorosi exactores.

CAP. XIII. In Eremitoriis non admittatur hospes nisi ad unum solummodo diem.

In Eremitoriis ullum hospitem nisi ad unum tantum diem suscipi non liceat sine licentia Vicarii Generalis civitatis et Vicariorum Foraneorum in Dioecesibus: si qui delinquentes ibi quaererent receptaculum, id quantocius insinuent Episcopo aut Vicario Foraneo, provisionis necessariae faciendae causa.

CAP. XIV. Cum Eremitis non cohabitet ulla foemina.

In ipsis Eremitoriis nullae prorsus habitare valeant foeminae, etiamsi forent uxores ipsorum Eremitarum: et casu, quo quis eorum deprehenderetur uxoratus, quantocius compellatur, facta solemni traditione Ecclesiae et Eremitorii, una cum uxore in domum suam reverti.

CAP. XV. Prohibitio et poenae contra instabilitatem Eremitarum.

Nulli Eremitarum licitum sit post incolatum unius Eremi sibi assignatae transire pro lubitu ad aliam sive ad proprium beneplacitum deponere aut reassumere habitum Eremiticum, multo minus exire e Dioecesi, sine speciali Vicarii Generalis licentia, sub poena perpetuae exclusionis ejusdemque habitus ac immunitatis Ecclesiasticae privationis, quin et carceris, si contumacia major fuerit.

CAP. XVI. Vicarii Generales, Parochi et Vicarii Foranei sollicite gerant curam Eremitarum.

Ut ad majorem Dei gloriam et fidelium utilitatem crescat et propagetur nomen ac honor Eremitarum, Vicarii Generales, Parochi et Vicarii Foranei omni sollicitudine attendant rectae eorum gubernationi, utpote quorum curae respective subjiciuntur.

CAP. XVII. Iidem deferant ad Episcopum Curiamque Episcopalem harum Regularum transgressores.

Dicti Vicarii Generales, Parochi et Vicarii Foranei, si Eremitas contumaces comperiant quoad observationem harum Regularum, teneantur immediate informare Episcopum aut Curiam Episcopalem respective, ut contra eosdem statutis poenis procedatur.

Conclusio.

Utque nullus excusationem ignorantiae allegare queat, obligat Sanctitas Sua omnes Episcopos, quatenus invigilent, ut quivis Parochus, cui Eremorum in sua Parochia sitarum cura incumbit, has Regulas semel promulget sub celebratione Missae Parochialis et in praesentia suorum Eremitarum, quos specialiter in hunc finem convocabit: eaedemque Regulae postmodum super tabellam adaptatae, sub poena arbitraria, in omnium Eremitarum cellis affixae maneant.

F. A. Archiep. Episc. Abell. et Frequent. Concilii Secretarius.

a XXII. Summarium Constitutionis Clementis Papae VIII., quae incipit: *Quaecumque a Sede Apostolica,* publicatae 24. Decembris 1604., circa modum et formam observandam in erectionibus et institutionibus Confraternitatum et aggregationibus et communicationibus Privilegiorum ac Indulgentiarum, necnon circa modum expendendi redditus earundem Confraternitatum et Congregationum.

Cit. Tit. XXIII. Cap. I. pag. 385. s.

Versio Latina.

§. *Cum itaque.*

I. Enarrat hic SS. Pontifex necessitatem hujus Constitutionis, quod nempe nonnulli Ordines Regularium, Religiones, Instituta, Archiconfraternitates et Congregationes habuerint a Sede Apostolica facultatem [confraternitates] erigendi et aggregandi cum Indul-
b gentiarum communicatione, atque inde multa provenerint incommoda, seu negligentia Instituentium et Aggregantium, quod Regulas incertas tradiderint, sive culpa Institutorum et Aggregatorum, quod sibi non comparaverint sufficientem scientiam eorum, quae praestare oportebat.

§. *Quibus nos.*

II. Decernit, ut imposterum Magistri, Priores, Gubernatores aliique Superiores Ordinum Regularium, Religionum, Collegiorum, Archiconfraternitatum, cujusvis Nationis, non possint aliter instituere aut aggregare quam sequenti modo, nimirum:

Ut in singulis Civitatibus, Oppidis vel Locis unam tantum Confraternitatem erigere valeant, atque erectionem praecedere debeat consensus Ordinarii ejusque literis testimonialibus commendari exercitia et officia Christianae pietatis, quae Confraternitas vel Congregatio instituenda exercere cupit.

Ut Archiconfraternitates non possint aggregare nisi unam duntaxat Confraternitatem in singulis Civitatibus, Oppidis vel Locis, quae prius Apostolica vel Ordinaria auctoritate erecta
c fuerit, praevio similiter ipsius Ordinarii consensu et literis testimonialibus, institutum ac opera pietatis Christianae, quae Confraternitas aut aggreganda Congregatio exercenda proposuit, commendantibus.

§. *Huic vero.*

III. Confraternitati aut Congregationi erectae, institutae et aggregatae Indulta aliaeque gratiae spirituales ab Instituente et Aggregante communicari valeant, quae ipsis Aggregantibus aut Instituentibus nominatim et in specie concessa fuerunt, non autem, quae per extensionem vel communicationem privilegiorum ipsis conveniunt, et illa quidem non sub generali formula, sed nominatim exprimendo concedere valeant.

§. *Statuta.*

IV. Nec possint ab Erigentibus vel Instituentibus aut ab Archiconfraternitatibus aggregantibus ipsis Congregationibus aut Confraternitatibus erigendis aut aggregandis, quibusque conceditur
d tur communicatio Privilegiorum, impertiri statuta pro earum regimine, nisi ea prius ab Episcopo Dioecesano examinata et pro ratione Loci approbata fuerint; quae nihilominus ejusdem Episcopi decretis quoad moderationem et correctionem in omnibus semper subjecta remaneant.

§. *Insuper volumus.*

V. Nec valeant Erigentes aut Aggregantes communicare alia Privilegia aut Indulgentias, quam quae *nominatim* aut specifice sibi sunt concessa; eaque ab Ordinario Loci cum duobus aliis Capitularibus recognoscantur, ut determinatis temporibus publicari queant.

§. *Quibus etiam.*

VI. Facultatem procurandi et recipiendi eleemosynas aliaque oblata Christianae pietatis subsidia debeant Officiales Confraternitatum impetrare ab Episcopo loci juxta modum et formam, quam ipsis praescribet, sublatis tamen mensis, pelvibus et capsis, quae in Ecclesiis et Oratoriis Confraternitatum publice ad hoc

exponi solent; atque hae Regulae pro ipsis Aggregantibus prae- a
scribendae sunt a Vicario Romano.

§. *Eleemosynas autem.*

VII. Eleemosynae, ut supra, collectae fideliter exponendae aut expendendae sunt in reparationem et ornatum Ecclesiarum tam Ordinum et Archiconfraternitatum aggregantium et communicantium, quam Confraternitatum erigendarum, instituendarum et aggregandarum, et quibus communicationes fient, aut in alios pios usus arbitrio Vicarii nostri in urbe aut Ordinarii loci respective extra urbem.

§. *Praeterea.*

VIII. Confessores, eligendi ab Ordinibus, Religionibus et Archiconfraternitatibus vigore Privilegiorum sibi concessorum et communicandorum Congregationibus aut Confraternitatibus erectis et aggregatis, ab Ordinario loci, si seculares fuerint, si vero Regulares, non solum ab Ordinario loci, sed etiam a Superioribus suis Regularibus approbandi sunt; et a casibus juxta Privilegiorum Confratribus concessorum (quatenus tamen sint in b
usu et Sacris Concilii Tridentini aliisque Constitutionibus Pontificiis non adversentur) formam et tenorem absolvere valeant: nequeant tamen absolvere a casibus *Bullae Coenae Domini* aut excommunicationibus latis ab homine vel aliis casibus reservatis, aut dispensare super ulla irregularitate.

§. *Demum.*

IX. Omnes Confraternitates hucusque erectae de novo procurare debeant erectionem, institutionem, communicationem et aggregationem juxta formulam harum literarum Apostolicarum, sub poena, quod alias censeantur eo ipso extinctae et abolitae.

§. *Erectionum.*

X. Omnes erectiones et aggregationes faciendae in futurum fiant *gratis,* sub poena nullitatis et aliis respective.

§. *Decernentes.*

XI. Bulla haec valeat in perpetuum et ab omnibus et sin- c
gulis, ad quos pertinet, inviolabiliter observetur; atque hoc et non alio modo procedatur a Judicibus, cum clausula irritante.

§. *Ut autem.*

XII. Concernit publicationem: ut nempe Ordinarii eam saepius publicari curent tam in Cathedralibus quam aliis Ecclesiis Territoriorum et Locorum suae Dioecesis.

F. A. Archiep. Episc. Abellin. et Frequent. Concilii Secretarius.

XXIII. Constitutio Sanctissimi Domini Nostri Benedicti Papae XIII., per quam altera plenius relata Constitutio fel. rec. Pii II., decernens, primos medios fructus Beneficiorum vacantium Archidioecesis Beneventanae convertendos fore in reparationem, fabricam et incrementum dictae Ecclesiae Beneventanae, confirmatur; d simulque declaratur, eosdem medios fructus Beneficiorum Ecclesiasticorum omnium Archidioecesis, pro tempore vacantium, ipsi Ecclesiae deberi, sive collatio, institutio et provisio spectet ad Archiepiscopum, sive ad Abbatem Paduli aliosve quoscumque inferiores Collatores quocumque nomine et titulo nuncupatos. Itidemque declaratur atque decernitur, medios fructus hujusmodi nequaquam esse debitos praefatae Ecclesiae pro vacationibus, in quibus collatio et provisio pertinet ad S. Sedem.

Cit. Tit. XXVII. Cap. Unic. pag. 388. d.

Benedictus Episcopus, Servus Servorum Dei.
Ad perpetuam rei memoriam.

Const. 43. *Rom. Pontifex aequi.* d. 24. Mart. 1725.

XXIV. Literae Apostolicae Sanctissimi Domini Nostri Benedicti Papae XIII., quibus per totam Italiam et Insulas adjacentes providendis de Beneficiis Ecclesiasticis, non affectis aut reservatis S. Sedi, demandatur solutio mediae annatae favore fabricae Metropolitanarum et Cathedralium ac Collegiatarum respective Ecclesiarum.

Cit. Tit. XXVII. Cap. Unic. pag. 388. d.

Benedictus Episcopus, Servus Servorum Dei.
Ad perpetuam rei memoriam.

Pius et misericors Dominus, qui, dum pro peccatis nostris irascitur, misericordiae recordatur, Templa Dominica construi et divinis precibus consecrari voluit et praecipit, in quibus cum hominibus habitat, ut plebs fidelis per oblationes et pacificas hostias devotae orationis iram Judicis mitiget, ipsius clementiam humiliter postulando. Ne igitur Domos Dei, quas decet sanctitudo, et quarum decorem summopere diligendum sacra eloquia testantur, propter temporum injuriam collabi, in pejus ruere minusque decenter retineri contingat, Sacri Canones modis omnibus providere non omiserunt.

Verumtamen experientia ostendit, quod dolenter dicimus, hactenus constituta haud sufficienti praesidio fore, ut sacrarum legum vota adimpleantur; quamobrem, cum ad universalis Ecclesiae Pastorem pertineat, vigili cura in re tam sancta, in qua nulla solicitudo nimia videri potest, nova subministrare subsidia, praesertim ubi de reparandis iisve debito modo conservandis Ecclesiis Cathedralibus agitur et Collegiatis, in quibus fidelis populus frequentius ad orandum convenire solet: de consilio nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium et aliquot insuper dilectorum Filiorum Romanae Curiae Praelatorum, quos ad id specialiter deputavimus, consilio ac etiam Motu proprio, ex certa scientia et matura deliberatione Nostris deque Apostolicae potestatis plenitudine decernimus, praecipimus et mandamus, per totam Italiam et Insulas adjacentes ut in posterum provisi de Parochialibus, una cum incertis annuum redditum scutorum centum monetae Romanae excedentibus, et de Canonicatibus et Beneficiis, tam residentialibus quam non residentialibus et simplicibus, sitis extra Ecclesias Collegiatas, cujuscumque valoris existant, teneantur solvere et respective deponere mediam annatam pro fabrica Ecclesiae Cathedralis, provisi vero de Parochialibus, una cum incertis annuum redditum scutorum centum monetae praefatae excedentibus, et de Canonicatibus et Beneficiis, tam residentialibus quam non residentialibus et simplicibus, sitis in Ecclesiis Collegiatis vel ad illas translatis, cujuscumque valoris existant, itidem teneantur solvere et respective deponere mediam annatam pro fabrica Ecclesiae Collegiatae, sive Beneficia praedicta liberae collationis sive jurispatronatus mixti ac etiam laicalis fuerint, et ad quemcumque electio, collatio, institutio et provisio pertineat, sive nimirum ad Metropolitanum vel Ordinarium sive ad Capitulum sive ad alium quemcumque Inferiorem, dummodo collationis, institutionis et provisionis S. Sedis minime existant, aut etiam legitima non vigeret consuetudo solvendi vel dimittendi fructus sex mensium aut similem, non tamen minorem ratam favore fabricae vel Sacristiae; utroque enim in casu pro fabrica praedicta nihil solvendum aut deponendum erit.

Ut autem praemissa, quae ad consulendum debito Metropolitanarum et Cathedralium ac Collegiatarum Ecclesiarum decori disposita dignoscuntur, suum sortiantur effectum, praecipimus et mandamus, quod mediae annatae hujusmodi deponantur penes personam idoneam, ab Episcopis cum scientia et consensu Capitulorum deputandam, et successive ab eisdem, deficiente necessitate occurrendi reparationi Ecclesiae, investiantur et collocentur in stabilibus et fundis seu capitalibus tutis, securis atque fructiferis ac, ubi fieri poterit, in locis montium Cameralibus non vacabilibus, pro dote fabricae singularum Ecclesiarum praedictarum; ac ejusmodi dotium annuus proventus non in alium usum quam reparationis, conservationis et manutentionis fabricae earumdem Ecclesiarum, ab uniuscujusque Praesulibus cum scientia pariter et consensu suorum Capitulorum in occurrentibus casibus erogetur: et quotiescumque dictas Ecclesias reparatione non indigere constiterit, annui etiam fructus et fructuum fructus dotium prae

dictarum in aliis stabilibus fundis et capitalibus tutis atque fructiferis ac respective in aliis locis montium eodem prorsus modo reinvestiantur et collocentur ad hoc, ut ipsaemet dotes majora in dies, benedicente Domino, suscipiant incrementa, adeoque earum redditus supportando reparationis fabricae ipsarum Ecclesiarum oneri satis esse possint.

Ceterum super praemissis omnibus ac praesertim super iis, quae rectam et fidelem praefatarum dotium administrationem respicient, eorumdem Archiepiscoporum, Episcoporum et Praelatorum inferiorum atque etiam Capitulorum conscientiam peculiariter et districte oneramus; ac insuper, quoties Archiepiscopi, Episcopi vel Ordinarii inferiores ac respective Capitula in aliquo ex his defecerint, ita ut vel ratione minus fidelis idoneique depositarii, aut ex causa non facti vel minus tuti et exinde deperditi investimenti, aut demum propter erogata capitalia vel fructus in alios usus, aliquod praejudicium emerserit patrimonio fabricae, ipsi Archiepiscopi, Episcopi vel Ordinarii inferiores et respective Capitula et singuli Canonici, qui defecerint, eorumque haeredes et successores teneantur ad omnia damna et interesse favore praedictae fabricae, eorumdemque bona omnia pro potiori cautela affecta sint et specialiter hypothecata favore ejusdem fabricae.

Quoniam vero Nostrae mentis non est per hanc Nostram Constitutionem, ut praemisimus, Sacrorum Canonum statuta et praesidia minuere, sed, quantum in Domino possumus, augere favore Ecclesiarum: declaramus et expresse volumus, firmissimum nihilominus manere onus reparandi, restaurandi et manutenendi Ecclesias Cathedrales, Episcopis a jure injunctum; ita ut in restaurandis, reparandis et conservandis Ecclesiis Cathedralibus, antequam tangantur fructus seu capitalia favore fabricae vigore hujus Constitutionis conficienda, teneantur Episcopi, et ad normam Sacrorum Canonum exquiratur de eorum obligatione.

Praetereaque decernimus, hanc Nostram Constitutionem locum habere favore omnium Ecclesiarum Cathedralium et Collegiatarum totius Italiae et Insularum adjacentium, tametsi pro nonnullis Ecclesiis editae fuerint aliquae provisiones, sicuti per fel. rec. Innocentium PP. XIII., Praedecessorem Nostrum, pro tribus Ecclesiis, nempe Auximana, Viterbien. et Tuscanen., et per Nos hactenus pro quatuor, scilicet Nuscan., Vigilien., Castellaneten. et Sypontina, mediante reservatione ratae pensionis super fructibus earumdem Ecclesiarum ad certum tempus favore fabricae earumdem Ecclesiarum, actum fuisse constet, et in universum pro Ecclesiis Regni Neapolitani emanaverit Constitutio sanct. mem. Innocentii PP. XII., etiam Praedecessoris Nostri, incipiens *Inscrutabili*, et supervenerit alia Nostra ampliativa, incipiens *Sacrosancti Apostolatus*.

Excipimus tamen ab hac Constitutione Beneficia Nostrae Archidioecesis Beneventanae; dudum enim eorum respectu per aliam Nostram Constitutionem, incipientem *Romanus Pontifex*, confirmando, declarando et ampliando antiquam Constitutionem fel. rec. Pii PP. II., pariter Praedecessoris Nostri, simile injunximus onus Beneficiis in universa Archidioecesi existentibus.

Volumus autem, quod huic Nostrae Constitutioni seu solutioni mediae annatae praedictae minime subjecta existant Beneficia illarum Dioecesum et respective Collegiatarum, in quibus reperitur opus seu peculiare patrimonium fabricae sufficienter instructum, aut onus seu obligatio reparandi, restaurandi et conservandi Ecclesias residet penes Communitates Locorum, vel adsunt dictarum Ecclesiarum Patroni, qui, nisi reparare et manutenere velint easdem Ecclesias, earum Patronatum amittere debent; cum enim in his satis consultum sit reparationi et conservationi Ecclesiarum, nolumus aliud superaddere Beneficiatis impendium, quod vergeret in sublevamen eorum, qui de jure tenentur:

Decernentes easdem praesentes ac praeinsertas Literas semper validas, firmas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter et inconcusse observari; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios et delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos et Apostolicae Sedis Nuncios, aliosve quoslibet, quavis praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate ac auctoritate, ju-

a dicari et definiri debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari:

Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de jure quaesito non tollendo: necnon Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, Statutis, usibus, stylis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, etiam juramento, confirmatione Apostolica vel quavis alia firmitate roboratis: Privilegiis quoque, Indultis et Literis Apostolicis quibuscumque sub quibusvis tenoribus et formis et cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis ac irritantibus ac aliis decretis, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus et consistorialiter ac alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio facienda, aut aliqua alia exquisita forma
b ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas et occasiones ac alia etiam speciali expressione digna praesentibus pro plene et sufficienter expressis, insertis ac servatis respective habentes, hac vice dumtaxat, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus ac derogatum esse volumus ceterisque contrariis quibuscumque.

Ad hoc autem, ut praesentes Literae ad omnium notitiam facilius deveniant, et nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus, illas seu earum exempla ad valvas Ecclesiae Lateranensis et Basilicae Principis Apostolorum, necnon Cancellariae Apostolicae Curiaeque generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Florae de Urbe, ut moris est, affigi et publicari; sicque publicatas et affixas, omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctare et afficere, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent: utque ipsarum praesentium transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis et sigillo alicujus Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in ju-
c dicio quam extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrae confirmationis, approbationis, innovationis, ampliationis, restitutionis, reintegrationis, decreti, declarationis, statuti, voluntatis, mandati, constitutionis, assignationis, praecepti et derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo vigesimo quinto, IV. Idus Maji, Pontificatus Nostri Anno primo.

P. M. Card. Prodat. *F. Card. Oliverius.*
Visa de Curia I. C. Archiepiscopus Amasenus.
Loco † Plumbi. *L. Martinettus.*
Registrata in Secretaria Brevium.

d **XXV. Constitutio Sanctissimi Domini Nostri Benedicti Papae XIII., qua sanct. mem. Gregorii XIV. Literae Apostolicae, certa excipientes delicta et casus, in quibus Inquisiti Laici Ecclesiastica Immunitate gaudere non debent, confirmantur, declarantur et ad alia etiam delicta et casus extenduntur ac ampliantur: necnon Curiis Ecclesiasticis forma in eorumdem Inquisitorum extractione a locis immunibus observanda praescribitur, cum aliis ordinationibus et clausulis ac derogationibus opportunis.**

Cit. Tit. XXVIII. Cap. I. pag. 380. b.

BENEDICTUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Const. 4. *Ex quo divina.* d. 8. Jun. 1725.

XXVI. Decretum Generale Sac. Rit. Congregationis, prohibens laicis osculum Evangeliorum intra Missam, usum Baldachini in Ecclesiis et assistentiam in Presbyteriis.

Cit. Tit. XXVIII. Cap. IV. pag. 390. b.

[Vid. Append. ad Conc. Beneventan. a. 1693. n. XIV.]

MONITUM.

Praefixo hujus Appendicis ordine subsequi hic deberet numerus XXVII., Elenchus videlicet Testium Synodalium, Sacrosancto in hoc Concilio pro singulis specialis Romanae Provinciae Dioecesibus electorum, citatus supra CAP. Unico Tit. XXIX. de Accusationibus. *Cumque Testes ipsi, uti ab eisdem Sanctissimis Provinciae Patribus propositi et a Concilio ipso confirmati, jam innotescant, ne Volumen alias in molem excrescat, id jure sufficere decretum est, ut ii scilicet singillatim a suismet Episcopis secreto de eorum munere admoneantur, et illorum nomina pro futura rei memoria in Concilii Actis solummodo adnotentur.*

XXVII. Constitutio Sanctissimi Domini Nostri Benedicti Papae XIII., qua Locorum Ordinariis Italiae Insularumque adjacentium districte mandatur, ut Seminariorum erectionem sedulo promoveant eorumque honestae sustentationi provideant Taxa et subsidiaria respective unione Beneficiorum, juxta modum a Sacro Tridentino Concilio praescriptum; ac insuper nova instituitur Congregatio, Seminariorum nuncupanda, quae recto illorum regimini et administrationi praesideat, cum aliis ordinationibus et clausulis ac derogationibus opportunis.

Cit. Tit. XXX. Cap. I. pag. 391. c.

BENEDICTUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Creditae Nobis coelitus dispensationis Officium salubriter exequi, adjuvante Domino, satagentes, ad ea mentem curasque Nostras libenter convertimus, per quae sedulae Clericorum institutioni opportune prospicitur. Ubi enim illi a teneris annis ceu plantae novellae benigniori cultura educentur, hoc est, ad pietatem, morum candorem literarumque scientiam in Seminariis accurate informentur, cum postea ad laboriosa Ecclesiastica ministeria in Vineam Dominicam transplantantur, Ecclesiarum regimini populorumque saluti maxime fructuosos ac utiles esse, diuturna plurimorum annorum experientia satis compertum habemus.

Cum itaque Seminarii Ecclesiastici erectio, a Sacra Tridentina Synodo *cap. 18. Sessione 23. de Reformat.* Episcopis omnibus tantopere commendata et ad Ecclesiasticam disciplinam conservandam adeo necessaria, in pluribus Cathedralibus Ecclesiis, quemadmodum non sine gravi animi Nostri moerore accepimus, hucusque neglecta fuerit: Nos, pro Pastoralis vigilantiae Nostrae debito pium hoc et sanctum opus strenue promovere cupientes, Motu proprio, ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque Apostolicae potestatis plenitudine universis et singulis Locorum Ordinariis Italiae Insularumque adjacentium hac Nostra perpetuo valitura Constitutione districte injungimus, praecipimus et mandamus, ut in Cathedralibus, in quibus Seminarium hactenus erectum non fuit, illud quamprimum origi ac omnino institui curent, ubi vero jam reperitur erectum, sed congruis redditibus ad Alumnorum Magistrorumque sustentationem necessariis instructum non est, de iis, ut infra, opportune provideant. Utroque igitur casu, nimirum tam pro erectione novi Seminarii quam pro supplemento redditum Seminarii jam erecti, Taxam cum consilio duorum de Capitulo et totidem de Clero conficiant, a memorato Tridentino Concilio *cap. 18. Sessione 23. de Reformat.* praescriptam, incipiendo ab integris fructibus Mensae Episco-
a palis et absque ullo discrimine prosequendo juxta normam ibidem expressam et provide constitutam. Eidem vero Taxae omnia et singula Beneficia Secularia et Regularia, per quoscumque, etiam Venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales, necnon Nostros et pro tempore existentis Romani Pontificis Familiares et Camerae Nostrae Apostolicae Clericos, Ministros ac Officiales quoscumque, praesentes et futuros, obtenta et in posterum obtinenda, ac omnia insuper Beneficia Secularia Prioratibus, Commendis vel Bajulivatibus Ordinis Fratrum S. Joannis Hierosolymitani quomodocumque unita aut de cetero unienda, necnon fructus ac redditus Confraternitatum Laicorum, ex certis fundis et capitalibus provenientes (non autem summas pecuniarias, quae a Confratribus quolibet mense vel anno vel per modum eleemosynae vel in vim statutorum contribuuntur) subjici et ad illius solutionem perpetuo teneri decernimus, statuimus et mandamus; declarantes, ab ea exemptos esse debere Regulares pro iis tantum Beneficiis vel fructibus, quorum ratione ipsis Apostolica Sedes diserte ac expresse et ex causa vere ac proprie onerosa indulsit, ut ab onere Taxae pro Seminario exempti sint.

b Porro ejusmodi Taxa juxta locorum qualitatem respondere debeat summae scutorum trium pro quolibet centenario proventuum Beneficii, et si necessitas urgeat, augeatur etiam usque ad summam quinque pro centenario; ita ut numquam minor scutis tribus neque major sit scutis quinque pro quolibet centenario et anno; ac in illius confectione regula a Tridentino Concilio in praedicto *cap. 18.* sancita accurate et ad amussim observetur. Donec autem nova haec Taxa confecta et a Congregatione a Nobis deputata, ut infra dicetur, approbata fuerit, alia Taxa, quam Seminarium antea exigere consueverat, omnino persolvatur. Ceterum novae Taxae exactio semper committatur personae fide et facultatibus idoneae, ab Episcopo et Cathedralis Ecclesiae Capitulo specialiter approbandae et deputandae, ita quidem ut, quoties Exactor hujusmodi negligens aut minus idoneus repertus fuerit, illius culpam idem Episcopus et Capitulum portare debeant et pro non exactis atque deperditis respective de proprio teneantur, liceatque Seminario tam contra Exactorem quam contra Deputantes eorumque haeredes quocumque tempore agere nedum pro deperditis, sed etiam pro non exactis ad praecisam Taxae
c faciendae normam et quantitatem.

Praeterea Episcopi et Capitula portiones seu quotas sibi obtingentes juxta praefatam Taxam quolibet anno realiter et cum effectu deponere teneantur penes Exactorem deputatum, qui eas solvat seu eroget in sumptus pro Seminarii manutentione necessarios, et tam hujus depositi quam successivae solutionis seu erogationis simulque cujuslibet alterius exactionis non factae, et qua de causa documentum per eosdem Episcopos et Capitula ad antedictae Congregationis Secretarium quotannis transmittatur.

Quodsi in aliqua Dioecesi, computatis propriis Seminarii redditibus, si qui sint, necnon Beneficiorum antea cum effectu illi unitorum, ac fructibus parvorum Conventuum suppressorum praecedenter applicatis (quas quidem tum Beneficiorum uniones tum applicationes fructuum parvorum Conventuum firmas esse volumus), per hujusmodi etiam Taxam erectioni et sustentationi Seminarii, ad necessitatem nimirum uniuscujusque Dioecesis et Alumnorum, non autem ad pompam et voluptatem, sufficienter provideri nequiverit: tunc et eo casu ac in subsidium tantum
d Ordinarii Locorum eidem Seminario unire et applicare possint ac debeant Beneficia simplicia, cujuscumque qualitatis et dignitatis fuerint, etiam Jurispatronatus Ecclesiastici vel quomodocumque affecta et dispositioni Sedis Apostolicae reservata, sine tamen ullo divini cultus ac illa obtinentium praejudicio. Haec porro unio fiat statim et ante eorumdem Beneficiorum vacationem: nempe uniantur Beneficia primo loco vacatura usque ad certam annui redditus quantitatem, in ipsa unione specificandam, quae, computata Taxa insufficienti, satis esse possit sustentationi certi numeri Alumnorum pro unoquoque Seminario designatorum; ipsaque unio, statim ac Beneficia praedicta quomodocumque vacaverint, debitum atque integrum sortiatur effectum, fel. rec. Clementis VIII. ac Urbani pariter VIII. necnon aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum, Constitutionibus vel Decretis, in contrarium facientibus, non obstantibus.

Ceterum considerantes, Monasteria, Prioratus et Beneficia Consistorialia necnon aliqua alia indispensabiliter necessaria esse ac fore pro congrua sustentatione S. R. E. Cardinalium et Mi-

nistrorum, Romano Pontifici et Sedi Apostolicae actualiter inservientium, volumus et declaramus, quod Abbatiae, Prioratus et Monasteria Consistorialia seu Beneficia, quovis modo Apostolica auctoritate commendata et ad praesens obtenta ac in futurum obtinenda per antedictos S. R. E. Cardinales, seu veros et proprios Papae Familiares, Nuncios Apostolicos et Praelatos Congregationum, quibus iidem S. R. E. Cardinales intersunt, Secretarios dumtaxat, memoratis Seminariis uniri et applicari numquam possint, et uniones, quas forsan fieri contigerit, nullae ac irritae prorsus sint, firma in reliquis remanente libertate et facultate uniendi (servata tamen forma superius expressa et non aliter) cetera omnia Beneficia, etiam, ut praefertur, affecta et reservata vel alias ad provisionem ac dispositionem Sedis Apostolicae quomodolibet pertinentia.

Cum autem, sicut accepimus, Seminaria plerisque in locis ideo erecta minime reperiantur, vel quia Episcopi Taxam conficere detrectant, ne illam a semetipsis inchoare cogantur, vel quia Beneficia simplicia, quorum dispositio ad eos libere spectat, occurrente illorum vacatione, suis Familiaribus aliisve personis sibi gratis et bene visis conferre volunt: hinc est, quod Nos, omnem scopulum ac obicem impeditivum boni spiritualis, ab ejusmodi Seminariorum erectione provenientis, e medio prorsus tollere ac removere intendentes, Motu, scientia ac potestatis plenitudine paribus Congregationem Seminariorum nuncupandam, in qua Venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales Congregationi super negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium necnon Congregationi Interpretum Concilii Tridentini Praefecti, utriusque Congregationis Secretarii, Datarius seu Prodatarius ac Subdatarius nunc et pro tempore existentes esse debeant, tenore praesentium perpetuo erigimus ac instituimus, ejusdemque Congregationis Secretarium illum ipsum, qui Congregationis Concilii praedicti Secretarius pro tempore fuerit, constituimus ac deputamus; praedictaeque Congregationi ac illius Secretario omnium et singulorum Seminariorum in locis, ubi adhuc erecta non sunt, erigendorum, et ubi erecta quidem sunt, sed sufficientes non habent redditus, iis pro modo indigentiae, ut praefertur, augendorum omnimodam curam committimus ac demandamus; necnon ejusdem Congregationis Deputatis praedictis semel singulis mensibus, et quoties opus fuerit, se congregandi, dictorum Seminariorum erectionem promovendi, jam erectorum statum et proventus recognoscendi, eorum necessitatibus opportune consulendi, Taxas approbandi, reformandi et augendi, numerum Alumnorum in singulis Seminariis taxandi et praefigendi eumque pro modo redditum augendi et minuendi, statuta pro recto felicique eorumdem Seminariorum regimine et administratione condendi eaque mutandi, variandi, corrigendi ac toties, quoties illis expedire videbitur, de novo faciendi, emergentes controversias summarie, solaque facti veritate inspecta, cognoscendi et definiendi, Visitatores etiam, qui ejusmodi Seminaria diligenter perlustrent, et an recte atque fideliter administrentur, ac in iis potissimum regulae a Tridentino Concilio praescriptae sedulo adimpleantur, inspiciant et recognoscant, ubi, quando et quoties opus esse judicaverint, facto tamen prius verbo cum Romano Pontifice, pro tempore existente, delegandi ac deputandi aliaque in praemissis necessaria et opportuna pro data ipsis a Domino prudentia decernendi, gerendi et exequendi plenariam atque omnimodam facultatem, potestatem et auctoritatem tribuimus, concedimus ac impartimur.

Universis itaque Episcopis, quorum in Dioecesibus non adsunt vel congruis redditibus instructa non sunt Seminaria, per praesentes injungimus et mandamus, ut quamprimum praefatam Taxam sedulo conficiant eamque ad antedictae Congregationis Secretarium intra sex menses, a die publicationis praesentis Constitutionis computandos, omnino transmittant, una cum distincta et accurata relatione omnium Beneficiorum suarum Dioecesum eorumque annui valoris necnon locorum animarumque et Ecclesiarum in illis existentium cum suis qualitatibus, ad hoc ut eadem Congregatio, omnibus mature perpensis, statuere possit, an praedicta Taxa approbari necne debeat, simulque numerum Alumnorum, in unoquoque Seminario retinendorum, et summam pro singulorum sustentatione necessariam praescribere et reliqua tandem omnia, quae pro recta eorumdem Seminariorum administratione sedulaque Alumnorum institutione utilia ac opportuna judicaverit, salubriter decernere valeat.

Omnibus insuper Episcopis praefatis, ne de cetero pro se vel suis Vicariis aut Familiaribus quibuscumque sub quovis co-

a lore et praetextu habitatione, coquina, Famulis, Ministris aut Officialibus Seminarii vel Lectoribus, Magistris, Sacerdotibus et Clericis, quoquomodo inservientibus eidem Seminario, et Alumnis vel a Seminario salariatis et sustentis ac quomodocumque retentis uti audeant, districte sub poena interdicti ab ingressu Ecclesiae vetamus ac inhibemus: non tamen per hoc prohibere intendimus Episcopo Pontificalia exercenti, ne Caeremoniarum Magistro vel Sacerdotibus a Seminario retentis uti possit: imo ut eorum opera ac assistentia in ejusmodi Sacris functionibus libere uti valeat, plenam ipsi Episcopo tribuimus facultatem.

Postremo saluberrimae praefati Concilii dispositioni inhaerentes, volumus, praecipimus et sancimus, ut in omnibus Seminariis, tam hactenus erectis quam in posterum erigendis, Alumni Grammatices, Cantus Gregoriani, Computi Ecclesiastici aliarumque bonarum artium tantum disciplina erudiantur, et Sacrae Scripturae, Catechismi aliorumque Ecclesiasticorum Librorum, praesertim vero de Sacramentis Sacrisque Ritibus et Caeremoniis tractantium lectioni diligenter incumbant, ut, cum ad Vineam Domini excolendam vocati fuerint, dignos, peritos utilesque
b Operarios sese probare valeant fructumque ei reddant uberrimum temporibus suis:

Decernentes, praesentes Literas semper firmas, validas et efficaces existere ac fore suosque plenarios et integros effectus sortiri ac obtinere, necnon praemissa omnia et singula in illis contenta per eos, ad quos spectat et in futurum quomodolibet spectabit, exacte et inviolabiliter perpetuo observari; sicque et non aliter per quoscumque Judices ordinarios et delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos et alios quoslibet, quacumque potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate ac auctoritate, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari: non obstantibus, quatenus opus sit, Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis quibuscumque et praefatis Clementis VIII. et Urbani pariter VIII., Praedecessorum Nostrorum, aliisque Apostolicis, etiam in Universalibus Provincialibusque et Synodalibus Conciliis ad favorem quarumcumque personarum
c editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, necnon quorumvis Ordinum, Congregationum, Societatum ac Institutorum aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, Privilegiis quoque, indultis et Literis Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, Societatibus et Institutis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibus et aliis Decretis in genere vel in specie vel alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter
d et expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscumque.

Ut autem praesentes Literae ad omnium notitiam facilius deveniant, et nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus, illas seu earum exempla ad valvas Ecclesiae Lateranensis et Basilicae Principis Apostolorum necnon Cancellariae Apostolicae Curiaeque Generalis in Monte Citatorio, ac in acie Campi Florae de Urbe, ut moris est, affigi et publicari, sicque publicatas et affixas omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctare et afficere, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent; utque earumdem praesentium Literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem ubique fides in judicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrarum voluntatis, sanctionis, prohibitionis, institutionis, deputationis, praefectionis, commissionis, mandati, decreti et derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc

attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo vigesimo quinto septimo Idus Maji, Pontificatus Nostri Anno I.

P. M. Card. Prodat. *F. Card. Oliverius.*
Visa de Curia I. C. Archiepiscopus Amasenus.
Loco † Plumbi. *L. Martinettus.*
Registrata in Secretaria Brevium.

XXVIII. Mandata et Monita pro Medicis quoad spiritualem curam Infirmorum.

Cit. Tit. XXXII. Cap. I. pag. 392. d.

Versio Latina.

Ineffabilis Dei Bonitas, quae *non vult mortem impii, sed ut convertatur a via sua, et vivat,* vocat homines continuo ad poenitentiam, cum superabundantia tamen quadam amoris quaerit oppressos morbis, dum *superemanatione suae bonitatis* (ut scribit Magnus Areopagita) *ad se revocat et convertit,* ut eis amissam corporis non minus quam animae salutem reddat. Quoniam vero ingens in Ecclesiae Pastoribus delictum foret non cooperari Deo in commodum salutis animarum, pro quarum unaquaque, illorum curae commissa, aeternus Pastor propriam ipsorummet animam oppignorari voluit, dicens per os Ezechielis: *Impius si in iniquitate sua morietur, sanguinem ejus de manu vestra requiram:* idcirco Sanctitas Domini Nostri hortatur omnes Episcopos, ut se cognoscant eo magis obligatos et speciali vigilantia debere esse intentos earum sanctificationi, quo proximius timetur periculum illarum interitus. Cumque saepe contingat, ut ex inadvertentia principii malorum, quorum causa aegrotus decumbit, morbus ex improviso ingravescat, et infirmus vel confiteri suaque peccata deplorare omnino nequeat vel, increscente febre, perturbatus, confusus et quasi semimortuus confiteatur quidem, sed Deus scit, an debite dispositus: moritur denique aegrotus, quin aeterno animae suae statui recte providerit contra monitum Spiritus Sancti cuivis ab Ecclesiastico propositum: *Confiteberis vivens, vivus et sanus confiteberis et laudabis Deum et gloriaberis in miserationibus illius:* et illud aliud: *Ante languorem humilia te, et in tempore infirmitatis ostende conversationem tuam.*

Inhaerendo itaque Sanctitas Sua Constitutioni Generalis Concilii Lateranensis, celebrati sub Innocentio III. anno 1216., Bullae S. Pii V. emanatae 8. Martii 1566., et in quantum impraesentiarum inculcatum est in hoc Concilio Romano sub titulo *de Poenitentiis et Remissionibus*, expresse ordinat et iterato praecipit, ut Episcopi aliique locorum Ordinarii uniformiter in propriis Dioecesibus executioni mandent ac mandari curent:

I. Ut omnes Medici, Physici et Chirurgi Romae et cujusvis alterius civitatis ac Dioecesis prima die, qua visitabunt infirmum lecto decumbentem ex quacumque infirmitate (excepta podagra aut alia indispositione, lecticubationem de se non exigente) ante omnia illum monere debeant, ut vocet Medicum spiritualem sacramentaliterque confiteatur, cum in finem, ut, curata anima, salubriori cum profectu procedatur ad curationem corporis, juxta cap. *Cum infirmitas.* tit. superius cit.

II. Hunc in effectum Sanctitas Sua non praetermittit admonere et exhortari Conjunctos, Domesticos, Familiares et Amicos infirmi, ut quantocius proprium Parochum moneant; isque una cum ipsis persuadeat et efficacibus ac charitativis verbis inducat infirmum decumbentem ad confitendum peccata sua in statu magis commodo et proficuo tam animae quam corpori.

III. Ut Medici currente altero die animadvertentes, quod infirmus nondum sit confessus, de novo admoneant ac minitentur, se non amplius redituros ad medicandum, ni sequenti die ipsis fuerit exhibita scheda confessionalis, a Confessario scrubiptas.

IV. Quodsi tertia die redeuntibus necdum exhibita fuerit praedicta scheda, debeant iidem Medici, sub poena excommunicationis majoris latae sententiae, Summo Pontifici et Episcopis Locorum privative ac respective reservatae, et perpetuae insuper infamiae, privationis gradus facultatis Medicae, expulsionis e collegio Medicorum, necnon pecuniaria arbitraria, omnino ac totaliter intermittere curam infirmi, donec ipsis constet, mediante praedicta scheda confessionali, illum vel jam esse confessum, vel quod Parochus aliusve Pater spiritualis scripto etiam testetur, se eidem ex quodam rationabili motivo (super quo illorum con-

a scientia gravatur) concessisse aliud determinatum tempus ad peragendam confessionem; quo effluxo, nec obtenta dicta scheda, teneantur sub poenis praescriptis de novo intermittere curam.

V. Ne vero traditio praeceptae schedae negligatur a Confessariis cum praejudicio aegrotorum et Medicorum excusatione, praecipit Sanctitas Sua omnibus Confessariis, etiam Regularibus, cujuscumque Ordinis aut Instituti demum sint, etiam Societatis Jesu, sub poena respective reservata Suae Sanctitati et Episcopis Locorum suspensionis ipso facto ab excipiendis confessionibus, ut quamprimum ante diei illius lapsum relinquant in manibus infirmi aut alterius, qui in domo eidem assistit, schedam sive testimonium exceptae confessionis talis infirmi aut prorogationis ab ipsis eidem concessae, peragendi eam alio determinato die.

Postremo pro executione praescriptorum desiderat Sanctitas Sua, a quovis Episcopo peculiare hac super re formari Edictum, in propria Dioecesi publicandum: quo publicato ulterius exigit, ut sub poenis arbitrariis eorundem Episcoporum omnes et singuli Medici ad praeceptam observantiam juramento adstringantur,
b quae nil aliud continet, quam Summarium quoddam relatae Bullae S. Pii V.

F. A. Archiepisc. Episc. Abellin. et Frequentin.
Concilii Secretarius.

XXIX. Instructio pro parvulis prima vice ad Sacramentalem Confessionem admittendis.

Cit. Tit. XXXII. Cap. III. pag. 393. c.

Versio Latina.

INTRODUCTIO.

Quoniam S. Carolus Borromaeus in aureis suis Admonitionibus ad Confessarios suae Civitatis et Dioecesis Mediolanensis insinuat: *esse morem sanctum admittere parvulos, quamvis quintum aut sextum aetatis annum non excedant, seorsum unum post alterum ad Confessionale, ut incipiant paulatim instrui et induci in cognitionem ac consequenter in usum hujus Sacramenti:* Sanctitas Domini Nostri Benedicti Papae XIII. rem valde utilem judicavit
c proponere hujuscemodi Ministris, praesertim Parochis, sequentem eamque brevem instructionem in forma dialogi Confessarium inter et poenitentem, quoad res magis principales scituque necessarias Sacramenti Poenitentiae, verbis conceptam claris ac simplicibus, ad captum innocentiae teneraeque capacitatis parvulorum accommodatis.

PARS I. De obligatione Confessionis.

Conf. Edic, fili mi, esne aliquando confessus?
Poen. Nunquam, Pater.
Conf. Numquid scis, Christianos omnes, qui post Baptismum peccaverunt, habere obligationem confitendi?
Poen. Scio, Pater, et didici hoc in Doctrina Christiana.
Conf. Visne igitur confiteri?
Poen. Ita, Pater; et ideo scire desidero, quid sit Confessio.
Conf. Confessio est vera et legitima accusatio de propriis peccatis actualibus, facta Sacerdoti tamquam Dei Vicario ad obtinendam eorum remissionem, mediante absolutione Sacra-
d mentali.
Poen. Cum in confessione accusare nos debeamus de peccatis actualibus, scire cupio, quid sit peccatum actuale.
Conf. Peccatum actuale est voluntaria transgressio Legis Dei.
Poen. Quotuplex est peccatum actuale?
Conf. Duplex: mortale et veniale.
Poen. Quod est peccatum mortale?
Conf. Peccatum mortale est illud, quod committitur contra charitatem Dei aut proximi: diciturque mortale, quod animam privet vita spirituali, quae est gratia sanctificans, et addicat poenis aeternis inferni.
Poen. Quod est peccatum veniale?
Conf. Peccatum veniale est illud, quod non est contra charitatem, nec animam privat divina gratia, nec ducit ad poenas inferni: nihilominus tamen displicet Deo, quia non est secundum voluntatem et legem suam: diciturque veniale, quod utpote res levis facili modo mereatur veniam.
Poen. Quot modis peccari potest?
Conf. Tribus, cogitatione scilicet, verbo et opere.

Poen. Quae sunt peccata cogitationis?

Conf. Peccata cogitationis sunt illa, quae mente et corde committuntur, odium nempe, invidia, mala desideria, judicium temerarium etc.

Poen. Quae sunt peccata verbalia?

Conf. Sunt illa, quae committuntur loquendo, ut mendacium, juramentum, murmuratio, maledictio, blasphemia etc.

Poen. Quae sunt peccata operis?

Conf. Sunt illa, quae committuntur aut faciendo, quae fieri non deberent, uti sunt occidere, furari etc., aut si omittas facere ea, quae facere teneris, ut non audire missam die festo, frangere jejunium, cum jejunare deberes, proximo inferre damnum sive quoad personam sive quoad res etc.

Poen. Qua ratione cognoscere possum, an peccaverim?

Conf. Si voluntarie et cum advertentia transgressus es legem Dei, id est, si alteri fecisti, quod tibi fieri non velles, aut si non observasti aliquod praeceptum Decalogi vel Ecclesiae, aut si commisisti quoddam ex vitiis capitalibus.

Poen. Unde cognoscere possum, an peccatum sit mortale, aut veniale?

Conf. Si offensa est contra charitatem Dei vel proximi in re gravi, tuque eam commisisti plena cum advertentia et voluntate deliberata, peccatum est mortale: si vero offensa est in re levi (exceptis quibusdam casibus, in quibus levitas materiae non excusat a culpa gravi) aut si quidem sit in re gravi, facta tamen sine plena advertentia aut plena deliberatione, peccatum est veniale.

Poen. Quam poenam meretur peccans?

Conf. Qui committit peccatum mortale, continuo amittit amicitiam et gratiam Dei, filiationem adoptivam et haereditatem Paradisi, mereturque statim cum Daemonibus esse in inferno. Qui committit peccatum veniale, non amittit gratiam Dei, sed deficit in fervore charitatis; neque meretur poenam aeternam, sed temporalem solum, in hac vita aut in purgatorio exsolvendam.

Poen. Qua ratione post commissum peccatum mortale evadere possumus poenam inferni et recuperare filiationem adoptivam Dei ac de novo mereri Paradisum?

Conf. Accusando nos de culpa et recte confitendo peccata nostra coram Confessario.

Poen. Quomodo recte confiteri debeo peccata mea?

Conf. Tria facienda sunt, priusquam Confessionale accedas.

Primo. Instituendum examen conscientiae, ut peccatorum recorderis.

Secundo. Dolendum coram Deo de iis commissis, utpote offensis factis ipsi, summo bono et summe amabili.

Tertio. Petenda venia, cum firmo proposito non amplius peccandi.

PARS II. De Examine Conscientiae.

Poen. Quomodo instituitur Examen Conscientiae?

Conf. Oportet, ut in locum quemdam domus aut Ecclesiae solus secedas: ac imprimis Deum exores, ut tibi det gratiam reminiscendi omnia peccata. Postea perges cogitando, an praecepta Dei et Ecclesiae observaveris; an vitia capitalia fugeris, exempli gratia:

Primo. Deus praecipit, ut Patrem et Matrem honoremus. Cogita jam, an debitum illis honorem exhibueris: an illis obedieris: an illis bilem moveris etc.

Secundo. Praecipit Ecclesia, ut Sacrum die festo audiamus. Cogita jam, an quandoque omiseris audire Sacrum, an illi interfueris sine attentione, sine devotione aut modestia.

Tertio. Inter vitia capitalia est ira. Cogita jam, an nunquam contra proximum fueris iratus, an ex odio illi fueris imprecatus malum, an illi maledixeris aut blasphemaveris; quod ipsum etiam intelligitur de blasphemiis in Deum, Sanctos et mortuos.

Poen. Quantum temporis impendendum examini conscientiae rite faciendo?

Conf. Tantum, quantum impenderes recordationi rei, quae tua multum interest, et hoc praestito, non teneris ulterius immorari.

PARS III. De Dolore.

Poen. Facta rememoratione peccatorum, qua ratione concipiendus est dolor de offensa Deo facta?

a *Conf.* Oportet, ut Dominum ores, cum nullus de peccatis dolere queat, nisi Deus gratia sua cor moveat: attente insuper considerabis, peccatum mortale esse maximam injuriam Deo illatam, qui propter infinitam bonitatem suam meretur non offendi, sed amari supra omnes res et ab omni creatura.

Poen. Pater, explica mihi melius, qualis esse debeat hic dolor.

Conf. Dolor hic potest esse duplex, perfectus, qui vocatur Contritio, et imperfectus, qui vocatur Attritio.

Poen. Qualis est dolor perfectus, qui Contritio dicitur?

Conf. Dolor perfectus sive Contritio est dolor charitate perfectus, quo ex solo amore Dei, ut summi Boni, nobis super omnia mala displicet commisisse peccatum.

Poen. Et quis est dolor imperfectus, qui Attritio vocatur?

Conf. Dolor imperfectus vel Attritio est dolor de commisso peccato, qui communiter concipitur aut ex metu Gehennae et amissi Paradisi aut ex turpitudine ipsius peccati.

Poen. Quinam dolor est melior, perfectus an imperfectus?

Conf. Non est dubium, quin dolor perfectus, nempe Contritio, sit melior; elicienti enim actum Contritionis, in quo etiam
b includitur voluntas confitendi, a Deo continuo remittitur peccatum: at elicienti actum Attritionis peccatum non remittitur sine praevio Sacramento Poenitentiae. Attritio nihilominus disponit hominem ad impetrandam in Sacramento veniam peccatorum et gratiam Dei.

Poen. Quinam ex his duobus doloribus necessarius est ad Confessionem?

Conf. Communis hodie est sententia, quod dolor vel Contritio perfecta sit bona, non tamen necessaria ad Confessionem; cum sufficiat dolor imperfectus, nempe Attritio, [aut pura] superius explicata, aut ad summum illa, quae conjuncta est cum inchoativo quodam amore benevolentiae erga Deum; quod hucusque indecisum reliquit Sacra Sedes.

Poen. Doce me, Pater, elicere actum Contritionis.

Conf. Libenter. Sic igitur ora:

Actus Contritionis.

c „Deus meus et Dominus meus, cum sis summum, infinitum et perfectissimum Bonum, amo te super omnia, et ideo me poenitet, et ex toto corde doleo, quod te toties offenderim peccatis meis. Abominor ea omnia et detestor super omnia mala, maxima cum displicentia, et rogo humiliter veniam, cum firmo proposito, tua sancta gratia auxiliante, te imposterum non amplius offendendi."

Quodsi dein ad oblectationem tuam spiritualem ambires etiam cantando elicere quemdam actum Contritionis, ecce brevem cantilenam:

Offesi il mio Signore,	Ah! offendi meum Dominum
Mio Dio, mar di pietà, fonte di amore!	Et Deum meum gratis:
	Fontem amoris interminum,
Ingrato, offesi à torto	Oceanum Pietatis.
Chi sol per amor mio in Croce è morto.	Qui pro me mortem pertulit,
	Offensam a me retulit.
Pentomi, sommo Ben, Bontà infinita:	Heu! displicet, o Bonitas summa et infinita,
Mai più ti offenderò, mai più, mia Vita.	Non ultra jam offendam te, non ultra, mea vita.

d *Poen.* Confitens peccata sua sine dolore et sine proposito non amplius peccandi, impetratne veniam?

Conf. Si non habeat dolorem saltem imperfectum, nempe Attritionem, cum firmo proposito, saltem implicito, de caetero non peccandi: certum est, si confiteatur, confessionem non valere, nec eum recipere veniam suorum peccatorum.

Poen. Cui rei maxime invigilandum, dum quis se praeparat ad Confessionem?

Conf. Prae reliquis procurandus et a Deo expetendus est hic dolor et hoc propositum; nam qui nil aliud agit, quam quod peccata sua reminiscatur eaque Confessario recitet per modum historiae, non bene confitetur.

Poen. Quare ad rectam Confessionem tam necessarius est dolor et propositum?

Conf. Quia dolor de peccatis cum proposito non amplius peccandi est pars absolute necessaria ad Sacramentum Poenitentiae.

Poen. Quot sunt partes necessariae hujus Sacramenti?

Conf. Sunt tres: Contritio vel Attritio, Confessio peccatorum

cum absolutione Sacerdotis et satisfactio, id est poenitentia a
persolvenda post obtentam absolutionem.

PARS IV. De Confessione.

Poen. Cum de dolore jam me informaveris, doce nunc, quomodo peragenda sit confessio?

Conf. Facto examine conscientiae, corde dolente et humiliato, quin alii cuidam, quantum fieri potest, loquaris, directe te deferes ad Confessionale. Ibi genuflexus, formato signo Crucis, cum devotione recitabis *Confiteor,* usque ad verba: *mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa;* et in prolatione horum verborum pectus percuties, dolendo, quod Deum offenderis. Dein clare, fideliter et cum verecundia confiteberis peccata tua, prout ea memoria collecta tenueris. Exempli gratia: „Pater, accuso me, quod Deum non amaverim, prout debebam, et in particulari, quod me non converterim ad Ejus Majestatem a tempore, quo illum cognorim. Tria mendacia dixi: semel juravi: bis offendi respectum erga meam Matrem: semel die festo non audivi Sacrum. Bis proximo imprecatus b
sum malum: ter maledixi mortuis“. Atque ita hoc ordine et hac claritate peccata tua explicabis.

Poen. Suntne omnia peccata proferenda in confessione?

Conf. Omnia peccata mortalia sunt explicanda in specie, numero et cum circumstantiis; quia haec sunt materia necessaria Sacramenti Poenitentiae.

Poen. Debemusne etiam confiteri venialia?

Conf. Nulla est obligatio ea confitendi, cum his non amittatur amicitia Dei. Nihilominus, si quae velis confiteri, debebis eundem habere dolorem ac propositum ea non amplius committendi.

Poen. Si quis omitteret quoddam peccatum mortale, foretne Confessio valida?

Conf. Si ex malitia voluntario omitteret, aut quia non bene instituisset examen conscientiae, committit peccatum mortale sacrilegii, estque Confessio nulla: et obligatur poenitens de novo illam Confessionem repetere seque accusare de sacrilegio commisso.

Poen. Quid, si quis sine malitia omittat peccatum quoddam c
mortale?

Conf. Tunc non peccat; et ab illo peccato, quod oblitus est confiteri, absolvitur sicut a caeteris. Nihilominus in proxima sequenti Confessione obligatur illud Confessario explicare.

Poen. Si ab illo peccato jam est absolutus, cur illud tenetur adhuc confiteri?

Conf. Ideo, ut satisfiat praecepto peragendi Confessionem integram peccatorum, prout in memoriam venerint; secus peccatur mortaliter contra hoc praeceptum.

Poen. Quid vult dicere confiteri peccata in specie et numero?

Conf. Quod non sufficiat dicere Confessario: Pater, peccavi; sed debet explicari qualitas peccati, et quoties illud fuerit commissum. Exempli gratia: semel furatus sum: bis blasphemavi: ter mendacia dixi etc.

Poen. Si quis ignoraret certum numerum peccatorum, quomodo se deberet in Confessionali accusare?

Conf. Debet prius reflectere ad majorem minoremve numerum: eligendo dein medium, apponet particulam *circiter.* Exempli gratia: blasphemaverit quis, et nescit an octies, decies aut d
duodecies, tunc poterit dicere: Pater, blasphemavi decies circiter.

Poen. Instructus jam de specie et numero peccatorum, scire quaedam vellem de circumstantiis.

Conf. De his scias, esse indubitatam obligationem explicare in Confessione non solum speciem et numerum peccatorum, sed etiam circumstantias peccati speciem mutantes aut annexam habentes censuram; ut, si quis furetur rem sacram; cum sit sacrilegium: si quis percutiat personam Ecclesiasticam; quia praeter sacrilegium incurrit etiam excommunicationem.

Quantum dein ad circumstantias peccati speciem non mutantes, notabiliter tamen aggravantes, duplex est Doctorum opinio. Alii affirmant, alii negant, dari obligationem eas in Confessione explicandi.

Caeterum scito, poenitentem semper obligari ad dicendam veritatem, si a Confessario de peccatis suis quaeratur ad cognoscendum ejusdem statum conscientiae.

Poen. Facta Confessione peccatorum, quid ultra Confessario dicendum?

Conf. Enarratis omnibus peccatis, prout memoria fuerunt collecta, laudabile est subjungere: „Pater, accuso me de omnibus aliis peccatis, quae commisi a tempore usus rationis; sique ea reminiscerer et cognoscerem, confiterer omnia: et ideo doleo de omnibus, ac poenitet me summopere, quod Deum meum offenderim; petoque a te, mi Pater, qui loco Christi hic sedes, humiliter salutarem poenitentiam et absolutionem.“

PARS V. De Satisfactione sive Poenitentia.

Poen. Si Confessarius mihi imponat gravem poenitentiam, teneorne illam acceptare?

Conf. Si consideres, quodvis tuum peccatum esse gravissimam injuriam Deo illatam, facile comprehendes, secundum communiorem Doctrinam te semper obligari ad eam acceptandam, quantumlibet gravem; prout etiam oportet humiliter suscipere omnes admonitiones et consilia data a Confessario in salutem animae. Si tamen reputares, te non posse talem poenitentiam implere, rogabis humiliter, eam permutari.

Poen. Estne poenitentia subito persolvenda?

Conf. Si Confessarius non determinavit tempus, convenit eam impleri, quamprimum potest, et priusquam novum mortale peccatum incurratur.

Poen. Satisfietne poenitentiae, si ea persolvatur in statu peccati mortalis?

Conf. Juxta communem satisfit obligationi impositae a Confessario, ita ut, qui in statu peccati mortalis persolvit poenitentiam a Confessario injunctam, eam non teneatur denuo repetere in statu gratiae.

Poen. Estne peccatum, persolvere poenitentiam in statu peccati mortalis?

Conf. Veniale solum.

Poen. Qui omittit persolvere poenitentiam, quale peccatum committit?

Conf. Si omittatur poenitentia gravis injuncta ob culpam gravem, ut sunt jejunia, disciplinae, orationes longae, peregrinationes et similia, peccatum est mortale: si vero sit levis, data ob culpam levem, ut aliquot Pater noster vel Ave Maria, peccatum est solummodo veniale.

Poen. Poenitentia injuncta, quid amplius a Confessario exspectandum?

Conf. Complementum Sacramenti Poenitentiae, quod est absolutio de peccatis.

PARS VI. De Absolutione.

Poen. Dum Confessarius impertitur absolutionem, quid agendum?

Conf. Debes junctis manibus humillime inclinatus renovare, quantum potes, coram Deo dolorem omnium peccatorum in vita tua commissorum, cum firmo proposito de cetero non peccandi, ac rogare Divinam Majestatem, ut, sicut Confessarius te absolvit hic in terra, ita ejus infinita Misericordia absolutum te habeat in coelis per merita Passionis Divini Filii sui Domini Nostri et Redemptoris Jesu Christi.

Poen. Obtenta absolutione, quid praestandum superest?

Conf. Dimissus a Confessario, genuflexus ante Altare aut in alio loco honesto, recitabis sequentem aut aliam similem orationem:

ORATIO POST CONFESSIONEM.

„Gratias tibi ago, Deus meus, laudo te et benedico te pro gratia, quod me ad confessionem meorum peccatorum admiseris. Rogo te per merita Beatissimae Virginis Mariae, Dominae Nostrae et Advocatae, ac omnium Sanctorum, ut hanc meam Confessionem ratificare velis: et si quid negligenter egi, suppleat pietas et misericordia tua magna, ac secundum magnitudinem illius, Amantissime Deus, dignare me habere plene et perfecte absolutum hic et in coelis. Amen.“

Conclusio.

Postremo Sanctitas Sua ordinat, ut omnes Parochi in docendis parvulis modum rite confitendi utantur hac instructione eamque illis communicent juxta methodum pro Doctrinae Chri-

stianae traditione praescriptam; in qua insuper Sanctitas Sua a
proponit formam instruendi adultos harum rerum adhuc ignaros.

F. A. Archiepisc. Abellinen. et Frequentin.
Concilii Secret.

XXX. Instructio pro illis, qui prima vice accedunt ad Sacram Mensam.

Cit. Tit. XXXII. Cap. III. pag. 393. c.

Versio Latina.

INTRODUCTIO.

Si naturales Patres prolibus suis ad sustentationem et incrementum vitae temporalis corporis necessarium victum subministrare tenentur, major adhuc tam eos quam Patres spirituales, quales sunt Parochi et Ludimagistri, quibus incumbit educatio filiorum, obligatio constringit, providere iisdem de cibo supersubstantiali Sacratissimi Corporis Christi Domini Nostri, quo spiritualiter nutriantur et sancte educentur quoad vitam b
animae, aeternum victurae in coelo, utpote ultimo fine, propter quem conditi et ad breve tempus in hoc mundo a Deo positi sunt. Vere proprio ore dixit Christus: *Ego sum panis vivus, qui de Coelo descendi: si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum.* Jo. 6. v. 51. 52.

Ut igitur satisfiat pio eorum desiderio, qui nunquam adhuc pasti sacra Mensa, modum addiscere cupiunt ad eam digne accedendi ac fructuose percipiendi Sacramentum Eucharistiae, Sanctitas Domini Nostri Benedicti XIII. proficuum sane judicavit, praesentem instructionem in forma Dialogi Parochum inter et parvulos edere in eoque breviter et clare explicare, quid sit Sacramentum Eucharistiae: quam utilitatem afferat percipienti: quaeque dispositio ad Sacram Communionem requiratur.

PARS I. De Excellentia Sacramenti Eucharistiae.

Parochus. Desideratisne Sacram Communionem?
Parvuli. Desideramus et quidem a longo tempore.
Paro. Quid creditis esse hanc Communionem?
Parv. Credimus nomine Communionis intelligi Sacramentum c
Eucharistiae, prout didicimus in Doctrina Christiana.
Paro. Non meministis, vobis dictum ad susceptionem hujus Sacramenti multa requiri?
Parv. Id ipsum est, quod nunc discere cupimus.
Paro. Bene: estote igitur attenti: ego, ne mentem vestram confundam, docebo vos juxta capacitatem vestram ea, quae magis necessaria sunt ac majoris momenti.
Parv. Attendimus: sed explica imprimis, quid sit Sacramentum Eucharistiae?
Paro. Eucharistia sive Communio est unum ex septem Sacramentis, a Jesu Christo institutum, in quo sub speciebus panis et vini continetur verum Corpus et verus sanguis cum anima et Divinitate ipsius Christi Salvatoris Nostri.
Parv. Quando hoc Sacramentum fuit a Christo institutum?
Paro. In ultima Coena, quam cum Discipulis fecit nocte ultima ante suam Passionem.
Parv. Quare hoc Sacramentum vocatur Eucharistia?
Paro. Eucharistia idem sonat ac *gratiarum actio:* ad informationem nostram, ut, quoties sumimus Corpus et Sanguinem d
Christi, eidem gratias agamus pro amore, quem nobis exhibuit, sustinendo mortem Crucis et relinquendo nobis seipsum pro cibo spirituali animae.
Parv. Qua ratione substantia panis et vini convertitur in Corpus et Sanguinem Christi?
Paro. Vi verborum a Sacerdote consecrante super hostia et vino prolatorum.
Parv. Quis tantam virtutem verbis illis tribuit?
Paro. Jesus Christus, qui est Deus Omnipotens atque id facit ac facere potest, quod nobis videtur impossibile.
Parv. Si quis non Sacerdos proferret haec verba, consecraretne?
Paro. Minime; cum solis Sacerdotibus a Deo collata sit potestas consecrandi panem in Corpus et vinum in Sanguinem.
Parv. Quando ergo Jesus Christus subit hostiam et calicem?
Paro. Statim, finitis a Sacerdote verbis Consecrationis.
Parv. Ergo, facta Consecratione, hostia non est amplius panis, nec in calice vinum?
Paro. Ut dicitis.
Parv. Qua ratione asseris, non adesse amplius nec panem nec vinum, si tamen videtur color ejusdem, et sentitur odor ac sapor?
Paro. Etsi post consecrationem remaneant species sive apparentia panis et vini, nempe sapor et odor ac color; nihilominus tamen non amplius adest substantia panis et vini, sed solum substantia veri Corporis ac Sanguinis Jesu Christi.
Parv. Quomodo remanere queunt species panis ac vini sine eorum substantia?
Paro. Per miraculum; nam ita voluit Dominus per bonitatem suam, et ita potuit per suam omnipotentiam.
Parv. Unde obligamur omnia haec credere?
Paro. A nostra Sancta Fide.
Parv. Peccaretne non credens aut dubitans?
Paro. Omnino, et quidem mortaliter, essetque haereticus.
Parv. Quomodo Christus existit sub hostia et vino consecrato?
Paro. Vivus et gloriosus, cum Corpore et Anima et Divinitate, prout est in coelis.
Parv. Descritne Christus coelum, dum in hostiam et calicem descendit?
Paro. Nequaquam; sed eodem tempore, quo sedet in coelis ad dexteram Patris, existit etiam in Sanctissimo Sacramento.
Parv. Scire desideramus, cur nos non sumamus Corpus et Sanguinem Christi, sicut Sacerdotes.
Paro. Sacerdotes sumunt hoc Sacramentum sub utraque specie ad observantiam rituum Missae et perfectionem Sacrificii. Laicis vero, et qui non sunt Sacerdotes, sufficit illud sumere sub specie panis; cum enim sub ea sit Corpus Christi vivum, cum Corpore Sanguis quoque sumitur, sicut in Calice cum Sanguine etiam adest Sacratissimum Corpus.
Parv. Qui in Communione solum mediam particulam accipit, sumitne Jesum Christum totum?
Paro. Certum est, quod integrum accipiat: nam Jesus Christus, sicut totus et integer in calice et hostia majori, ita etiam in minori seu particula et qualibet ejus minima parte existit.
Parv. Praeter Personam Christi existitne alius Sanctus in hostia et calice consecrato?
Paro. Nullus omnino, nec Angeli, nec Beatissima Virgo, sed quia Christus est verus homo et verus Deus, cum Persona Christi Filii Dei per naturalem concomitantiam etiam adest Pater et Spiritus Sanctus.
Parv. Ergo confiteri debemus, magnum hoc esse Sacramentum?
Paro. Est majus et excellentius omnibus reliquis; nam in hoc Sacramento continetur Jesus Christus, Auctor omnium Sacramentorum et Dispensator gratiarum omnium.
Parv. Magnam ergo utilitatem afferet frequens Communio?
Paro. Sine dubio; nam hoc Sacramentum semper multos bonos effectus causat in eo, qui illud digne percipit.

PARS II. De effectibus Sacramenti Eucharistiae.

Parv. Edoce nos, amabo, effectus speciales hujus Sacramenti.
Paro. Primo. Cum hoc Sacramentum sit cibus et potus spiritualis: qui illud digne suscipit, in eo restaurat vires amissas animae, sicut cibus et potus materialis reficit vires corporis.

Secundo. Auget in anima gratiam sanctificantem et fervorem charitatis et amoris erga Deum et proximum.

Tertio. Replet gustu et dulcedine spirituali.

Quarto. Servit pro antidoto ad curandas et delendas culpas veniales et quotidianas.

Quinto. Praeservat a mortalibus, refraenando motus sensuales carnis et roborando contra tentationes Daemonis.

Sexto. Denique in termino vitae nostrae temporalis est nobis instar cibi, roboris et viatici, ut spiritu vegetati ad vitam aeternam transeamus.

Parv. Praeter effectus praedictos prodestne ad alium usum Sanctissima Eucharistia?
Paro. Hucusque consideravimus Sacram Eucharistiam ut Sacramentum, quod in Sanctissima Communione suscipitur; at si etiam consideretur ut Sacrificium, quod Deo in Sacra Missa offertur, conducit sine dubio ad alios effectus.
Parv. Quinam illi sunt?
Paro. Sunt plurimi, sed sufficit, ut sciatis hos quinque, qui sunt principales fines, propter quos Sanctum Sacrificium offertur.

Primo. Ut honoretur et agnoscatur Deus ut absolutus Dominus Noster. a

Secundo. Ut ei agantur gratiae pro omnibus beneficiis acceptis, tam spiritualibus quam temporalibus.

Tertio. Ut nos reconciliemur amicitiae Dei et obtineamus remissionem peccatorum nostrorum.

Quarto. Ut impetremus a Divina Misericordia illas gratias et virtutes, quae ad suam majorem Gloriam spectant.

Quinto. Ut satisfiat mediante Sanguine Jesu Christi poenis debitis culpis nostris tam pro nobis vivis quam pro animabus in purgatorio.

PARS III. De dispositionibus necessariis ad Sanctissimam Communionem.

Parv. Quales dispositiones requiruntur ad dignam Communionem?

Paro. Aliquae dispositiones requiruntur in corpore, et aliae sunt necessariae pro anima.

Parv. Quales requiruntur dispositiones quoad corpus?

Paro. Principaliter requiritur, ut sis jejunus a media nocte praecedente usque ad tempus Communionis, ita ut nec comederis nec biberis quidquam, quantumvis minimum, neque etiam per modum medicinae.

Parv. Possetne quis in articulo mortis non jejunus communicare?

Paro. Utique, si communionem sumit per modum viatici.

Parv. Requiriturne alia dispositio quoad corpus?

Paro. Requiritur, ut ad Sacram Mensam accedatis summa humilitate et modestia tam gestuum quam vestitus.

Parv. Haec quoad corpus: qualis dispositio requiritur quoad animam?

Paro. Prae reliquis maxime necessarium est, ut anima sit in statu gratiae, id est sine peccato mortali.

Parv. Quare hoc requiritur?

Paro. Ideo quia, sicut panis ordinarius non proficit corpori mortuo, sic panis spiritualis Sanctissimae Eucharistiae juxta suam institutionem non est ordinatus, ut proficiat animae mortuae quoad gratiam.

Parv. Qui sumit Sacram Communionem in statu peccati mortalis, quod malum committit?

Paro. Infert Deo gravissimam injuriam et Sacratissimo Corpori Christi, quia indigne communicat, ideoque committit aliud peccatum mortale sacrilegii.

Parv. Qui in statu peccati mortalis existit, quid debet procurare ad dignam Communionem?

Paro. Debet prius debito cum dolore et proposito confiteri et absolvi.

Parv. Sufficit ergo Confessio et status gratiae ad Sacram Communionem?

Paro. Ad digne communicandum sufficit; sed ad obtinendos uberiores effectus hujus Sacramenti, opus est, ut accedatis sine ullo affectu ad quodcumque peccatum veniale et insuper cum fide, timore et amore erga Dominum.

Parv. Quomodo accedendum cum fide?

Paro. Firmiter credendo, quod in Sacra Communione sub figura sacrae particulae accepturi sitis vivum Corpus Jesu Christi, veri Dei et Hominis, Omnipotentis, Creatoris coeli et terrae, d ipsiusmet Filii Dei, qui pro nobis natus ex Maria Virgine et in Cruce pro nostra salute mortuus est.

Parv. Quomodo accedendum cum timore?

Paro. Considerando, quod respectu Dei vilissimae sitis creaturae et miseri peccatores, infernum potius promeriti, quam accessum ad Sacram Mensam; atque ideo saepius mente replicabitis haec verba: *Domine, non sum dignus.*

Parv. Quomodo denique cum amore accedendum est?

Paro. Cogitando, quod suscepturi sitis Jesum Christum, tam charum, tam amabilem, ut omnium corda ad se trahat: illum Jesum, qui in animam vestram descendit, ut arctius vobis uniatur ac se vobiscum et vos secum unum quid efficiat.

Parv. Estne omnis communicans obligatus haec scire?

Paro. Scire ad minimum debet, quid in hoc Sacramento sumat, nempe Sanctissimum Corpus Christi viventis, sicut etiam nosse debet necessariam praeparationem ad hoc requisitam.

PARS IV. De obligatione sumendi Sacramentum Eucharistiae.

Parv. Daturne praeceptum obligans ad Sacram Communionem?

Paro. Juxta doctrinam hodie communissimam extat praeceptum Christi dicentis, quod, nisi manducaverimus ejus Carnem, non simus acquisituri vitam aeternam.

Parv. Daturne aliud praeceptum particulare?

Paro. Habemus praeceptum Sanctae Matris nostrae Ecclesiae, quae praecipit omnibus fidelibus Christianis, ut saltem semel in anno communicent, nempe circa festum Paschae.

Parv. Quandonam haec praecepta incipiunt obligare?

Paro. Quamprimum Parvuli ad annos discretionis pervenerint, nempe ad illam aetatem, in qua discernere queant cibum hunc Sacramentalem, qui non est aliud, quam verum Corpus Jesu Christi, a pane communi et profano et norint accedere debita cum pietate et devotione.

Parv. Sufficitne, si septennium attigerit?

Paro. Nequit hac in parte certa dari regula: sed attendi debet eorum capacitas et prudentis Confessarii directio.

b *Parv.* Peccantne non communicantes, si debitam aetatem attigerint?

Paro. Peccant, si ex proprio defectu instrui aut communicare nolint; at si defectus sit ex parte patris aut matris alteriusve, qui ad dandam instructionem obligatur, hi peccabunt mortaliter.

Parv. Estne quid aliud scitu necessarium?

Paro. Superest praxis circa sumptionem Sacramenti observanda.

PARS V. De Sanctissima Communione.

Parv. Qualiter indutos esse oportet accedentes ad hoc Sacramentum?

Paro. Solent nonnulli Parochi et Patres spirituales admittere prima vice communicantes in habitu Angelorum; qui mos religiosus non improbatur. Ordinarie tamen accedendum est vestibus solitis, mundis quidem, at non superbis et vanis, imo cum gravitate et modestia.

Parv. Explicet jam, quomodo sumenda sit Sacra Eucharistia.

c *Paro.* Libenter. Suadeo igitur, ut ante Communionem eliciatis sequentes actus, qui sunt octo.

Primo. Nocte praecedente commendabitis vos Deo, Sanctissimae Virgini, Angelo Custodi ac Sancto Tutelari, cujus nomen geritis, ut digni efficiamini sumptione Corporis Jesu Christi.

Secundo. Procurabitis in vobis ingens desiderium unionis cum Deo.

Tertio. Mane, ac primum surrexeritis, eodem cum desiderio recta pergetis ad templum, ubi cum nemine confabulantes, preces quasdam recitabitis.

Quarto. Postea debita cum praeparatione et dolore de peccatis peragetis Confessionem.

Quinto. Ita dispositi, summa cum devotione accedetis altare, ibique genuflexi, demissis oculis, ac manibus super pectus decussatis, consistetis.

Sexto. Tunc renovabitis, prout vos instruxi, actus fidei, timoris ac amoris in Jesum Christum, firmiter sperantes, quod, mediante sua gratia, dignos vos sit redditurus, ut non solum Sacramentum, sed etiam virtutem et effectus hujus Sacramenti obtinere mereamini.

Septimo. Dum Sacerdos manibus Sacramentum tenens profert verba: *Domine, non sum dignus,* vos eadem humiliato corde replicabitis: et jamjam communicandi, sublevatis pie ac modeste ad Sacram Particulam oculis, et lingua parumper extra os porrecta, accipietis Corpus Christi.

Octavo. Quo accepto, denuo submissis oculis ac capite recedetis; attenti, ut subito deglutiatis Sanctam Particulam: et casu, quo palato adhaereret, nolite eam solvere digito, sed lingua, aut si opus sit, sorbendo pauxillum aquae.

Parv. Quid post Communionem agendum?

Paro. Saltem per quadrantem horae, quantum fieri potest, abstinebitis ab exspuendo, esu ac potu, manebitisque genuflexi contemplando Jesum Christum, in corde vestro habitantem, cui pro tanta dignatione gratias amore plenas referetis, cumque exorabitis, ut a vobis non discedat, quin Divinam suam vobis benedictionem relinquat.

Parv. Quae preces dicendae post Communionem?

Paro. Qui literas et linguam latinam callet, uti poterit oratio- a
nibus in Officio Mariano contentis. Reliqui pro lubitu dicere poterunt sequentem:

ORAZIONE DOPO LA COMUNIONE.

„O Amabilissimo mio Dio, mio Gesù, mio Creatore, mio Conservatore, mio Redentore, mio Glorificatore, io vostra Creatura non ho altra fede, nè altra speranza, nè altro amore, che à voi, in voi, e per voi. Vi adoro, vi ringrazio, vi benedico, e vi prego, che la beatissima presenza del vostro Santissimo Corpo, il quale, nascosto sotto la sembianza di pane, ho ricevuto quest' oggi dentro di me, santifichi in tal modo l'anima mia, che da b
hora avanti io, fuor di voi, non senta altra dolcezza, non desideri altra consolazione, non ami altra bellezza, non cerchi altro amore. In avvenire non habbia io altro timore, che di offendervi, e disgustarvi, nè mi curi di altro onore, che di servirvi, ed amarvi sempre in questa vita, per poi vedervi, godervi, ed amarvi eternamente nel Cielo. Così sia."

(„O mi amabilissime Deus, mi Jesu, Creator, Conservator, Redemptor et Glorificator meus, ego creatura tua aliam fidem, spem et amorem non habeo, nisi ad te, in te et propter te. Adoro te, gratias tibi ago et benedico ac rogo te, ut beatissima praesentia tui Sacratissimi Corporis, quod absconditum sub speciebus panis hodie intra me recepi, sanctificet animam meam, ita ut imposterum praeter te non sentiam aliam dulcedinem, non desiderem aliam consolationem, non amem aliam pulchritudinem, non quaeram alium amorem. Non sit mihi jam alius timor, nisi te offendendi; nec curem de alio honore nisi tibi serviendi et te semper in hac vita amandi, ut tandem videre, frui et amare te aeternum merear in coelis. Amen.")

Parv. Persoluta hac oratione licebit exire templo?

Paro. Proderit non statim abire, sed manere paululum pro agendis gratiis etiam Beatissimae Virgini, Angelo Custodi et Sancto Tutelari ob specialem eorum assistentiam: quibus demum peractis, poteritis in Nomine Domini pergere domum; ubi illo die declinantes plus solito frequentiam hominum ac ludos, maxime prava consortia, exercitiis devotionis vacabitis, frequenter memoria recolentes summum beneficium, a Deo vobis concessum, et gratias a Sacra Communione promanantes.

Conclusio.

Proposita a Sanctitate Domini Nostri praesenti Instructione, quae facili sane negotio parvulis ad primam Communionem disponendis instillari poterit, obligat praecise omnes Parochos, onerando eorum conscientiam, ut speciali industria hanc Instructionem adhibeant juxta methodum pro doctrina Confessionis traditam, eum in finem, ut adulti quoque bonum et intentum a Sanctitate Sua fructum inde haurire queant.

F. A. Archiepisc. Abellin. et Frequent.
Concil. Secret.

CONCILIUM PROVINCIALE AVENIONENSE,

a Francisco Mauritio De Gonteriis Archiepiscopo Metropolitano habitum anno 1725. [1]

BREVE PONTIFICIUM BENEDICTI

Divina Providentia Papae XIII.,

Quo probatur Consilium convocandae Synodi Provincialis Avenionensis.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Avenionensi

Benedictus PP. XIII.

Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Ex Litteris fraternitatis tuae laetitiam hausimus plane singularem, cum te ad celebrandum istius Provinciae Concilium pro vigilantiae Pastoralis officio paratissimum esse intelleximus et, quod proposito hujus sanctae Romanae Ecclesiae exemplo urgere in caeteris Provinciis nitimur, a sedulitate tua jam pene repraesentatum esse perspeximus. Quae sane consolatio adventus tui desiderium lenivit et uberi gaudio compensavit. Immo vero, qui omnium Ecclesiarum necessitatibus Apostolica sollicitudine adesse debemus, fraternitatem tuam, curis nostris sua etiam studia sociantem, minime a nobis abesse reputamus. Adsit autem operariis suis coelestis Pater-familias, ut vineae florentes, ipso dante benignitatem, dent fructum suum. Ac fraternitati tuae Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die octava Maji MDCCXXV., Pontificatus nostri anno primo.

C. Archiepiscopus Emisenus.

INDICTIO

Concilii Provincialis Avenionensis.

Franciscus Mauritius

Dei et Apostolicae Sedis Gratia Archiepiscopus Avenionensis ac Metropolites.

Praemonstrante nobis Beatissimo Patre et Supremo Pontifice Nostro Benedicto XIII., qua studii in dies impensioris assiduitate, quave sollicitudinis opera concreditis ovibus prodesse simul ac praeesse debeamus, nihil tum sacro muneri nostro magis consentaneum duximus, tum dignitati Pallii nobis, licet immeritis, traditi congruum magis, quam ut ad tanti exemplaris formam nosmetipsos fingeremus, votisque ipsius in duplici Apostolica pagina ad nos demissa benigniter expressis debitum praestantes obsequium, celeri Concilii Provincialis indictione responderemus, majorumque itidem nostrorum caduca ac pene abolita vestigia renovantes, pergratum sanctae Avenionensis Ecclesiae ad fidelium aedificationem in unum congregatae spectaculum praeberemus.

Et sane, cum ea summorum Pontificum et Generalium Conciliorum mens ab initio fuerit, ut quolibet triennio ageretur in unaquaque Metropoli Episcoporum conventus, in quo et perfecta ipsorum consensione et totius Cleri unanima conspiratione reviviscerет sacrorum Canonum observantia, coagmentaretur magis magisque in probatis fidei ac disciplinae regulis concordia, tan-
a demque, uno afflante Spiritu, una nobis fides esset mentium et pietas actionum.

Hinc est, quod tanti momenti officio satisfacere flagrantissime cupientes, triplici jam quidem Pastorali visitatione ac una Dioecesana Synodo Comitiorum id genus defectum supplere pro nostra virium tenuitate studuimus: at, obstante non semel rerum temporumque calamitate, tanta nobis exsequi ac perficere non licuit, quanta, sollicitante agri Dominici zelo, animo conceperamus.

Reddita tandem nobis incolumitate publica et privata, statim ac longam nostri valetudinem excepit pristinus animi corporisque vigor, unum hoc nos consilium, unum propositum incessit, ut, datis ad unumquemque Comprovincialium Episcoporum litteris, eos de cogenda Conciliari Synodo praemoneremus, indeque condicta die in Monasterium Sancti Martialis de Gentilino singuli conveniremus, ibi scilicet, collatis simul in commune Provinciae bonum ante habitis Conciliis, cogitati operis quasi fundamenta jacturi. At, quam in simili negotio agendi methodum quaerebamus, eam ex praesynodalibus Concilii Romani nuperrime absoluti
b foliis desumendam fore censuimus. Ex iis enim tam manifeste proditur Pontificia mens, ut et ipsam sequi debere nos et discutiendarum rerum servatam distributionem facilius imitari posse crediderimus. Selecta nihilo tamen minus ex Archiepiscopali Scrinio veterum Conciliorum et Avenionensium Synodorum Decreta pervolvimus, ut suae quisque Dioeceseos potiora vicissim in medium afferret documenta, quorum ope ac praevio in congregationibus examine instructi, quidquid ad fidei et doctrinae integritatem servandam, ad instaurandam Ecclesiasticam Disciplinam compositionemque morum seu reformationem inducendam profuturum arbitraremur, id omne provida circumspectione sibi vindicaret ventura Synodus, et novo unitae virtutis robore firmaret Conciliaris Auctoritas.

Quoniam autem boni Ecclesiasticae praesertim Provinciae animarumque Rectoris sit, non tam novis legibus ac decretis subditam sibi plebem obruere quam sapienter olim condita restituere et quasi intermortua suscitare: Nos, qui in Synodis tum Provincialibus tum Dioecesanis, quas habuerunt praeclarae memoriae Praedecessores nostri, comperimus multa jam opportune laudabiliterque fuisse sancita, ex iis praestantiora et utiliora a
c tenebris oblivionis ad memoriam usumque revocare conabimur.

Jam vero, cum omne bonum descendat a Patre luminum, ad eum vota primum nostra ferantur necesse est, ut publicis privatisque precibus infra notandis in suscepti hujus negotii regimen adductus, ea nobis ab alto subsidiorum commoda suppeditet, quibus freti juxta atque roborati, alacriori dehinc et securiori animo ad praesentis publicae indictionis petitum exitum procedere valeamus.

Quapropter, ne tam necessarium tamque vehementer optatum a praelaudato Summo Pontifice Archiepiscopalis nostri ministerii opus ulterius protrahatur, praemonitis iterum per epistolam Reverendissimis Episcopis Comprovincialibus nostris, eos etiam praesenti nostro edicto ad diem vigesimum octavum mensis Octobris anni 1725., Festum SS. Simonis et Judae, in hanc sanctam Avenionensem Metropolitanam Ecclesiam auctoritate Metropolitae convocamus. Ut autem et reliquis, qui de jure vel consuetudine hujusmodi Provinciali Synodo interesse tenentur, ejus celebratio plenius innotescat, neve eorum quis ignorantiae excusationem praetendere vel se neglectum dicere possit: uni-

---

[1] * Hujus Concilii decreta Avenione typis mandata sunt (*apud Carolum Girond*), quam editionem hic sequimur.

versis et singulis Abbatibus Commendatariis, Capitulis Cathedralium ac Collegiatarum et cujuscumque dignitatis et gradus Clericis, quorum quacumque de causa intererit, etiam exemptis, intra tamen fines Provinciae nostrae positis, significamus, indicimus ac denuntiamus Provincialis nostri Concilii celebrationem, sub poenis et censuris Ecclesiasticis a Sacris Canonibus adversus non accedentes latis atque decretis. Si qui vero (praeter eos, ad quos ex officio interesse spectaverit) sive ex reliquis Clericis sive ex Laicis quibuscumque pro justitia consequenda, si forte quacumque de causa sese laesos existimaverint, accedere ad Concilium vel Procuratores mittere voluerint, id sibi licitum esse sciant. Quare his quoque, nec non Civitatum et Oppidorum quorumcumque Consulibus, locorum piorum ac sodalitiorum Rectoribus et Administris caeterisque Provinciae nostrae, qui sua quomodolibet interesse putaverint, praefati Concilii celebrationem pariter significamus hortamurque, ut, donec indictus Synodi dies advenerit, assiduis interim precibus aliisque Christianae pietatis officiis ea nobis coelestia dona impetrare nitantur, quibus consultationum nostrarum ac deliberationum fructus et salubriores et fecundiores evadant.

Quamobrem praesens edictum ad valvas nostrae Metropolitanae Ecclesiae aliarumque Cathedralium, Collegiatarum similiumque insigniorum Ecclesiarum, etiam exemptarum, affigendum promulgandumque mandamus, cujus affixio et promulgatio ita omnes et singulos, qui in eo comprehenduntur, afficiat et adstringat, ac si nominatim illis et personaliter intimaretur. In quorum fidem hoc ipsum edictum conficiendum, per nos et per Secretarium nostrum subscribendum nostrique Sigilli impressione muniendum decrevimus.

Datum Avenione ex Palatio nostro Archiepiscopali die prima Septembris Anni 1725.

† F. M. Archiep. Aven. Metrop.
Philip. Secret.

PRECES PUBLICAE.

I. Addatur quotidie in Missa Collecta de Spiritu Sancto, et de eodem solemnis Missa habeatur qualibet quinta hebdomadae feria a die intimati edicti usque ad Concilii solutionem.

II. Tribus proximis Dominicis ante Concilium in omnibus Parochiis Populus moneatur et excitetur, ut iteratis orationibus et frequentiori Sacramentorum usu felicem Concilii Provincialis exitum impetrare contendat.

CONCIO

ad Synodum Provincialem.

Quo animo, qua mente vos omnes in hanc Urbem Metropolim sacramque Basilicam adunari et congregari tam vehementer optaverimus, sat ex publica indictione Provincialis hujusce Synodi vobis innotuit. Scilicet intellexistis, eo nos tantum collineare, ut et propositum nuper ab Optimo Nostro Pontifice scopum attingeremus, ejusque Praedecessorum ac Tridentini Concilii Patrum vota et monita non longiori interruptione dilaberentur, sed ad debitam exsecutionem reviviscerent: et ut, quanta esset in hanc primariam Provinciae Avenionensis Cathedram totius sui Cleri devotio sacrorumque suorum Antistitum cum suo Metropolita perfecta in fide ac disciplina Consensio atque Communio, late pateret: utque inde, plaudentibus etiam hujus Ecclesiae Angelis Tutelaribus, quaedam sanctae Unitatis, qua Apostolicae Sedi propius inhaeremus, nova quidem, sed gratissima species exhiberetur: ut tandem cum studio coelestis disciplinae refloresceret ac vegetior fieret in dies antiqua et recta Ecclesiae disciplina, Sanctorumque scientiae sanae etiam Doctrinae praecepta jungerentur.

Eo nos inspirante Divino Numine, per quod mysticum Ecclesiae Corpus sanctificatur ac regitur, in hanc adducti fuimus sententiam: Eo Duce ac Comite, ausa haec quaecumque nostra finem in votis habitum assequentur; et quem Concilii nostri

a Auctorem solemni supplicatione mox invocavimus, eum sic operis perfectorem habituros esse confidimus, ut habuimus inceptorem.

Tanto siquidem obfirmati praesidio tantaque felicis eventus spe erecti, expectatione stimulati, laborem hunc, quantumvis arduum ac difficilem, fidenter aggredimur; grande profecto et grave opus. Quotquot enim Episcopi sumus, divinam hic Christi ac Ecclesiae procurationem, in nostra consecratione susceptam, agimus et tanquam Supremi Numinis Actores ipsius jura sarta tecta pro viribus servare contendimus.

At id nobis feliciter accidit, quod eo in agro conducti ac constituti sumus, in quem olim ab Ecclesiae nascentis infantia Sanctos eosque peritissimos colonos Christus immiserat, qui opimis vegetata sudoribus germina propriisque, ut ita dicam, manibus insita nobis reliquere. Tamque opportuna fuit, quam rudi novoque solo culturam adhibuerunt, ut uberrimam inde segetem fructusque, quemcumque laborem operamque nostram exuperantes, nobis colligere datum fuerit.

b Nec mirum; habuit namque dilecta haec Deo Avenionensis Provincia praecones ab ipso veritatis auctore eruditos, Martham scilicet Christi hospitio claram Rufumque tanti Magistri discipulum. Hinc primum aeternae sapientiae fluenta, puris immissa canalibus, in felicissimam Regionem istam permanarunt. Hinc habuimus Justum, Donatum, Maximum, Magnum et Agricolum, hujusce Civitatis Patronum; habuit Carpentoracte suum Siffredum, Oruntium et Antoninum: Veranum Cabellio: Vasio Quinidium: omnes mira sanctitate colendos, sacrorum dogmatum Magistros, fidei ac disciplinae vigilantissimos assertores. Nec defuere sequentibus saeculis varia ac perutilia ex praeclaris nostrorum proxime Praedecessorum gestis scriptisque subsidia.

Quid igitur ex tot tantisque praesagiis huic nostrae Provinciae auspicari non liceat? Quid ex tot ad optima quaeque Majorum nostrorum invitamentis inferendum restat, nisi quod ad tenuitatem nostram respicientes, ea fere omnia, quae tam provide, tam sancte ad Clericalis Ordinis splendorem statuta jam usuque firmata comperimus, ea, inquam, Sanctis Praedecessoribus
c nostris debere humiliter fateamur? Ita tamen, ut ad illorum Exemplum indefesso atque viriliter in hoc intendamus, ut nempe a Clero fidelibusque, nobis in fide ac devotione subditis, dociliter ac studiose excipiantur et religiose serventur, quaecumque a nobis, prout traditioni tantorum Patrum addictis, in hac Provinciali Synodo statuentur.

Quod vero potissimum majorem nobis spem ingerit perfectioris vitae normam facile inducendi, illud est, in quod mentium oculi, urgente fama, flectuntur: datum nempe caelitus et nobis et orbi Catholico numeris omnibus absolutissimum Exemplar, Benedictus XIII., in quo uno Pontifice gregis universi formam, qua perfectior praestantiorque excogitari vix possit, duximus proponendam; sic enim monstratam nobis ab Optimo Duce viam gnaviter sequentes, et Synodum hanc nostram, adstipulantibus Comprovincialibus nostris, ac conspirantibus in commune Provinciae bonum Cleri Populique votis et animis, Deo favente, celebrabimus, et pari studio parique exitu, ut speramus, ad eum,
d quem Sanctissimus noster in terris legislator et Doctor finem assequi voluit, propius accedemus. Sicut enim in alta Ecclesiae specula a Deo positus, novit ipse, quantae utilitatis quamque necessaria sint Episcoporum Comitia, ut canones, quibus Ecclesiastica disciplina nititur, ad memoriam revocentur, ut, qui irrepsere, corrigantur abusus, comprimantur excessus, orta inter fratres compescatur omnis contentio: ita nobis prospiciendum est, ne ab antiquis Conciliorum Provincialium praefinitis regulis limitibusque digrediamur, qui in hoc praecipue consistunt, ut in iis potissimum rebus immoremur, quae universae Provinciae conveniant et accommodari possint ac in ea concorditer et uniformiter servari et exsecutione vigere.

Rebus itaque omnibus in praesynodalium Congregationum serie perattente discussis, servatis iis, quae juxta Catholicam Traditionem Conciliorumque Provincialium usum servari assolent, ac implorato prius supremo Numine, Angelorumque tutelarium auxilio precibus publicis expetito, jam ad Decreta, prout res poscet, sancienda procedamus.

CONSTITUTIONES CONCILII PROVINCIALIS AVENIONENSIS

Anni MDCCXXV.

Franciscus Mauritius, Dei et Apostolicae Sedis Gratia Sanctae Avenionensis Ecclesiae Archiepiscopus Metropolita,

De Reverendissimorum D. D. Coepiscoporum Nostrorum, qui in Provincialem hanc Synodum convenerunt, Consilio et Assensione statuimus:

TITULUS I.

De Fide Catholica et ejusdem Professione.

Prooemium.

Praeordinata ab aeterno Ecclesiae Christi fundatio Divinique Fundatoris mens atque Consilium adumbratur.

Cum Sacrosanctae Catholicae Ecclesiae mos ille fuerit ab initio, ut modo geniti infantes nonnisi per fidei petitionem beatae regenerationis adipiscerentur jura, eisque pateret in veri Dei Templum ingressus: sic omnino congruum est, ut Nos omnes, quibus secretiora Templi penetrare sanctae vocationis privilegio datum est, fidem, quam exigimus, ipsi astruamus et, quam ex corde profitemur, ore etiam et opere confiteamur [1]. Hoc enim potissimum in causa fuit, cur Generalia seu Provincialia Concilia a fidei professione initium sumerent, prout majores nostri provide sapienterque statuerunt.

Nos itaque laudabili Patrum instituto, quam maxime possumus, inhaerentes, acta Provincialis hujus Synodi sanctissimae Trinitatis sanctaeque fidei Catholicae nomine inscribi et quodammodo consecrari curavimus.

Cum autem nostri Sacerdotalis officii sit, ut, ubi de fide agitur, volvatur obscurum nihil, sed Evangelica veritas in sua simplicitate eniteat et clarescat; cumque sanctae Synodo cura esse debeat, ut hujus Provinciae Clerus et Populus in fide et fidei principiis sint omnino concordes: quaedam, quae notione speciali ac majori animadversione digna visa sunt, quae simul fidelibus, quos cura nostra complectitur, prodesse valeant, eadem sancta Synodus hic praemittenda et inquirenda censuit: Cui nempe credamus? Cui credendum sit? Quae fidei magistra? Quis ipsius mysteriorum In-
a terpres? Quocirca priusquam res ad fidei tutelam defensionemque spectantes distinctis pertractentur capitibus, utque liberiori animo ac mente sinceriori profitendae fidei publicum sacramentum enuntietur: haec, quae sequuntur, praelibare duxit opportunum, ut, tantae artis magistra ex caelestibus suis institutionibus cognita, firmius ac fidentius ejus doctrinae principia teneantur, quo fiat, ut juxta D. Gregorii Magni praescriptum in vera fide persistamus, et vitam nostram in Petra Ecclesiae, hoc est, in confessione Beati Petri, Apostolorum Principis, solidemus.

Noscant itaque, quicumque sacrarum litterarum eruditione praediti sunt aeternaeque veritati assentiun-
b tur, quod Ecclesia Catholica, ab aeterno in mente Dei concepta, in plenitudine temporum genita, haec illa nobis magistra a Deo data est, cujus primaria et princeps Cathedra Apostolica Sedes est, cujus doctrina verbum Verbi, seu in sacris paginis scriptum seu Apostolica Traditione ad nos transmissum. Ex quo, quanta fides atque fiducia tam egregio Doctori haberi debeat, facile intelligit, quisquis ad ejus antiquitatem originis, ad magisterii dignitatem, ad Divinitatis tandem consortium serio attendit.

Hoc enim non humanae, sed Divinae sapientiae sacrum, grande ac spectabile Lyceum, ad addiscendam
c scientiam sanctorum et ad veri Dei cultum ab increata sapientia ante saecula praeordinatum, totque saeculis insumptis saeculorumque consiliis perfectum, exhibuit tandem omnipotens Artifex Christus, ut rationabilis creatura omnis, tanti forma spectaculi allecta tantoque rapta mirabilium compendio, ad contemplationem Mysteriorum Evangelicae fidei efficacius simul ac suavius traheretur.

Licet enim homo, ad Dei imaginem efformatus ac fictus, potiora Dei Creatoris attributa magnifice exprimere videatur: immortale tamen Fidei ac Religionis Templum, quod sibi aedificavit Christus, longe majora nobis exhibet beneficae Deitatis argumenta per omni-

---

[1] *Fides a nobis exigit duplex officium, cordis et linguae: nec salvi esse possumus, nisi fidem ore profiteamur, quam corde gerimus.* August. lib. de fide et symb. [c. 1. ubi tamen sententia haec paulo uberius explicata reperitur. Opp. S. August. Ed. Benedict. VI, 151. A.]

potentem simul ac immensam ipsius misericordiae largitatem.

Ad divinam autem Providentiam spectabat, ut, sicut omnium temporum ac nationum ea fuit semper seu vera seu vana Religio, ut naturae Auctori delubra aedificarentur ac templa; ita, ubi Divinitas ipsa, revelato nostrae reconciliationis Sacramento per Incarnationis mysterium, se prope totam mortalium oculis exhibuerat, Auctori etiam gratiae templum dicaretur, non quidem manu hominis factum, sed Dei omnipotentis dextera constructum, cui nec temporum nec rerum vicissitudines nec potestates tenebrarum nocere umquam possent, et in quo ritu sanctiori incruenta sacrificia et oblationes mundas Deo suo immortali offerret Gens sancta, Populus electus.

Nec minus exinde necessarium erat ac condecens, huic sancto Templo Sacerdotem magnum praefici, cui sacrorum praecipua incumberet cura: cui in sancta sanctorum, hoc est, in profundum mysteriorum Dei seu in altitudinem divitiarum sapientiae et scientiae Dei, pateret aditus: qui novae legis Doctor ac interpres a Deo constitutus, et obscura interpretaretur et ligata dissolveret: qui subolescentia, latentibus surculis, errorum germina evelleret ac eradicaret statim, ne in damnum agri Evangelici remedii tarditate succrescerent: qui pariter subortas vel excitandas ex causis majoribus et ex fratrum contentione interminabiles quaestiones ac controversias jure summae et ultimae cognitionis, irreformabili suo ex Cathedra prolato judicio dirimeret.

Tanto autem ac tam necessario ministerio insignitum fuisse constat Petrum Apostolorum Principem, qui primus ad Apostolatum vocatus, Primatum, quem vivente ac volente Christo gesserat, ad successores transmittendum praesignaret, cujus ex novi nominis Sacramento praedestinatio ad supremum Pontificium praemonstraretur, ut societate quadam nominis cum ipso angulari lapide Christo Jesu quaedam etiam societas potestatis innueretur. Nec cogitata haec sua quibusvis arcani involucris et quasi velis obtendi voluit Christus, qui ex paritate tributi pro se et Petro solvendi Collegam sibi in regendo Ecclesiastico Imperio, praecipuo Vicarii nomine, demonstravit: qui trina petitione ejus erga se amoris a Petro pignus expetivit, pascendique agnos et oves suas curam suscipi, pro pignore exoptavit: qui Petrum in monte Tabor cum Elia et Moyse tanquam potiorem Legis Evangelicae, quae caeterarum complementum est, testem adhibuit, ut paternae vocis fidelis esset auditor, et Filii Unigeniti dictis, ex ore Petri prodeuntibus, fides omnis imposterum a fidelibus haberetur, fierentque Petri dogmata oracula orbis terrarum.

Si qua inde superabundantia gratiarum dona consequutus est Petrus, his non invidit Sacrum Apostolorum Collegium, quippe cui perspectum erat, revelata fuisse Petro secreta coelestia et reserata Divinitatis arcana, ex quo inenarrabilem Christi generationem

a aperte confessus pro tota Ecclesia primam fidei professionem, non expetito fratrum voto, nec expectato consensu, solus emiserat per haec divina verba, in ipsius ore a Patre coelesti posita: *Tu es Christus, Filius Dei vivi.*

Quot autem et quanta Petro ejusque successoribus ad perfectum Ecclesiae regimen eam ob confessionem privilegia divinitus fuerint concessa, sat ex sacris constat ubique paginis: cum non semel perspiciamus in sacro Evangeliorum libro, pro ejus dogmatum indefectibili veritate orasse Christum, datamque confirmandi fratres in fide praecellentem virtutem: summam item salutis nostrae aditusque ad beatam aeternitatem expediendi curam Coeli clavium traditione ipsi commis-
b sam: concessamque fortitudinem, ne portae Inferi praevalerent unquam adversus firmam hanc Petram, quam Christus ipse selegerat, ut in ea tanquam in inconcusso ac indefectibili fundamento Ecclesiam superaedificaret suam.

Quis itaque, accurata his omnibus lance perpensis, ponderatoque hoc toto, hoc vero, quod non humana ratio excogitavit, nec ulla forensis opinio adinvenire praesumpsit, sed quod Scriptura sacra testatur, quod venerabilis antiquitas se profiteri gloriata est, quod Apostolica Traditio docuit, quod sanctorum Patrum, hac de re inter se nunquam dissidentium, sententia firmavit; quis, inquam, non utatur Divi Ambrosii verbis? *Si doctrinis non creditis Sacerdo-*
c *tum, credatur oraculis Christi* [1]. Quis non incuset miseram et lugendam nostrorum temporum conditionem, quibus, cum tam vasta terrarum spatia vanis Gentium superstitionibus ac haereticorum sectis et sectatorum erroribus pateant, vix tutam stationem inveniat Petri navis, vix terrae angulus verae Religioni remaneat, in quo pacata ac tranquilla quiescere possit? Eam enim in Oriente profugam, in Occidente pluribus etiam regnis novimus extorrem, undequaque turbatam ac lacessitam, in suo etiam centro vexatam perspicimus. Addam, quis tam infaustam Catholicae Fidei vicem non doleat, Ecclesiam non lamentetur, dum in ipso materno sinu filios, per Evangelium genitos, coelestium veritatum lacte enutritos, tam inter se discordes atque divisos videre cogitur?

d Sunt etenim qui zelo, ut ajunt, veteris disciplinae et antiquae doctrinae beatum illud semitarum justitiae ac sapientiae medium deserentes, nec attendentes ad vocem prudentiae, *stantis supra viam in mediis semitis* [2], novas sibi sternunt vias, nova evulgant dogmata, linguis loquuntur novis. Alii siquidem, congestis hinc inde quorumdam Auctorum seu indubitatae seu incertae famae opinionibus, multiplici dissertationum editione vel inextricabilium quaestionum ambagibus, lectorum mentem confundunt potius quam erudiunt: feliciores sane ac laudabiliores, si, dum sapientiam anti-

[1] D. Ambr. ad Siricium Pap. Epist. 21. [n. 4. Constant, Epist. Roman. Pontific. et quae ad eos scriptae sunt. col. 671. A.]
[2] Parab. Salom. 8, 2.

quorum, ut sapientes videantur, exquirunt, proprio sensui judicioque minus indulgerent, recentiorumque novatorum fallaciis faverent minus; si, saniorum sanctiorumque Ecclesiae scriptorum revolutis libris, eorum etiam more Deum, qui dat spiritum intelligentiae, consulerent, sicque tanta luce perfusi tantaque auctoritate suffulti, gravi inde argumentorum pondere suborta dissidia compescerent vel saltem compescere velle, non asperare viderentur.

Censores alii seu critici tanto propugnandi depugnandique pruritu aguntur, ut hostes quandoque, si desint, ipsi sibi effingant. Ii autem, si intra fines Academicarum exercitationum suos impetus continerent, Philosophos, Rhetores, Poëtas lacesserent, devictam sibi litterariam Rem-publicam haberent totque debitores, quot amatores bonarum artium. Sed nostra hac aetate ita scribendi furor exaestuat, ut mediocriter etiam eruditi, sanctiora scrutantes scrutinio ac secretiora Ecclesiarum scrinia avide perlustrantes, quaecunque ipsorum mentis aciem excedunt, aut se captui ad evidentiam non praebent, suaeve authenticae validitatis convictionem ac pene demonstrationem non ingerunt, arbitraria decisione in dubium revocare non vereantur. Quo fit, ut antiquiora quandoque Apostolicae Traditionis monumenta tanquam apocrypha vel saltem dubia declarantes, canonicis etiam scripturae libris fidem demere vel imminuere audaci calamo praesumant. Sicque sanctiora retro saeculorum dogmata ad injuriosam problematis sortem redigere studentes, tantum abest, ut inquirendae illustrandaeque veritatis propositum, quod ementita specie sibi astruunt, assequantur, ut haereticorum potius ac schismaticorum contumaciae faventes, Orthodoxorum mentes, injectis dubietatibus, magno cum salutis periculo et Religionis damno saepe vacillare compellant.

Sunt et alii, qui sanctorum Patrum scripta a nativo Auctorum idiomate, Ecclesiae menti consono et accommodato, ad vernaculas loquendi rationes traducunt, eo spiritu ducti, quod pariter asserunt, ut quisque possit de suae Religionis et Fidei principiis facilius imbui et erudiri, quasi deficiant ad rudiorum instructionem Catechismi rudimenta ac Symboli, quod est credendorum compendium, vernaculae etiam explicationes, quibus nitide ac simpliciter exposita selecta fidei dogmata patent omnibus. Advertant autem illi mysteriorum explanatores, Catholicam nostram Religionem habere arcana quaedam, quorum intelligentiam sibi ipsa iisque, qui ad interpretandi ministerium designati sunt, provido consilio reservavit. Quod quidem sanctissime ac providentissime constitutum est, ne mysticae fidei veritates, de quibus credere reverentius est quam curiose scrutari, ubi ad rudes indoctosque lectores pervenerint, nimis arbitraria explicatione vilescant et tanquam communis admodum et vulgaris merx publico exponantur in foro, neve Publicanorum, quod fere fit, telonia in superbas ac temerarias dogmatum Cathedras erigantur.

Alii tandem, Religionis praestantiae eloquentissimis scriptis magnifice plaudentes, parce tamen ac haesitanter de indefectibili sedentium in Petri Cathedra summorum Pontificum fide atque doctrina loquuntur et scribunt. De his autem hominibus, dum sacrosanctae Ecclesiae aedificium, affectata unitatis professione, elogiis extollunt suis, si ad nimiam tamen veri reticentiam attenderis, jure credas, eos Ecclesiae fundamentum, licet in Petra manu summi Dei robusta mole positum, subtracto infallibilitatis caemento, circum effodere velle ac inde, nutante basi ipsa, molem totam convellere et praecipitem funditus agere in ruinam; tanta tamen soliditate munita est Petri sedes ac fides, ut eam neque novatorum malitia, schismaticorum perfidia, neque haereticorum pravitas quatere unquam vel corrumpere valeat [1]. Unde illud Hieronymi grave consilium, ubi de Orientalium scissuris agebatur, adaptari potest: *Ideo mihi Cathedram Petri et fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam* [2].

Sed illud sane dolendum magis, quod nempe tam cito e sapientum memoria dilapsa sint ac effluxerint saecula illa, pari sanctitate ac doctrina aeternitatem ipsam illustrantia, quorum fausta serie ac gloriosissimis epochis constat, quo veritatis zelo, quo spiritu ducti sanctissimi doctissimique Patres, in rebus quoquo modo ad universalis Ecclesiae tranquillitatem spectantibus non sibi ultro fidentes, Petri Successorem consulere ambiebant [3], ut, quae in sola Episcoporum auctoritate atque consensione nitebantur, Apostolico Petri robore firmarentur, et, quae ab ore Pastoris universalis prodire contingeret ad omnes Christi fideles, qui sub coelo sunt, ea pro fidei regula tenerentur et publicam transirent in legem. Dolendum, quod viri, doctrinae nomine ac ipsa etiam doctrina praestantes, aut ignorent aut ignorare se fingant, quo humili et sincero cultu, qua veneratione Pontificiae Decretales ac Vaticani oracula uti fidei Symbolum ipsum olim excipiebantur [4]. Tunc siquidem sancti Antistites, dum se ab Orientalium erroribus immunes ac Romanae Fidei concordes esse laetabantur, Petrum in Leone loquentem audire sibi gratulabantur ad invicem, *tantusque apud eos vigebat erga Supremum Antistitem cultus et observantia, ut ab ipsius decretis vel tenui linea declinare ducerent esse sacrilegum atque impium et a veritate omnino deficere* [5].

---

[1] Divus Leo, serm. 3. (al. 2.) in Anniv. assumpt. suae [c. 3. Opp. S. Leonis Edit. Ballerini t. I. col. 13].

[2] Hieron. epist. 57. n. 1. ad Damasum Papam. [Coustant, Ep. Rom. Pontif. col. 545. B.]

[3] Arbitramur, adjuvante misericordia Domini Dei nostri Jesu Christi, qui te et regere consulentem et orantem exaudire dignatur, auctoritate Sanctitatis tuae, de sanctarum Scripturarum auctoritate deprompta, facilius eos, qui tam perversa et perniciosa sentiunt, esse cessuros. August. Epist. 92. [n. 3. Coustant, Ep. Roman. Pontif. col. 875. D.]

[4] Quae Apostolatus vestri Scripta, ita ut symbolum fidei, quisquis redemptionis Sacramenta non negligit, tabulis cordis ascripsit. Epist. Ravennii et aliorum Galliae Episcoporum ad Leon. Pap. [Vide Epist. S. Leonis 99. al. 76. c. 2. Opp. S. Leonis Edit. Ballerini I, 1107.]

[5] Baron. ad Ann. 449. num. 45. in Epist. Ceret. Salon. et Veran. Episc. Galliae ad Leon. Pap.

Si tamen ad tot tantosque, Leoni ipsi tum Apostolico robore tum sacra eloquentia non impares, advertamus, quorum clara nomina in recentioribus etiam Ecclesiae fastis magnifice praedicantur, non est, cur illorum saeculorum gloriae invideamus, sed nostrorum potius temporum celebremus sortem, quibus permulti adnumerantur Divi Leonis, Gregorii Magni aliorumque id genus hominum digni haeredes, a Petri stipite nunquam degeneres: quidam in albo Sanctorum, urgente heroïcae virtutis merito et miraculorum copia, publico cultu venerandi: quidam, vel ex Cathedra Romana vel per Legatos vicaria Papae auctoritate munitos oecumenicis Conciliis praesidentes, haeresum omnium omniumque Christiani nominis hostium habentur profligatores: plures tandem jurium ac libertatum universalis Ecclesiae acerrimi defensores intrepidique vindices memorantur.

Quo fit, ut verae sapientiae tenaces assertores, omnem fidem fiduciamque suam reponentes in Christi promissis, pretiosissimo ejus sanguine conscriptis, verbo ejus nunquam transituro obfirmatis ac valido testamento roboratis, ad seriem etiam Petri Successorum a saeculis non interruptam attendentes, Romanamque Petri Sedem, ejus totque Pontificum confessione sanctificatam, tot Doctorum fama illustratam, tot tandem oraculis, quot Decretalibus, Christianum orbem in fide ac disciplina erudientem, demirantes, fateri non erubescant, Romam istam, antiquitate, dignitate, sanctitate conspiciendam, aliud nihil esse quam novam illam Jerusalem, a coelo descendentem ac Dei claritatem habentem, de qua ob mirabile fidelium Communionis foedus merito dici possit: *Participatio ejus in idipsum* [1].

Quis enim tam excors, tam a vero alienus, qui Ecclesiam Dei, eadem potenti dextera conditam, qua coelum terraque regitur, adeo improvide constitutam credat, ut Deus ipse, cujus virtute firmatur orbis, fulciendae ac roborandae Ecclesiae suae potentissimi brachii sui opem auxiliumque denegaverit? Quis vero eam, in urbe illa sacerdotali ac regia tam bene recteque compositam, ibique sub visibili venerandoque Capite conjuncta ad Christi compagem membra, Apostolatum unum constituentia, suspiciens non agnoscat, Pontificis auctoritatem ac Primatum vere significari specie illa Diadematis summi Sacerdotis, in quo *sculpta erat Dei magnificentia, in cujus veste poderis totus erat orbis terrarum, et parentum magnalia sculpta videbantur?* [2] Imo vero quis tam elegantem divini operis formam, Christi videlicet sponsam eamque sine macula, sine ruga hucusque servatam, considerans, ipsam nostris hisce temporibus senescere, ut aiunt Novatores, vel alicui vicissitudini esse posse obnoxiam suspicetur?

Quis tandem tam rationis expers, qui excelso Ecclesiae Throno, id est Petri Cathedrae, hoc deneget veracitatis ac infallibilitatis donum, quod Moysi Cathe- [a] drae, docentibus Scribis ac Pharisaeis, a Christo [1] ipso legimus attributum? [2] Quin potius, hujus supremae sedis imperturbata majestate perculsus, eam stantem semper ac erectam post tot persecutionum impetus medias inter Christiani Orbis ruinas admirando, Romanam fidem esse non asserat, quae jure quodam haereditario ab Apostolorum Principe transiit ad supremos sanctosque nostrorum temporum Romanos Pontifices, in quibus manet adhuc dispositio veritatis, et Beatus Petrus in accepta fortitudine petrae perseverat [3]: in quibus vivunt ac vigent adhuc heroïcae Praedecessorum vires atque virtutes: quibus demum pinguissimae haereditatis, fidei nempe atque traditionis, depositum tanquam fidissimis Religionis sanctae tuto- [b] ribus ad custodiam datum esse conspicimus?

Adeamus itaque cum fiducia novam hanc speciosamque Jerusalem, et ambas manus tendentes ad aram verae fidei, appropinquare nitamur Apostolicae Sedi, quae centrum unitatis est et ideo unitatis, quia veritatis. Ibi enim plurimis argumentis facile suaderi poterit vacillantibus in fide, quam in hoc dogmate veterum recentiorumque Orthodoxorum Patrum concors fuerit et constans sententia. Extant siquidem in Romanae Ecclesiae fastis praeclara adhuc monumenta, ex quibus evidentissime constat, quod, etsi in remotis longeque dissitis ac disjunctis Romani olim Imperii Provinciis Patres ad fidei Catholicae defensionem heroïco prorsus animo decertassent, debellatae tamen [c] haeresis spolia Romam statim deferri curabant, ut in fidei Capitolio catholicae veritati triumphalis honor decerneretur, ibique tanquam in Dei immortalis templo reportatae ubicunque terrarum victoriae servarentur insignia. Ibi non minoris momenti documenta patebunt: scilicet, revolutis Vaticani codicibus, plura occurrunt elogia, quibus efferebantur vigilantissimi speculatores, qui haereticorum insidiis, quocumque laterent loco, bellum indicebant, donec, vel profligatis vel Ecclesiastica charitate reconciliatis fidei hostibus, inita pacis atque concordiae acta piscatorio Petri annulo obsignanda atque firmanda Romam deferrentur. Ubi enim Pontificiae Decretales tum ad convocanda tum

---

[1] Psalm. 121, 3.
[2] Sap. 18, 24.

---

[d] [1] Matth. 23, 2. 3.

[2] * Synodus hic Bossuetum spectare videtur, qui Christi Vicario, in Petri Cathedra sedenti, hoc denegat veracitatis ac infallibilitatis donum, quod Synagogae et Moysis cathedrae, super quam sederunt Scribae et Pharisaei, attribuit: „*Les docteurs de la loi et les pharisiens sont assis sur la chaire de Moïse* (Matth. 23, 2). Assis pour enseigner, ils en ont l'autorité. *Sur la chaire de Moïse.* Il n'y avait rien de plus grand pour l'ancien peuple que d'être assis sur la chaire du législateur, de celui que Dieu avait établi alors pour être le médiateur entre lui et son peuple. . . . Après avoir établi leur autorité sur celle de Moïse, il conclut: *Gardez donc et faites tout ce qu'ils vous diront* (Matth. 23, 3). Il attribue clairement à la Synagogue une vérité infaillible“ (Bossuet, Méditat. sur l'Évangile. LIII. Jour). Alias quoque Concilium hac in tractatione, quam de SS. Pontifice instituit, quum Gallicanorum tum Bossueti rationem habet. Etenim si homines reprehendit, qui *sacrosanctae Ecclesiae aedificium, affectata unitatis professione, elogiis extollunt suis, ejus tamen fundamentum, in Petra positum, subtracto infallibilitatis caemento, circum effodere velle videntur:* dubium esse non potest, quin Meldensis orationem, *de Ecclesiae unitate* in Comitiis Cleri Gallicani habitam, aperte significet.

[3] * S. Leo, Sermo 3. (al. 2.) c. 3. Opp. I, 12.

ad confirmanda Concilia prodibant, statim, tanquam a
personante toto terrarum Orbe Apostolica Petri voce, haeresum omnium perturbabantur auctores, victrixque errorum ac triumphans veritas effulgebat.

Quicunque itaque in hac Provincia Orthodoxi vocamur et sumus, non caeca, ut aiunt, obedientia, sed rationabili obsequio, non ut ancillae filii, sed ut liberae, quae ex Petri Cathedra emanant dogmata, non ut unius hominis aut humanae vocis sonum, sed ut Divini spiritus, qui in ea sede praesidet semper, germana oracula reverenter excipere gloriemur; unde cum Apostolo asserere nobis liceat, quod nempe *scimus, cui credimus, et certi sumus.*

His tandem ad sane et rite credendum, ad fidelium nostrorum eruditionem sic opportune praemissis: ut b
feliciter incepta felicius prosequamur, nunc ad ea progredimur, quae de nostra deque fidelium Nobis concreditorum fide atque doctrina certos nos reddere valeant et a nobis atque ab ipsis omnem etiam novitatum suspicionem amoveant.

Mandat ideo sancta Synodus, ut ex antiqua Conciliorum Provincialium laudabili praxi atque consuetudine post emissam a nobis publicam Catholicae Fidei professionem, juxta formam a Fel. Rec. Pio IV. traditam, eadem ab omnibus ad Concilium vocatis et in eo astantibus publice etiam emittatur ac sacramento firmetur.

Hic emissa est publica Fidei Professio a Patribus Concilii et convocatis omnibus, habita ratione dignitatis et ordinis.

TITULUS II.

CAP. Unicum. Constitutionis Unigenitus Clementis PP. XI. observantia atque obedientia commendatur.

Emissa jam ad praescriptum etiam Sacri Concilii Tridentini publica fidei professione, nunc instantibus ejusdem fidei necessitatibus occurrere ac providere vult Provincialis haec Synodus. Itaque, quamvis Nos a die publicationis Bullae, quae incipit: *Unigenitus,* omnem curam diligentiamque una cum Comprovincialibus Episcopis adhibuerimus, ut debitum et omnimodum ei, tanquam regulae fidei, praestaretur obsequium: opportunum tamen illa censuit novum hic et solemne antiquae nostrae obedientiae testimonium edendi occasionem non praetermittere. Quod eo libentius exsequimur, quo magis excitati Sanctissimi Domini nostri Benedicti XIII. Pontificiae vocis oraculo, in nuperrima [1] Synodo Lateranensi emisso, ad sedulam et integram praefatae Bullae observantiam accendimur. Hinc, quae sequuntur, statuere arbitrati sumus:

I. Nempe, quod Bulla, quae incipit *Unigenitus,* Clementis Papae XI., cui ab alto datum erat magnifice (ut ait scriptura) tractare sapientiam, per extensum annectatur in calce praesentis Concilii, ut a Cleri nostri memoria non dilabatur unquam, et inter alias fidei regulas mente et corde ab omnibus teneatur.

II. Quod omni majori diligentia et sedulitate a Nobis nostrisque Coepiscopis serio invigiletur, ne quis ex Provinciae Clero, tam saeculari quam regulari, vel quoquo modo Exterus ad Ordines sacros, ad Beneficia, maxime curam animarum habentia, et ad sacrorum quorumcunque dispensationem admittatur, quin de ejus sincera supradictae Bullae *Unigenitus* acceptatione, de debita et omnimoda obedientia legitimis pro Episcoporum conscientia et judicio constiterit argumentis.

TITULUS III.

Fidei professio quando et a quibus sit emittenda extra Synodales Conventus.

CAP. I.

Eodem inde, quo supra, consilio curandum esse censuit Sancta Synodus, ut non solum ab iis, qui ex Ecclesiae Indulgentia ac largitate Beneficiis providentur, Orthodoxae etiam Doctrinae experimenta sumamus, sed multo fortiori titulo ab iis omnibus, qui ad praecellens praedicandi munus ex toto Clero seliguntur. Quapropter, Sacri Concilii [1] Tridentini summorumque Pontificum auctoritate suffragante, statutum est, ne quisquam deinceps ullius Ecclesiastici Beneficii possessionem adeat, nisi prius coram Provinciae Ordinariis seu de eorum licentia coram eorum Vicariis Generalibus sanctae fidei professionem emiserit, juxta Bullam felicis recordationis Pii IV. et juxta Formularium Alexandri VII.,
c in hac Synodo jam propositum.

CAP. II.

Id autem servare etiam debent Provisi a Romano Pontifice vel a Prolegatis [2]: Provisi vero de Dignitatibus, Personatibus, Canonicatibus, tum in nostra Metropolitana Ecclesia tum in Provinciae Cathedralibus, non solum coram Episcopis suis seu eorum Vicariis [3] Generalibus, ut supra, sed etiam in Capitulo idem praestare teneantur; alioquin praedicti illi fructus suos non faciant, nec eis possessio suffragetur.

CAP. III.

Cum pariter alleviando Praedicationis Apostolicae
d jugo, quod Episcopis speciali titulo incumbit, quosdam de Clero, tam saeculari quam regulari, in partem Pastoralis nostrae sollicitudinis advocare contingat, qui Christi legatione fungantur, temporibus maxime ab Ecclesia designatis, Quadragesimae nempe et Adventus: hinc est, quod, licet ex ipsorum propenso in salutem animarum studio de iis non nisi bene augurari ac sentire posse videamur, hoc tamen Decreto providendum statuit sancta Synodus, ne quis Exterus, seu de alia Regione ac Dioecesi, admittatur in posterum ad id Apostolici Ministerii genus et exercitium, nisi ex-

[1] Conc. Rom. sub Bened. XIII. Tit. 1. cap. 2. [pag. 346.]

[1] Trid. Sess. 24. de ref. cap. 12. Bull. Pii IV. Conc. Rom. Tit. I. cap. 1. Conc. Aven. sub Taurusio tit. 6. de fid. profess. a. 1594.
[2] Idem Rom. ibid. Idem Aven. ibid.
[3] Trid. Sess. 24. cap. 12. de ref. Idem Aven. ibid.

hibito documento a propriis Ordinariis aut Praelatis subscripto, quo constet de sana Doctrina, morum probitate ac sufficienti ad praedicandum idoneitate: ne tandem his etiam munitus documentis huic Ministerio se accingat [1], nisi obtento localis Episcopi mandato gratis dando, fidei professione emissa, ac Benedictione Pastorali recepta [2]. *Quomodo enim praedicabunt, nisi mittantur?*

CAP. IV.

Quod de Praedicatoribus, ut supra, statutum est, afficit pariter sacerdotes illos, qui ideo Missionarii dicuntur, quia in Plateas et vicos Civitatis, in vias et sepes mittuntur, ut assiduo et ferventi zelo evangelizent, semperque expediti et accincti reperiuntur, ut compellant intrare, et impleatur Domus Domini: ex eorum siquidem cooperatione in procuranda fidelium nostrorum salute plurimos colligi fructus, communi omnium judicio compertum est.

CAP. V.

Regulares vero se monitos sciant, eos nec in suorum Ordinum Ecclesiis Concionatorium officium posse licite exercere, nisi petita a loci Ordinario benedictione [3], nec in alienis, nisi facultate habita, seu mandato ejusdem Ordinarii in scriptis obtento: quo deficiente, nullus Rectorum, in hac Provincia quoquo modo Ecclesiis praepositorum, Regulares concionari permittat.

TITULUS IV.

De Universitate et Collegiis.

Expenditur Universitatis et Collegiorum utilitas: et ne quid in his sanae doctrinae adversetur, fidei Professio a Professoribus ac Laureandis exquiritur.

Prooemium.

Cum non minora damna intulerit fidei inflata olim Cleri Orientalis scientia quam Occidentalium mox elapsis retro saeculis ignorantia et in instruendis fidelibus damnabilis incuria, locum inde spatiumque praebendo haereticorum fallaciis, prout infelici prope modum experientia dignoscitur: numquam etiam satis laudanda fuit summorum Pontificum ac religiosissimorum Principum cura ac sollicitudo, qua novas Universitates atque Collegia erigi curarunt, vel jam erecta redditibus ac privilegiis augeri. Hinc sacri Antistites omnes, quibus sana Doctrina ad fidei integritatem tam a Supremis ipsis Pontificibus quam a Catholicis Principibus enixe adeo commendatur, omni studio praecavere debent, ut a talium Collegiorum Professoribus nihil unquam contra fidem ac bonos mores in publicis lectionibus doceatur.

a Cum itaque in hac Civitate ex Pontificum munificentia erectae jam ab antiquo ac etiam Regum Privilegiis decoratae Universitatis beneficio fruamur: ut proinde veterum antecessorum famae novus semper a successoribus per sanae Doctrinae professionem splendor accrescat, utque Provinciae nostrae adolescentes in omnium scientiarum artiumque facultatibus bonis principiis imbuantur: ad mentem Pii Papae IV. et Alexandri VII. Sancta Synodus decernendum duxit:

CAP. UNICUM.

I. Quod publici [1] Professores tam in Jure Civili quam Canonico, ad mentem memoratorum Pontificum, fidei profitendae constantem usum servent omnino, b eademque lege teneantur Regentes, qui Philosophiam, Artem medicam caeterasque liberales Disciplinas edocent; quae fidei professio singulis annis initio studiorum iteretur juxta decretum ultimi Concilii Provincialis Francisci Mariae Taurusii, tunc temporis Archiepiscopi.

II. Qui autem sacrae Theologiae edocendae [2] tam publice in Universitate seu Collegiis quam privatim dant operam, censet sancta Synodus, ut ad hoc exercitium in Provincia nostra non admittantur, nisi prius Catholicam Fidem, ut supra, professi fuerint; qui usus singulis annis initio pariter Studiorum servetur, et de quibus actis documenta tradantur Episcoporum Secretariis, qui ea in libro notata asservent.

c III. Advertent item Theologiae Professores, ne quid in Thesibus publice defendendis inseratur, quod directe vel indirecte faveat opinionibus Novatorum vel quomodocunque offendat debitam Sedi Apostolicae reverentiam ac obedientiam; cum enim certaminibus hisce litterariis, ad discipulorum exercitationem institutis, adsit plerumque rudium virorum frequentia, qui ex objectis ac responsis perverse intellectis adduci possunt ad erroneas opiniones parum caute imbibendas: illud prudenti Professorum consilio vitandum omnino videtur.

IV. Laurea item Doctoratus [3] juxta laudabilem ac observandum morem nulli in hac Universitate conferatur, nisi prius emissa in nostris seu Procancellarii d nostri manibus Fidei professione, de qua in privilegio Doctoratus specialis mentio fiat, sub poena nullitatis aliisque in Bulla Pii IV. propositis.

V. Hoc tandem summopere mandat simul et optat sancta Synodus, ut in scholis, tam publicis quam privatis, intra Provinciae nostrae fines constitutis, sana semper et sincera sacrosanctae Fidei Apostolicae Doctrina tradatur, quatenus fideles nobis concrediti, sicut uno Baptismate in spem vivam regenerati unum colunt Deum, sic una jungantur fide in terris, ut fidei mercedem consequi mereantur in coelis.

---

[1] Idem Rom. ibid. §. 6. [p. 346. a] Idem Aven. ibid.
[2] Pauli ad Rom. 10, 15.
[3] Trid. sess. 5. de ref. cap. 2.

[1] Idem Rom. ibid. §. 8. Idem Aven. Tit. 6. de Prof. Fidei.
[2] Idem. Rom. ibid. Idem Aven. ibid.
[3] Idem Aven. ibid.

TITULUS V.

De Ludimagistris.

Qualitates ac requisita praeficiendorum ad hoc munus ab Ordinariis diligenter inquirenda.

Prooemium.

Cum prima Litterarum elementa Grammatistae doceant, ut Pueros aetate et intelligentia crescentes ad Collegia scholasve publicas deinque ad studia praestantiora disponant; cumque ipsis pariter incumbat onus quaedam fidei rudimenta scholaribus tradendi: ideo pauca, sed utilia de Ludimagistris decernere statutum est.

CAP. I.

Prohibet expresse sancta Synodus, ne tales Professores, ubi aere publico conducuntur, ad possessionem seu scholae exercitium inposterum admittantur, nisi prius coram Episcopo Dioecesano fidei professionem emiserint, ac nisi de eorum sufficienti peritia bonisque moribus legitimis documentis constet.

CAP. II.

Hanc ergo sanctae Synodi mentem curent Parochi Oppidorum Consulibus manifestare, ut, quos ad tale Magisterium eligere intendunt, eorum quemlibet suo primum Ordinario praesentari faciant ad effectum supradictum. Curent insuper ac invigilent, ut ii, ad quos electio pertinet, semper prae oculis habeant rectam ac sanam Puerorum institutionem. Quodsi aliquid scandali vel parum sanae Doctrinae in ipsis Ludimagistris, etiam per Nos vel Locorum Ordinarios approbatis, detexerint, statim Praelato suo Dioecesano revelent, ut opportuna interdictione aliisque juris remediis bono animarum publico consulatur.

CAP. III.

Quoniam autem multa oriri possunt scandala in juventutis perniciem, si pueri et puellae promiscue vel in eadem schola domove erudiantur, stricte prohibet sancta Synodus, ne Magistri puellas apud se aut edoceant aut edoceri faciant, sub poena inhabilitatis: mandatque, ut nunquam nisi Magistrae, a Metropolitano respective et ab Episcopis Comprovincialibus approbandae, eaeque integris moribus conspiciendae, de puellis instituendis satagant; quod ut fiat, Parochorum curae praecipue commendatur.

CAP. IV.

Insuper teneantur Ludimagistri, qui Cleri[ci] sunt vel in Sacris Ordinibus constituti, Missae Parochiali divinisque officiis, saltem diebus Dominicis et Festis, interesse ibique scholares suos in debita modestia continere.

TITULUS VI.

De Catechismo.

Christianae institutiones quam utiles et necessariae: et quantum in eis edocendis incumbere debeant Parochi caeterique de Clero ad id muneris deputati.

Prooemium.

Sicut omnis humana scientia ad sui perfectam intelligentiam bonis indiget institutionibus, sic salutis aeternae scientia, quae a Fide Catholica initium sumit, sua debet habere prima elementa, quibus ab adolescentia fideles imbuantur, ut inde mystica Religionis arcana, quadam licet caligine obvoluta, maturescente aetate, faciliora intellectu et ad memoriam accommodatiora fiant. Quod ut perfici possit, requiritur etiam et certa quaedam methodus et Magistri cum sedulitas tum solertia, quibus Puerorum voluntas ad ultro ediscenda sanae Doctrinae praecepta promptius commodiusque flectatur.

CAP. I.

Invigilare itaque debent Episcopi [1], ne potissima illa Dominici gregis pars, quae Christianam exigit a Pastoribus simul ac piis parentibus educationem, ullo unquam errorum seu novitatum pravo semine contaminetur. Ideoque perutile sanctae Synodo visum est ad rudimentorum fidei uniformitatem inducendam quosdam deputare probatae Doctrinae viros, in sacra Theologia Magistros et ex unaquaque Dioecesi seligendos, qui ex Concilii Tridentini Catechismo aliisque ab Ecclesia jam approbatis primaria rerum credendarum eruant elementa, primaque artis artium, quae fides est, initiamenta ordine disponant: eaque compilata et apte digesta, prout adolescentum captus exigit, ad gallicum idioma traducant, ut postea Metropolitani et Episcoporum Comprovincialium submissa judicio, ad juventutis usum publicentur.

CAP. II.

Dum tamen hoc meditatum opus ad optatum perducatur exitum, curare ac invigilare debent Metropolitanus respective et Comprovinciales, ut non nisi per ipsos examinatis ac approbatis Catechismi libris utantur Parochi aliique de Clero, qui ex hujus Provinciae Capitulis, Collegiatis ac Seminariis ad sanctum Catechistae ministerium deliguntur. Summopere item in hoc insistendum, ne ad erudiendas de fidei principiis puellas alii quam probatissimae virtutis et modestiae Cleri[ci] adhibeantur: atque iis interdum praesideat Sacerdos, cui Catechizantium praecipua demandata sit cura.

[1] Idem Aven. Tit. 8. de Fidei Rudimentis.

TITULUS VII.

De Bibliopolis et Impressoribus.

Ne libri quomodocumque exitiosi spargantur in vulgus leganturve, Episcoporum vigilantia excitatur.

Prooemium.

Ad integritatem [1] fidei servandam librorum ac eorum maxime, qui de Religione utcunque tractant, praecipua inspectio Episcoporum est. Quapropter, cum eo processerit quorundam scriptorum audacia, ut in sanctae Religionis contemptum plures a suspectis Auctoribus divulgentur libri, speciosa sanae Doctrinae sive severioris disciplinae aut sanctarum precum aliaque id genus nomina praeferentes, in quibus tamen inimicus homo in morum fideive corruptelam superseminavit zizania; ne talium sive quoquomodo noxiorum librorum contagio hujus Ecclesiasticae Provinciae fidelium animi pervertantur, sic statuit sancta Synodus:

I. Librorum omnium haereticorum aut alias a Sede Apostolica damnatorum lectionem ac retentionem omnibus, qui ad id debitam licentiam non obtinuerint, prohibet.

II. Unusquisque Bibliopola penes se habeat indicem omnium librorum prohibitorum omnibus patentem.

III. Nullus quemcunque librum, quamvis alibi impressum, iterum imprimere ac manuscripta typis mandare audeat, nisi prius per Ordinarios eorumque Vicarios Generales et Inquisitorem diligenter examinentur et approbentur.

IV. Nulli liceat imprimere vel imprimendos dare quosvis libros de rebus sacris tractantes, nisi apposito Auctoris nomine; neque illos in futurum vendere aut etiam apud se retinere, nisi primum examinati probatique in scriptis fuerint a Metropolitano respective et Comprovincialibus.

V. Eorum officinas seu Bibliothecas Episcopi, prout ipsis expedire videbitur, vel visitabunt vel per suos deputatos visitari curabunt, ne quid contra haec decreta fiat, neve se a poenis incurrendis semper immunes credant Librarii.

VI. Talmudicos libros et nefaria hujusmodi Rabbinorum scripta legi, vendi, emi, teneri omnino prohibet sancta Synodus, sub poenis, quae Constitutionibus Apostolicis continentur.

VII. Cum ex Novatorum artificio et contra sacri Concilii Tridentini sanctorumque Pontificum mentem impressi fuerint quidam libri sacrarum precum, in quibus vulgari lingua inserti sunt Ordo et Canon Missae contra decretum Innocentii XII. 17. Septembris anno 1695.; Missale item Romanum gallico idiomate vulgatum contra decretum Alexandri VII. 12. Januarii 1661.; item Horae Jansenianae sub titulo: *Prières pour faire en commun dans les Familles Chrétiennes,* damnatae ex Decreto praefati Pontificis 4. Januarii
a 1661.; item aliae quaecunque id genus Horae, in quibus tituli superstitiosi orationibus apponuntur: ne in posterum similes libros venales apud se habeant hujus Provinciae Librarii, curabunt Metropolitanus et Episcopi eos opportuno decreto monere, ut juxta praescriptum ab ultimo Concilio Aven. sub F. M. Taurusio, ubi ad eos pervenerint librorum capsae, eas non aperiant, nisi vocato deputato ab Episcopis hac in re specialiter praeposito vel Inquisitore. Item libros omnes, libellos seu folia quaelibet, vulgo *Pièces fugitives,* impugnantes quomodocunque Bullam, quae incipit: *Unigenitus,* Clementis XI., quos pro damnatis sancta Synodus habet, eadem imprimi, vendi ac retineri prohibet.

b VIII. Invigilent tandem Parochi in partibus Provinciae, Occitaniae et Delphinatus positi, ne ab eis, qui venales circumferunt libros, libri ulli seu libelli vendantur, in quibus aliquid compererint vel contra bonos mores vel in religionis contemptum, quales sunt cantiones obscoenae, fabulosa miraculorum commenta et id genus similia; imploreturque etiam, quatenus opus sit, juxta usum Provinciae brachii saecularis ministerium. Haec autem vigilantia multo majori titulo pertinet ad Parochos hujusce status Ecclesiastici, quandoquidem et facilius et minus multis cautionibus supradicto abusui mederi possunt.

TITULUS VIII.

c

De Judaeis.

Concilii Aven. sub Taurusio habiti renovantur Decreta, quibus varia a Judaeis, a Fidelibus hujus Provinciae varia circa Judaeos exiguntur.

Prooemium.

Quo sanctissimorum Pontificum mentem, quae ad Judaeorum conversionem [1] unice tendit, dum eos in hac Ecclesiastica Ditione tolerat, fideliter haec sancta Synodus assequatur: ubi hebraïcae linguae peritos [2] ac professores reperiri contigerit, curent Metropolitanus et Episcopi lectionem publicam instituere, quae semel saltem quolibet mense in loco designato fiat ad eorum illuminationem, qui in tenebris sedent. Nec aliud in
d ea lectione argumentum tractetur, quam quo Christianae fidei veritas obduratis hominum cordibus ex sacrae scripturae, veteris nempe testamenti et Prophetarum oraculis, dilucide demonstretur. Ubi vero deerit, qui hebraïcam linguam calleat, gallico aut vernaculo idiomate ad Fidem Catholicam morumque ipsorum rectam institutionem interdum erudiantur.

CAP. Unicum.

Ut autem abusus, si qui irrepserint ex eorum nimia familiaritate et consuetudine, penitus obsole-

---

[1] Trid. Sess. 4. §. *Sed et Impressoribus.* Idem Sess. 18. Idem Aven. hoc titulo 7.

[1] Cap. *Cum sit.* 16. [?, fortasse c. *Quam sit.* 10.] de Judaeis (V, 6).
[2] Idem Concil. Aven. Tit. 62. de Judaeis.

scant, censet sancta Synodus hic inserenda esse decreta super hac re edita in ultimo Concilio Provinciali Aven. a

I. Omnibus prohibet sancta Synodus cibum sumere cum Judaeis: carnes aut azyma ab illis porrecta manducare: in una ac eadem domo cum iisdem versari, ludere, societatem inire, praesertim improbum foenus exercendi causa.

II. Medicus Judaeus a nemine, quantumvis gravi morbo laboret, vocetur: caveant omnes, ne eorum diebus festis aut nuptiis intersint: ne qua mulier Christiana [1] Judaeis parientibus praesto sit: nulla item mulier Judaeorum infantes nutriat, nec contra: nemo sub poena excommunicationis Judaeis inserviat.

III. Judaei in diversis civitatum partibus ne maneant, sed in una tantum vicinia simul habitent. b

IV. In die Parasceves et Sabbati sancti lateant Judaei, ipsorum [2] portis ac fenestris clausis toto eo tempore manentibus: diebus vero festis, dum celebrantur divina officia, nullus eorum ex vico, quem inhabitant, egrediatur, exceptis Patribus familias, ut victum emere possint.

V. Sub excommunicationis poena ne domus seu praedia et cujusvis generis bona ecclesiastica, tam mobilia quam immobilia, ullo modo Judaeis vendantur pariter vel oppignorentur.

VI. Stricte pariter eis prohibitum esse sancta Synodus intendit, ne in diebus festis nostris quid servilis operis in publico faciant, nec commercii causa c quid contractent vel vendant vel venale exponant vel circumferant, sub poena confiscationis mercium contractarum et aliis nostro arbitrio imponendis: firmis item et in suo robore permanentibus quibuscunque Praedecessorum nostrorum ordinationibus de hac re tractantibus.

VII. Cum autem varia edicta de mandato sacrae Congregationis Sancti Officii evulgata fuerint ac publicari de novo possint, concernentia Judaeos in ista ditione Pontificia commorantes eorumque vivendi et agendi modum: stricte praecipit et mandat sancta Synodus, ut omnino fideliter peragatur, quidquid in iis fuerit vel erit constitutum.

VIII. Hoc tandem moneri debent Christiani omnes, ne licitum sibi esse credant ex Hebraeorum cordis duritie, eos quibuscunque contumeliis afficere, d quando Christus ipse nos docuit pro illis orare; tunc enim, quia nesciebant, quid facerent, nunc vero multo potiori christianae commiserationis titulo, quia nova et densiori caligine involuti ac circumfusi in poenam Deicidii, nec scire volunt, quae Christi sunt, nec, quid facere debeant, edoceri.

---

[1] De Judaeis C. *Ad haec.* 8.
[2] Ibidem C. *Quia super.* 4.

TITULUS IX.

De Haeresi et Haereticis.

Ab Haeresi abhorrendum: vitandi Haeretici, quorum tamen ad Matrem Ecclesiam regressio et expetenda precibus et exemplis suadenda. Adversus Doctrinae novitates adhibendum in primis Theologiae scholasticae praesidium.

Prooemium.

Detestanda praesertim Haeresis, quam parit ac fovet superbia, quae verbum Dei nefarie attentat, Sanctae Matris Ecclesiae appetit jura, charitatis vincula dissolvit, debitam ac necessariam, qua inferiores e superioribus pendent, ordinationem invertit et solutiori plerumque favet libidini. Fugiendus itaque, quisquis a Catholica Fide dissidet: hoc enim verae nostrae debetur Religioni, ut discedamus ab ipsius infensissimis hostibus, et in erroris familiaritatem nunquam veniamus: hoc nobis ipsi debemus, ne, *si tetigerimus picem, inquinemur ab ea* [1].

Summo equidem Dei beneficio ac Deiparae semper Virginis praesidio Pontificia haec Provincia nostra ab omni haeresum labe hucusque fuit praeservata, quamvis non longe a suis confiniis per occultos meatus serpat adhuc veneficus torrens. At, ne hujus damnosis fluentis aggeres Episcoporum vigilantia oppositi subedantur ac diruantur unquam: neve oves nostrae nimia Haereticorum vicinia et consuetudine tamque foeda contagione miserrime corrumpantur, meminisse juvat oraculi, quondam a Regio Propheta editi: *Commixti sunt inter gentes et didicerunt opera eorum* [2]. Ex illo autem effato edocti ac eruditi monentur omnes fideles, ut ab infidelium ac haereticorum consortio extra necessitatis vel debitae comitatis casum abstineant. Sed quia in vestimentis ovium quandoque latent aut lupi rapaces aut effugiendae semper nec satis unquam vitandae vulpeculae, quae hoc saeculo nequam demoliri vineas nobis concreditas student: quaedam praemissis hisce admonitionibus addenda censuit sancta Synodus, quae ad gregis, cui Nos praefecit Spiritus sanctus, regimen ac tutelam hac in re conducibilia esse possint.

CAP. I.

Provinciali hoc itaque decreto stricte inhibetur, ne quis deinceps exterum ullum cujuscunque regionis, aetatis et sexus seu in famulatum seu in artium mechanicarum societatem sumere praesumat vel ei domum locare, quin prius certior factus sit aut per schedulam Baptismatis aut per Catholicos fide dignos, talem exterum esse vere Catholicum. Quodsi dubium insurgat seu suspicio de ejus vera fictave Religione, ad triduum tantum retineri liceat, statimque Metropolitano vel Episcopis respective vel Parocho loci denuntietur, ut inquiratur sedulo, quid rei sit. Parochorum autem cura erit casum, ubi resciverint, Praelato suo per epistolas diligenter exponendi.

---

[1] Eccli. Cap. 13, 1.
[2] Psalm. 105, 35.

CAP. II.

Ut autem haec sanctae Synodi mens neminem lateat: universis ac singulis hujus Provinciae Parochis praecipitur, ut, mora nulla interposita, in Dominicalibus suis Concionibus, vulgo *Prônes,* decretum hoc palam annuntient ac publicent, intimantes praecipue, quod, si quis in eo contenta neglexerit vel fraudulenter exteros de haeresi suspectos seu notorie Haereticos ultra triduum in domo celaverit vel contubernales habuerit, canonicis eum poenis, a competenti judice infligendis, coërceri, Metropolitanus respective et Episcopi curabunt pro modo culpae.

CAP. III.

Vult insuper ac in virtute sanctae obedientiae praecipit sancta Synodus, ut bis saltem in anno hujus Provinciae Parochi, tam urbani quam foranei, diligenter visitent suas Parochias: et si quos repererint exteros, qui domicilium vel jam ibi fixerint vel figendi animum habeant, ab iis schedulam seu Baptismatis fidem sibi exhiberi faciant: si autem in forma matrimonii vivunt, curent, tam ad eruendam Religionis, quam profitentur, notitiam, quam ad vitanda concubinatus, adulterii seu polygamiae scandala, etiam contracti matrimonii documenta sibi proferri, revelantes statim Episcopo suo, quidquid super his compertum fuerit. Quodsi facere neglexerint, et Deo rationem tantae incuriae reddituros se meminerint et Praelato suo, qui a Deo
c positum se novit ad indiligentium ac Refractariorum Canonicam correctionem.

CAP. IV.

Quoniam vero in quibusdam hujus Provinciae Parochiis, extra Pontificiae Ditionis confinia positis, admixti adhuc antiquis Catholicis reperiuntur quidam homines, vulgato nomine *Nouveaux Réunis,* qui plerumque dubium ingerunt, an ex artis Politicae mundanaeque Prudentiae legibus potius quam vero et sincero animo Haereticam pravitatem ejurarint, quandoquidem nec sanctae nostrae Religionis praeceptis parent, nec ulla novae Regenerationis per fidem probabilia saltem praebent argumenta: ideo sancta Synodus, quae occultam tamen ac internam pravitatem
d Deo judicandam relinquit, eorum majorem curam habendam esse censet, ita nempe, ut, si qui sint minus fortes in fide aut a debita persuasione prorsus alieni, salutaribus lenimentis alliciantur, aut sanis roborentur consiliis, non minis asperis ac immoderatis objurgationibus terreantur. Nunquam enim de obduratis et contumacibus sic desperandum est, ut a charitate, ubi reconciliatio agitur, deflectere liceat. Quapropter Episcoporum ac Parochorum hujus Provinciae studium impensum hoc sit, non amaro zelo, sed placido, ferventi ac perseveranti animo tales quoscunque homines paternis hortationibus ac blandis verbis adducere, ut ad promerendam Dei gratiam, Ecclesiae communionem et Principis benevolentiam verbum Dei, ex quo omnis
a Catholica veritas defluit, assidue audiant, divina frequentent officia, Catechismo cum suis filiis intersint, servosque tam sanctis documentis adesse cogant: quibus scilicet institutionibus et boni Cives et fideles Subditi et una omnes vere Catholici esse discant: ut tandem non in crastinum protrahant verae Fidei professionem veram; Sacris enim Scripturis, quibus potissimum insistunt ac inniti se fingunt, edocentur, quod Deus non irridetur: nec ignorare possunt, quo fidelitatis Sacramento in Deum praepositosque a Deo Pastores et temporales etiam Dominos obstringantur [1].

CAP. V.

Praeterea, cum nolit Deus mortem Peccatoris, sed
b velit potius, ut convertatur et vivat; cum Christus pro suis legisque suae Persecutoribus oraverit, Ecclesiaque ipsa certas quasdam adhibeat preces, *ut errantium corda resipiscant et ad veritatis redeant unitatem* [2]*:* Clerum Plebemque hujus Provinciae hortatur sancta Synodus, ut enixe et assidue Divinam implorent misericordiam pro Haereticorum ac Schismaticorum sincera ad verae Fidei semitam Sanctaeque Matris Ecclesiae sinum reversione. At probis tamen moribus summaque vitae integritate ipsa Religionis Catholicae Sanctitas et excellentia comprobanda est: exemplo enim potissimum ducuntur homines, quodsi bonum sit, a malo, si malum, a bono facile avocantur.

CAP. VI.

Restat, ut, quoniam hac potissimum aetate fortes bene multos cecidisse vidimus in Israël ob immodicum novitatis amorem, tam noxiae pesti opportuno hic decreto remedium aliquod afferatur. Monitos ideo vult sancta Synodus eos omnes, qui Theologicis Studiis dant operam, ne vanam sibi affectatae eruditionis supellectilem comparent, sana Theologiae Scholasticae principia negligentes: rudimenta enim haec si minus norint, mox parum tuti Novatorum ludibrium fient, tum variis aestuabunt dubitationibus, recedent paulatim a Fidei obsequio, tandemque in insipientium errorem imprudenter adducti, nihil praeter Religionis Catholicae, quod absit, nomen ac speciem retinebunt.

TITULUS X.

De Blasphemis.

In Blasphemos, a Deo in Sacris Codicibus, dein Conciliorum decretis ac Principum legibus damnatos, animadvertitur: Indulgentiisque a Leone X. concessis Reorum id genus Delatores ac Judices stimulantur.

Prooemium.

Sic rebus circa Haereticos ac Judaeos in Domino dispositis, prout magis locorum seu temporum opportunitati congruere visum est, jam non minorem cre-

[1] Ad Hebr. 13, 17.
[2] Orat. fer. 6. in Parasceve.

dit sancta Synodus conferendam esse operam ad re- a
prehensionem et emendationem scelestorum quorumdam hominum, qui, licet in albo Christianorum inscripti sint, Gentilium tamen mores palam ostentant et sacrilegas Paganorum expromunt voces: de Blasphemis agitur, qui, contumeliosis verbis perniciosa praebentes exempla nequitiae, et suum Supremi Numinis contemptum aperte declarant, et ipsam illius tremendam Majestatem in omnium despicatum adducere velle videntur. Ii autem cum nec severius puniri possint nec longius ablegari, de quibus *locutus est Dominus ad Moysen, dicens* [1]*: homo, qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum: et qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur: lapidibus opprimet eum omnis multitudo, sive ille Civis sive Peregrinus fuerit:* b
quod sequenti capite statuitur, inprimis observandum est.

CAP. UNICUM.

Ut igitur in tam execrandis malis radicitus evellendis et ab isthac Provincia penitus deturbandis non inutile studium ponat sancta Synodus, et ne talium scelerum foeditate diutius tempora nostra maculentur, utque vitentur inposterum perditissimorum hominum periculosa contagia, qui nefaria tanti sceleris conscientia polluti in Divinam usque Majestatem superbe se erigunt: Metropolitanus et Comprovinciales Episcopi, Sacrorum Canonum jure et Sanctorum Conciliorum auctoritate innixi, crimen hoc, Principum etiam legi- c
bus sanctionibusque damnatum, ubi in quacunque Dioecesium suarum parte intra Pontificiam Ditionem posita revelatum sibi fuerit vel denuntiatum, severioribus poenis atque censuris a Canone impositis coerceri atque puniri curabunt. Quodsi a parte Regni Galliae Dei aut Sanctorum obtrectatores denuntiabuntur, Metropolitanus et Comprovinciales Episcopi suis respective Officialibus foraneis stricte injungunt, ut ad debitam punitionem viriliter procedatur. Praeterea, cum tam gravis delicti testes ad laudabilem Reorum delationem praemiis etiam spiritualibus excitandi sint: curent Parochi omnes juxta mentem hujus sanctae Synodi evulgare quandoque Indulgentias, quas Leo X. in Lateranensi Concilio aliique Summi Pontifices tam d
Judicibus quam Delatoribus largiti sunt. Invigilent pariter omni maxima diligentia, ne in suis Parochiis Blasphemiae scelus, quod ad Haeresim, quae summa Blasphemia est, proxime accedit, diutius impunitatis spe toleretur; moneantque Parochianos suos, teneri quemcunque ad deferendum Episcopo vel cui de jure, eum, qui Blasphemias Haereticales impie protulerit. Quid autem sit id genus Blasphemiae, hoc ab ipsis caute et opportune edoceatur.

[1] Levit. 24, 13. 15. 16.

TITULUS XI.

De Episcopis.

Hic aggreditur Sancta Synodus, quae ad Domum Dei pertinent; ideoque ab Episcopis initium sumendum esse censuit, ut illi de se prius judicent, quam de aliis statuant.

Prooemium.

Cum ad quandam similitudinem Domus Patris sui, in qua mansiones multae sunt, Catholicam Ecclesiam sic instituerit Christus Dominus, ut in ea plures etiam mansiones Hierarchico ordine apte dispositas esse voluerit, electis a se ab initio sacrorum Ministris, secundum mensuram gratiae ipsis concessae: hinc Episcoporum potior cura esse debet praecavendi, ne mirabilis ille ordo invertatur unquam, sed ad tranquillum Ecclesiae statum fideliter religioseque servetur. Hoc autem ut juxta Christi sic ordinantis mentem placitumque fiat, sancta Synodus provide sapienterque statuit, ut, qui inter caeteros de Clero primarias in Ecclesia sedes occupant et in sacerdotii gradibus prae aliis eminent, ii Ordinis sui decus, prout decet, tueantur et, ubi de Domo Domini agendum est, ipsi se primum in judicium vocent, ne illos tanquam sibi parcentes alieno, ut olim Pharisaeos, judicio damnari contingat.

CAP. I. De Episcoporum muniis in genere.

Quapropter, serio ad invicem cogitantibus Nobis, quae et quanta in nostra consecratione uno Evangeliorum libro onera, Angelis ipsis etiam formidanda, fuerint humeris nostris imposita: haec statim examinanda ac severiori calculo discutienda Nos et Comprovinciales Episcopi duximus: Ad quid nempe ex Episcopali teneamur officio? Quae confinia nobis traditae potestatis? Quae tandem a nobis gesta sint vel ad nostrae cujusque Dioeceseos utilitatem agenda remaneant? Ut conscius sibi quisque nostrum tenuitatis suae, ea humili oratione a Deo postulet, quae sua virtute operari ac exsequi posse non praesumit.

CAP. II. De Visitatione et Praedicatione Pastorali.

Perpensis deinde evangelicis Christi verbis, quibus ipse prima Apostolicae praedicationis quasi fundamenta jecit mandatumque nostrae Procurationis aperte expressisse videtur: *euntes in universum mundum, praedicate Evangelium omni creaturae* [1], duo Nobis agenda potius quam meditanda esse facile colligitur: paucis siquidem ex verbis illis innuitur nobis et visitandi et praedicandi munus, ad quod digne sustinendum tam frequenter et exempla Regnantis Summi Pontificis nos provocant [2] et consilia quaeque nos invitant. Congruum enim est ac omnino necessarium, ut oves aspectu [3] Pastoris quandoque recreentur, utque ejus verba

[1] Marci 16, 15.
[2] Idem Conc. Rom. Tit. 1. c. 3. [p. 346. c.]
[3] Conc. Trid. Sess. 24. C. 3. et 4. Idem Conc. Aven. hoc Tit. 1.

audiant, et amicae vocis sono assuescant. Paterno autem potius eloquio quam phalerato et ambitioso dicendi modo Fidelium aures mulceri debent, ut salutis monita, quae ex Parentis ore procedunt, audientium cordibus altius impressa remaneant ad uberrimum optatumque animarum lucrum atque proventum.

CAP. III. * Non verbis tantum, sed exemplis praedicent Episcopi.

Duplex autem praedicandi genus, aliud verbo, exemplo aliud. Dum adolescebat adhuc Christi Ecclesia, Praedicatio miraculis ob Legis novitatem fovenda erat ac quodammodo fulcienda; nunc vero adultae jam et ad virilitatem feliciter perductae non prodigiis, sed Evangelizantium claris exemplis opus est: enervatur enim ac obtunditur sermo Dei, licet penetrabilior omni gladio, si, quae Plebi nostrae facienda proponimus, operibus non comprobemus; nec unquam ad suadendum esse potest efficacior sermo noster, quam cum ea facimus, quae dicimus, et ea portare videmur onera, quae aliis ducimus imponenda.

CAP. IV. In Visitatione Pastorali laboris sui Adjutores et Administros sibi seligant Episcopi.

Non ad Christi verba tantum, sed etiam ad gesta suam in regenda Dioecesi agendi rationem dirigere debent Sacri Antistites. De Divino autem illo nec satis unquam imitando Magistro legimus, quod sacram sibi a Patre demandatam peregrinationem aggressurus binos ante se discipulos [1] mittere consuevit, qui adventantis Domini pacificam simul ac beneficam mentem exprimerent et, tanquam novae publicandae legis Praecones, prima Evangelii spargerent semina, quae Christi praedicatione fovenda ac foecundanda opimam fructuum segetem populis colligendam promitterent. Quid haec vero nobis innuant, facile arguet, quisquis cogitaverit, exemplo Nobis esse Christum, ut, quemadmodum fecit, ita et nos faciamus. Monemur siquidem Episcopi, selectos ex omni Clero nostro Cooperatores et Administros, instante visitationis tempore, vel praemittendos esse vel nobis Comites habendos, qui de utilitate sacrae visitationis plebem instruant, qui dispensanda a Pastore Sacramenta praenuntient, qui in unaquaque Parochia de Cleri moribus ac doctrina caute percontentur, familiarum discordias rescire studeant, quinamve pravi habitus seu affectus praevaleant in populo: ut, rebus dehinc consulte perpensis, ea medicinalia remedia, eae reprehensiones a Visitantibus adhibeantur Episcopis, quae ipsorum prudentiae atque discretioni congruere videbuntur.

CAP. V. Fida Episcoporum adhaesio Summo Pontifici Sedisque Romanae praecellenti auctoritati optimum Episcopalis Ordinis ac Dignitatis firmamentum.

Quoniam vero eos Nobis Coepiscopos, Deo et Apostolica Sede insimul conspirantibus, habere contingat, qui ex praecellenti perfectionis statu, in quo positi

[1] Luc. 10, 1.

a sunt, satis norunt, quantum sibi domibusque suis debeant esse bene praepositi [1], quidve a Sacris Conciliis, Tridentino et nuperrimo Lateranensi [2], aliisque Pontificum Decretis statutum injunctumque sit circa Visitationis Pastoralis modum, comitatum frugalemque victum: quos etiam et ab assiduae in suis Dioecesibus praesentiae necessitate non refugere et ad Evangelicae Praedicationis munus implendum constat esse paratos: de Episcopalibus muniis non fuse lateque, sed obiter dicendum censuit sancta Synodus. Duo tamen, in quibus maximum momentum est, non ita raptim perstringenda existimat. Primum nempe, quod, cum ex Communione nostra cum Romano Pontifice Orthodoxiae nomen ac fama pendeat, ita unitate spiritus cum
b ipso coalescere et quodammodo conglutinari debemus, ut in eo quasi inesse videamur. Pro hoc enim Christus oravit Patrem, ut Apostoli unum essent inter se, non unitate loci seu personae, sed ea, qua ipse ac Pater [3] unum sunt, amoris nimirum, consensionis ac participationis ad intra: et sicut Personas Divinas inter se unum esse Catholica veritate edocemur, ita unum simus in Christo per fidem, unum in Ecclesia per obedientiam, reverentiam, devotionem ac subordinationem membrorum ad caput, filiorum ad Patremfamilias, partium integrantium ad totum, quod est Petri Apostolatus: ut tandem Hierarchicus Ordo nostra ad unitatem conspiratione servetur, sicque Dei Ordinationi non resistentes, nec Deo resistere incusemur. Secundum autem, non minoris ponderis ac momenti, illud
c est, quod nunquam melius causam Episcopatus agimus, quam cum Petri Apostolatum, ejus clypeo protecti, pro viribus defensamus: summa enim est inter utrumque connexio jurium et, fas sit dicere, commixtio. Quodsi ultra recti justique mensuram, a Deo praefinitam, judiciorum parilitate praesumpta, contendatur: timendum, ne in ipsius Religionis damnum eveniat, ut, dum immodice extolluntur Episcopi, Episcopatus simul cum Petri Apostolatu deprimatur.

CAP. VI. Continuatio Capitis proxime praecedentis. Explicatur, quid sentiendum sit de pristino more, quo Episcopales Cathedrae ipso Sedis Apostolicae nomine appellabantur.

Licet enim eo tempore, quo primus fervebat adhuc
d Religionis amor cultusque vigebat, Episcopalibus quibusdam Cathedris Apostolicae Sedis nomen fuerit attributum: non aliam tamen ob causam Sanctissimi Praesules ea se appellatione condecorari patiebantur, nisi quia ipsi, cum unum ex Evangelico unitatis praecepto Episcopatum agnoscerent (singulis scilicet Cathedris Romanae Sedi Catholica Communione adhaerentibus unamque cum ea Sedem Apostolicam constituentibus), singulares etiam Cathedras in partem honorum Primariae Ecclesiae debitorum venire posse existimabant. Caeterum Sanctissimi illi Antistites ex tam

[1] I. Ad Tim. 3, 4.
[2] Trid. Sess. 24. C. 3. Conc. Rom. Tit. 8. C. 1. [p. 357. a.]
[3] Joan. 17, 11.

gloriosa Nominis ac Dignitatis quasi consortione non superbiebant, non ambitiose de se sentiebant. Certis quippe monumentis apparet, eos nihilominus fateri palam solitos fuisse, Romani Antistitis proprium hoc esse ac praecipuum, ut, non secus ac Caput prae caeteris membris celsissimum in corpore locum occupat, sic ille prae caeteris Episcopis praestantissimam pro suo jure obtineat sedem. Unde, qui debitam ei obedientiam ac reverentiam non praestat, tanquam a Capite [1] sejunctus, Acephalorum deliramentis agitur, quodque magis est, totum perversitate sua lacessit Episcopatum. Nam, ut sapienter advertit Avitus Viennensis Episcopus [2], *si Papa Urbis vocatur in dubium, Episcopatus jam, non Episcopus vacillare videbitur.*

CAP. VII. In regenda Dioecesi DD. Petri ac Pauli monitis animum advertant Episcopi.

Ut tandem ab antiquis Patrum monitis ad antiquiora mentem attollamus, vult sancta Synodus, Episcopos saepe memores esse eorum, quae Tito et Timotheo dicta sunt ab Apostolo Paulo, nec unquam desciscant a provido illo Divi Petri Consilio [3]: *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, ... neque ut dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo.*

TITULUS XII.

De Capitulis et Canonicis.

Prooemium.

Ut caeteris de Clero Canonici praestant Dignitate Ordinis, sic Doctrina et Sanctitate praestare debent.

Ad Episcopalem Cathedram propius accedunt Canonicorum Subsellia, in quibus distinctis gradibus dispositi variisque nominibus et titulis insigniti ad diversa etiam officia ab Ecclesia destinantur. Quocirca, cum pars illa Cleri proximitate Cathedrae caeteris praeeminet ac muneris dignitate, ita Doctrina et Sanctitate praecellere debet, eoque majori zelo decorem Domus Dei augere tenetur exemplo suo, quo frequentius ac solemnius adhibet suum in Sacris peragendis ministerium.

CAP. I. Canonici Angelorum more se gerant in Domo Domini.

Noverint itaque Sacerdotes omnes, Diaconi et Subdiaconi, in Dignitatibus aut Personatibus constituti, caeterique Canonici et Praebendati, qui primariis aliisque nostrae Provinciae Ecclesiis addicti sunt, quod [4], sicut invisibilis Angelorum Chorus Tabernaculo adstat pronus adorans Deum vivum et verum, cui complacuit sedem ibi suam collocare, ita ipsi tanquam visibiles

a Angeli in Choro et Ecclesia versari debent, non ut mercenarii seu venales adoratores, sed ut liberi ac ferventes Divinarum laudum praecones, psallentes sapienter [1] ac diligenter ministrantes acceptissimum Deo Sacrificium laudis. Nec satis esse sibi credant, quod Canonicis Horis interfuerint, nisi praesentiae corporali cordis affectio animique meditatio responderint. Et quandoquidem incidimus in ea, quae ad Chorum pertinent: in ejus aut tuenda aut restituenda disciplina immorandum esse censet sancta Synodus.

CAP. II. Non praecipitanter, non perfunctorie, non vilis lucri causa psallantur Horae Canonicae, sed composite, sed sedulo, sed propter aeternam retributionem.

b De Choro itaque et Horis Canonicis ex Patrum Concilii placito primo tractatur, ut, quisquis quotidiano Ecclesiae seu Chori servitio tenetur ratione beneficii, ipse non de onere ac labore, non de caduco seu temporali stipendio, sed de mercede spirituali [2] et aeterna sollicitus sit, psallendo nempe et canendo non praecipiti, sed lento et gravi modo, non perfunctorie et oscitanter, sed accurate, ne Populo ansa praebeatur objurgationis ac conviciorum in Ecclesiae Ministros, quasi si taedio affecti longa nimis ea temporis spatia crederent, quae in celebrandis Dei beneficentissimi laudibus impenduntur.

CAP. III. Sic Coeremoniae ritusque observentur in Ecclesia Metropolitana, ut aliis Ecclesiis exemplo esse possit ac disciplinae.

c Quae in genere de omnibus Choro inservientibus proponuntur, specialiter afficiunt Capitulum Sanctae hujus Metropolitanae Ecclesiae, in qua eo major debet esse cura, ut Coeremoniae et ritus Missarum Pontificalium aliarumque solemnium diligenter ac religiose serventur, quod ab ipsa exemplum sumere debeant caeterae Cathedrales et Collegiatae eundemque celebrandi ac psallendi modum servare, quem in Metropolitana Sede cognoverint usitatum [3]. Hoc enim antiqua etiam Concilia decrevere, ut inde unaquaeque Provinciae Ecclesia hauriret agendi regulas, ubi ratione praeeminentiae et magisterii securior norma viget et antiquior.

d **CAP. IV.** Ediscatur Cantus Gregorianus.

Admonet igitur sancta Synodus et enixe obtestatur omnes, qui in Capitulis et Collegiis Canonicorum locum obtinent, ut Cantum Gregorianum ediscant [4], et antiquam Chori disciplinam diligenter observantes, nullam ejus partem aut exiguam aut minoris esse momenti existiment, cum ab Ecclesia instituta sit, et ideo instituta, ut cultus Deo debitus exhibeatur.

---

[1] Isidori Ep. Hispal. Epist. ad Eugen. Episc. Tolet. 697. [Opp. S. Isidori Ed. Migne. Patr. Lat. LXXXIII, 908. C.]
[2] Avitus Episc. Vienn. Epist. 31. [Opp. Sirmondi Ed. Venet. 1728. II, 48. B.]
[3] 1. Petr. 5, 2. 3.
[4] Trid. Sess. 24. Cap. 12. Ibid. Vers. *Omnes vero.* Conc. Aven. sub Taurus. hoc Tit. 33.

[1] Psalm. 46, 8.
[2] Psalm. 118, 112. Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas . . . propter retributionem. Vide Bellarm. in hunc Psalm.
[3] Conc. Beneventan. a. 1693. Tit. 35. Cap. 8. [p. 67. b.]
[4] Conc. Benevent. Tit. 21. C. 7. [p. 51. a.]

CAP. V. Qui tuendae Chori Disciplinae praefecti sunt, ab Officio ne discedant.

Chori itaque Disciplinae tum Praepositi Decanive tum Praecentores diligenter invigilent, ut quisque munere suo bene fungatur, praecaventes, ne ex nimia indulgentia gravent conscientiam suam [1]. Punctuator vero fideliter officium exerceat suum, nullo habito humano respectu. Liber Punctuationum in loco tuto asservetur, ita ut solis Punctuatoribus pateat extra necessitatis casum.

CAP. VI. Palam in Choro proponatur Tabella, unde Officiorum ac Missarum ratio desumatur.

Curet Praecentor, ut omnia in Choro fiant juxta Rubricas tam Breviarii Romani quam Missalis et Coeremonialis. Divina autem officia semper ex ordine Calendarii et Ecclesiae instituto celebrentur: nec ea ratio sine justa causa, et nisi consulto Episcopo, immutetur unquam. Ideoque a Praecentore edatur cum omni cura ac diligentia parvula Tabella, exponenda in loco apto, qua singulis diebus Missarum et Officii Ordo praescribatur.

CAP. VII. Praecipitur, ut in qualibet Provinciae Aven. Dioecesi instituantur Congregationes, in quibus periti Sacerdotes de Sacris Coeremoniis ac Ritibus palam disserant.

Cum autem Coeremoniae Sacrae, si sedulo ac modeste serventur, fidelium etiam Laicorum animis pietatem ingerunt et Sacerdotalis Ordinis aestimationem, si vero negligantur vel incompte et tumultuarie fiant, scandalo sunt: ideo praecipit sancta Synodus [2], ut in unaquaque Nostrum Dioecesi instituantur Congregationes, in quibus periti Sacerdotes, ab Episcopo selecti ac deputati, condicta die de re omni ad Ritus ac Coeremonias spectante disserant et, si quid dubium aut intricatius agatur, Ordinario consulto, resolvant, ut sic in melius semper Ecclesiastica Disciplina promoveatur ac invalescat.

CAP. VIII. Ne quid in Musicis Concentibus, ad solemniorem Divinorum Officiorum Celebrationem adhiberi solitis, profanum sit, cavetur.

Ut Musicae numeri, ad pios animi affectus inter sacra solemnia excitandos instituti, ab Ecclesiae mente non discedant: serio hic cavetur, ne quid inposterum ad modulos profanarum cantionum concinatur. Cantica vero, quae vulgo dicuntur *Motets* [3], non verbis constent Auctorum arbitrio concinnatis, sed ex aliquo tantum Hymno Ecclesiae noto Psalmove decerptis. Carmina pariter tempore Natalium Domini vernacula lingua componi solita, gallice *Noëls,* et hucusque tolerata, jam prohibenda esse sancta Synodus credit, eo quod intenta Sacri Mysterii explicatio admixtione risibilium eventuum multoque vaniloquio et scurrili verborum lusu depravabatur.

[1] Conc. Aven. sub Taur. Tit. 33. de Canonicis.
[2] Conc. Rom. Tit. 15. Cap. 9. [p. 371. c.]
[3] Conc. Aven. Tit. 35. de Cantu eccles.

a **CAP. IX. Idem agitur ac in praecedenti Capite, nova tamen statuuntur circa Instrumenta Musica.**

Moneantur itaque Musicorum Concentuum Moderatores et Magistri, ne, in solemnissimis etiam Ecclesiae Festis, praescripta modo canendi norma immutetur minusve accurate servetur. Cumque a Sacris [1] Solemnibus arceri omnino debet, quidquid ab illorum dignitate alienum videtur: caveant praeterea supradicti Musici, ne ex suo vel audientium placito praeter solita illa etiam adhibeant instrumenta bellica, vulgo *Timbales* et *Tambours,* quae convenire sancta Synodus non credit iis, qui militant in castris Domini: tuba tamen excipitur, quae animum ad Judicii Universalis cogitationem metumque suo potest excitare clangore.

b **CAP. X. Proluditur ad Decreta subsequentia de recto vivendi modo in Claustris Domibusque Canonicalibus.**

Ordinatis hucusque rebus singulis, quae ad Sacrarum Coeremoniarum observationem debitamque Divinorum Officiorum celebrationem pertinent, non minori diligentia providendum est recto sanctoque vivendi et agendi modo in Claustris Aedibusque Canonicalibus, prout Ecclesiae proxime adhaerentibus. Ad hoc igitur, quae sequuntur, Statuta collineant.

CAP. XI. Varia circa rectam vivendi rationem in Claustris, agendi in Capitularibus Conventibus, Bona Ecclesiastica administrandi, pias Fundationes ac Statuta exsequendi, Pueros Chorales educandi, ac nonnulla etiam circa Chori disciplinam statuuntur.

c Quanquam ex Indulgentia Summorum Pontificum quaedam hujus Provinciae Canonicorum Collegia fuerint a Regularis Disciplinae legibus benigniter soluta, non inde tamen existiment id genus Canonici, se ab omni Religioso conversandi agendique modo esse prorsus expeditos. Non enim in habitu tantum nec in mensa communi summa Regularitatis consistit, sed in aliis multo gravioribus, quae ad Canonicos etiam pertinent: scilicet, charitate fraterna, frequenti Statutorum lectione ac meditatione, laudabili singulorum conspiratione ad utilitatem tum Capituli tum Ecclesiae, sincera tandem votorum communione ac societate bonorum operum. Quod cum ita se habeat, statuit sancta Synodus, ut infra.

d I. Capitulares Conventus (quod ex antiquo usu factum hactenus fuisse conjectamus) semel saltem in hebdomada, data die praevioque campanae sonitu, convocentur: nunquam tamen tempore Divinorum Officiorum et Conventualis seu solemnioris Missae, nisi gravis necessitas urgeat. Inter negotia in Capitulo tractanda primario loco sint ea, quorum major et antiquior in animis cura esse debet, res nempe spirituales et ad Dei cultum spectantes: tum de iis disseratur, quae ad rectam administrationem jurium ac bonorum pertinent. Quidquid autem fuerit capitulariter constitutum, Dignioris, qui praesidet, et Secretarii

[1] Conc. Rom. eodem Tit. C. 6. [p. 368. c.]

Capitularis Chirographo subnotetur. Si quid vero ex adverso opponatur, tunc contrariae Sententiae intercessio, quatenus fiat in re gravi, ab ipso Opponente scribatur et ipsius firmetur subscripto nomine.

II. Servetur omnino in dictis Capitulis ea, quae decet Sanctos, modestia et animorum concordia: rebusque a digniore seu antiquiore propositis, vitatisque inutilibus digressionibus, suffragia ferantur a Canonicis ordinate, non promiscue, incipiendo a Senioribus. Quod si contigerit, aliquam esse sententiarum discrepantiam, tunc facultate habita ab eo, qui praesidet, quisque poterit contradicere, suaviter tamen in modo, ut sublata opinionum dissidentia, rebus scilicet novo examine ponderatis, ad conciliationem animorum optimumque Capitularis deliberationis exitum deveniri possit.

III. In administratione Bonorum Ecclesiasticorum duo potissimum advertenda censuit Provincialis haec Synodus: quae sit nempe natura rei beneficiariae administrandae, et quo pacto jus administrandi tradatur ab Ecclesia, ad quam ratione oeconomiae generalis recta proventuum Ecclesiasticorum dispensatio pertinet. Quoniam itaque pinguiores Praebendae, de quarum proventibus dotatae reperiuntur Ecclesiae dignitate insigniores, ex Pontificum seu Principum largitate proveniant: ideo sollicite pensandum atque curandum est ab omnibus, tum Canonicis tum quocunque alio titulo Beneficiariis, quod, cum nullum nec a sanguine nec a lege jus fuerit ipsis quaesitum ante Beneficiorum adeptionem, cavere debent, ne ea, quibus tanquam altarium servitio dediti fruuntur, collata Beneficia sic administrent, quasi haereditario vel proprietatis jure possiderent. Quapropter pleraque Concilia generalia Synodique [1], seu provinciales seu dioecesanae, explicate et distincte statuerunt, ut in quolibet Capitulo conficeretur generale inventarium bonorum omnium mobilium et immobilium, cujus ope facilius ac nitidius rectae vel malae administrationis ratio, quoties ab Episcopis exigeretur, reddi posset. Cum autem plurimum pendeat a diligenti Inventarii confectione expeditior computorum redditio, et apertius etiam innotescere possit Ordinario proventuum Capitularium ac mensae Canonicalis Status: operae idcirco pretium est, ut Praepositi, Decani aliique, qui dictis Collegiis quomodocunque praefecti sunt, ad tam necessarii negotii perfectionem animum appellant, ne se gravis incuriae obstringant crimine, neve Ecclesiae patrimonium in pejus ruat magisque ac magis deteratur.

IV. Cum pariter ex munificentia Pontificia ad Cathedralium et Collegiatarum erectionem ac sustentationem addita Mensis Capitularibus fuerint plura Beneficia, sive simplicia sive curam animarum habentia: ita fructus inde prodeuntes colligi debent ac dispensari, ut juxta mentem Sanctorum Pontificum nihil tamen unquam desit neque Parochis neque Parochiis a Mensa Capitulari sic pendentibus. Parochorum autem

[1] Conc. Rom. Tit. 12. Cap. 1. [p. 362. a.]

a portio, quam congruam appellant, non modo assidue ac tempori solvatur, sed nulla etiam praebeatur ipsis occasio conquerendi ex eo, quod parcius suppeditentur aut denegentur prorsus vasa et ornamenta sacra, quae praeberi debent a Prioribus Decimatoribus, tum Saecularibus tum Regularibus. Dictum idem sit de quibusdam minutis expensis ac reparationibus Presbyterii seu Sanctuarii, servato Regionum et Provinciarum more. Quanquam vero haec inspectio ad Visitationem Pastoralem potius pertinet quam ad Synodum Provincialem: nihilo tamen minus haec sancta Synodus, quae litibus ac jurgiis occurrere summopere cupit, propositum scopum attingendi spe ducta, suggerendum hoc consilium censet, nimirum ut quolibet anno a Capitulis Metro-
b politanae, Cathedralium, Collegiatarum ac etiam ex Monasteriis demandetur aliquis, qui Parochias, de quibus supra, visitet inspiciatque, quonam in statu Sanctuarium et Sacrarium reperiantur, ut statim de iis, quae ad decentiam Domus Dei sunt necessaria, provideatur, consulta potius conscientia quam oeconomia, cujus quandoque nomen avaritia ipsa fucum factura sibi vindicat.

V. Praeter solitam administrationis sive Syndicatus rationem quotannis reddendam, ratio etiam Anniversariorum et piorum Legatorum absque ulla cunctatione reddatur coram Auditoribus a Capitulo delegatis, ut rescire promptius et certius possit Episcopus, an celebrata illa fuerint, haec vero exsecutioni mandata.

c VI. Servetur omni cum sedulitate laudabilis usus legendi Statuta in Capitulo publico, cui intersint omnes a Statuto designati, ut quisque corde recogitans advertere possit, numquid fiat, quod praescriptis regulis adversetur, cognoscantque singuli, ea se lege teneri, ne in perjurium cadant. Iis autem, qui dicto Capitulo intersunt, liceat de propriis juribus aut querimoniarum causis dicere, modeste tamen, ut unicuique ex aequo et bono post accuratam rei considerationem sanumque ac rectum judicium satisfiat.

VII. Statuta si fideliter serventur nec arbitraria vitientur interpretatione, non erit querimoniis locus: ipsius enim datae legis ope contentiones, si forte oriantur, definiri possunt, facilisque est praeterea ad Ordi-
d narium recursus in casu dubio vel obmisso. De Statutorum autem exsecutione litterali solliciti debent esse Canonici Capitulares, ne, qui de Ecclesiae gremio sunt, licet non de Capitulo, compellantur quandoque pulsare Episcoporum aures molestis conquestionibus, quae facile vitarentur, si Canonicus quisque in suo se ordine contineret respiceretque caeteros Praebendatos tanquam consacerdotes, in eadem secum Ecclesia ad Dei servitium consociatos ejusdemque Matris enutritos uberibus, quanquam dispari gradu positos.

VIII. Quoniam vero ad servandam concordiam plurimum conferunt reciprocae simul cohabitantium urbanitas et comitas, quibus scilicet charitas fraterna fovetur ac etiam augetur: in hoc omnem curam adhiberi studeant Digniores Senioresque Capituli. Sic enim

semota omni discordia, tranquillis undequaque animis, paceque mutuorum officiorum adminiculo firmiter coagmentata, facilius et efficacius rerum tam spiritualium quam temporalium bonae administrationi vacari poterit.

IX. Inter praecepta, quibus Paulus Apostolus Timotheum ac Titum informavit, illud praecipue tam ab Episcopis quam a caeteris de Clero, qui in Collegiis seu Capitulis quoquomodo locum obtinent, memorandum est, quo monemur [1] nullatenus esse litigiosi nec cupidi: nihil enim magis indecorum est Clericali Ordini quam damnanda cupiditas ac ipsa etiam necessitas judiciaria Tribunalia adeundi clamosasque Fori contentiones insectandi occasione litium, quae plerumque sine controversia, sine molestia, sine dispendio componi possunt. Quocirca plurimum satagere debent, qui praesunt Collegiis et Capitulis, ne unquam moveantur lites, nisi tentatis prius earum praevertendi aut dirimendi viis, vel saltem consulto Actore Capituli aliisque, quatenus opus sit, Jurisprudentiae peritis. Ubi autem de suscipienda lite agendum erit, decernit sancta Synodus, ut de more convocetur Capitulum, in quo saltem intersit Canonicorum numerus super medietatem, utque suffragia adstantium quoque medietatem superent, ad deliberationis validitatem.

X. Ne occasione optionis Ædium Claustralium excitentur discordiae, in ingressu novi Canonici vel Beneficiarii in acta referatur Status talium aedium, sicque constet, quidquid in melius mutatum additumve fuerit, vel saltem appareat, utrum aliquid detrimenti illatum fuerit ab ultimis possessoribus, ut eo titulo innixus Canonicus seu Beneficiarius successor debitam ac congruam ab haeredibus defuncti reparationem repetere possit. Canonicorum item consanguinei in primo et secundo gradu a conductione seu locatione Bonorum Capitularium abstineant omnino inposterum, sub poena nullitatis factarum pactionum.

XI. Dies vacationum et Pausae vulgo dictae, quae in Statutis praefinitae non sunt, si aliquatenus adversentur Concilio [2] Tridentino et ex solius consuetudinis instituto sint, arbitrio Episcopi moderentur, nec, nisi eo consulto, etiam praetextu rerum Capituli gerendarum legitimae absentiae tempus protrahatur.

XII. Invigilent delegati a Capitulo ad regimen Puerorum Choralium, ut hi non solum Musicam Cantumve Gregorianum discant, sed et Fidei ac Grammaticae rudimenta doceantur bonisque inficiantur moribus; quod ut bene laudabiliterque succedat, idoneos ac probatae vitae Magistros habeant. Id curandum insuper, ut nempe Sacramentis pro sua aetate frequenter utantur. Haec autem omnia eo diligentius fieri optat sancta Synodus, quod Pueri Choro inservientes, si ex praescripta superius norma educentur, spem majorem facient, se, ubi aetatem provectiorem attigerint,

[1] Epist. 1. ad Tim. 3, 3. et ad Tit. 3, 2.
[2] Trid. Sess. 24. Cap. 12. vers. *Praeterea*, etc.

a dignos futuros, qui ea Beneficia consequantur, ad quae vi Statutorum quorumdam prae caeteris omnibus competitoribus sunt vocati, et jure sane ac merito; aequum enim est, eos, qui a primoribus annis Ecclesiae alicujus servitio addicti ac quasi mancipati fuerunt, sic bene meritos aliquando ab eadem Ecclesia nutriri certaque tandem laborum suorum mercede donari. Onerat itaque sancta Synodus conscientiam eorum, qui Pueris id genus instituendis ac informandis praefecti sunt, censetque, supradictos Delegatos extra culpam esse non posse, si nimio parcimoniae studio vel indiligentia tanti momenti munus ab ipsis negligatur.

XIII. Cognoscant demum ac meminerint omnes Dignitates et Canonici, impositam esse sibi necessitatem
b quamdam caeteris de Clero praelucendi tam verbo quam exemplo, in iis praesertim, quae ad sacerdotii dignitatem pertinent.

TITULUS XIII.

De Lectione Sacrae Scripturae.

In Metropolitana et Cathedralibus Ecclesiis Canonicus ex officio Theologus institutam Sacrae Scripturae lectionem seu explicationem non omittat: huic vero lectioni intersint Canonici ac Beneficiati, sub Punctuationis poena.

Prooemium.

Cum lectio Sacrae Scripturae per erectionem unius
c Praebendae, quam Theologalem nuncupant, in insignioribus Ecclesiis instituta, Episcopis omnibus a Concilio Tridentino tantopere commendata fuerit [1]: hinc inhaerens Provincialis haec Synodus tam providae menti Tridentinorum Patrum et nuperrimi Lateranensis Concilii decreto morem gerens [2], mandat et praecipit, ut muneris sibi commissi conditiones omnes studiose ac sollicite impleat tam in Metropolitana Ecclesia quam in caeteris Provinciae Cathedralibus Canonicus ex officio Theologus.

CAP. Unicum.

Ne quid autem in re tanta praetermittatur inposterum, et quoniam Mysteriorum Fidei cognitio plurimum
d confert tum ad plebis nobis concreditae utilitatem tum ad Cleri decus, quem decet sacrorum voluminum arcanorumque coelestium scientia esse instructum: ideo, quamvis calamitas temporum aliaque dein oborta impedimenta fecerint, ut supradicta Sacrae Scripturae lectione aliquamdiu supersederetur, jam vult sancta Synodus, pristinum Theologi usum revocari et servari qualibet die Dominica, adstantibus Canonicis ac Beneficiatis, sub poena punctuationis unius Horae Canonicae.

[1] Trid. Sess. 5. Cap. 1. de reform.
[2] Conc. Rom. Tit. 1. Cap. 6. [p. 348. d.]

TITULUS XIV.

De Sacro Ecclesiae Aedificio ejusque Structura.

In Prooemio nonnulla dicuntur de Loci dignitate: tum Sacrarum Aedium, Sacellorum ac Oratoriorum decenti statui providetur decretis opportunis.

Prooemium.

Domus mea Domus Orationis vocabitur[1], ait Dominus. Quantum ergo pietatis ingerere, quantam reverentiam cuivis injicere debeat nomen hoc, quo fidelium Ecclesiae insigniuntur, facile erit intelligere, si serio ac in Fide cogitamus, quam tremendus sit Locus ille, quem Deus non in condenso neque caligine circumfusus inhabitat, sed sua reali et augusta praesentia ac tota suae Divinitatis Majestate dignatur implere. Cum itaque omnis Pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituatur in iis, quae sunt ad Deum[2]: ideo sancta Synodus, ad Decreta Sacri Concilii Tridentini, a Praedecessoribus nostris jam adoptata, de reverentia Ecclesiis debita atque praestanda se accommodans, duo potissimum duxit advertenda: primum nempe, quod pertinet ad structuram atque decentiam Loci, alterum, quod spectat ad modum, quo fideles omnium Ordinum in eo se gerere debeant. Cum enim templum omne in Ecclesia Catholica corpus quoddam mysticum sit, ex materialibus ac spiritualibus partibus constans, iis omnibus ut consulatur sollicite ac provideatur, Pastorale Officium requirit.

CAP. I.

Quod ad primam inspectionem pertinet, nobis ipsis haud temere gratulari possumus de Metropolitano hoc Templo omnibusque Ecclesiis Cathedralibus, in amplam venustamque formam erectis atque constructis, deque aliis tum Collegiatis hujus Provinciae tum Parochialibus plerisque. Eo vero major nobis inde laetitiae causa est, quod spem haud dubiam faciant Episcoporum vigilantia fideliumque pia munificentia, fore, ut Ædes Sacrae magis ac magis in dies ornentur ac nitescant. Si quae tamen Parochiales aut rurales Ecclesiae, si qua Oratoria aut Sacella reparationibus forte indigent, Pastoralis erit sollicitudinis, ut Rectorum, Communitatum, Consulum caeterorumve, ad quos de jure spectat, excitetur sedulitas, et quae ruinosa sunt vel incondita, pro dignitate loci resarciantur quamprimum ac restituantur.

CAP. II.

Ut autem, quae inter Visitationem Pastoralem tum a Nobis tum ab hujus Provinciae Coepiscopis super hac re decreta sunt, suam habeant exsecutionem, neve Rectorum aliorumque, de quibus supra, vel incuria vel contumacia negligantur: Officialium, tam generalium quam foraneorum, ac Promotorum cura sit omnia Juris

a adjumenta ac ipsam etiam fructuum sequestrationem adhibendi, quibus refractarii ad obsequium redigantur, omni humano respectu posthabito, omnique vitata conniventia. Vult praeterea sancta Synodus, Provinciae nostrae Parochos omni maxima diligentia percontari fundationum instrumenta et de Sacellorum et Oratoriorum erectione inquirere, ut Episcopi, quorum intererit, talibus documentis aliisque, quae colligi potuerint, instructi, supradictos Curiae Ecclesiasticae Officiales et Promotores opera sua atque consilio adjuvent usque ad integram Decretorum observationem.

TITULUS XV.

De Altaribus.

Decenti Altarium et Oratoriorum constructioni ac ornatui consulitur.

Prooemium.

b Altaria pars illa sunt templorum, cui major reverentia debetur; non solum itaque apte constructa sint, verum etiam ea, qua decet, munditie decorata: absurdum quippe est et sancta nostra Religione prorsus indignum, sordes in sacris tolerari, quae summo studio vitantur in profanis. Quapropter hortandos esse censuit sancta Synodus Canonicos omnes, Parochos ac Capellanos quoscunque, quos hoc titulo zelari pro Dei sui gloria et cultu necesse est, ut Capellas suae curae commissas rite tueantur. Quia vero quorumdam Altarium seu Capellarum Patroni necessarias quandoque
c reparationes negligunt vel ornamenta requisita suppeditare recusant: statuitur, ut ab Episcopis dicti Patroni sive Rectores incuriosi hortationibus ac monitis ad officium, si fieri possit, reducantur. Tum si Pastoralibus Consiliis obtemperare noluerint, cum illis agetur vi Juris, ut cogantur ad congruam Altarium supradictorum seu Sacellorum instaurationem et ornatum: nisi maluerint ad eorum abdicationem in favorem Ecclesiae Jure ipso compelli.

CAP. I.

Prohibendum insuper censuit sancta Synodus, ne in funebri pompa Altaria seu Altarium imagines nigro velo tegantur ultra diem depositionis eorum, ad quos
d pertinet, et anniversarium diem recurrentem ac Octavarium, quo Missae celebrari solent pro defuncto. His autem diebus elapsis, tolerandum tantum, ut in altaris fronte aut circumstantibus parietibus solita expandatur zona fasciave funebris, gentilitiis insignibus exornata: Dominicae enim Christi Salvatoris Passioni et Morti imaginum ac Crucis obumbratio ab Ecclesia reservatur. Salvum tamen hic esse voluit sancta Synodus Baronum jus, Patronorum et aliorum, quorum interest.

CAP. II.

Altaria item in quacunque indiscriminatim Templi parte[1] construi non debent, sed decenti ac opportuno

---

[1] Matth. 21, 13.
[2] Hebr. 5, 1.

[1] Conc. Aven. Tit. 27. de Eccl. struct.

loco erigi: non sub fenestris nec prope januam, ne imbribus aut ventorum impetu deturpentur, non tandem super tumulis, sed ita sint posita, ut inter se, alterum ab altero, quinque saltem passuum spatio disjuncta videantur. Nihil pariter de novo extruatur vel diruatur Sacris in Templis, quod magni momenti sit, aut quo interna Ecclesiae structura immutetur, sine Episcopi vel Vicarii Generalis licentia. Praeterea juxta Sacrorum Canonum dispositionem prohibetur, ne ulla Ecclesia aut Capella sive Oratorium secundum vias publicas de novo et ex integro aedificetur.

TITULUS XVI.

De Sacris Imaginibus.

Suus debetur honos Sacris Imaginibus, quae ut animos pie moveant congruantque Altarium, Templorum Sacellorumve Dignitati, ad quorum ornatum sunt destinatae, varia statuuntur; praecipitur item, ne adhibeantur ad usus profanos; et per transennam de Altarium Aris ex Lapide sive Sacris Lapidibus fit decretum.

Prooemium.

Sacrae Imagines, quae non tam ad ornatum Altarium in Templis collocantur, quam ut excitetur fidelium pietas, et ad memoriam revocentur Religionis mysteria, suum etiam, approbante universa Ecclesia, cultum exigunt; plurimum enim possunt res aspectabiles, ubi fluxae memoriae instabilitas oculorumque vage peregrinantium mobilitas sistenda est. Et quidem variis, quae pictura exprimit, novae Legis Mysteriis ac Sanctorum praeclare gestis animus pios affectus concipit, incediturque facilius spectator ad veneranda et imitanda vel Christi vel Deiparae vel coelestium incolarum exempla, quae, cum oculis subjecta sint colorum ope, non mediocrem ad persuadendum efficaciam habent.

CAP. I.

Ne autem frustra sit tam sancta Ecclesiae mens in imaginum Tabellarum pictarum Statuarumque usu inducendo, videndum maxime, ut in iis [1] nihil insit aut parum pudicum aut profanum indecorumve, quod intuentes offendat potius, quam aedificet ac pie detineat. Ideoque vult sancta Synodus, Imagines omnes aliaque id genus Altaribus destinanda, sive picturae sive statuariae sive sculpturae opus sint, ad Sacrarum Aedium ornatum non admitti in posterum, nisi adumbratione, vulgo *ébauche,* Episcopo vel Vicario Generali aut Officiali foraneo exhibita, ut consulto hac in re sapienterque provideatur. Quod vero sic decenter pictum vel sculptum erit, non idcirco in Ecclesiis publicae venerationi prius proponatur, quam Episcopi vel ab ipso delegandi benedictione fuerit sanctificatum. Moneantur itaque quicunque Parochi, Fundatores et Ecclesiarum Benefactores, ut tales inposterum adhibeantur ad Sa-
a cellorum ornatum Imagines, quae non ad Pictorum libitum, sed ad normam in hac Provinciali Synodo praescriptam sint efformatae. Caeterum hoc eodem etiam Decreto vetatur, et in Ecclesiis appendi Tabellas Aulaeave acu picta, quae obscoenum quid aut profanum exprimant, et cujusquam effigiem ex vivo depingi sub specie et habitu Sancti aut Sanctae cujuscunque.

CAP. II.

Si quae vero Imagines, Statuae Crucesve aut impetu ventorum aut temporis edacitate aut perditorum hominum, quod absit, impietate dejectae, mutilatae, profanatae seu violatae in hujus Provinciae Territorio comperiantur: eas Parochi, in suis quisque Parochiis,
b quam primum refici et pristinae decentiae restitui per eos, ad quos de jure spectat, diligenter curabunt, non omissa benedictione, cujus de novo faciendae potestas ipsis Parochis ab Episcopo committatur.

CAP. III.

Quod pertinet ad Aras ex Lapide, quae vulgari nomine Altaria portatilia seu Lapides Sacri dicuntur: videant quandoque extra visitationis Pastoralis tempus primae in Capitulis Dignitates, Parochi item ac Oratoriorum Capellani, aliarumque Ecclesiarum necnon Hospitalium Rectores spirituales, et diligenter inquirant, an bene positae sint, ita ut nullum instet periculum invertendi calices, an integrae, in ea maxime
c parte, in qua Sanctorum Reliquiae recondi solent, ad quam etiam sollicitudinem invitantur Regularium Superiores. Et si Arae illae fractae vel inconditae sint, habeantur pro interdictis, donec de aliis provideatur: ad quem effectum excitari Episcoporum vigilantiam et charitatem superfluum esse sancta Synodus credit.

CAP. IV.

Cum abusus quicunque longa nimis superiorum dissimulatione aut indulgentia saepenumero in usum et consuetudinem abeant: illis praesertim occurrendum ac medendum, si invaluerint, qui reverentiam sanctissimae nostrae Religioni debitam imminuunt et Haereticis locum praebent Catholicorum Fidem ac mores jocum risumque faciendi. Hinc sanctae huic Synodo
d pernecessarium visum est aliquando coërcere effrenatam illam Tabernariorum et Cauponum licentiam, qua plerumque Sacrorum Mysteriorum vel Sanctorum Sanctarumve repraesentationes Tabernis suis aut Cauponis in Signum palam appendunt, aedibusque profanis veneranda indere nomina non dubitant.

CAP. V.

Quocirca, ne id genus Hospitia popularis opinionis perversitate diutius credantur protegi Sanctorum Patrocinio, quorum nominibus insigniuntur, praefatum intolerabilem abusum Sancta Synodus damnatum prohibitumque declarat. Omnimode siquidem absurdum est, Divos adhiberi quasi Testes Tutoresque ac Praesides

[1] Trid. Sess. 25. C. 2. §. *Omnis,* etc. Conc. Aven. hoc Tit. 26.

Domorum, quae, licet ab initio ad solum Viatorum commodum institutae sint, quotidie tamen Civium Catholicam Fidem profitentium comessationibus, ebrietatibus, exsecrationibus aliisque depravati sacculi vitiis deturpantur aut saltem, cum unicuique pateant, libidinosorum interdum hominum perfugium esse censentur.

CAP. VI.

Caveant itaque atque omni diligentia invigilent Officiales, sive generales sive foranei, Promotores item omnes hujus Provinciae, ut, simul atque approbatione Pontificia roborata et publicata fuerint nostrae Synodi Acta, Decretum hoc ex Juris forma significetur ac notum fiat singulis Civitatum Oppidorumque Tabernariis seu Cauponibus, qui jam nunc praemoneantur, ut praeparent se ad promptissimam illius executionem, sicque effugiant poenas pecuniarias aliasque, Episcoporum arbitrio in sua cujusque Dioecesi de transgressoribus repetendas.

TITULUS XVII.

De Sanctorum Reliquiis.

Ut sua constet Sanctorum Reliquiis reverentia, diligenter et opportune praecavetur.

Prooemium.

Sanctorum Reliquiae seu exuviae, animabus Deo charis olim sociatae et per inhabitantem Spiritum sanctum quodammodo sanctificatae, summo semper in honore a Majoribus nostris habitae sunt: sub Altaribus siquidem reverenter condebantur eo Ecclesiae tempore, quo prima Altaria memoriae Martyrum dicata sunt. Ut tamen ordinatus in omnibus sit fidelium nostrorum cultus, utque nulla superstitioni aut falsae credulitati ansa praebeatur: expresse prohibet sancta Synodus, sub poenis canonicis arbitrio Episcopi infligendis, ne ullo pacto novae Reliquiae [1] in Dioeceses nostras invehantur, nec invectae inter Sancta et publice colenda reponantur, nisi praevia Episcopi vel Vicarii Generalis debita recognitione, in qua scilicet et instrumentorum authentica forma et admittendarum Reliquiarum veritas indubitanter appareant. Austeram autem hac in re diligentiam ab hujus Provinciae Episcopis adhiberi, eo magis necesse est, quod in hac Regionis parte positi sumus, quam circumstant undique adulteratae aut saltem dubiae fidei homines, qui Sanctorum blasphemantes cultum, quem aversantur, Catholicos Idololatriae insimulant et, quas veneramur, Reliquias mera esse figmenta ad simplicium animorum ludificationem inventa, nefarie non minus quam temere asserere saepe non erubescunt.

CAP. I.

Tam sacra deposita, sive in Ecclesia sive in Sacrario sint, asservari volumus in loco decenti, non hu-
a mido neque sordido; nec alia quam benedicta supellectili involvantur. Locus autem ille duabus clavibus ac crate ferrea claudatur, quarum clavium in Parochiis (omni consuetudine in contrarium, quam abusivam declarat sancta Synodus, non obstante) una saltem in manibus Parochi remaneat, alia penes aedituos sit, vulgo *Marguilliers:* et, nisi omnino inops sit Ecclesiae fabrica, coram insignibus Sanctorum Reliquiis jugem ardere lampadem condecens erit, maxime ubi tam tenui impensae sufficere valent locorum Consules piorumque Fidelium largitates ac eleemosynae.

CAP. II.

Non frequentius, non facilius, quam sat est, in-
b spiciendae Reliquiae Populo exhibeantur, sed diebus duntaxat Solemnibus vel aliis, quibus fit officium seu commemoratio Sanctorum, quorum sunt Reliquiae. Non alibi exponantur, quam in Altari sive lateribus Altaris, decenter ad hoc aptatis. Dum [1] reconduntur vel extrahuntur, unus saltem Sacerdos, Clerico faculam accensam praeferente, sacram sarcinam, si ferre ipse non valet, comitetur. In Processionibus non circumgestentur, nisi gravi de causa, nec ad infirmos, nisi in casu periculosae et urgentis infirmitatis. Corporalia vero ne in aegritudinis levamen deferantur aut commodentur, omnino sancta Synodus prohibet. Denique caveant Presbyteri omnes ac Sacristae, ut in procuratione seu contrectatione Reliquiarum a turpi quaestu
c fovendisque superstitiosis opinionibus abstineant.

CAP. III.

Prohibetur insuper, ne de Reliquiis sic approbatis et ad venerationem sic expositis vel fragmentorum quidquam deinceps excerpatur, detur aut datum accipiatur, vel sigillum capsis seu thecis appositum, quo scilicet obsignatae sunt, frangatur, sub poena excommunicationis latae sententiae. In unaquaque autem Ecclesia, sive Metropolitana sive Cathedralis, Collegiata aut simplex Parochialis sit, sacrarum Reliquiarum diligens Inventarium scripto conficiatur, in quo mentio fiat de authenticis attestationibus ac de Episcoporum eorumque Praedecessorum Decretis, super hac re pu-
d blicatis.

CAP. IV.

Denique, si ex Reliquiarum vel Sanctarum imaginum cultu aliquando contingat, ut rumor aliquis de miraculo recens edito concessave gratia miraculo proxima in vulgus prodierit: onerat sancta Synodus conscientiam Parochorum omnium, nisi statim de omnibus rei circumstantiis et adjunctis certiorem faciant Episcopum, ut, rite exploratis, quae de jure requiri in similibus debent, caute et opportune ab illo agatur. Studium autem omne in hoc adhibendum est a Metropolitano respective et Episcopis, ne falsa commenta

[1] Trid. Sess. 25. Ibid. Conc. Aven. cit. hoc Tit. 25.

[1] Conc. Aven. cit. hoc Tit. 25.

a
pro veris miraculis evulgentur in sanctae nostrae Religionis dedecus atque contemptum.

TITULUS XVIII.

De Sacrario.

Sacra supellex ne desideretur in Sacrario. Servetur silentium. Vasa Augustissimae Eucharistiae destinata qualia esse debeant. Proventus Sacrarii ne in alios usus impendantur. Missarum fundatarum omnino vitanda reliquatio. Adscitiae Caesariei inter Sacrum faciendum interdictio renovatur.

Prooemium.

Ecclesiae Sacrarium [1] suo ipso nomine reverentiam postulat ac providam tuitionem. Plurimum enim confert hujus loci decentia ad honorem debitum Templis
b
Deo dicatis, quibus adhaeret, quorumque pars quaedam esse dici potest. Itaque non modo instructum illud esse debet congrua et sufficienti copia vasorum, indumentorum et ornamentorum, quae in Missarum ac Divinorum Officiorum celebratione solent adhiberi: sed Reverendissimis etiam Episcopis plurimum commendat sancta Synodus, ut quisque intra fines suae Dioeceseos sive in Synodo Dioecesana sive in Pastorali visitatione ea decernat, quae sibi videbuntur efficacissima ad avertendum id omne, quo loci Sanctitas temeraretur, praesertimque ad modestiam inducendam faciendumque silentium. Id unum enim in Sacrario agere debent Sacerdotes, cujus causa in Sacrarium itur; atque idcirco inanes rerum humanarum cogitationes prorsus expellendae sunt, eaque tantum animo
c
versanda, quae aut ad Sacra proxime celebranda praeparant, aut debitae post celebrationem gratiarum actioni reddendae conveniunt.

CAP. I.

Cum autem in Comitiis Provincialibus ea sunt potissimum statuenda, quae in tota Provincia aequaliter servari possunt ac debent, ideo fixum ratumque sit hoc Decreto publico: ut nempe Calices, Ostensoria, Patenae, Ciboria, Capsulae, deferendo sancto Viatico accommodatae (quae praecipua augustissimae Eucharistiae vasa sunt et sacrosancti Sacrificii instrumenta atque adeo majori veneratione digna), non nisi ex argento et in interiori parte deaurata adhibeantur. Ac-
d
cedit hoc, quod post duos menses a Decreti hujus publicatione, nisi hoc temporis spatium producendum Episcopis videatur, caetera vasa sacra ex metallo inferioris notae pro omnino interdictis habebuntur. Hac vero monitione affici intendit sancta Synodus Capitula omnia, quoscunque etiam Priores Decimatores, quamvis Regulares et Rectores, qui huic Synodo intersunt vel per se vel per Procuratores, ac etiam ipsos absentes: ut memores singuli onerum, quae suis Beneficiis annexa reperiuntur, exsecutionem praesentis Decreti nec negligant nec procrastinent in Divini Cultus detrimentum.

[1] Conc. Aven. cit. hoc Tit. 31.

CAP. II.

Intendere pariter in hoc debent Capitula praecipue eorumque Administratores, ne sub quovis praetextu in alium quemcunque usum deriventur redditus atque proventus, qui ex Fundatorum mente, legatis, statutis, dono datis vel ex jure Cappae, a Canonicis et Beneficiatis in adipiscenda possessione soluto, ad Sacrarii specialiter et Ecclesiae utilitatem ac ornatum percipiuntur; ita ut nihil quidquam arbitraria interpretatione, inconsultove Episcopo, in contrarium unquam attentari contingat. Ne tamen religiosis et aequi observantissimis conscientiis scrupulos sancta Synodus hic injiciat, eadem mandat, ut de proventibus praedictis fiat speciale inventarium, infra sex menses a publicatione praesentis Concilii nobis tradendum tumque in Archivo Episcopali reponendum et asservandum. Ne autem massae Capitulari accedat, quod ex dictis redditibus provenit, provide praeterea decernitur, ut quotannis praeter alios Capituli Officiarios unus ex Canonicis eligatur, qui sit specialis depositarius et Thesaurarius dictorum proventuum, de quibus in fine suae administrationis rationem reddere teneatur separatim ab alia generali computorum redditione fieri solita.

CAP. III.

Ut autem nulla detur occasio conquestionibus, quae saepe oriuntur ex eo, quod defraudari interdum creditur voluntas Fidelium, qui laudabili in Deiparam Virginem Sanctosve devotione adducti, Missas votivas sibi celebrari postulant solitamque eleemosynam ob hoc Sacerdotibus solvendam tradunt Sacristae: sancta haec Synodus cuicunque Sacrarii Praefecto, sive Canonico sive in Canonici alteriusve locum substituto, praecipit et ex D. Caroli sententia fieri mandat, ut in Sacrario liber sit, in quem [1] diligentissime referantur Missae omnes votivae, quae qualibet die in certis altaribus designatis celebrantur, et in quo Sacerdos ipse, qui sacrum fecerit, ad indubitatam perpetrati Sacrificii notitiam manu propria subscribat.

CAP. IV.

Quoad missas, quae *fundationis* dicuntur, servetur usus, ubi invaluit, Tabellas in Sacrario exponendi, in quibus sua cuique Canonico seu Beneficiario assignetur celebranda missa; at dictae Tabellae non intereant, sed supradicto libro adnectantur, ut ex publico et perpetuo documento cognosci possit, neminem suo muneri non satisfecisse. Nec desciscendum a laudanda illa consuetudine, quam in omnibus Sacrariis, etiam Regularium, retineri decet, majorem nempe Tabellam eleganter descriptam et in patenti Sacrarii loco appensam habendi, in qua recenseantur Missae omnes, Anniversaria, Benedictiones, Orationes aliaque id genus, vel ad Deiparae cultum vel in Defunctorum solatium fun-

[1] S. Carolus Act. Ecclesiae Mediolan. p. 4. Instruct. supell. Ecclesiae.

data, memoratis Testatorum nominibus aliorumque similium Benefactorum, nec omissa mentione anni et Notarii, qui supradictas Fundationes in acta publica retulit: ut perpetuo extet tot Legatorum memoria omniumque oculis subjectum facile prospiciatur communis diligentiae gratique animi ac pietatis monumentum.

CAP. V.

Jam vero, cum major sit Missarum quandoque et Anniversariorum, quae ex Fundatione statis diebus celebrari debent, quam Sacerdotum copia, et exinde fiat, ut, damno animarum in Purgatorio detentarum retardatis ac reliquatis mortuorum suffragiis, augeatur cum labe conscientiae numerus Missarum, quae remanent celebrandae: hinc est, quod, sive damnum hoc procedat ex defectu Tabellarum, de quibus supra, sive potius ex prava cupiditate pinguiorem accipiendi mercedem seu retributionem Missarum, quae votivae dicuntur, tam grave malum avertere omnino volens sancta Synodus, ut sui muneris est, praesenti Decreto mandat et stricte injungit Promotoribus, tam generalibus et urbanis quam foraneis Metropolitani et Comprovincialium: ut a die, qua ipsis innotuerit mens haec nostra, instent, juris ordine servato, coram Nobis pro celeri exsecutione Decreti: et ut infra duos menses, quos pro termino peremptorio ex nunc assignamus, a quocunque Capitulo tam Metropolitanae Ecclesiae quam Cathedralium caeterarumque Collegiatarum, ac Parochiarum Rectoribus diligenter inquiratur, qui Missarum ex fundatione numerus suspensus remaneat: ita ut Canonicorum et Parochorum conscientia onerata sit, si in hoc opere perficiendo diligentiam omnem fidemque non adhibuerint. Praeterea, ut in eo examine vigilantius agant, a die intimationis hujus Decreti, nisi Missas, ut supra, celebratas omnes fuisse pro certo habeatur, sancta Synodus prohibet, ne Canonici, Beneficiati aliique Presbyteri, servitio dictarum Ecclesiarum ita addicti, ut earum etiam oneribus subjaceant ex fundationum acceptatione, Missam ullam votivam celebrent, nec in propria nec in aliena Ecclesia, donec constet de celebratione praedictarum. Quoad Parochos autem, quamvis minori indagine opus sit ad perquirenda fundationum legata, ne tamen negligentiores fiant, prohibetur pariter acceptio retributionum pro Missis votivis in virtute sanctae obedientiae; et si in eorum Parochiis adsint Presbyteri aggregati, pari lege prohibitiva, cum par sit legis necessitas, eos teneri, statutum est: reservato Episcopis omni jure aliis etiam modis accelerandi exsecutionem Decreti praesentis, censuris nempe, ubi non obtemperantes aut monitionum contemptores aut contumaces erunt ad obsequium redigendi.

CAP. VI.

Caeterum renoventur in Sacrariis Edicta jam publicata, quibus prohibetur, ne quis Sacerdos cum ad- a scititia caesarie, vulgo *Perruque*, Sacrum faciat nec sine veste talari.

TITULUS XIX.

De Sepulcris et Coemeteriis.

De Sepulcris quid statuendum sit, videant Episcopi et in Visitatione Pastorali, prout res poscet, judicent: observetur tamen S. Pii Papae V. Constitutio. De Coemeteriis decernuntur, quae ad eorum decentiam, ad Sacerdotum funeribus assistentium commodum et ad Infantium humationem pertinent.

Prooemium.

Sepulcra, quae ex Ecclesiae benignitate ac indulgentia Sacris etiam in Templis construi licet, ea tab men esse debent structura et eo loco posita, ut nullum Divino cultui afferant impedimentum. Quod autem hac in re aut reformandum aut concedendum videbitur, hoc relinquitur Episcoporum curae, quorum est in visitatione Pastorali ea cognoscere et statuere, quae magis congrua et opportuna esse videbuntur.

CAP. I.

Revocari tamen [1] ad memoriam et observari praecipit sancta Synodus, quaecunque in Constitutione sanctae memoriae Pii V. [2] disponuntur vel prohibentur.

CAP. II.

Quod vero ad Coemeteria pertinet, de quibus specialem mentionem fieri convenit, stricte prohibet sancta c Synodus, ne quid intra illorum ambitum profani aut sordidi unquam inferatur vel ad tempus deponatur. Mandat pariter, ut Parochorum et Consulum diligentia clausa sint ac parietibus tres saltem cubitos altis circumsepta [3], ut fructiferis arboribus, Moris aliisque, ex quibus annuus quidam redditus percipitur, consita non sint, nec ulli animalium ingressui pateant vel incautorum parumve religiosorum hominum contemptui. Locus item in eis sit tegulis contectus et a Coeli inclementia tutus, ut, quoties evenerit, Cadavera pluvioso die inhumanda esse, possint justa funebria, ab Ecclesia praescripta, decenter et nullo sacerdotum incommodo celebrari. Procera etiam Crux, seu lignea seu lapidea, decenti et patenti in loco defixa sit: nec d usquam in Coemeteriorum dedecus violationemque debitae mortuis reverentiae, ipsis olim paganis commendatissimae, ullus pateat transitus ad domos saeculares, quae nullam cum claustris cohaerentiam habent. Si quae vero vicinarum aedium, sive claustralium sive saecularium, fenestrae in Coemeterium versae sint eique, nullo interposito intervallo, immineant, clathratae sint aut cratibus ferreis aeneisve ita munitae, ut per eas sordes nullae, nulla domorum purgamenta dejici possint. Caeterum oneratur super hoc conscientia negligentium exsecutionem Decreti et refractariorum.

---

[1] Conc. Aven. cit. eod. Tit. 29. [de sepulcris.]
[2] * Const. 5. *Cum primum.* d. 1. April. 1566.
[3] Conc. Aven. ibid. [30. de coemeteriis.]

CAP. III.

Vult insuper sancta Synodus Infantium baptizatorum et ante usum rationis mortuorum cadavera, quae in Coemeterium asportantur, separatim ab adultis sepeliri, ut suus indubitatae innocentiae reddatur honos. Cadavera autem Infantium, qui sine Baptismo decedunt, in loco ejusdem Coemeterii non benedicto, sed tuto et ad id unum designato inhumentur.

TITULUS XX.

De reverentia Ecclesiis debita.

Quomodo in Templis gerere se debeant Fideles omnes, quid a Sacerdotum, praesertim Dignitate praestantium, ac ipsorum etiam Regularium vigilantia exquiratur ad irreverentiam a Loco Sancto ablegandam, declarat hic Titulus. Varii abusus tolluntur.

Prooemium.

Quandoquidem de Structura Ecclesiae, de praecipuis ejus partibus eique adhaerentibus sacris locis actum est: nunc de reverentia ei debita et de modo, quo in ea se gerere debent Fideles, tractandum ac statuendum esse censuit sancta Synodus [1]. Cum enim Domum Dei deceat sanctitudo, humilis debet esse ac pius in eam ingressus quietaque ibi ac modesta commoratio. Compositio item corporis seriis animi meditationibus apprime respondeat. Nullus intra Ecclesiam vel deambulare vel confabulari audeat, multo minus inanes profanosque sermones cum aliquo conferre, strepitum excitare, jurgia commovere, maxime quamdiu sacra fiunt, aut de divinis rebus e sacro suggestu ad populum dicitur. Fervidis siquidem nec interpellatis ad Deum precibus pia fidelium vota sunt ex intimi cordis penetralibus exprimenda: ne, dum in loco sancto irreligiose vel perperam agunt, ira divina provocetur, iterumque Christus, zelo domus suae concitus, ad Profanatorum vindictam excandescat.

CAP. I.

Praepositi itaque, Decani, Parochi caeterique Ecclesiarum Rectores invigilent, in Metropolitana maxime et Cathedralibus, ne quidquam in Templo irreverentiae admittatur. Eos etenim, qui excubitores collocati sunt in domo Dei, in eadem attentos ac sedulos esse oportet et exemplo Nepotiani, a sancto Hieronymo collaudati, sollicite ac studiose spectare, an nitida sint altaria, parietes mundi nec fuliginosi, pavimenta tersa? an Sacrarium sit concinnum? an sacra vasa ad suos usus sint accommoda? an denique ad ritus ac caeremonias bene omnia comparata videantur? Sacerdotes quippe ac ii praesertim, qui in Clero primas sedes obtinent, prae omnibus zelare debent decorem domus Dei et locum habitationis gloriae ejus.

[1] Trid. Sess. 22. C. 2. §. *Postremo,* etc. Conc. Aven. Tit. 28. de modo versandi in Eccl.

a

CAP. II.

Ut autem in omnibus omnino Ecclesiis, tam Saecularibus quam Regularibus, nihil quidquam fiat, quod sanctitati loci ac reverentiae ipsi debitae quoquo modo adversetur: sacrum Concilium Tridentinum [1] hanc praecipue curam Episcopis, etiam tanquam a Sede Apostolica delegatis, expresse commisit. Hincque, cum ad nostram notitiam devenerit, quod in aliquibus hujus Provinciae Ecclesiis, Fundatorum mente vel Ordinariorum indulgentia in abusum excedente, quaedam in annuo festorum recursu fieri soleant, etiam inter Missarum solemnia, quae contemptum risumve movent potius, quam pios affectus excitant, supra dicti Concilii auctoritate innitens sancta haec Synodus stricte pro-
b hibet: ne quidquam deinceps in Templis exhibeatur, quod profanas sapiat aut scenicas repraesentationes, qualis est hominum ad speciem et pompam armatorum ingressus in ipsas Aedes sacras cum tumultu et catapultarum explosione. Idem statuitur de introductione quorumcunque jumentorum, belluarum, etiam fictitiarum, veluti Draconis, vulgo *Tarasque,* cujus tamen per vicos circumductionem in quibusdam Civitatibus die sanctae Marthae toleramus, modo aditus ei non sit in Ecclesiam. Idem quoque sentiendum de strepitoso Columbae descensu die Pentecostes et similibus, quae, licet ad explicanda quaedam mysteria vel ad recolenda sanctorum Patronorum beneficia ab initio instituta fuerint ad simplicium et rudium utilitatem,
c in ridiculos tamen jocos ludosque, saeculi pravitate omnia corrumpente, desierunt. Haec siquidem omnia sancta Synodus ut supra prohibet, ne in tota Provincia fiant, sub poena suspensionis quoad Sacerdotes, sive Regulares sive Saeculares, talia in Ecclesiis tolerantes: quoad caeteros vero Laïcos in his opera sua vel consilio adjuvantes, sub poena interdicti ab Ecclesia et perpetuae inhabilitatis ad officia sui sodalitii.

CAP. III.

Cum vero in publicis Supplicationibus pares joci, a religiosa caeremonia prorsus alieni, interdum exhibeantur, praecipitur omnino abesse a functionibus id genus, quidquid ludi theatralis speciem habet.

d

TITULUS XXI.

De Sacrosancto Missae Sacrificio.

Sacerdotes ut nunquam, nisi mundo corde, praemissaque, si opus sit, Confessione sacramentali, *ad Altare Dei introeant,* ne sacrificationis pretium paciscantur, ne diutius tandem vigeant abusus, novarum Missarum occasione introducti, Decretis sequentibus statuitur.

Prooemium.

Praecipua in domo Dei ac praecellens sacerdotalis Ordinis functio est Missae Sacrificium, quo nihil habet Religio nostra sanctius et augustum magis, nihil, quod

[1] Trid. Sess. 25. in Decreto sub finem.

nos prae aliis quibuscunque sectis reddat praestantiores. Hinc est, quod, jam supra deliberatis diligenter ac definitis omnibus, quae ad structuram ac decentiam Templorum directe pertinent, nunc juvat, ut iis, quae de cultu sunt, sancta Synodus prospiciat.

CAP. I.

Licet autem in Sacro jam Concilio Tridentino [1] et ea damnata sint ac improbata, quae tam sancto ministerio videbantur injuriosa, et ea designata, quae observanda sunt in Celebratione Missae: aliqua tamen hic denuo tractanda duxit sancta Synodus, ut, si forte quid, usu vel abusu Disciplinae sinceritatem corrumpente, in pejus deflexerit, sanctisque hac de re legibus vel lapsus temporum vel Lectorum penuria aut incuria nonnihil laxamenti attulerit, id omne in integrum restituatur.

CAP. II.

Itaque curam omnem suam eo debet intendere quilibet Sacerdos, ut per internam praeparationem cordisque munditiem ac puritatem, quae tanto convenit operi, ad Sacrum faciendum se instruat et accingat, ne huic misere subjaceat maledictioni, quam in Sacris Codicibus comminatur Spiritus Sanctus iis, qui opus Dei [2] faciunt negligenter. Hortatur idcirco sancta Synodus Presbyteros omnes hujusce Provinciae, ut meditantes saepe dignitatem Ministerii, cui mox obeundo aptare se debent, diligenter advertant, ne ad tantum Sacrificium accedant, conscientia peccato mortali coinquinata [3], quamvis se dolore tactos contritosque corde existiment, et votum confitendi emiserint: sed Confessionem Sacramentalem semper esse praemittendam cogitent, nisi incumbat illis ex officio celebrare, deficiatque Confessarii copia. Monitos etiam vult eadem sancta Synodus, a supradicto Tridentino [4] eo ipso excommunicatos existere eos omnes, qui contrarium docuerint, praedicaverint vel pertinaciter asserere seu etiam publice disputando defendere praesumpserint.

CAP. III.

Ut mandatis dicti Concilii fidele praestemus obsequium, et ut avaritiam omnem a Sanctuario expellamus, Synodali Decreto stricte prohibet sancta Synodus omnigena mercedis ergo pacta et conventa: pari lege improbat, quidquid pro Missis novis celebrandis datur, necnon importunas atque illiberales eleemosynarum exactiones potius quam postulationes aliaque hujusmodi, quae a simoniaco vel certe a turpi quaestu non longe differunt suntque Laicis saepe scandali et conviciorum in Clerum occasio. Quod igitur erogatur in eleemosynam Missae votivae, recipiatur humiliter; et in caeteris servetur sedulo id, quod Apostolicis Con-
a stitutionibus statutum est ac nominatim in Bullis Urbani VIII. et Innocentii XII. [1]

CAP. IV.

Cum autem variis saepe querimoniis accepimus, morem hunc viris Christianis omnino indignum nondum obsolevisse, ut nempe inter ipsa novarum Missarum solemnia ludicri ac theatrales joci exhibeantur, qui Celebrantis mentem a tam sancto Mysterio distrahunt adstantiumque oculos huc illuc divertunt, volitantibus undequaque Columbis ex alto immissis, magnoque acclamantium et insequentium strepitu ac tumultu excitato: sancta Synodus, tam damnabilem usum ab hac Provincia radicitus evellere volens, Rectoribus
b aliisque, qualicunque nomine vocentur, etiam Regularibus, quibus prima et potior cura Divini cultus incumbit, [sub] poena suspensionis incurrendae hoc Decreto prohibitum declarat, ne similia permittant; qua pariter censura irretitum se esse sciat novus Sacerdos, si talibus consensum praestiterit. Quodsi quis post hujus Synodi publicationem in tam insulsam et immoderatam consuetudinem redire praesumpserit, pro qualitate scandali et contumaciae ad interdictum etiam Ecclesiae procedendum certo sciat.

CAP. V.

Hoc vero salutare Decretum in quacunque ordinatione novis Sacerdotibus denuntiari cupit sancta Synodus, ut a Parentibus et Propinquis ejusdem mens
c non ignoretur, et in pias vertantur largitiones inepti sumptus, qui in similibus nugis tam absurde et irreligiose insumebantur. Patrinos autem a Sacerdotibus recens ordinatis adhiberi in prima Missae celebratione, omnino prohibet.

CAP. VI.

Abusum alterum, quem indulgenter credimus ex incuria potius quam avaritia inductum in aliqua hujus Provinciae loca, ubi ad sacrum faciendum minoribus Hostiis, quas vulgo *Particulas* dicunt, vice majorum interdum utuntur Presbyteri, damnat omnino sancta Synodus et improbat: taliumque Particularum usum in re divina praeter casum extremae necessitatis, in quo
d Populus satisfacere non posset praecepto Missae audiendae, diebus nempe Dominicis et Festis, sub poena suspensionis eadem sancta Synodus interdicit.

CAP. VII.

Occurrit alius insuper abusus, qui, cum sordidam indicet parcimoniam aut turpis lucri cupiditatem, damnandus quoque ac interveniente Decreti auctoritate praecidendus est. In hoc consistit, quod plerique Parochi, pinguem aliquando mercedem percipientes ex Missa pro Defunctis decantanda, quamvis possint ad decentiorem celebrationem vel Clericos in Sacris constitutos vel Regulares adsciscere sibi et adhibere, nihilo tamen

[1] Trid. Sess. 22. cit.
[2] Jerem. 48, 10.
[3] Vide Cardin. Bona de Sacrificio Missae Cap. 4. §. 2.
[4] Trid. Conc. Sess. 13. Cap. 7. [Can. 11.]

[1] * Const. 120. *Nuper a Congregatione.* d. 23. Dec. 1697.

minus acceptae pecuniae partitionem reformidantes, simplicem adhibent Clericum, ne pannosum famulum dicamus, mutuato Clerici nomine speciose nuncupatum. Is, licet nec adhuc primoribus Ordinum mysteriis initiatus fuerit nec unquam sit initiandus, Dalmatica tamen seu tunica indutus, gravi cum scandalo plebis et astantium irrisione sanctissima ridiculis immiscet. Ut autem sacro cuique Ordini suus honos sacraque sua paludamenta reserventur, hunc abusum omnino improbat sancta Synodus. Quodsi Missae solemnes, ut supra, erunt inposterum decantandae, adhibeantur primo Secundarius, secundo Clerici in Sacris constituti, si qui sint, tum iis deficientibus, Regulares advocentur; at si eorum omnium copia defuerit, Epistolam Missae recitare poterit in Choro Clericus inserviens, cui tamen Sacrarum Vestium usus omnino interdicatur.

a

CAP. VIII.

In celebrandis Missis is ordo servetur, qui in Rubrica et in Missali Romano praescribitur: nec quis audeat vel praesumat, quovis alio pietatis praetextu, Collectas seu Orationes ultra solitum numerum multiplicare aut Caeremoniarum Rituumve externorum minimam partem immutare vel omittere, sub poena interdicti. Studeant insuper Presbyteri omnes, ut supradictos Ritus ea compositione corporis et oculorum modestia eaque in omnibus gravitate peragant, quam Hostiae altaribus immolandae dignitas postulat.

b

CAP. IX.

Ut autem supra statutis obtemperetur, cum pernecessaria sit sacerdotalium munerum cognitio, laudatae memoriae Cardinalis Taurusii, hujus olim Provinciae Metropolitani, Decretum in Provinciali sua Synodo conditum [1] Patres hujus Concilii renovant, congregationemque in Aedibus tum Archiepiscopi tum Episcoporum sive in Seminariis haberi volunt, in qua bis saltem quolibet mense diebusque designandis de cunctis ad Missam et caetera divina Officia spectantibus graves expertique viri disserant, et juxta rationem usumque a sancta Romana Ecclesia receptum cuncta perpendantur et ad uniformitatem adducantur.

c

TITULUS XXII.

De die Dominica et Festis rite servandis.

Diei Dominicae Festorumque Solemnium observantia commendatur et Parochorum vigilantiae et Fidelium pietati. Praecipitur, ut palam extet in Ecclesiis vel Sacrariis dictorum Festorum Catalogus Typis mandandus.

Prooemium.

Postquam de sacrosancto Missae Sacrificio dictum fuit, restat, ut de necessitate ac modo Divinis assistendi deque Festorum dierum observantia pauca quidem, sed utilia statuantur.

[1] Conc. Aven. hoc Tit. 22.

d

CAP. I.

Dies Dominica religiose observanda est, eademque ut sacro Missae Sacrificio quilibet intersit, praecipitur. Hoc antiqua Ecclesiae disciplina statutum est et sanctorum Patrum seu monitis seu monumentis extantibus comprobatum. Dominicam autem diem Apostolici viri ideo feriatam ac solemnem agi voluerunt, quia in ipsa Redemptor noster a mortuis resurrexit, unde Dominica vocatur. Hinc autem etiam conficitur, non solum a mechanicis servilibusque operibus, sed a saecularibus desideriis mundique ludis et oblectamentis omnino esse abstinendum, ut gratiarum actioni pro acceptis in hebdomada beneficiis Orationique et Divino tantum Cultui sit locus.

CAP. II.

Plebem itaque sibi commissam doceant Parochi, Festorum dierum celebritatem ad recolenda Dei optimi maximi beneficia, ad sacra ejus Mysteria meditanda Sanctosque dignis honoribus afficiendos institutam esse, ideoque piis tunc exercitationibus dandam esse operam. Catholici enim nomine indignum se praebet, quisquis tam sanctum vel negligit vel detrectat cultum: et est sacrilego proximus, quicunque, nulla talium dierum habita ratione, illicitis ac profanis rebus vacare non dubitat.

CAP. III.

Praecipit jam sancta Synodus, ut Festorum Catalogus, quem Typis edendum pro qualibet Dioecesi publicari vult et ad calcem hujus Concilii adnecti, in Sacrariis etiam vel aliis Ecclesiarum locis patentibus semper affixus et expositus sit, ne a quoquam ignoretur. Parochi vero, quoties tale aliquod Festum infra hebdomadam celebrandum occurret, Dominica die praecedenti, ut moris est, inter Missarum Solemnia illud Populo praenuntient hortenturque omnes utriusque sexus fideles ac praecipue Patresfamilias, Heros et Dominos, ut illud a suis diligenter observari curent, quod quidem fit Sacrosancto Missae Sacrificio deinque vespertinis precibus pie ac religiose assistendo.

TITULUS XXIII.

De Administratione Sacramentorum.

Se ipsum probet, quicumque Sacramenta dispensaturus est. Nunquam autem illa nisi rite et ad formam Ritualis Romani tantum administrentur. Pactio quaestuosa seu mercedis exactio praevia pro dispensando quovis Sacramento sub Excommunicationis poena prohibetur.

Prooemium.

Si spectentur Religionis nostrae munia, multum esse momenti reperietur in Sacramentorum administratione legitima sanctaque perceptione. Quocirca sancta haec Synodus operae pretium duxit quaedam hic decernere, quae ad eorum dispensationem pertinent, Parochosque ac caeteros Sacerdotes monere inprimis, ut,

33 *

antequam Sacramenta conferant, quaecunque illa sint, semetipsos diligenter probent quoad interiorem animae statum, in quo se esse actu sibi conscii sunt: ne, dum Christi Domini personam agunt, Sacri, quod exercent, Ministerii nimia conscientiae laxitate vel securifate temeratores fiant Sacerdotiique sui polluant dignitatem.

CAP. I.

Primo itaque quoad ritus externos, qui administrationem Sacramentorum comitantur, id praesertim animadvertendum est, ut, quisquis hoc sibi muneris suscipit obeundi, non temere nimis fidenterque suscipiat, sed iis prius se Doctrinae praesidiis vel munitum sentiat vel muniri curet, quibus tanto muneri par esse possit: ne forte, dum alienae sanctificationis ultro cupideque nimis satagit, suae ipsius saluti male consulens, reprobus efficiatur. Licet autem in hac Provincia neminem quemquam esse arbitremur adeo sacrorum Canonum rudem ac imperitum, ut vel ignoret vel ignorare velit, non posse citra flagitium aliquid mercedis exigi titulo administrationis Sacramentorum: hoc tamen Apostoli[s] dictum ab omnibus, praesertim Parochis, saepius recogitandum ac quasi indesinenter remandendum putat sancta Synodus: *Gratis accepistis, gratis date.* Quapropter, nisi agatur de publicationibus, ut mos est, faciendis ante matrimonium vel de earum documento, vulgo *Certificat,* exactionem omnem sive pactionem quaestuosam, quae cujusvis Sacramenti dispensationem praecesserit, hocce Decreto sub Excommunicationis poena vetat et prohibet sancta Synodus. At si quid post administratum Sacramentum pie offeratur titulo eleemosynae, illud ea modestia, quae in percipiendis oblationibus adhibenda est, accipi non improbatur, servata tamen Taxa huic Provinciali Synodo adjungenda.

CAP. II.

Demum, quae ad Sacramenta vel ad Sacramentalia pertinent, ea diligenter a Parochis observentur ad formam Ritualis, nec alio quam Romano utantur. Caetera autem monita ad Dispensatores Sacramentorum spectantia, ubi de unoquoque singillatim Sacramento disseretur, non omittentur.

TITULUS XXIV.

De Sacramentis in Genere.

Quot sint Sacramenta: quae sint: quem ad finem instituta: quid ad illorum essentiam ac confectionem requiratur: hoc primum; quid Plebi suae debeant Parochi, ut ad Sacramentorum cognitionem quisque deveniat iisque sancte utatur ac religiose: hoc alterum explicatur.

Prooemium.

Quandoquidem in superiori titulo de iis, quae ad rectam probatamque Sacramentorum administrationem facienda, quaeve vitanda sunt, opportune statutum fuit: nunc de Sacramentorum essentia atque virtute mentionem facere haud abs re erit. Aliqua siquidem ad
a perutilem eruditionem, quaedam ad sanctae nostrae Religionis inflammandum studium, nonnulla etiam ad emendationem cautionemque dicenda occurrunt.

Principio, quanquam ex primoribus Fidei rudimentis nemo non didicit, septem omnino esse novae legis Sacramenta a Christo Domino instituta, videlicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam-Unctionem, Ordinem et Matrimonium, eaque omnia et gratiam continere et digne suscipientibus conferre: scire tamen praeterea utilissimum sancta Synodus arbitratur, quod horum prima quinque ad spiritualem et propriam cujuslibet hominis perfectionem, duo vero ultima ad totius Ecclesiae regimen Fideliumque multiplicationem praecipue instituta sunt. Per Baptismum
b siquidem spiritualiter regeneramur ac renascimur. Per Confirmationem nova gratiae amplificatione ditamur et roboramur in Fide. Deinde vero, sic renati et robustiores, Divino Eucharistiae pabulo sustentamur. Quodsi contracta peccati labes aut aegritudinem animabus nostris aut mortem intulit, per Poenitentiam sanamur spiritualiter ac reviviscimus. Tum per Extremam-Unctionem, quae peccati reliquias delet, accedit quodammodo totius spiritualis curationis complementum, et corporali sanitati, prout animae expedit, restituimur. Jam Ordinis Sacramento Ecclesia suis altaribus Ministros parat, suorum Mysteriorum dispensatores suppeditat, sanctae suae Religioni defensores praebet suoque regimini asserit perpetuitatem. Ac tandem Matrimonio
c fidelium sibi obsequentium et copiam tuetur et numerum auget.

CAP. I.

Haec autem omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona Ministri Sacramentum conferentis cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia: quarum trium conditionum si qua desit, nullum est Sacramentum.

CAP. II.

Parochi itaque sana et orthodoxa de Sacramentis doctrina imbuti, quam ex Conciliis aliisque purissimis fontibus hausimus, eam indidem desumptam adnitantur Populo suae curae demandato sinceram integram-
d que tradere, suumque primo animum ad hoc adjiciant, ut ex tantae Sacramentorum virtutis ac efficaciae data notitia fidelium mentes excitent ad beneficum institutorem grato ac reverenti animo recolendum: tum corda moveant et incendant ad colligendas locupletissimas opes, quas justorum ac vere poenitentium felix experientia docuit ex tam opimis thesauris effluere. Secundo, continuo ac sedulo invigilent, ne qui in re sacramentali irrepant errores: quos ut perfecte noscant ac detegant, sacros [1] Concilii Tridentini Canones de Sacramentis in genere et in specie saepissime prae oculis habeant; sic enim tot anathematum quasi sono

[1] Trid. Sess. 7. et seq.

deterriti, debitum aliis ipsi ac salutiferum terrorem incutere facile poterunt.

CAP. III.

Hortentur pariter Plebem suam, increpent, obsecrent, ut tam efficacia tamque fragilitati nostrae accommodata ad salutem media non negligat, sed iis caute et digne utatur, maxime autem Sacramentis Poenitentiae et Eucharistiae: ut, qui ab innocentia baptismali semel delapsi fuerint, ad justitiam verae et validae reconciliationis subsidio revertantur, deinque Eucharistia, postquam sese juxta Apostoli monitum rite probaverint [1], providumque et sapientem Confessarium consuluerint, reficiantur.

TITULUS XXV.

De Sacramento Baptismi.

Ubi, quomodo et quando infantes, adulti vero a quo sint baptizandi: quid a Baptismi Administris, qualescunque sint, tum urgente necessitate, tum citra necessitatis casum requiratur: quid de Patrinis ac Matrinis, Obstetricibus variisque rebus ad Baptisma pertinentibus statuendum sit: hoc agit sancta Synodus in sequentibus Decretis.

Prooemium.

Aggrediendum nunc est ad dicendum de Baptismo, qui, cum sit ipse Sacramentum, Sacramentorum tamen janua nuncupatur: quia per ipsum et ad aliorum Sacramentorum usum jus acquirimus et in Domum Dei, hoc est Ecclesiam, ut pars illius simus, intromittimur. Cum autem hujus Sacramenti virtute ex irae filiis membra cohaeredesque Christi efficimur, summaque et indeclinabilis est illius necessitas ad salutem: ideo maxima debet a Ministris adhiberi cura, ut rite ac recte in eo administrando se gerant. Praecipit itaque sancta Synodus, ne Baptismus alibi quam in Ecclesia conferatur, nec aliter quam adhibitis sacris ritibus in Rituali Romano praescriptis: excipiuntur hic tamen casus urgentis necessitatis. Ubi autem in praecipiti esse videtur Infans modo genitus, instatque mortis periculum, ei mature succurrendum est: tuncque, si in domo parturientis non adsint Clerici, verisimilius de Baptismatis materia, forma et intentione requisitis edocti; si Clericorum defectu non succurrat gnarus Laicus, foeminae etiam et obstetrices ipsae illud administrare poterunt, ea tamen lege, ut, revalescente Infante, caeteri quam primum ritus, ob temporis necessitatisque angustias praetermissi, juxta Ritualis praescriptum a Sacerdotibus in Ecclesia suppleantur.

CAP. I.

Quia vero interdum evenire potest, ut de Infante sic baptizato dubium oriatur, an in eo baptizando confectum id omne fuerit, quod ad Sacramenti validitatem requiritur: Parochi omni diligentia moraliter suf-

[1] 1. Cor. 11, 28.

a ficienti inquirent, an apta fuerit aquae materia? an debita verborum forma cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia? Quodsi de supra memoratis Baptismi conditionibus ac constitutivis aliquid defuisse comperiatur, vel si vere sit dubitandi locus: tunc denuo, sub conditione tamen, Infantem praecipit sancta Synodus baptizari. Ideoque, ne in tam necessario ad salutem Sacramento quidpiam a populo ignoretur, maxima debet esse Parochorum cura indefessaque sedulitas.

CAP. II.

Funestissimos persaepe casus adducit damnaque nunquam satis dolenda infert Obstetricum imperitia, tum in iis, quae ad Infantium temporalem vitam, tum
b etiam in iis, quae ad eorum aeternam salutem spectant, ubi scilicet, urgente necessitate, Infantiumque vita in discrimine posita, earum ministerio utendum est ad Baptismi dispensationem. Ideo, ut tot simul periculis vitandis inposterum provideatur, decernit sancta Synodus, ne qua mulier in Provinciae Civitatibus seu insignibus Oppidis, ubi adsunt Medicinae Professores, Obstetricis munere fungatur, nisi peritam se Medico probaverit prius in examine, suaeque ad id genus servitium habilitatis et aptitudinis scriptum testimonium obtinuerit. Deinde vero restat, ut ab arte sua exercenda prorsus abstineat, donec supra dictam testificationem exhibuerit Curato Parochiae, in quam advocatur, ut ab illo discere possit, quidquid ignorari aut omitti
c nefas est ad rectam Baptismi dispensationem in casu praecisae necessitatis.

In Oppidis vero, ubi Medici deficiunt, curent Parochi, ut Obstetricis ab intelligentiori saltem Pharmacopola vel Chirurgo periculum fiat hac in arte, quam si minus illa calluerit, edoceatur. Tum vero scriptis probata ejusdem sufficienti peritia, hoc agant Parochi, ut parturienti adfutura, fetui quoque, si Baptismatis accelerandi necessitas occurrerit, opportunam opem ferre valeat.

Jam, si quae Parochiae reperiantur, in quibus nulla sit Obstetrix, Consules a Parocho moneantur, ut debito recursu ad Praesidem Provinciae sibi facultatem postulent addendi ad expensas extraordinarias, quae in Communitatum rationibus ratae haberi solent, congruum
d Obstetricis stipendium. Quod si ex supradictis Obstetricibus aliqua malae vel dubiae famae deprehendatur, denuntietur Episcopo, ut promptae interdictionis remedio omnis scandali occasio amoveatur. Supradictis praeterea Obstetricibus injungat Parochus, ut sibi revelent puellas de concepto fetu suspectas. Hoc vero ex parte Obstetricum non nisi prudenter et secreto fiat: ex parte autem Parochi nunquam temere et inconsiderate credatur.

CAP. III.

Nec aliis quibuscunque fidelibus latere debet baptizandi norma, ne, Obstetricum opera deficiente, Pueris morti proximis desit labis originalis praesens ablutio.

Hi equidem necessitatis casus ne saepe recurrant, non dubitamus, quin a Parochis summa vigilantia impendatur: at eos tamen, ne in re tam gravi negligentius agatur, monitos vult sancta Synodus, ut per se vel suos Vicarios de proxime parituris percontentur, sicque sint in subsidium, periculo imminente, paratiores.

CAP. IV.

Et ut omni acerbo ac damnoso eventui obviam eat, sancta haec Synodus Episcoporum sollicitudinem ac prospicientiam in hoc potissimum, quod mox dicetur, adjuvari necessarium omnino esse existimat. Nimia siquidem utriusque sexus familiaritate ac saeculi pravitate aliquando contingit, ad nequitiam adductas puellas et ex illicita copula gravidas (dum pudori ac famae consulere volunt, tum legum poenalium severitate tum Parentum justo timore perterritae,) nefaria vel meditari parricidia vel patrare, fetum scilicet aut suffocando aut clam emissum immisericorditer deserendo. Quapropter strenue ac sagaciter faciant Parochi, ut, si quas in sua Parochia tam infeliciter temeratas praegnantesque puellas esse noverint, de conservando partu serio et efficaciter satagant, nullam tamen summae prudentiae conditionem negligentes, ne malo, quod timetur, pejus occurrat ex inordinato agendi modo remedium.

CAP. V.

Censet insuper sancta Synodus, nec Baptismum differri debere ultra triduum [1], nec Baptismi occasione dissimulari posse comessationes immoderatas, acclamationes festivas, saltationes aliosque indecentes gratulationum usus, qui reverentiae, tum Sacramento tum sacro loco debitae, et Patrinorum muneris dignitati nimis sane adversantur. Si qui vero majores abusus damnanda consuetudine vel incuria in hanc forte Provinciam irrepserint, eos omnes abolendos esse nec iterum unquam suscitandos, sperat sancta Synodus, Parochorum accuratae circumspectioni confisa.

CAP. VI.

Prohibet praeterea sancta Synodus, ne imponantur Pueris baptizandis nomina seu profana seu ex Veteri Testamento deprompta: neve in Patrinos sive susceptores admittantur alii praeter eos, quos credibile saltem est sufficienti mysteriorum Fidei notitia esse instructos. Nullus etiam de Clero in susceptorem adhibeatur, nisi habita ab Episcopo speciali facultate, de qua posthac Parochus in Actis publicis baptismatum mentionem faciat.

CAP. VII.

Cum autem Baptismus Adultorum, qui ex Gentilibus, Judaeis aliisve Sectis, divina operante gratia, ad verae Fidei professionem traducuntur, solemniores exigat ritus, quibus et, debellato errore, triumphare vi-

a deatur sancta nostra Religio et Credentium persuasio confirmatior fiat: cumque multa cautione opus sit in vitanda Erronum fallacia, qui specioso publicae ad Christianam Fidem conversionis apparatu piae fidelium insidiantes liberalitati, quaestumque majorem ex congerendis hoc nomine eleemosynis tam nefarie quam fraudulenter aucupantes, ad sacrilegam saepe Baptismatis jam suscepti reiterationem Ecclesiae Ministros inducunt: necesse est, ut talium Baptismatum administrationem, si casus obtigerit, Nobis in Dioecesi quisque nostra reservemus. Ideoque prohibetur omnibus curam animarum habentibus caeterisque Presbyteris, ne quid unquam hac in re audeant attentare, nisi Nobis consultis, et facultate a Nobis scripto accepta.
b Excipitur tamen aliter agendi necessitas ex gravi et instanti mortis Adultorum periculo.

CAP. VIII.

Infantibus proxime pariendis Patrini saepenumero absentes Matrinaeve seliguntur. Hi vero si intra praescriptum triduum ab ortu forte nequeant advenire, ut spirituales stato tempore filios sive filias e sacro fonte suscipiant [1]: Baptismatis mox dilatio dierumque praefinitorum prorogatio petitur. Quamvis autem tali hucusque petitioni nunquam annuerint Episcopi nisi probabilibus de causis; cognita tamen fraude aut inconsiderantia Parentum, qui et a concedentis mente aliiquando deflectunt, et concesso sibi laxamento legis audacter abutuntur: Sancta haec Synodus, non severi-
c tate impulsa, sed prudenti Patrum consilio et assensu atque ipso rei momento inducta, declarat censetque, similes Baptismatis procrastinationes esse omnino inposterum denegandas, exceptis casibus gravissimis, ubi scilicet agitur aut de familiarum componenda discordia aut de aliis similibus, ex quibus magnam quamdam utilitatem proventuram esse arbitrentur Episcopi.

CAP. IX.

Parentes itaque moneat Parochus quisque in suis Concionibus, ut paratos deinceps susceptores habeant vel susceptorum procuratores, per epistolam etiam designandos: sibique persuadeant, non aliter unquam, ac supra statutum est, ab Episcopis agendum esse nec
d indulgendum.

TITULUS XXVI.

De Oleis Sacris.

Olea sancta in loco tuto mundisque ac congruis Vasculis asserventur. Recens consecrata mature quolibet anno sibi comparent Parochi, nec nisi nova in administrandis Sacramentis adhibeant: cogente tamen necessitate, veteribus uti possunt. Metropolitanae aut Cathedralis Ecclesiae Sacrista caveat, ne sancta Olea ad Parochos asportanda tradat, nisi accipientis scripto diligenter nomine.

Prooemium.

Mysticarum Unctionum, quibus gratiae Divinae significatur infusio, cum frequens sit usus in admini-

[1] Conc. Aven. cit. hoc Tit. 12.

[1] Conc. Aven. cit. hoc Tit. 12.

stratione quorumdam Sacramentorum, cumque tam operose tamque solemni ritu ab Episcopis Olea Sacra conficiantur: non nihil de illis erit statuendum, quo et prospiciatur reverentiae ipsis debitae, et variis casibus obviam eundi ratio perhibeatur.

CAP. I.

Primo itaque videant Episcopi Dioecesim visitantes, ut in qualibet Ecclesia Parochiali designetur locus aptus ac tutus, in quo Vascula sanctorum Oleorum recondantur [1]: Vascula autem ipsa ex argento vel saltem e plumbo candido stannove sint conflata: praeterea perpolita et ab omni mucore ac situ purgata sint, deinde grandiori capsula inclusa, tum demum sacculo serico superinduta.

CAP. II.

Quaecunque hac de re fuerint ab Episcopis decreta, haec sedulo ac citissime Priores exsequantur. Parochi vero, statim atque audierint, nova consecrata fuisse Olea, Sacerdotem vel quempiam saltem in Ordinibus Sacris constitutum mittant, qui ea decenter recipere et secum asportare valeat. Nec mora ulla interponatur, quandoquidem veteribus Oleis uti non debent, ubi recentiora suppetere possunt. Ut autem majori inposterum securitati et decentiae simul in sanctorum Oleorum dispensatione seu distributione Parochis facienda provideatur, placuit sanctae Synodo duo hic pernecessaria subjungere.

CAP. III.

Aedituus nempe seu Sacrista aut alius in Metropolitana et Cathedralibus ad hoc muneris delegatus librum penes se habeat, in quo accurate scribantur nomina eorum, qui ex Parochiis mittuntur, ut Olea supra dicta recipiant.

CAP. IV.

Quod attinet ad commodiorem ac securiorem sacrorum Oleorum asportationem, bene erit, si inter Parochos viciniores conveniat de eligendo ac delegando Sacerdote vel alio Sacris Ordinibus adstricto, qui unus pro pluribus Parochiis sanctorum Oleorum comparationem faciat eaque deferat in vasis non fragilibus, unde hauriat quisque, quod sibi ad annuam Sacramentorum administrationem opus esse visum fuerit.

CAP. V.

In dubio positum est, an, ubi non ex negligentia, sed ex legitimis obortis impedimentis sancta Olea recens consecrata parare sibi non potuerint Parochi, possint interea veteribus uti in administratione Sacramentorum Baptismi et Extremae Unctionis? Quaestionem definiere Patres Concilii, consultis Theologis, Parochosque iisdem Oleis uti posse existimant. Quoad Aquam
a vero Baptismalem, cum ejus Benedictio sejungi possit ab infusione, fiat Aquae Benedictio, deinque superveniente Chrismate, fiet infusio.

[1] Conc. Aven. hoc Tit. 13.

TITULUS XXVII.

De Sacramento Confirmationis.

Confirmationis traditur notio. Puerorum ad hujus Sacramenti perceptionem cauta institutio commendatur. Praecipitur, ut more solito Patrini ac Matrinae confirmandis adsint, et a Parochis affinitates sic contractae scriptis assidue mandentur. Tandem vitandae in dispensanda Confirmatione confusionis ratio Episcopis proponitur.

Prooemium.

b Secundum ordine Sacramentum apposite *Confirmationis* nomine nuncupatur: per illud nimirum fideles, quos jam Ecclesia suum in gremium admisit, contra quoscunque Christiani nominis hostes confirmari solent ac roborari. Haec siquidem non otiosa (quod patet ex Tridentino [1]) Caeremonia est, sed Sacramentum gratiam conferens, qua instructi ii, quorum frons sacro fuit uncta Chrismate, tanquam fortes ac intrepidi Athletae non debent Evangelium erubescere, verum aperte et animose Christi nomen confiteri. Ut itaque tanti Sacramenti dignitas et virtus fidelibus notae sint, satagat enixe quilibet Parochus de Pueris, ubi septem annos attigerint, vel citius, si septimum annum rationis usus praecesserit, Christiana Doctrina diligenter imbuendis et ad recipienda Spiritus sancti dona praeparandis.
c Eos autem potentissimis statim hortationibus inducat, ut haustam e sacro Baptismatis fonte innocentiam integram inviolatamque conservent; et si de ea jam deperdita forte quid suspicetur, ab illis ope omni contendat, ut inaestimabilis Thesauri jacturam sacramentali mox Confessione resarciant; tum ea, ne quid obstet conferendae gratiae, opera sollicitudinis adhibita, statim atque promulgatum fuerit proximae Visitationis Pastoralis Edictum, inquirat ille, quinam in Parochia sua Sacramento Confirmationis suscipiendo maturi sint. Habitoque eorum prudenti delectu, servandum Codicem aptet sibi, in quo singula Confirmandorum, Parentum ac Patrinorum nomina perscribat. Hanc vero Cautionem dum adhibendam censet sancta Synodus,
d id sibi praecipue proponit, vitandum scilicet offendiculum, in quod incidunt multi, qui aut parum memores aut prorsus ignari cognationis, quam in hoc Sacramento Patrinus et Matrina contrahunt cum Persona confirmata ejusque Patre ac Matre, Connubio nihilo tamen minus aut jungi deinceps volunt, relictis incogitanter impedimentis, aut reipsa junguntur.

CAP. Unicum.

Quanquam diuturna experientia compertum est, non alio quam Religionis amore ferri hujus Provinciae Fideles, quotiescunque Sacramentum Confirmationis pu-

[1] Trid. Sess. 7. Can. 1. de Confirm.

blice dispensatur: cum tamen ex affluentis incomposite a
multitudinis festinatione plerumque fit confusio, vehementer optandum est, ut modus aliquis tam indecorae perturbationi statuatur, debitaque cum silentio inducatur reverentia.

Solent quidem ob hoc in quibusdam exteris Dioecesibus unum tantum Sacerdotem omnibus confirmandis Maribus Patrinum unamque piam ac probatae vitae foeminam Puellis Matrinam assignare. At morem hunc Pueris damno esse fatebitur, quisquis noverit, quae saepe sit Patrinorum ac Matrinarum voluntas erga eos, quibus tum baptizandis tum salutis Chrismate confirmandis adfuerunt, quave amoris ac pietatis incitatione illis diligenter educandis et in rei familiaris angustia sublevandis praesto sint, dum Parentes multi, naturae b
et consanguinitatis immemores, ab hoc se ipsi munere expediunt. Idcirco Patres Concilii a Patrinorum ac Matrinarum usu solito discedendum non esse censuerunt. Hoc tamen a Metropolitano et Comprovincialibus agendum existimant, nempe, ut dispertiatur tempus dispensandae Confirmationis, habitaque ad decentiam utriusque sexus ratione, primo Maribus ac deinde Puellis Sacramentum hoc discriminatim conferatur. Sic enim omnia erunt ad tantae functionis dignitatem accommodata, maxime si praevia Parochi monitio tumque pia lectio sive hortatio fecerint silentium modestiamque astantibus instillaverint.

TITULUS XXVIII. c

De Sacrosancto Eucharistiae Sacramento.

De Opimitatibus in Coelesti Epulatione colligendis strictim primo dicitur. Deinde Christo, in Tabernaculis commoranti fideliumque adorationi palam in Altaribus proposito ac demum publice tum in Processionibus tum ad Infirmos delato, quae Reverentia, quis Cultus, quis Apparatus debeatur, sancta Synodus declarat et statuit.

Prooemium.

Quoniam in quadam Christi Domini unitate cum Ecclesia sua verae nostrae Religionis essentia posita est, unde maximum suum decus ac splendorem ducit: hinc est, quod Ecclesia ipsa Eucharistici Sacramenti immenso beneficio laetatur plurimaque ex eo praesidia percipit. Per unius enim mensae communionem et d
fideles recenset suos et discernit: gaudetque, ubi filios adoptionis uno pane enutriri, uno salutari potu recreari, unum tandem corpus cum Christo fieri demiratur. In hoc itaque Sacramento administrando et Episcopi et Parochi et Sacerdotes omnes, qua maxima possunt vigilantia ac sedulitate, eniti debent, ut ad fertilissimam bonorum segetem in Divina Mensa colligendam populum sibi concreditum invitent et alliciant.

CAP. I.

Ut vero ad Christi institutoris finem procedatur faciliusque et certius deveniatur, quaedam hic adnotat statuitque sancta Synodus. Cum autem Divina bonitas ac providentia, necessitatibus generis humani semper intenta, Sacrosanctum coelestium epularum Sacramentum non ad hoc tantum instituit, ut fideles enutrirentur et, Angelorum pane refecti, in fortitudine cibi illius ambulare montisque apicem attingere possent, utque Pastor pabulum factus unum quid cum Ovili quodammodo fieret: verum etiam, ut ex pronae illius in nos misericordiae beneficio ac consilio Templa nostra reali Christi salvatoris praesentia decorarentur: ideo subsequentia Decreta, ad cultum Christo Deo nobis appropinquanti adhibendum pertinentia, ut accipiantur religiosissime sanctissimeque serventur, sancta Synodus mandat.

CAP. II.

Veteris Legis tabulas et manna continebat Arca foederis: ipsum novae Legis Auctorem Christique Corpus Tabernacula nostra continent; Arcam Deus voluit auro mundissimo intus et foris esse deauratam [1]: quid de Tabernaculis nostris, multo majori reverentia dignis, sentiendum? Quid adhibendum, ut eorum ornatus ac munditics dignitati hujus, quod in eis asservatur, aliquatenus respondeant? Ea itaque, nisi sint ex marmore constructa, saltem ex ligno affabre elaborato compacta sint [2], intus serico panno vestita, exterius vero aut auro illita aut saltem in pauperioribus Ecclesiis vel sacellis decenter picta. Horum ostium sit bene tutum: clavis argentea sit vel aureis bracteis circumfusa: in illis nihil recondatur praeter Ostensorium, (si per loci capacitatem liceat) unam aut plures Pyxides ad sacram Eucharistiam dispensandam minoremque pariter aliam sive Pyxidem sive Capsulam ad deferendum remotioribus infirmis sanctum Viaticum destinatam: sacrarum Particularum congrua semper asservetur copia, per hiemem quidem quindecimo quoque die renovanda, verum aestate non ultra octo dies retinenda. Mundum item Corporale non desit sacris vasis suppositum: Lampas [3] demum coram Tabernaculo diu noctuque ardeat. Qua in re sancta Synodus conscientias onerat et Priorum et Parochorum, qui nimia saepe avaritia aut incuria cultum Divinum tam criminose negligunt ac etiam contemnunt, ut oleo parcant Christumque, quantum in se est, atris tenebris obductum pernoctare patiantur.

CAP. III.

Quoties augustissimum Corporis Christi Sacramentum fidelium adorationi palam erit proponendum, congruae magnitudinis justique ponderis Cerei altari imponantur: in Metropolitana autem et Cathedralibus Ecclesiis duodecim saltem ardeant, quorum tamen numerum explere possint majores faces seu taedae, a Clericis et Confratribus Societatis sancti Sacramenti gestari solitae: in Collegiatis vero insignioribus decem

[1] Exod. 25, 11.
[2] Conc. Aven. hoc Tit. 16.
[3] Ibidem.

minimum erunt: in simplicibus tandem Parochiis seu Poenitentium aliorumve sacellis octoni continue illucescant. At, ne magno Laicorum scandalo vacuum unquam Adoratoribus sit Templum, quamdiu salutaris Hostia in propatulo est, vehementer optat sancta Synodus [1], ut juxta laudabilem plurium Ecclesiarum consuetudinem aliquis semper ex Capitulorum seu Aggregationum gremio, habitu Chori aut mundo saltem superpelliceo indutus, in infimis arae gradibus vel alio commodiori ac patenti loco adoratione ac Divinarum rerum contemplatione pie detentus immoretur. In caeteris vero Parochiis, tum urbanis tum ruralibus, Clericos omnes Sacerdotesque, si qui sint, quamvis nulla servitii conditione Parochiae obligatos, quantum in Domino potest, sancta Synodus hortatur, ut non modo ad Laicorum hac in re laudandam religiositatem sese conforment, verum etiam ipsis pietate antestent exemplumque et fidei et reverentiae luculentissimum omnibus praebeant.

CAP. IV.

Ubi vero cultui publico Divinam Hostiam objici contigerit, vel ex fundatione vel ex peculiari Ecclesiae instituto vel ex Metropolitani et Comprovincialium Edicto vel alia quacunque de causa: Capitulis, Ecclesiarum Rectoribus, Monialibus earumve Moderatricibus sive Superiorissis curae sit, ut, dum posita erit ante oculos sacra Eucharistia, in spiritu et veritate adoranda, aliquis adsit Sacerdos, qui astantes leniter ac tempore moneat de modestia et gravitate coram Domino inviolate tenendis: haecque consuetudo perquam necessario inducenda, diligentissime observetur in Metropolitana praesertim Ecclesia et Cathedralibus ac Collegiatis, per delegationem scilicet gravis cujusdam ac prudentis viri, de ipso Capituli gremio aut de Clero desumpti, qui, data occasione, silentium, decentiam ac reverentiam et verbis et exemplo suadere possit. At si cujus eo forte processerit temeritas et irreligio, ut amica et salutaria monita neglexerit aut respuerit arroganter: tunc ex sanctae Synodi mandato renitentis ac refractarii nomen ad Episcopum deferatur, qui laesae Majestatis Divinae vindex in reos id genus arbitrio suo pro scandali gravitate animadvertat.

CAP. V.

Statuit praeterea sancta Synodus, ut (extra casum majoris Solemnitatis, quo nimirum Divina Officia sacraeque Caeremoniae longiori temporis spatio Ministros Ecclesiae detinent,) sanctissimae Eucharistiae Benedictiones in omnibus hujus Provinciae Templis ac Sacellis dentur ante solis occasum, ne, dum in noctem protrahuntur, et peccato et scandalo sit locus. Quod autem hic edicit nostra Synodus, hoc et declarat intelligi etiam debere de Solemnitatibus piarum Sodalitatum earumque praesertim, quas Poenitentium nomine insigniunt. Hi nempe Sodales in Processionibus suis, per Octavam Corporis Christi fieri solitis, ne ardentium taedarum, facularum ac cereorum fulgori diurna lux officiat, impensarum aliquando suarum nimii ostentatores, urbem nonnisi noctu obeundam existimant. Hoc vero speciatim prohibet sancta Synodus, et quatenus opus est, sub poena interdictionis. Edictis praeterea de hac re jam publicatis vel ad mentem Synodi publicandis ut obtemperetur religiosissime, Parochis et Sodalitatum Rectoribus praecipitur.

CAP. VI.

Jam vero, si cuipiam Infirmo dandum deferatur sacrum Viaticum, hortatur sancta Synodus Cives omnes utriusque sexus [1], inprimisque Nobiles ac Primarios viros, ut ad decentiorem sacrae Eucharistiae per vias gestandae comitatum, facibus aut cereis accensis instructi maximeque pietatis insignia vultu et incessu praeferentes, Christo diligentem cultum adhibeant eximiumque fraternae Charitatis officium praestent, solito indulgentiarum munere ditandi. Sin aliquo negotio impediti fuerint, quosdam saltem ex familia sua mittant ad famulandum Domino dominantium, qui humiles ac infirmos sibi demississime supplicantes respicit et visitando confortat altaque a longe cognoscit [2], hoc est, longe a se projicit vana generis aut dignitatis celsitudine elatos ac superbientes. Et quidem scandalo atque impietati proximum est, tanto illos famulorum labore ac incommodo assiduum sibi servitium exigere, eosdemque Orbis terrarum Dominatori praestanda obsequia denegare.

CAP. VII.

In hac autem materia, ne quid a sanctae Synodi sollicitudine ac prospicientia desideretur, praecipit eadem, ut suum sit in unaquaque Ecclesia Parochiali non modo majus Umbraculum, vulgo *Dais*, sanctae Eucharistiae in viis publicis, dum circumfertur, cooperiendae aptum, sed et alia minor Umbella albi coloris, vulgo *Parasol*, qua sanctissimum Sacramentum in angustioribus etiam vicis ac in ipsis Infirmorum aedibus tegatur et ab omni sorde labenti defendatur.

TITULUS XXIX.

De Communione Paschali.

Quid cautionis adhibendum, ne quisquam a Communione Paschali refugiat: quid agendum cum indeclinabilis hujus Praecepti contemptoribus: quid cum publicis Peccatoribus ad sacrum epulum non admittendis: quid tandem requiratur ad sacram Eucharistiam decentius et commodius dispensandam: haec sequentibus Decretis comprehenduntur.

Prooemium.

Quamvis neminem lateat praeceptum Ecclesiasticum de sacrosancto Eucharistiae Sacramento Paschalibus

[1] Conc. Aven. Tit. 45. de Orat. quadrag. hor.

[1] Conc. Aven. [Tit. 16.]
[2] Psalm. 137, 6. Bellarm. in supradict. Psalm.

a diebus sumendo in propria uniuscujusque Parochia, multos reperiri tamen certum est adeo propriae salutis negligentes, ut impositae cuivis Christiano legis observationem vel differant vel prorsus omittant, nulla Censurarum nec Anathematum comminatione deterriti. Cum autem genus hoc perditorum hominum, laborem in Praecepto fingens et quaerens excusationes in peccatis, aut diligenti Parochorum inquisitioni se subducat malitiose, aut Parochis ipsis omnem monitionis ac reprehensionis viam aliquando intercludat, objecto scilicet sacrilegio, quod se commissuros esse aiunt, si ad sacram Synaxim acrius adigantur: ideo Concilii Patres, tam inviolate servandi Praecepti necessitate moti, nefarios illos augustissimae Eucharistiae contemptores ad officium suum reducendos existimant, et ne sua vel Parochorum conscientia alienis peccatis aut peccatorum impunitate contaminetur, sic statuunt:

CAP. I.

Decreto itaque hoc Synodali praecipitur, ut a quolibet Parocho frequentes habeantur ad populum de supradicto Praecepto sermones: et, si quos repererit cujusvis conditionis et sexus, qui Paschalem aut negligant Coenam aut effugiant subdole aut palam dedignentur, eos statim lenibus amicisque verbis ad resipiscentiam adducere nitatur et a sopore lethargico excitare: tum, si haec frustra sint, alia juris adhibeat remedia triplicemque monitionem coram testibus fide dignis juxta Provinciae morem fieri curet: haec vero si nihil etiam profuerint, Episcopos demum consulat, ut obsequium Ecclesiae debitum Canonica severitate exigatur. Nunquam autem et nulli sacerdotum in hac Provincia liceat, nimis libera et arbitraria interpretatione regulae in Rituali Romano praescriptae Communionem cuiquam quovis titulo publice denegare, Episcopis inconsultis. Cum enim ex tali denegatione plurima possunt oriri scandala in sacerdotalis Ordinis dedecus ac detrimentum, nunquam satis hac in re prospectum atque consultum esse posse Concilii Patres arbitrantur. Caveant praeterea Sacerdotes omnes, ut, siquando obtigerit occasio Angelicum denegandi Panem non mittendum canibus, abstineant ab omni injuriosa objurgatione solaque ac tacita praetermissione sint contenti. Similibus vero casibus ut obviam ire possint, d peccatorem publicum (si quis erit, quem pro suo judicio et conscientia talem crediderint,) moneant, ne ad sacrarum Epularum mensam occasionem denegationis daturus accedat.

CAP. II.

Ne qua autem fraus opituletur ac faveat hujus praecepti transgressoribus, conveniat inter Parochos in prima de Casibus Conscientiae habenda post Synodum Congregatione, quam cautelam seu diligentiam pro cujuscunque loci circumstantia adhiberi satius sit, ne quis impune suo se muneri subtrahat: sive expediat magis, nominum indicem ante Communionem Paschalem fieri a Presbytero aut ab alio viro notae probitatis ad hoc delegato: sive potior videatur schedularum usus aut tesserarum in ipso Communionis actu tradendarum aut accipiendarum: sive praestet alia quavis cautione uti. Quod autem optimum habebitur, ad Metropolitanum referatur et Episcopos, qui uniformem hac in re agendi methodum in omnes hujus Provinciae Dioeceses inducendam approbent. Interea, ut omnino nihil a Concilii Patribus desit, quo Oves suas Paschali tempore facilius recensere queat Parochus, Regularibus aliisque curam animarum non habentibus prohibetur, ne intra quindecim illos dies Sacramentum Eucharistiae ministrent, neve patiantur in suis Ecclesiis ministrari nisi iis, quos constiterit in propria Pa-
b rochiali Ecclesia debito suo jam satisfecisse.

CAP. III.

Ubique tandem mensa ad Communionem stabilis et decens adstruatur, quae Sanctuarium ab anteriori Ecclesiae parte disterminet: ea vero sit mundis Mappulis instructa, de quarum opportuna et congrua, non secus ac caeterorum linteaminum et ornamentorum, habenda copia Canonicorum et Priorum omnium respective conscientiam sancta Synodus onerat. Caveat praeterea omnis Sacerdos, ne sacrosanctum Corpus Domini de Patena praebeat Communicantibus, nisi forte pauci sint, sed vel Calice vel solita Pyxide utatur [1]. Curati autem ac Praedicatores singulis diebus
c Festis et Dominicis Quadragesimae Decreta haec de Paschali Communione palam recitent in majori Populi frequentia.

TITULUS XXX.

De Sacramento Poenitentiae.

Poenitentiae Sacramentum quid sit: quid a Confessario agendum, ut peccatores ad integram et conducibilem delictorum Confessionem vitiorumque emendationem alliciat: quid, ut munus suum caute et pro Sacramenti dignitate impleat: quid, ut omnem a se vituperationem ac praesertim quaestuosae indolis suspicionem, etiam in casibus Restitutionis, propulset: haec prioribus continentur capitulis. Tum de Revelantibus, Sollicitantibus ac Complicibus statuitur. Parochis, si solemnium Festorum tempore ad excipiendas Confessiones satis esse nequeant, paratur subsidium. Ac demum Confessariorum delectus Episcopis commendatur.

Prooemium.

Quartum Sacramentum est Poenitentia, cujus praesidio et peccatorum remissionem et Divinae gratiae reconciliationem impetrari constat ex universo et antiquo Ecclesiae consensu. Cum tamen ad hos colligendos fructus saluberrimos tanto Sacramenti beneficio consentanea praeparatione peccatoribus opus sit, quorum absolutioni consulere voluit Christus: ideo et de ratione consequendi veniam docendi sunt fideles et iteratis hortationibus excitandi, ut hac secunda post naufragium tabula, sibi sub manus quasi posita, fre-

[1] Conc. Aven. hoc Tit. 17.

quenter ac feliciter utantur. Ministri autem per Episcopos vel delegati vel delegandi tanti Ministerii Dignitatem studiose tueantur serioque secum reputent, quoties aliquis eorum Sacrum Poenitentiae Tribunal Judicis vices obiturus ingreditur, quantum et zeli et prudentiae in suo Ministro inesse velit Ecclesia.

Ecclesia quidem ager ille est [1], in quo electa grana cum pravo zizaniae semine promiscue crescere sinit Paterfamilias usque ad tempus messis: est et mystica illa sagena, ex omni genere piscium congregans, donec eligantur boni in vasa, mali autem mittantur foras. At cum ex materna sua charitate communi Fidelium saluti, quicunque illi sint, pari consulit zelo (quamvis ad specialem quandam Dei providentiam pertineant justi ac, testante scriptura, propter Electos tolerentur saepe peccatores), non ex citatis Parabolis conficitur, neglectui esse debere peccatorum in melius immutationem. Imo vero si attendatur ad parabolam Ovis, quae perierat [2], si ad illud Evangelii: *non veni vocare Justos, sed peccatores* [3]; *non est opus valentibus medicus*, si ad gaudium tandem, quod erit in Coelo super uno peccatore poenitentiam agente [4]: facile arguetur, quae impensior Ecclesiae cura sit, quaeve gravior sollicitudo. Constat siquidem, piae ac beneficentissimae Matris operam in hoc maxime positam esse, ut peccatores cum Deo suo restituantur in gratiam et ad eum revertantur, eo enim potissimum spectant tot sacrosancta Sacrificia, tot Praedicationes, tot Preces publicae, tot Sanctorum exempla, tot tandem Indulgentiarum subsidia, quibus peccatores apte dispositos ad Confessarii pedes quasi manu ducit. Caveat itaque Minister, ne aut incuria sua aut remissiori in salutem animarum studio opportuna illa momenta, a quibus pendet saepe miseri peccatoris aeternitas, vel male terat vel incautus ac negligens dilabi sinat.

CAP. I.

Quemlibet praeterea Confessarium hortatur in Domino sancta Synodus, ut monita Sanctorum Patrum, de Poenitentiae Sacramento ejusque recta administratione disserentium, saepe animo revolvens, Confitentium corda primo demulceat omni charitatis illicio eorumque spem erigat, Dei misericordiam ostentans, ut cum majori fiducia intima cordis animique secreta pandant et, quibus gravantur, delicta cum debita integritate atque sinceritate revelent. Saepe enim fit, ut ex metu, propter inopportunam asperamque Confessarii objurgationem incusso, vel perplexe et incerte immurmurentur potius peccata quam enuntientur, vel omnino silentio praetermittantur.

Secundo, ubi cum Poenitentibus sic actum fuerit, eorumque Conscientiam omni sorde peccati vacuam exoneratamque senserit Minister, tunc expressam ab
a ulcere saniem emissaque conscientiae purgamenta eorum oculis subjiciat, ut tantae illuviei quasi foetore et aspectu deterriti justoque horrore perfusi, e peccatorum suorum coeno, Dei gratia auxiliante, liberi evadant. Sic a Confessariis initio alliciendos sancta Synodus credit peccatores tanquam fratres et humanae fragilitatis socios atque participes; tum vero, priusquam sententia proferatur, induenda est majestas Christi judicis, cujus auctoritate instructus est Sacerdos: neque solum congrua injungatur satisfactio, sed et ea quandoque pro delictorum natura aggravetur, ut Divinae hinc justitiae severitas aliquatenus argui ejusque vindicta reformidari inposterum atque vitari possit. Ex conscientiarum judicis officio pariter esse sancta Synodus
b ducit, ut in peccatoribus mulctandis contrariorum opportuna ratio habeatur: hoc est, ut eae imponantur Poenitentiae, quae commisso peccato adversentur et reum ad contrariam vivendi normam traducant; sic avaris praescribendus est eleemosynarum usus, incontinentibus jejunium ac solitudo et similia: hac quippe laudanda methodo confitentium vitia adversis saepe virtutibus curantur et radicitus evelluntur.

CAP. II.

Videant insuper Confessarii omnes, ne animum flectentes ad dexteram vel ad sinistram, a rectis Sanctorum Patrum vestigiis discedant mediumque illud deserant, quod unum optimum est, imo quod unum est
c ab ipsis poenitentibus probatum. Nec igitur molliori indulgentia conscientias in fallacem soporem inducant, unde sacrilegia potius quam verae et sincerae Confessiones oriuntur: nec rigidiori Doctrina et inconsulta severitate hispidi ita sequantur litteram, quae occidit, spiritumque, qui vivificat, negligant, ut peccatores, perterrefacti ac pene in desperationem adacti, a Sacramento ac salutari remedio, quod opportune ac indulgenter Christus ad subsidium refectionemque fragilitatis nostrae instituit, damnose arceantur. Hoc iis potius curae sit, quibus curam animarum demandarunt Episcopi, scilicet, ut manum vere medicam laborantibus porrigant et medendi praxim ad aegritudinum naturam accommodent. Ex quotidiano itaque usu
d esse debet, lenia primum adhibere remedia extremisque tandem malis extrema medicamenta opponere. At cum distinguenda sunt sanabilia ingenia a deploratis ac deperditis, inde fit, ut quaedam cordis vulnera oleo fovenda sint ac vino detergenda, quaedam autem, ne ad animae interitum ingravescant ac inflammentur, ferro et igne curanda. Qui ergo Divi Caroli vel Divi Francisci Salesii sancta ad Confessarios monita sequuntur, si laudabiles ac veri eorum Doctrinae assertores esse velint, eorum etiam sanctitatis, humilitatis ac mansuetudinis imitatores esse nitantur, sicque prudentem Caroli severitatem justae ac moderatae Francisci indulgentiae atque commiserationi miscentes, fasciculos myrrhae suavi melle contemperent. Hoc tandem serio ad peccatorum utilitatem animis imprimen-

[1] Matth. 13.
[2] Luc. 15.
[3] Marc. 2, 17. Matth. 9, 12. 13.
[4] Luc. 15, 7. 10.

dum est, quod, licet non velit Deus mortem peccatoris, a
sed magis ut convertatur et vivat, non ideo tamen est illudenda peccandi consuetudine seu misera pristinarum noxarum iteratione Divinae bonitatis indulgentia paternaque Dei longanimitas; non enim Deo miseratore dignum esset, si in eos liberalitatis dona conferret, qui ipsius patientiam ad impunitatem vertunt, non ad suorum delictorum emendationem: nihil quippe fidelibus timendum magis quam procrastinata et sera Dei vindicta.

CAP. III.

Caveant omnino Confessarii, ne ullo modo Confessiones, Mulierum maxime et Puellarum, extra Confessionale audiant, nisi in casibus gravium infirmitatum, b
vel cum ex numeroso Poenitentium concursu aut inopia Confessionalium liquet, non aliter satisfieri posse publicae affluentium devotioni: quo casu occurrente, in loco saltem patenti sedeant, superpellicei manicas aliudve linteum ori obducant, a latere positae Poenitentis peccata audiant, sicque demum se gerant, ut modestiae, in tam difficili ac spinoso ministerio tam necessariae, nihil quidquam desideretur. Videant autem, ut, omni personarum semoto discrimine, unicuique ad vitae noxas expiandas accedenti ordine suo faciles aures praebeant.

CAP. IV.

Invigilent praeterea Episcopi, ne Confessarius quid- c
quam recipiat a Poenitentibus in actu et exercitio Confessionis sub quocunque titulo, etiam eleemosynae pauperibus distribuendae vel oblatae pro Missarum celebratione mercedis: sed ubi Poenitentium pietas eo processerit, ut piis id genus largitionibus peccata sua quodammodo redimere velint, tunc iis poterit Confessarius pro sua prudentia suadere, ut aliis viis consilium expleant suum; sic enim omnis a sacro Poenitentiae Tribunali turpis quaestus suspicio penitus aberit. Quodsi de secretis restitutionibus agatur, tunc fas erit summam quamcunque debitam cum omni cautela recipere et, consulto prius Episcopo, de incertis disponere, certas vero Dominis suis restituere. Haec autem, quae ad rectum perfectiusque traditae potestatis exercitium d
statuit sancta Synodus, fideliter observari summopere cupit, ne in praevaricatores Canonicis poenis animadvertendum sit.

CAP. V.

Nullus superior Regularium subditos suos Confessionibus audiendis praeficiat, nisi prius ex litteris ab Episcopo concedi solitis certior factus sit de sui subditi praevio examine et approbatione: nec ullum unquam approbandum proponat, qui vel minimum de prava novitate suspectus sit. Confessarii vero saeculares, sic etiam ab Episcopo suo rite examinati et approbati, nunquam munere suo fungantur, nisi superpelliceo induti, praesertim in Ecclesia.

CAP. VI.

Jam vero poenas omnes, a sacris Canonibus contra Confessarios revelantes et ad turpia sollicitantes tam merito statutas [1], hoc synodali Decreto ad memoriam et executionem revocari suumque omnino sortiri effectum Patres Concilii volunt, quoties infausta similium occasio se praebuerit.

CAP. VII.

Quoniam autem severius agendum est cum profanatoribus sacri Ministerii, qui sacrilego damnatoque commercio suis Poenitentibus abutuntur, eos non solum omni canonica ultione mulctandos esse censuit sancta Synodus, sed, ne inviolabile Confessionis secretum tam horrendis flagitiis obsecundet, solis Provinciae Episcopis reservatum ipsa voluit casum sacrilegii consummati a Parocho cum Parochiana et vicissim: sic etiam sentiendum de omni peccato incontinentiae cujuscunque Confessarii cum Poenitente et vicissim, quem scilicet Casum exceptum volunt Patres Concilii, etiam cum facultas conceditur absolvendi a Casibus reservatis in genere; Complicibus autem ne suorum facinorum participes absolvendi potestas committatur unquam, omnino prohibetur.

CAP. VIII.

Ubicunque Parochi, sive perpetui sive ad nutum revocabiles in Provincia constituti, recurrente Paschate vel aliis anni solemnioribus Festis, quibus major est populi frequentia et major Poenitentium concursus, senserint, se, etiam Vicariorum ope adjutos, ad excipiendas Confessiones satis esse non posse, subsidiariis Confessariis opus erit. Ideoque hortatur in Domino sancta Synodus Priores et alios quoscunque, ad quos tam necessarii subsidii suppeditatio de jure vel de consuetudine pertinet, ut tam gravibus necessitatibus sponte prospiciant sua. Sicubi vero jam viget tam laudabilis haec quam opportuna consuetudo Parochis sic oneri imparibus auxiliandi, hoc maxime probant Patres Concilii: at vehementer optant fieri, ut Episcopalis hac in re auctoritatis opera nunquam expetatur.

CAP. IX.

Permulta quidem hactenus et pernecessaria de Sacramento Poenitentiae dicta sunt ac statuta. Parum tamen est, quod illius dignitas, virtus, utilitas innotescunt; parum, quod conscientiarum judicibus definitum fuit, quid faciant caveantque, nisi idoneos ipsius Sacramenti dispensatores Episcopi seligant. Quapropter censet sancta Synodus, non alios praeter probatos diligenti examine Sacerdotes, sive Saeculares sint sive Regulares, ad tam grave Ministerium admittendos esse [2]. Vult praeterea, facultatem audiendi Confessiones, puellarum maxime ac mulierum, nemini cuiquam indulgeri,

[1] Const. Greg. XV., quae incipit: *Universi Dominici*, 30. Aug. 1622.
[2] Conc. Trid. Sess. 23. de ref. C. 15.

qui trigesimum aetatis annum non attigerit: ab hac tamen regula caute quandoque discedi, ubi necessitas utilitasve aliud postulaverit, non improbat sancta Synodus.

TITULUS XXXI.

De Sacramento Extremae Unctionis.

Demonstrata Extremae Unctionis virtute, praefinitur tempus, quo Aegroti Sacro inungendi sunt Oleo. Ne quis autem hoc adjumento destitutus moriatur, Infirmorum statum a Parentibus familiaribusve rescire studeat Parochus: nec unquam a consentanea Sacramento etiam noctu dispensando reverentia discedat.

Prooemium.

Quintum Sacramentum est Extrema Unctio, in cujus Divina institutione eo magis Altissimi providentia sese paratam semper exhibet indigentiae fidelium, quo in gravioribus morbis ipsoque mortis quasi limine premimur magis suggestionibus ac tentationibus Daemonis [1] calcaneo insidiantis. Quinam vero salutares effectus a tanto defluant Sacramento, explicat Divi Jacobi Epistola [2], ab Ecclesia universali recepta: *Oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei.* Unde facile colligitur: delicta, si quae sint adhuc expianda, ac peccati reliquias hujus Mysticae Unctionis beneficio et gratia sancti Spiritus abstergi: aegrotantis animum sublevari simul et corroborari, magna scilicet in eo Divinae misericordiae fiducia excitata, qua mirifice recreatus aegritudinis incommoda laboresque tranquillius patitur et animosius: periculosas instantis Daemonis artes ac pertinaces circumquaque rugientis Leonis conatus facilius eludi: tandemque corporis ipsius sanitatem, ubi expedierit, operante Deo, interdum restitui. Arguendum etiam est ex supra citatis verbis, Sacramentalem illam Unctionem illis tantum Infirmis adhibendam esse, quos ad eas angustias invalescens morbus adduxit, ut in exitu vitae probabiliter constituti videantur, unde et Sacramentum Exeuntium nuncupatur.

CAP. I.

Silentio non praetermittemus Parochos quamplurimos, qui damnanda negligentia Sacramentum Extremae Unctionis non prius conferre solent, quam aegroti, hebetatis sensibus, alienata mente, rerumve prorsus adempta cognitione, animam agere incipiant: qua sane methodo quisquis utitur, gravissimam culpam admittit, ut patet ex Catechismo Romano; quandoquidem constat ad hujus Sacramenti gratiam percipiendam plurimum valere, si Aegrotus, dum adhuc integra mente et inturbata ratione viget, fideique ac religiosae voluntatis praeparationem afferre potest, Oleo sacro liniatur. Quare Parochos omnes sancta Synodus monet, ut, quoties ea est infirmi aegritudo, quae judicio Medicorum, ubi sunt, imminentem mortem portendere videatur, tunc, praemonitis comiter infirmi propinquis ac familiaribus, dum adhuc mentis corporisque vires utcunque suppetunt, haec provide afferatur Medicina, ex qua beneficium commodumque eo majus percepturus est, quo erit ad illam expetendam accipiendamque paratior.

[1] Genes. 3, 15.
[2] Jac. 5, 15.

CAP. II.

Ne quem autem ex Parentum, Propinquorum Familiariumve incuria hujus Sacramenti beneficio privari contingat, vigilantis est Parochi, ut omnibus sedulo et sollicite suadeat, quanti ad salutem animarum refert, cujusque in Parochia degentis morbum Sacramentorum Ministro nunciari: quomodo enim aegrotanti aut morienti subsidium opportunum ferri poterit, si ipsius Infirmi periculum urgens et angores a Parocho ignorentur?

CAP. III.

Quamvis ex adhibenda interdum in Extremae Unctionis Sacramento administrando festinatione legitima erui non possit causa, cur Sacramenti Reverentiam Sacerdos exuat; quia tamen ex multis querimoniis comperimus, Oleum Infirmorum, tum noctu tum interdiu, sine ullo apparatu a Parochis saepe deferri: prohibet sancta Synodus, ne unquam deinceps Infirmis deferatur aut saltem ministretur, quin Parochus superpelliceo et stola indutus sit, adscitoque ad formam Ritualis Romani Clerico, minorem Crucem gestante, comitatus.

TITULUS XXXII.

De Sacramento Ordinis.

Sacrorum Ordinum explicatur dignitas: indeque, quid ad inculpatam praecellentis hujus Sacramenti dispensationem ab Episcopis, quid ad dignam susceptionem ab Ordinandis quibuscunque requiratur, variis statuitur Decretis. Patrimonii Clericalis instituendi ac publicandi ratio praescribitur. De Missae Canone ejusdemque Ritibus atque Caeremoniis praecipiuntur aliqua. Tandemque Constitutio jam publicata Synodi Dioecesanae Aven. *de Vita et Honestate Clericorum* renovatur et in communem totius Provinciae legem speciali Decreto inducitur.

Prooemium.

Sextum Sacramentum est Ordo, cujus praecellens dignitas utriusque Testamenti paginis ita extollitur, ut nemini ex Episcopis ignorare liceat, quanta in ejus administratione diligentia, quanta prospicientia opus sit; agitur quippe de evehendo simplici Viro ad eam vitae conditionem eamque dignitatem, quam Deus prae caeteris spectatissimam esse et ad unam olim Leviticam Stirpem pertinere voluit: unde Levitarum nomine ac praestantia gloriari jure nunc etiam possunt ii quicunque, quos novae Legis beneficio in sortem Domini vocari contingit, ut Leviticis gradibus ad Ministerii fastigium, quod Sacerdotium est, aliquando deveniant.

CAP. I.

Cum igitur inter varias Ecclesiae Catholicae sollicitudines potissima illa sit, quae ad Dei cultum procurandum spectat, necesse est, Episcopos, quos in operis sui consortium pia Mater advocat, iis omnibus esse praesertim intentos, quae ad servitium divinum ac templorum ministerium attinent, eosdemque propositorum hac de re praeceptorum monitorumve aut consiliorum executioni sedulam operam dare. Quoniam autem commodior nulla dari potest occasio pro rei momento perpendendi, quid agendum sit, quidve statuendum, quam haec Comitiorum celebritas ac frequentia, operae pretium esse duxerunt Patres Concilii ea nunc de Ordinandis et Clero Edicta condere, quibus et sacerdotalis muneris dignitati consulatur, et b Sacerdotes ita informentur, ut omni suffragiorum conspiratione probari merito possint.

CAP. II.

Primo itaque serio inquirendum est de vocatione, indole, habilitate ad litterarum studia aliisque requisitis eorum, qui prima Tonsura sunt initiandi [1], quam, licet simplex habeatur dispositio ad Ordines, conferre tamen Episcopus non debet ad petentium placitum, sed causa probabili motus legitimaque ratione credendi, eam vere esse Parentum vel Consanguineorum mentem, ut praesentati consecrentur Deo et Ecclesiae, non quidem Beneficiorum expetitis reditibus augendi, sed Christi jugum ab adolescentia sua portaturi. Statuit c praeterea sancta Synodus, ne quis deinceps ad primam Tonsuram admittatur, nisi sit ex legitimo matrimonio procreatus, vel saltem a defectu natalium cum ipso legitime dispensatum fuerit; confirmatum eum esse oportet aut ad Confirmationem rite dispositum; fidem Baptismatis exhibeat; aliisque tandem documentis instructus sit, quibus certior fieri queat Episcopus de bonis initiandi moribus cognoscatque, eundem esse Fidei saltem ac primorum litteraturae rudimentorum sufficienter peritum. Tum vero in Clericorum numerum aggregari poterit.

CAP. III.

Quisquis autem ex hac Provincia supradictis prae- d ditus requisitis Tonsuram acceperit, eum monitum vult sancta Synodus, quod, nisi habitum detulerit, in Constitutione de vita et honestate Clericorum designatum, (qua de re perhibenda erunt indubitata testimonia) nunquam vel raro admodum ad minores Ordines promovendus sit. Clericorum illorum Parentes insuper ac Tutores seu quoscunque alios eorum educationi praepositos hortatur sancta Synodus, ut propriae obligationi incumbentes eos, quantum poterunt, a nugis et saecularibus illecebris abstrahant, ad studia incitent ac demum flexibilem indolem ad Sacrorum, ad verbi divini praedicationum, ad Catechismorum ac piarum

[1] Trid. Sess. 23. de ref. C. 4. Idem Conc. Aven. hoc Tit. 19.

a Sodalitatum frequentationem suaviter et fortiter adducant. Ubi vero minus multa sunt educationis subsidia, curent saltem, ut in scholis Paedagogorum modestiores sint et in Parochialibus Ecclesiis utiles se praebeant, tum celebranti Sacerdoti ministrando tum etiam Horis assistendo Canonicis. Quodsi talis fortunae sint eidem Clerici, ut talarem sibi vestem comparare queant, eam Dominicis diebus ac solemnioribus Festis, addito superpelliceo, induant sicque Caeremoniis sacris, in Parochia fieri solitis, intersint. Jam cavendum restat, ut quilibet Clericus in Ordinatione ad Concilii Tridentini mentem ab Episcopis certae alicui Ecclesiae pro ipsorum arbitrio designandae addicatur, in qua Missae saltem solemni et vespertinis Canonicis Horis cum superpelliceo et bireto adesse consuescat. Quodsi eorum aliquis Ordines sacros petiturus suo se sistere velit Episcopo, non accedat, nisi munitus attestatione Parochi sive Rectoris Parochiae, in qua Clericalis Ministerii partes assiduus implere debuerit.

CAP. IV.

Ad Minores autem Ordines promovendi aetatem a Conciliis definitam habeant et supradictis instructi sint requisitis ac tali doctrina, ut non solum de qualitate suscipiendorum Ordinum eorumque materia, forma et muniis sint respondere parati, verum etiam spem faciant moraliter certam melioris in dies profectus in sacris Scientiis et Pietate non ficta.

CAP. V.

Quia vero Subdiaconatus majorem exigit indaginem, cum sit janua sacrorum Ordinum, per quam licet introire in sancta, et unde ad saecularia vota non datur regressus, ideo pluribus experimentis ac diligentiori disquisitione prius opus esse visum est, quam conferatur: vocatio siquidem Ordinandi est exploranda, et, quantum fieri potest, compertum esse debet firmum ejus propositum satagendi, ut per bona opera certam suam vocationem et electionem faciat [1]. Ad Subdiaconatum itaque nullus admittatur, nisi peracto anno in aliqua Domo Clericali sive Seminario, per Episcopum designando, nec praesentetur, nisi annum saltem integrum in Theologicis studiis insumpserit: ut sic probatus ac paratus, quod sibi tradendum est, ministerium fideliter impleat digrioremque se praestet, qui ad Diaconatus ac Sacerdotii gradum evehatur.

CAP. VI.

Praeterea, quicunque titulum sufficientis beneficii non possidet, cum ex Decreto Patrum Tridentini Concilii [2] ad Subdiaconatum ordinari non possit titulo Patrimonii, nisi suadente Ecclesiae utilitate, vel necessitate cogente: ideo, qui in hac ditione Ecclesiastica hunc Ordinem appetunt, aliquanto tempore, antequam

[1] 2. Petr. 1, 10.
[2] Trid. Sess. 21. C. 2. de ref. Aven. hoc Tit. 19.

aperiantur Seminaria, generales hujus Provinciae Vicarios conveniant, ut de supradicta necessitate vel utilitate secreta et opportuna inquisitio agatur. Qui autem in partibus Gallo-Provinciae, Occitaniae et Delphinatus degunt, Officiales foraneos, quorum integritati summe confidit sancta haec Synodus, adeant: ut, pari capta cognitione, ab his ad Metropolitanum respective et Comprovinciales, quod compertum fuerit, referatur.

CAP. VII.

In Patrimonio autem constituendo seu approbando observare debent Promotores fiscales, an assignati redditus annui Taxae Synodali respondeant; et quamvis ex indulgentia et ratione paupertatis Parentum in Acolytis promovendis usu saepius eveniat, ut, qui Patrimonium instituunt, non ideo Sortem aut Fundum de manibus amittant, sed scripto et authentico pacto, ne res familiaris deterior fiat, obligare se malint aut ad redditus quotannis pendendos aut ad subministranda Clerico alimenta: non inde tamen cuivis abusui jurgiisve aut litibus dari locum liceat. Idcirco ab assensu talibus contractibus praestando abstineant Promotores, donec Episcopos consuluerint. Item solita diligentia curent, ne quid falsum aut fraudulentum, ut saepe fit, in Ordinantis contemptum detrimentumque Ordinandi dictis contractibus inseratur; advertantque praecipue, ne, dum constituitur Patrimonium in favorem unius Clerici, toti omnino Clericali Ordini grave damnum inferatur, excitatis scilicet Laicorum querimoniis, qui interdum maledictis insectantur Clericorum parentes eo, quod hi filios suos Ecclesiae devoveant, non ad augendum numerum ministrantium in Templo Dei, sed ad bonorum suorum partem plerumque potiorem de taleis aliisque vectigalibus eximendam, in locis praesertim, ubi talia onera imponi solent super aes et libram. Quocirca diligenter inquirendum est ac praecavendum, cum approbatur Patrimonium Clerici, ne haereditatis portiones, ad caeteros de familia jure legitimae pertinentes, cum assignata eidem Clerico portione complicentur de industria ac commisceantur. Hinc siquidem aliud etiam oriretur Clerici grave incommodum: Sacerdos etenim factus, alendos haberet ac sustentandos parentes fratresque et familiam totam, injusta Patrimonii constitutione depauperatam. Quae omnia offendicula ut tutius vitentur, utque vera, si quae sint, tum ex re familiari tum ex Ordinandi moribus impedimenta facilius detegantur, praecipit praeterea sancta Synodus, tres in posterum fieri dictorum Patrimoniorum publicationes in loco Domicilii vel Originis illius, qui Patrimonium constituerit.

CAP. VIII.

Sacer Presbyteratus Ordo caeterorum sacrorum Ordinum complementum est [1]; unde fit, ut summam requirat et ab Episcopis ipsum conferentibus et ab ecclesiasticis viris ad tam praecelsum Ministerii gradum aspirantibus cautionem ac diligentiam. Quapropter, ne minus apti ac idonei Administri ad cooperandum Nobis in dispensatione Mysteriorum Dei temere et inconsulto adhibeantur, in hoc maxime insistendum esse censet Provincialis haec Synodus, ut in praevio examine de vita et moribus, de Doctrina ac sufficienti sacrae Theologiae peritia Ordinandi suis sese probent Episcopis omni ex parte admittendos.

[1] Trid. Sess. 23. C. 14. de ref. Aven. hoc Tit.

CAP. IX.

Quia vero juxta Patrum sententiam sancta sancte administranda sunt, sanctaque Tridentina Synodus [1] Missae Canonem, multis abhinc saeculis institutum, ab omni errore vel erroris suspicione purum esse declaravit, nihilque in eo contineri, quod sanctitatem ac pietatem non redoleat: sat erit, novos Presbyteros moneri, ut in hoc legendo eo accuratiores sint ac religiosiores, quo indubitabilius est, ipsum non nisi ex Dominicis aut Apostolicis veteri traditione ad haec usque tempora propagatis verbis aut sanctorum Pontificum precibus constare.

CAP. X.

Cum autem quosdam Ritus et quasdam Caeremonias aliaque ad Cultum externum pertinentia instituere et adhibere Ecclesia Catholica voluit, ut sunt mysticae Benedictiones, Lumina, Thymiamata, Vestes aliaque id genus multa, quibus Sacrificii majestas commendaretur, Fideliumque mentes a sensibilibus Religionis signis ad Mysteriorum, quae in hoc sacrosancto Sacrificio latent, contemplationem ac cognitionem devenire possent: ideo Pastores tam primi quam secundi gradus serio attendere debent ad Tridentini Canones contra disseminatos errores et ad egregium illud Decretum de iis, quae observanda et vitanda sunt in celebratione Missae [2]; quo scilicet Decreto Episcopis et Locorum Ordinariis datur a sacrosanctâ Synodo facultas, ut possint, etiam tanquam Sedis Apostolicae Delegati, prohibere, mandare, corrigere, statuere; utque ad ea inviolate servanda, quae statuta fuerint, Censuris Ecclesiasticis aliisque poenis suo arbitrio fidelem populum compellere valeant, non obstantibus etc.

CAP. XI.

Advertant tandem Episcopi, ne quis ex iis, qui Sacerdotii gradu ac honore novissime aucti fuerint, primam Missam celebret, nisi in Seminario vel alia Clericali Domo modum rite recteque celebrandi Missam prius didicerit.

CAP. XII.

Sic definitis, quae ad Ordinum susceptionem sive collationem opportuna magis et congrua visa sunt,

[1] Trid. Sess. 22. C. 4.
[2] Trid. Sess. 22. Decret. de observ. et vitand. in Celebr. Miss.

quaedam etiam decernenda esse Concilii Patres autu- a
mant, quae ad reparandam tuendamque Clericalis Ordinis dignitatem plurimum conferunt. Quocirca iterum publicari censuerunt Constitutionem ultimae Synodi Dioecesanae Avenionensis de Vita et Honestate Clericorum, quae scilicet Constitutio [1] ex eorumdem Patrum sententia, communis lex facta, totius jam Provinciae Clero aequaliter observanda proponitur.

TITULUS XXXIII.

De Seminariis.

Seminaria, ubi instituta sunt, recte gubernentur: instituantur, ubi nulla sunt. Qui in eis informandi vitam degunt, educentur ad debitam Episcopis reverentiam et obedientiam: exerceantur in omni Ecclesiastico munere: artemque Cate- b
cheticam ac Concionatoriam edoceantur. De caeteris in Pastorali Visitatione pro suo judicio decernant Episcopi.

Prooemium.

Quam vehementer optaverint Patres Concilii Tridentini Seminariorum institutionem ab Episcopis sollicite ac diligenter procurari, nemo nescit. Noverant siquidem viri perspicacissimi et Clericalis Dignitatis tuendae atque reparandae studiosissimi, quantae id futurum esset utilitatis, si certis in locis Clerici ad pietatem et rerum sanctarum scientiam educarentur. Enimvero, sicut Haereses multae ex imperitia Cleri lapsisque ab antiqua disciplina moribus ortae sunt: sic ex assiduo ejusdem Cleri studio, sacrarum litterarum gnaritate rectaque ac pia institutione Juventutis c
Altaribus consecrandae fiet, ut suos Fides habeat acerrimos defensores. Quae cum ita sint, ubi instituta jam reperiuntur Seminaria, quantam maximam potest, vigilantiam adhibeat Episcopus quisque in sua Dioecesi, ut recte gubernentur. Ubi vero nulla sunt, de instituendis quam cito satagat, postulata, si necesse fuerit, a summo Pontifice Beneficiorum collatione ac etiam multiplicium accessione ad tanti operis consummationem, et exstimulatis Consulibus Primariisque viris, ut sui intercessus operam opportunaque subsidia ad Concivium Clericalem educationem pro rei momento conferant.

CAP. I.

Cum autem Clericales Domus, quae Seminaria nun- d
cupantur, sint antiquo more ac jure domicilia Episcoporum, ideo vult sancta Synodus, in hoc potissimum studere atque incumbere Sacerdotes omnes, qui Domos id genus regunt, ut, Clericis sibi commissis dum rectam vitae rationem praefiniunt, eos itidem ad debitam Episcopis reverentiam et obedientiam educare nitantur. Hac etenim, veluti corpus nervis, coalescit in unum totus Ecclesiasticus Ordo mirisque modis coagmentatur.

CAP. II.

Cum pariter Domorum illarum institutio ad hunc praecipue finem a Tridentino Concilio commendata fuisse videatur, ut alumni in iis conviventes utili scientiarum supellectile instrui et ad munia Clericalia exerceri possint: idcirco earum Superiores et Rectores, quorum pietati ac prudentiae valde confidimus, hortatur sancta Synodus, ut fiduciae nostrae plene respondeant, omnimodam scilicet adhibendo diligentiam in edocendis Clericis, de iis praesertim rebus, quae ad Ecclesiarum cultum atque ministerium, ad animarum curam, ad munia Curialia pertinent, quales sunt Ritus sacri, Caeremoniae, Rubricae, Theologia moralis et modulatio Cantus Gregoriani, quem *planum* appellant. Non ad haec tamen, tanquam ad Officii sui metas, haereant supradicti Seminariorum Moderatores. Operae enim pretium est, Clericos ad explicanda etiam Christianae Doctrinae rudimenta sacrasque orationes ad Populum apposite habendas erudiri, ut sic exercitati habiliores fiant fungendo muneri, quodcunque illud sit, ad quod ab Episcopis sunt aliquando destinandi.

CAP. III.

Caetera, quae ad praedictarum Domuum Disciplinam aut condendam aut firmandam augendamve in melius conducere possunt, Metropolitani respective et Comprovincialium judicio in Visitatione Pastorali disponenda relinquit sancta Synodus.

TITULUS XXXIV.

De Residentia.

Canonicis, Beneficiariis ac praesertim Parochis praecipitur Residentia. Legitimae absentiae ratio praefinitur.

Prooemium.

Quanquam observandae Residentiae variis in locis provideat Sancta haec nostra Synodus, ubi scilicet de Episcopis, de Canonicis, de Parochis mentio est; cum tamen a Tridentinis Patribus tam explicate ac distincte vetitum sit, ne quis assiduae in propria Ecclesia commorationis immunitatem sibi arroget: nonnulla hic etiam super hac re definienda videntur. Prae caeteris itaque caveant Parochi, ne a Parochia sua tridui spatio diuturnius unquam absint, nisi permissa sibi facultate, ab Episcopo seu Vicario Generali scripto et gratis danda. Haec autem scripta facultas causas memoret longioris absentiae nec petenti concedatur, nisi subrogato idoneo et approbato Sacerdote, qui absentis vices gerat.

CAP. Unicum.

Quoad Canonicos et Beneficiarios inquirat Episcopus quisque in sua Dioecesi, an dies Vacationum, quibus illi de consuetudine a residentiae lege solutos se credunt, excedant limites a Tridentino praescriptos, ut, si forte quid praeter jus fuerit usurpatum, prudenter et ex aequo recidatur, salvis tamen statutis Capitularibus, quatenus ea fuerint a Sede Apostolica confirmata. Prohibet insuper Sancta Synodus, ne usquam fiant ex

[1] Vide Tit. hujusce Concilii 35.

Horis dies, neque ex diebus et Horis menses absentiae seu Vacationum, de quibus in Decreto Tridentini, Sessione XXIV. Cap. XII., nisi in Ecclesiis, ubi ex fundatione, Privilegio Apostolico aut statuto a Sede Apostolica specialiter confirmato aliter fuerit ordinatum.

TITULUS XXXV.

Constitutio de Vita et Honestate Clericorum.

Prooemium.

Ex perpensa utilitate uniformis in tota Provincia Disciplinae concluditur, quaedam in hoc etiam Concilio esse statuenda, quae ad Vitam et Honestatem Clericorum pertineant, quamvis hac de re in unaquaque Dioecesi cautum fuerit.

Fuit quidem a Metropolitano et Comprovincialibus Episcopis caute et opportune in unaquaque Dioecesi publicata Constitutio, qua quisque pro sua Pastorali vigilantia eam vivendi Regulam observandam Clericis suis proposuit, quae et Clericalis Ordinis dignitati foret consentanea, et Ecclesiasticis viris Laicorum laudem ac existimationem conciliare posset. Nihilominus tamen Reverendissimi Concilii Patres, tum unanimitatis manifestandae tum maxime perfectae morum convenientiae in totam hanc Provinciam inducendae causa, leges quasdam ad Clericorum vitam et honestatem pertinentes hic astruendas censuerunt. Perlectis itaque Tridentini [1] Concilii Decretis Statutisque, in Synodis Praedecessorum nostrorum olim conditis [2], haec, quae sequuntur, decerni ac definiri commodum duxit Sancta Synodus et pernecessarium.

CAP. I. De Habitu Clericali.

Vestis talaris deferatur ab iis, qui in Sacris, Dignitate, Beneficio etc. constituti sunt. Poena suspensionis atque etiam gravior Contumacibus proponitur. Pallium brevius ne adhibeatur, nisi urgente Coeli inclementia. Profanarum Vestium usus prohibetur.

Omnes Ecclesiasticae Personae, quae aut in Sacris sunt constitutae, aut Dignitates, Personatus, Officia seu Beneficia qualiacunque obtinent, si post publicationem praesentis Synodi unam saltem talarem vestem nigri coloris diu noctuque deferre neglexerint, suspensionem incurrant, etiam pro prima vice, juxta Tridentini mentem [3]. Pro secunda et tertia, si semel correcti monitique fuerint, privationibus aliisque Canonicis poenis ab eodem Tridentino inflictis omnino subjaceant. Prohibet insuper Sancta Synodus, ne Confessarii similibus tribuant absolutionem, quam nimirum Episcopis et Vicariis generalibus tantum reservatam declarat. Ad decentiam autem Clericalis Ordinis, maxime in hac Civitate aliisque Episcopali residentia decoratis, praecipitur etiam, ut deferatur Pallium ejusdem coloris et longitudinis, sub poenis pro qualitate locorum et personarum arbitrio Episcopi reposcendis. Tempore vero incommodo et diebus, quibus Coelum inclementius est

[1] Trid. Sess. 22. de ref. Cap. 1.
[2] Aven. Concil. hoc Tit. 32.
[3] Trid. Sess. 14. C. 6. de ref. Bulla Sixti V. 92., quae incipit: *Cum Sacrosanctam*, etc. 9. Jan. 1589. Conc. Aven. ibid.

a tum ex vehementi ventorum impetu tum ex densis imbribus, usus Pallii brevioris, at coloris ejusdem, indulgetur, dummodo tamen talaris vestis demissa semper appareat. Cum autem aliquorum de Clero tanta sit audacia, ut vel itineris faciendi vel licitae aucupationis causa sive occasione profanas induant palamque gerant vestes, Laicorum indumentis haud absimiles: hoc etiam vestium genus, Ecclesiastico instituto parum consonum, Clericis omnibus, supra citato Concilio inhaerens, sancta haec Synodus omnino interdicit.

CAP. II. De Cauponis et Tabernis.

Cauponas frequentantibus suspensionis poena ac ipsa etiam fructuum Beneficii privatio denunciatur: excipiuntur tamen iter habentes, et iti eris conditiones praefiniuntur.

b Si quis Cauponas seu Tabernas [1] praeterquam itineris faciendi causa adierit, suspensionem incurrat, Episcopis reservatam ut supra, etiam pro prima vice; hoc enim popinonibus Clericis jure dici potest, quod inordinate comessantibus Corinthiis ait Apostolus [2]: *Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum? Aut Ecclesiam Dei contemnitis?* In casu vero repetitae ac recidivae culpae postque trinam monitionem ad privationem etiam fructuum Beneficii pro tempore arbitrio Episcopi procedi, sancta Synodus mandat. Ut autem omnis arbitrariae interpretationis tollatur occasio, dum aditus ad Cauponas permittitur ratione itineris, intelligendum hoc est de itinere saltem unius diei sive diaetae legalis, eoque non ad simc plicem oblectationem, sed legitima de causa suscepto.

CAP. III. De Spectaculis et Ludis publicis [3].

Abstineant Clerici a spectaculis ac ludis publicis: sin minus, Canonicis poenis aliisque arbitrio Episcopi infligendis multandos se esse sciant. Severius etiam cum iis agetur, qui larvam sive personam alienam induere aut Choreis interesse ausi fuerint.

Si quis item spectaculis, vulgo *Opera, Comédies,* seu Ludis publicis, vulgo *Brelands, Billards, Jeux de Paume,* seu hortis, in quos convenire solent quicunque Lusores, interfuerit, canonicis ille poenis, justa sacrorum Conciliorum severitate injunctis, aliisque arbitrio Episcopi pro qualitate transgressionis et scandali injungendis se noscat obnoxium. Sed rigidiori animadversione ferietur, quicunque Clericus larvatus aut perd sonatus per Civitatem incedere aut privatas etiam sic adire domos, choreas ducere vel frequentare ausu temerario praesumpserit: suspensionem enim incurret pro prima vice; quodsi a similibus non abstinuerit, fructuum etiam Beneficii seu pensionis privatione multabitur, donec inemendabilis indolis suspicionem iterati actus poenitentiae non fictae prorsus diluerint.

CAP. IV. De Balneis.

Qui Balneis sive Lavatione utuntur minus modeste, canonice puniantur.

Item, si quis Clericus ex Medicorum consilio vel ad corporis munditiem Balneorum beneficium experiri

[1] Conc. Aven. ibid.
[2] 1. Ad Cor. 11, 22.
[3] Conc. Rom. ibid. [p. 372. d.]

debuerit, eis utatur caute ac modeste et in locis, quantum fieri poterit, a Foeminarum et Laicorum intuitu atque consortio remotioribus: si secus fecerit, pro inobedientiae ac immodestiae modo canonice puniatur.

CAP. V.

Propositis supra legibus ac poenis subjectos esse declarat sancta Synodus Clericos, Ecclesiasticam Pensionem possidentes, quae summam conficiat scutorum 60.

His ita definitis, iisdem obligari legibus [1], eadem supra statutis obtemperandi necessitate premi, iisdemque poenis, si jussa neglexerint, coerceri mandat sancta Synodus Clericos omnes, Pensionem Ecclesiasticam possidentes, modo summam attingat Scutorum sexaginta monetae patriae.

CAP. VI.

Tonsura vel minoribus Ordinibus initiati nigram aut saltem baeticam Vestem gerant. Similis etiam Vestis usus conceditur Clericis, de Beneficio, Capellania aut Pensione provisis, quamdiu inferiores scholas frequentant. Quisque tamen coronam in capite habeat pro Ordinis sui ratione.

Si quis Clericus in simplici Tonsura vel ad minores Ordines assumptus Vestem nigri aut saltem baetici coloris, gallice *minime,* tribus minimum digitis subter genua protractam, simplici methodo confectam et modestiae, quae Clerum decet, accommodatam, una cum lineo colli amictu, vernacule *Collet,* non detulerit; si Parochi vel Magistri sui exhibito testimonio non probaverit, se eam assidue gestasse: ab Ordinationibus publicis et a susceptione Subdiaconatus ad tempus pro Episcopi arbitrio ac pro negligentiae modo arceatur. Consimilis autem Vestis brevioris usus iis quoque Clericis indulgetur, qui provisi sunt de Beneficio seu Capellania seu Pensione, ut supra, quamdiu ratione studiorum inferiores Collegiorum Classes frequentabunt: hoc vero illis conceditur, ne scholaribus ludibrio sint. Supradictis tamen omnibus sancta Synodus mandat, ut Coronam Ordini suo congruentem in capite habeant.

CAP. VII.

Clerum hortatur sancta Synodus, ut supra conditarum Legum observantissimus quisque et Ordinis sui dignitati et proprio nomini consulat iramque coelestem, in sacrorum Ministeriorum contemptores accensam, a se avertat.

Quae huc usque ad Clericalis Ordinis decus, probante Synodo, fuerunt definita, eo fidelius ac religiosius servanda in posterum fore, confidunt Patres Concilii, quod nihil aut genio ad Novitatem propenso aut vano statuendi pruritu incitati decreverunt: sed ea praeceperunt tantum, quae tanquam debitores Legis in selectioribus Ecclesiasticae Disciplinae regulis seu sacris Canonibus contenta reperierunt et ad Cleri memoriam duxerunt revocanda. Clerum ideo hujus Provinciae sancta Synodus hortatur in Domino, ut tam sanctis monitis instructus Ordinis quisque sui Dignitati consulat bonamque sibi eorum, qui foris sunt, existi-

a mationem conciliet, utque meritam ex sacrarum Ordinationum contemptu supremi Numinis iram atque vindictam a se avertat.

CAP. VIII.

A saecularium negotiorum procuratione abstineant, qui in sacris Ordinibus sunt constituti: nec Vigueriatum aliave id genus Laicorum officia unquam exerceant.

Cum sacris Canonibus vetitum sit, ne Sacerdotes, quos fidelibus et documento et exemplo esse decet, Saecularibus se negotiis immisceant: ideo ad tollendum ac eradicandum funditus usum, qui in hac Provincia nimis certe invaluit, nempe ut Sacerdotes aliique Ordinibus sacris adstricti Procuratores constituantur quorumcunque Saecularium et officia civilia exerceant,
b prohibet sacrum Concilium Provinciale, ne quis deinceps Sacerdos neve quis alius in Ordinibus sacris constitutus ullo modo ac praetextu (omni pariter fraude ac collusione prohibita) saecularium negotiorum procurationem suscipere possit, sive pacto stipendio sive absque mercede soloque grati animi ac necessitudinis incitamento adductus; poterit tamen titulo Charitatis, sed annuente Episcopo, cujus praevia licentia, sub poena suspensionis arbitrio Episcoporum infligenda, requiritur.

Praecipit item sancta Synodus, ne quis munere Praetoris sive Viguerii Baronum sive alio Officio civili et laicali fungatur, sub eadem poena.

CAP. IX.

c Non gaudebunt Privilegio fori nec Vectigalium seu Talearum immunitate Clerici, qui praesenti Constitutioni de Habitu Clericali deferendo non obtemperarint.

Jam vero Clericus, quicunque recesserit a lege deferendi Clericalem Habitum ad formam praesentis Constitutionis, post triplicem monitionem non gaudebit privilegio fori nec Vectigalium seu Talearum immunitate: reservato tamen Episcopis jure reclamandi eum in casu criminalis Inquisitionis, per curiam laicalem faciendae.

TITULUS XXXVI.

De Matrimonii Sacramento.

d Matrimonii Sacramentum petentes moneantur de conjugalis vitae officiis. Ab Ecclesiasticis Legibus Ritibusque ne solvendos se esse putent Nobiles. Superstitiosae muliercularum opiniones a Nubentibus exuantur. Inita insidiose coram incauto Parocho Connubia inter Casus reservatos recensita et ad competentem Judicem deferenda. Pari cum eis ratione agatur, qui filiarum suarum stuprationi assenserint spe opimi Matrimonii. Inconsultis Parentibus, ne contrahant filii filiaeque familias. Tollantur a Nuptiis comessationes immodicae, quibus ne vocati quidem intersint Parochi. Publicationes ita fiant, ut juxta mentem Ecclesiae prosint. Episcopos consulant Parochi, ubi de exteris Matrimonio jungendis agitur. Puerperae tandem, cum primum a partu in publicum prodeunt, Deo in Ecclesia Parochiali gratias agant et Pastoris sui Benedictione muniantur.

Prooemium.

Septimum est Sacramentum Matrimonii, quo Verbi Divini cum Natura humana mirabilis consociatio my-

[1] Conc. Aven. ibid.

sticumque Christi cum Ecclesia sua connubium significantur, dicente Apostolo[1]: *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* a

Hoc igitur quoties administrari contingit, curent Parochi omnes vel ii, qui ab Episcopis ex causa delegati fuerint, ut sancta nunquam non praecedat monitio de dignitate Sacramenti, de Conjugum obligationibus, de fide servanda, de mutua Charitate fovenda, de Pueris diligenter ac religiose educandis, de Confessione ac Communione praemittendis, ut Sponsi talibus instructi gratiam, quae a tanto Sacramento confertur, in vacuum non recipiant. His vero praemissis, ad formam Ritualis Romani celebretur Matrimonium, nunquam tamen vespertino tempore nec in Monialium Sacellis absque Episcopi licentia scripto b
concessa.

CAP. I.

Quoniam vero eo progressa est humana superbia, ut plerique Proceres ac Nobiles sese cum Plebejis commisceri et in contemptionem adduci putent, nisi ab omni Ecclesiasticarum legum seu rituum observatione, in Matrimoniis potissimum celebrandis, cum eis dispensetur, quibus tamen legibus eo lubentius obedire, eo reverentius subjicere se debent, quod in Religione praesertim ac Religionis professione exemplum ab ipsis multitudini praeberi convenit, eosque maxime decet ejusdem esse fidei, quam cum aliis profitentur, studiosiores et tam verbo quam opere praecipuos as- c
sertores: eos ergo sancta Synodus monet et moneri saepe a Parochis Confessariisque praecipit, ut, semota natalium vana ostentatione, sibi persuadeant, nunquam melius dignitati ac claritati originis esse consultum, quam cum fideli Sanctarum legum executione nobiliorem hominis partem, quae anima est, prae omnibus familiae insignibus aestimari diligique ostenditur.

CAP. II.

Quasdam autem inanes persuasiones sive praeoccupatae mentis delirationes, ex muliebri quidem credulitate ac imbecillitate potius quam ex animi pravitate procedentes, at in hoc tamen superstitioni proximas, quod certi quidam hebdomadae dies (unum pro d
omnibus exemplum satis sit) contrahendis Matrimoniis infausti existimentur, damnat ac improbat sancta Synodus: hortaturque Parochos hujus Provinciae, ut ridiculas illas opiniones penitus aboleant et eradicent ab animo fidelium, qui nimia simplicitate in errorem adducti, dum muliercularum somniis ac fabulis temere credunt, gratiis ex Sacramento prodire solitis privantur graviterque peccant in Deum institutorem, qui sanctificare conjuges voluit ac potest qualibet die ac hora, modo sint ad percipiendos Sacramenti fructus bene comparati.

[1] Ad Ephes. Cap. 5, 32.

CAP. III.

Alius etiam tollendus est abusus, isque certe gravissimus. Cum enim nemo prorsus ignoret, clandestina Matrimonia a Concilii Tridentini Patribus[1] improbata necnon damnata fuisse, novam machinata est fraudem humana nequitia. Vesani siquidem amatores cupitoresque inordinati Conjugii captiose non minus quam audacter Parochis aliquando insidias tendere non dubitant, eosque, ut susceptum negotium ex sententia perficiatur, variis sic artibus nefarie circumveniunt; incautos nempe alieno tempore et indebitis horis adeunt Parochos: multa fingunt simulantque: testes sibi adsciscunt propositi sui conscios: expetitam Puellam secum adducunt: tum solitis verbis enuntiata coram mutua nupturientium fide ac voluntate, verum se Matrimonium contraxisse declarant: denique tandem allegatis palam testimoniis, quibus constat intercessisse praesentiam proprii Parochi, ausis confidenter fruuntur suis, et de dolo malo tanquam de rite ac legitime facto gloriantur, quamvis Ecclesiam Matrem Pastoresque debita fraudarint reverentia, sacrorumque Canonum auctoritatem spreverint. Sancta itaque Synodus, tam effraenatam licentiam in hac Provincia cohiberi volens, non solum corporalibus poenis, Episcoporum arbitrio infligendis, sed Censuris etiam Ecclesiasticis talia committentes inposterum vel attentantes, testes pariter et fautores ac consilium opemve in similibus praestantes puniendos esse censuit. Tantum praeterea facinus tamque audacem irreverentiam in Casuum reservatorum Elenchum referri, mandant hujus Concilii Patres et ejus absolutionem Episcopis eorumque Vicariis Generalibus reservatam pariter declarant, injungentes Parochis omnibus, ut de nefaria illa in leges Ecclesiasticas molitione statim conquerantur coram competenti Judice, qui ad debitam castigationem, servato Provinciae more, procedere possit.

CAP. IV.

Saepe etiam Parentes (sive ingenii imbecillitas sit sive damnanda industria), dum filiarum suarum Matrimonium cupide et ambitiose meditantur, incautos Juvenes, eos scilicet, quibus rem ampliorem domi esse putant, malis artibus conantur seducere et arctiori oblatae consuetudinis nexu obstringere, ut liberae familiaritatis illecebra capti paulatim tirones incallidi ad expetitum nuptiale promissum ac pactum deveniant, tandemque territi metu Judicii Criminalis, in nuptias ipsas facilius certiusque conjiciantur. Hinc autem cum tot oriantur scandala, repudia, lites, familiarum discordiae ac ruinae: tam gravi malo salutaribus ac efficacissimis remediis hujus sanctae Synodi Patres occurrendum existimant: et, quoties crimen hoc lenocinio proximum ex legitimis probationibus constare contigerit, in reos ut inquiratur ac pro modo culpae actio intendatur, diligentissime curabunt. Ut autem tanti

[1] Trid. Sess. 24. Cap. de ref. matrim.

delicti gravitas Parentibus innotescat magis, ut supradicti (a) pudicitiae proditores terreantur, utque fiant cautiores et religiosiores in urgendis filiarum suarum nuptiis, sic statuitur: si Pater vel Mater illicitam propriae filiae copulam, etiam sub spe futuri Matrimonii, directa vel indirecta consensione adjuvarit, ejus absolutionem Episcopis pariter esse reservatam, declarat sancta Synodus.

CAP. V.

Saepe idcirco moneri debent a Parochis et Confessariis Filii- et Filiae-familias, ut nunquam, insciis et inconsultis Parentibus maritentur fidemve obligent suam. Sicut enim, Parentum expectato consensu, Divinis humanisque legibus debitam reverentiam praestant ac (b) obedientiam, cujus, ipso pollicente Deo, praemium est longaevitas [1]: ita inobedientia in re tam gravi, cum Praecepti violatio sit Deo et Hominibus exosa, origo et fons merito dici potest, unde tot infausta connubia et Conjugum fastidia, moerores, damna, odia scaturire videntur.

CAP. VI.

Quodsi in Matrimoniis celebrandis vel eorum occasione alii pejores abusus nobis adhuc ignoti forte irrepserint, eos, statim atque notuerint, validis remediis corrigent Metropolitanus respective et Comprovinciales Episcopi. Comessationes interim minus sobriae, quibus contaminari solet nuptialis laetitia, si omnino tolli nequeant, ut saltem in diem posteram remittantur (c) et ad moderationem reducantur christiano conjugio dignam, hortatur sancta Synodus et a Parochis tempestive suaderi cupit; quod enim in Matrimonio sacrum est, intemperantiae gaudiisque profanis et immodicis misceri dedecet. Iis autem ne intersint Parochi, etiam vocati, omnino prohibetur.

CAP. VII.

In hujus Provinciae Dioecesibus Matrimonia nunquam, nisi Dominicis Festisque diebus [2], quantum fieri poterit, iis tamen intervallatis sive interpolatis, et inter Missae Parochialis solemnia denuncientur ac publicentur: Sponsi Sponsaeque nomen et cognomen clare et articulate exprimantur: non omittantur quali- (d) tates et indicia, quibus illi ab omni alio ejusdem secum nominis et cognominis distingui ac discerni possint: vitetur frequentioris Populi concursus, etiam occasione expositionis Sanctissimi et Benedictionis accipiendae congregati: nec factas publicationes scripto testificetur Parochus nisi post elapsum ab ultima diem integrum. Quia vero magno fidei publicae multorumque honestatis damno evenire potest, ut, futuras nuptias dum promulgare habent Parochi, contrahere volentium nomina confuse et submissa voce (sive ars sit sive negligentia) sic proferant, ut circumstanti plebi prope inaudibilia sint, indeque inutilis fiat ac quasi nulla promulgatio: ideo monentur Parochi eorumque Vicarii, ne talia inposterum attentent, poena interdicti ipso facto incurrendi. Ad impetrandam autem Publicationum immunitatem exhibeatur fides Baptismatis, unde eorum, qui proximum Conjugium meditantur, Patris et Matris nomen erui possit, de quo in posterum mentio habeatur in ipsis dispensationibus concedendis. Haec vero cautio sollicite adhibeatur, ut vitentur errores pene inextricabiles, in quos saepius ex nominum praenominumve aequivocatione et ambiguitate inducuntur bene multi, dum de haereditate litem habent, quam procul dubio perdituri sunt, nisi, quaecunque ad descendentiam sive originem suam pertinent, manifestare possint.

[1] Exod. 20, 12.
[2] Trid. ibid.

CAP. VIII.

Advertere etiam debent Parochi, ne nimis lata suarum facultatum interpretatione credant, se posse ad Matrimonii celebrationem procedere, inconsulto Episcopo, vel sine ejus dispensatione [1], si agatur de exteris; quandoquidem experientia Nobis compertum est, ex tali saepe arbitrio evenire, ut specie legitimi Matrimonii adulteria et concubinatus impune tolerentur. Et quidem, quamvis extraneorum vel vagorum hominum Matrimonio interdum in Episcoporum Cancellariis justa opponantur impedimenta, cum tamen oppositiones illae sive intercessiones vix notae esse possint Parochis, facile est, hos deludi ac circumveniri, dum sibi a domicilio in sua Parochia subdole fraudulenterque fixo aut ab exhibita falsa Baptismatis statusve liberi testificatione non satis cavent. Haec itaque causa est, cur nimiam Parochorum in conjungendis Connubiis confidentiam improbat sancta Synodus ac damnat poena interdicti, ut supra.

CAP. IX.

Denique mandant Concilii Patres, ut Puerperae, cum primum a partu foras prodierint, ad Ecclesiam Parochialem Deo gratias acturae se conferant ibique Benedictionem a Parocho, quantum fieri poterit, juxta Divi Caroli praescriptum suscipiant.

TITULUS XXXVII.

De Officio Parochi.

Prooemium.

Doctrina et ovium suarum amore ac studio praestet Parochus.

Sacerdotes quidem omnes doctrina et sanctitate morum prae aliis eminere oportet, utpote qui augustissima Religionis Mysteria tractant, conficiunt populoque dispensant; Parochos tamen, qui in domo Dei et sacerdotali Charactere insigniti et ad pastoralem animarum curam destinati sunt, insigniori quadam eru-

[1] Trid. Sess. 24. Cap. 7. de reform.

ditione, pietate, studio aliisque virtutibus atque animi dotibus instructos esse decet, ut tanto suo pares esse possint oneri. Cumque Divini Pastoris Christi Domini vices obeant, non solum, ne ab ipsis quidquam desideretur, quod ad propriarum ovium salutem pertineat, adniti debent, sed etiam erga eas ita esse affecti, ut labores, vigilias, curas aerumnasque perferre ac mortem ipsam pro grege, si necessitas postulaverit, oppetere parati videantur, ejus scilicet, qui pro ovibus suis animam posuit, exemplum intuentes et expressam in se Charitatem factis exhibentes.

CAP. I. Fidelibus Evangelicum Panem assiduo frangat.

Quia vero Parochiale munus non in eo tantum consistit, ut fidelium animae coelestium Sacramentorum pabulo reficiantur, verum etiam, ut salutari doctrina verbisque aeternae vitae nutriantur, summo esse debet Parochis studio, ne commissae ipsis Plebi documenta necessaria opportunaque hortamenta unquam deficiant, diebus maxime Dominicis. Pastorales autem, persuasorios et praeceptis plenos potius, quam eloquentes sermones habeant. Dicendi materiam eruant ex ipso diei Evangelio [1]. Hoc breviter atque ita dilucide explicent, ut populus etiam rudior Religionis nostrae Mysteriis pro suo captu erudiri queat. Deinque nec ea, quae promulgari vel annunciari solent inter Missae Parochialis Solemnia, tam circa Festos quam Jejuniorum dies proxime imminentes, nec ea, quae ex officio per modum deprecationis recitanda sunt, omittant.

CAP. II. Pueros quadragesimali praesertim tempore erudiat ad primam Corporis Christi sumptionem.

Licet autem jam, ubi de Catechismo actum est, data sint monita opportuna, quae ad juventutem Catholicae Fidei praeceptis imbuendam pertinent: hoc tamen Parochis nunc etiam commendandum restat, nimirum, ut eorum quisque praeter generalem rudimentorum fidei explicationem Pueros et Puellas aetatis idoneae [2] singulari studio edoceat aut edoceri faciat de iis omnibus, quae ad primam Corporis Christi sumptionem necessario requiruntur. Ad hoc vero curam operamque suam conferat, Quadragesimali praesertim tempore, ut ad Communionem Paschalem dignius deinde ac ferventius accedant.

CAP. III. Verbi Divini ne deprimat dignitatem, dum populariter catechizat. Aegrotis ac egenis opportunam ferat opem. Non alias famulas ille, haud secus ac caeteri de Clero, quam probas easque saltem quadragenarias habeat domi.

Quodsi ad rudium Puerorum commodum utilitatemque attineat vernaculam linguam adhiberi [3], ridiculis ac vilibus proverbiis non utatur in dicendo Parochus, sed potius ita sit memor dignitatis, qua decet praedicari verbum Dei, ut ab ea ne tunc discedat quidem, cum ad ingeniorum tarditatem accommodate di-
a cere laborat. Aegrotos maxime cordi habeat, nec in propinquos consanguineosve suos ea sit voluntatis propensione, ut pauperes Parochiae suae familias negligat, quas tamen in iis, quibus urgentur angustiis, non modo paternae consolationis adminiculo recreare, sed (+ et) eleemosynarum etiam subsidio interdum reficere debet atque sustentare. Talem autem dum se praestabit, Patrem in Pastore dignoscent Parochiani, nec ei ad miserorum levamen sic parato convicia solita facient ob superfluentem ex proventu Ecclesiastico pecuniam in Nepotes alendos, egenis inhumane derelictis, impensam. Caeterum, si Consanguineis ad rei domesticae curam famulatumve non utatur, Ancillas ad minus quadragenarias sibi eligat (hoc autem omni
b pariter Clero statutum esse intendit sancta Synodus), quarum probi et probati sint mores, quas seorsum vivere juvet, et quae sodales Puellas, si quibus familiaritate devinctae sint, in ipsa claustra raro admodum ac fere nunquam intromittant.

CAP. IV. Rarus citra necessitatem vagetur. Alienis nunquam odiis faveat, nec cuiquam sit devinctior. Abstineat a profanis. In cibo et potu moderatus sit ac temperans.

Parochi raro per urbes et oppida vagentur, nisi urgente Ministerio. Ut autem a conviciis popularibus ac querimoniis tuti sint, nullam in simultatibus ac inimicitiis partem habeant, nec cuiquam se factionum fautori unquam adjungant; imo vero in hoc maxime
c studium collocent suum, ut se ab omni arctioris necessitudinis vinculo aut caute expediant aut sedulo defendant: ne, dum alios negligunt aliorumque parant sibi gratiam ac fovent, inter Parochianos, ac praesertim superbos inter loci Primores Plebemque stomachosam, suboriatur aemulatio quaedam invidiae proxima et Ministris Sacramentorum semper damnosa. Quod de Clericalis vitae norma in nostra jam Constitutione decretum fuit, hoc sibi dictum praecipue ac praeceptum intelligant: eos enim, qui caeteris praefecti sunt, prae caeteris etiam abstinere oportet a mundanis oculorum auriumque oblectamentis. Histrionum, Circulatorum aliorumque turpia et obscoena canentium petulantiae non solum adversari debent, verum etiam impedire, ne applaudat multitudo aut assuescat. Praeterea tem-
d perantiam in cibo et potu, quae firmissimum est Castimoniae munimentum, fideliter et inviolate servent eamdemque Parochianis suis servandam saepe proponant. Cogitent autem, difficile omnino esse, eum ad alienam utilitatem ac salutem apposite et efficaciter dicere posse, cujus mens immodicae comessationis usu obtorpuerit.

CAP. V. Caveat sibi ab avaritiae sordibus ac nomine: quodque superat de Beneficii proventibus, sapienter impendat.

Quod spectat ad sordidae tenacitatis et avaritiae famam, quam Laici Clericis inurere solent, ea ut omnino vitetur a Parochis, summopere optat sancta Synodus. Ne itaque id, quod sibi ratione *Congruae*

[1] Trid. Sess. 22. Cap. 8. et in decreto de observandis in cel. Missae.
[2] Trid. Sess. 24. Cap. 7. de ref.
[3] Concil. Aven. hoc Tit. 42.

assignatur, vel quoscunque alios redditus adventitios, quos *Casuales* nuncupant, in alios impendant usus praeter modicum ac decentem sui victum cultumque; tum si quid redundat, in Pauperum levamen erogetur: nunquam quippe Pastorum auctoritas labefactatur et enervatur magis, quam cum ipsi opes exaggerandi cupiditate flagrare videntur.

CAP. VI. **Non indecori lucri cupidus sit.**

Quoniam vero eos maxime dedecet lucri faciendi occasiones nimis avide insectari, hoc synodali Decreto ipsis stricte injungitur, ne quis ex ipsis, sive perpetuus sit sive ad nutum amovibilis, audeat immiscere se exactionibus seu conductionibus bonorum juriumve spectantium ad Priores, Decimatores Dominosve aut *Barones* oppidi suae curae crediti, poena suspensionis ipso facto.

CAP. VII. **Residentiae legibus ac conditionibus obtemperet: nec lites ultro sectetur.**

Decretum [1] sacri Concilii Tridentini de Residentia fideliter a Parochis servetur: et, quoties longiori absentia opus erit, Episcopi assensionem sibi quaerant, memoratis legitimis causis, quibus impetrari expetita licentia possit, et subrogato Vicario, qui absentis munere rite fungatur. Quia autem litigandi cacoethes sive prurigo nonnullos ita Parochos agitat, ut varias saepe profectionum et absentiae causas comminiscantur, eos primum sancta Synodus hortatur in Domino, ut, si de re familiari agitur, litem movendam sive defendendam committant fratribus aliisve consanguineis: praesertimque optat, ut res, quoad ejus fieri poterit, cum bona gratia et, semota omni cavillatione forensi, componatur; sin autem de juribus seu praeeminentiis Curialibus agendum sit contra Priores Decimatores sive Curatos primitivos, non intendatur lis, quin petitum prius fuerit consilium ab Episcopo, qui vel tempore visitationis vel extra, discussis citra Judicium ac disceptationem querimoniarum civiliumve *instantiarum* causis, dabit operam, *ut fiat aequalitas* [2] contentionumque dirimendi vias aperiet.

CAP. VIII. **In alienis dissidiis unam pacificatoris induat personam, unum munus exerceat.**

Caveant pariter, ne se unquam motis movendisve inter Parochianos suos litibus ingerant, nisi vero nec ementito studio conciliandae pacis adducantur.

CAP. IX. **Propriis quidem Juribus prospicere laudabiliter potest: non ita tamen utilitati serviat suae, ut ipsa Ecclesiae suae jura negligat.**

Propria quidem jura tueri laudabiliter possunt ac debent Parochi: at non minus praestabile est, assiduam eos operam navare tum servandis Ecclesiae suae juribus rebusque mobilibus aut immobilibus, tum etiam

[1] Trid. Sess. 6. C. 2. de ref. et Sess. 23. C. 1. de ref.
[2] 2. Cor. 8, 14.

a perquirendis ac recuperandis actis seu instrumentis, quibus probatur, aliquid fuisse vel testamento vel legato vel gratuita donatione ipsi Ecclesiae relictum. Quocirca moneant saepe Tabularios seu Notarios locorum, ut, si quid hi suis in actis scriptum noverint, quod sit in rem utilitatemque Ecclesiae, quamprimum revelent, sub poena excommunicationis, juxta Caput: de Testamentis et Legatis, Concilii Provincialis Domini Taurusii [1]: utque intra triduum post mortem Testatoris legata pia, si qua sunt, Parochis nota faciant, mandanda scilicet Fundationum sive Legatorum quorumcunque libro, in quo et Notarii et Fundatoris aut Testatoris et anni dieique mentio non omittatur. Liber autem praedictus penes Parochum et in tuto
b positus remaneat, successori deinde fideliter tradendus ab haeredibus ipsius sive a Consulibus, sicubi forte in more positum sit, ut acta aliaque Parochiae documenta, dum vacat Beneficium, in Archivis publicis ad majorem cautelam, facto prius coram Testibus inventario, recondita serventur.

CAP. X. **Baptismata, Matrimonia Mortuosque in acta referat ad normam praesentis Concilii. Nihil in Ecclesia palam denunciet nisi caute et legitima auctoritate fretus.**

In Baptismatum, Matrimoniorum et Mortuorum Codice non alia scribendi adhibeatur forma quam ea, quae a praesenti Provinciali Concilio probata jam et praefinita, Typis deinde mandanda et publicanda est. Sic autem Baptismatum et Mortuorum acta confician-
c tur, ut nativitatis respective ac mortis hora, quantum fieri poterit, memoretur.

Nihil a Parochis in Ecclesia denuncietur, nisi ex legitima potestate procedat: nunquam vero quidquam, quod ad privatas personas earumve jura et res familiares pertineat. Monitoria insuper, licet a competenti Judice Ecclesiastico prodeant, a Parochis tamen et eorum Vicariis non publicentur, nisi consulto Episcopo: Episcopus autem ea non concedat nisi gravissimis de causis, re mature perpensa, et alia non suppetente ratione conquerentium damna resarciendi.

CAP. XI. **Convenientes sibi libros comparet ac legat. Concilium Tridentinum ejusdemque Catechismum penes se habeat. Uno Rituali Romano utatur. Gregis sibi commissi rationem**
d **a se aliquando reposcendam esse cogitet.**

Congruentem sibi librorum supellectilem comparent Parochi, ut ex assidua sanctorum Codicum lectione rerumque Divinarum meditatione optimam Scripturarum consolationem capiant [2], ut Parochiales sollicitudines patientia tolerare doceantur et, quaecunque ad suam doctrinam scripta sunt [3], ita in propriam utilitatem convertant, ut et Plebis Christianae institutioni ac eruditioni doctiores ipsi sufficere valeant. Nec avaritiam suam aut segnitiam paupertatis patrocinio protegant Parochi ac Secundarii, dum negant, libros

[1] Conc. Aven. Tit. 56. de Testamentis.
[2] Rom. 15, 5.
[3] Ibid. v. 4.

se habere posse; quandoquidem locupletissimam sacris concionibus hortationibusve materiam suppeditat accurata lectio unius Breviarii Romani: in quo scilicet congestae reperiuntur selectiores Patrum Homiliae, praecipua Scripturae loca Sanctorumque vitae, et unde tanquam ex Promtuario nova facile hauriri possunt qualibet die dicendi argumenta. Concilium insuper Tridentinum, ejusdem Catechismum ac Rituale Romanum sedulo prae manibus habeant eoque uno in tota Provincia utantur; Rituum siquidem varietas novitasque vitandae sunt, utpote quibus in Ministrorum animos dubitatio saepe ac perturbatio immittitur, formulae inducuntur, vel minus vel nullatenus Episcopo probatae, fidesque ipsi Ministerio debita imminuitur. Serio item attendant ad onera sibi in collatione Beneficii cum animarum cura imposita [1]: cogitent, rationem se esse reddituros Deo, qui ab ipsis et a Nobis in tremendo suo Judicio repetet fidelium animas, nobis concreditas et incuria tamen nostra vel pravitate damnatas; ac ne austere cum ipsis agat supremus ille Paterfamilias [2], memoria saepe retractent atque perpendant illud Ezechielis [3]: *Haec dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse super Pastores requiram gregem meum de manu eorum et cessare faciam eos, ut ultra non pascant gregem, nec pascant amplius Pastores semetipsos,* et reliqua, quae continentur toto Capite 34., in quo perplura reperient sibi summe utilia, quibus ad diligentiorem animarum curam procul dubio stimulabuntur.

CAP. XII. Piis Exercitationibus ac meditationibus impensiorem daturus operam, in Clericalis aut Regularis domus solitudinem quotannis per octo saltem dies secedat. Canonici, Beneficiati caeterique de Clero idem faciant.

Cum nemo sit, sive Sacerdos sive Laicus, qui, postquam toto ferme anno, variis distentus curis ac negotiis, ab opere non cessavit, ita infensus sibi ipse sit, ut aliquot saltem dierum otium non tribuat reficiendis viribus et firmandae valetudini: neminem etiam esse decet adeo sui immemorem, ut in aeternam suam salutem, multo sane intentius curandam, aliquando cogitationes suas non derivet. Canonicos itaque omnes, Parochos caeterosque de Provinciae Clero hortatur sancta Synodus in Domino, ut quotannis in aliquam aut Clericalem aut Regularem domum per octo saltem dies secedant, in qua Meditationi ac Orationi libere vacent et ad Divini Cultus animarumque studium atque virtutum Ecclesiasticarum exercitationes magis magisque accendantur. Ne autem lucri cessantis species deterreat quemquam, eadem haec Synodus juxta mentem Clementis P. P. XI. [4] statuit, Canonicos ac Beneficiatos ex tali causa absentes pro praesentibus habendos esse, declaratque, Parochos, quamdiu Divinarum sic rerum commentatione ac recognitione

---

[1] Trid. Sess. 6. C. 1. de ref.
[2] Luc. 19, 22. *Sciebas, quod ego homo austerus sum.*
[3] Ezech. 34, 10.
[4] Clem. XI. *Inter gravissimas.* sub Dat. Romae, die 1. Febr. a. 1710.

a sui detinebuntur, residentiae vinculis esse legitime solutos, modo Vicarium aliumve Sacerdotem nullo Parochiae damno in sui locum suffecerint.

CAP. XIII. Instituuntur Conventus quolibet mense agendi, ut in eis familiares de Casibus Conscientiae sermones conferantur.

Congregatio seu *Conferentia* [1] Casuum Conscientiae, adeo Parochis ipsis eorumque Vicariis ad Conscientiarum suarum tranquillitatem utilis, in qualibet Provinciae Dioecesi juxta Episcoporum mentem et edicta hac de re publicanda assidue convocetur singulis mensibus. Nec aegre ferant Parochi, quod hic instituitur, quandoquidem eo tantum animo fit, ut Sacramentorum dispensatores Sacerdotesque omnes ma-
b jori praestent muniorum suorum intelligentia et ad res arduas paratiores evadant. Menstrui autem illi Congressus sive Conventus in Civitatibus Episcopalis residentiae habebuntur, quantum fieri poterit, coram Episcopo vel Vicario generali, eisque interesse ne cunctentur omnes Civitatis Parochi cum caeteris de Clero ad formam edicti.

TITULUS XXXVIII.

De Qualitate Praeficiendorum Exercitio Functionum Curialium.

Explicantur conditiones, sine quibus nemo exterus, sive Saecularis sit sive Regularis, ad Secundarii Vicariique munus exercendum admittendus est.

c

Prooemium.

Jam de Parochis et Parochiali munere abunde statutum est; nunc iis, quae pertinent ad Secundarios Vicariosque, sive Saeculares sint sive Regulares, opportune prospiciendum.

CAP. I.

Primo itaque nullus inposterum Sacerdos advena in functionum Parochialium exercitium admittatur, nisi testimoniales Episcopi sui litteras exhibuerit, ex quibus pro certo haberi possit, eum esse sufficienti et sana doctrina praeditum, e propria Dioecesi in aliam demigrandi legitima potestate instructum, nec Censuris
d Ecclesiasticis irretitum.

CAP. II.

Nullus itidem admittatur, ut supra, ex Regularibus ad laxiorem vitae statum translatis, quin clara et indubitata testimonia tum Episcopi tum Superioris localis protulerit, quibus legitimae ipsius translationis veritas manifestetur, et authenticas litteras ostenderit novi Praelati et Superioris *ad quem*, in quibus et mentio fiat facultatis permanendi extra claustra, et illius facultatis causae absque fuci aut ambiguitatis suspicione perhibeantur.

---

[1] Conc. Rom. Tit. 15. C. 9. [p. 371. b.]

TITULUS XXXIX.

De Quadragesimali aliorumque Sacrorum Jejuniorum observantia.

Jejunii necessitas utilitasque demonstrantur. Decreto firmantur Comprovincialium Episcoporum Constitutiones de sanctae Quadragesimae observatione. Cavetur tandem, ne Convivia, ultimo Bacchanalium die fieri solita, extra justos limites in ipsam Quadragesimam protendantur.

Prooemium.

Inter plurima eaque, miserente Deo optimo, concessa nobis subsidia sive media ad salutem non infimum sane in utroque Testamento locum obtinet Jejunium: tot autem illud Sanctorum Patrum effertur elogiis, ut alia hic commendatione non sit opus, sed satis futurum sit, si, inculcantibus verbi Divini Praeconibus, noverint Fideles, quae Praeceptis, quae Consiliis Ecclesiae praestanda sit obedientia, ubi pia illa mater, de communi nostra salute sollicita, nos ad jejunationem statis anni temporibus hortari potius quam cogere videtur.

Ne itaque tanto tamque efficaci medio abutatur Plebs Nobis concredita, neve saluberrimo jejunii beneficio in damnum suae salutis frustretur: haec, quae sequuntur, ad sacrorum Jejuniorum observationem statuit ac decernit sancta Synodus.

CAP. I.

Cum ex ciborum immoderato usu non solum corpora quandoque infirmantur, sed animus ipse sua patitur intemperantiae damna: hinc est, quod Ecclesia, noscens, quantum et animi et corporis castigatione indigeant Fideles, qui undequaque diverse tentantur, et quibus, quamdiu versantur in periculo, multa et valida praesidia necessaria sunt, quadragenorum primo dierum ad Christi ejusque Praecursorum exemplum Jejunium instituit ac deinde cuilibet anni tempestati solemnia trium dierum assignavit quoque Jejunia. Dum autem unusquisque annus, dum unaquaeque anni tempestas Christiano Jejunio sanctificatur: quaedam quasi primitiae Regi saeculorum immortali et almo siderum ac dierum conditori offeruntur, nosque ipsi salutari corporis maceratione et a terrenis affectibus liberiores et ad Festa solemniora religiose colenda dignumque sacrorum Mysteriorum usum paratiores fimus.

CAP. II.

De hac Ecclesiae mente [1], ut Christiana Plebs monitis et hortationibus edoceatur, Parochorum et Concionatorum zelum atque charitatem excitari, superfluum esse credit sancta Synodus, quandoquidem ipsorum est officii ad omnis Ecclesiastici Praecepti legalem observantiam caeteros verbo et exemplo adducere. At dum hac de re ad Populum dicunt, non id tantummodo curent, ut de recurrentibus publicorum Jejuniorum
a temporibus seu diebus commoneantur fideles, verum etiam, ut potus cibique parcitate ad festorum celebrationem se accingant, sciantque, quantum ad pietatis exercitationes conferat sobrietas, et quam alacri fide Jejunia servanda sint, quibus culpae, quas, dum hic vario tentationum impetu misere jactamur, debilitate carnis et cupiditatum inmoderatione commisimus, expiari aut praecaveri possunt.

CAP. III.

Caeterum quoad ciborum qualitatem ac eorum usum dispensationesque, ex indulgentia Antistitum quandoque pro corporum temperatura vel infirmitatum natura concedendas, hoc arbitrio Episcoporum relin-
b quitur: eorumque Constitutiones, quae de observantia Quadragesimali quolibet anno publicari solent, sub poenis vi earumdem constitutis, sedulo serventur et executioni mandentur.

CAP. IV.

Ut vero vitetur inposterum, quod saepe fieri accepimus, protrahi nempe comessationes ultimo Bacchanalium die ultra mediam noctem: hoc Provinciali Decreto praecipitur et mandatur, ut tam in Metropolitana Ecclesia quam in Cathedralibus caeterisque etiam ruralibus Parochiis, accurantibus respective Capitulis et Parochis, pulsetur una ex majoribus Campanis hora sexquiundecima vespertina diei ultimi Bacchanalium,
c cujus Campanae pulsatio continuetur usque ad primum horologii publici sonitum, quo media nox atque ineuntis Quadragesimae solemnitas annuntiantur.

TITULUS XL.

De Poenitentium Confraternitatibus.

Poenitentium Sodalitates, e pristina disciplina delapsae ac saepenumero ab Episcoporum ac Parochorum reverentia descisecentes, variis Decretis reformandas esse, statuit sancta Synodus.

Prooemium.

Quanto utiliores fuerunt recentes a sui constitutione id genus sodalitates [1] ad excitandam in Laicorum animis pietatem charitatemque fraternam, tanto deflexe-
d runt magis ab institutorum proposito, pietatis scilicet calorem progressu temporum imminuente. Et sane nec antiqua *Poenitentium* jam viget disciplina, nec ipsi multum curant adhibendam adversus Parochos reverentiam, quandoquidem infausto eoque frequenti experimento docemur, *Confratres* sive Sodales ita se credere omnibus obedientiae legibus solutos, ut non alio quam suo arbitrio saepissime agant, Curialibus interdum juribus adversentur, contumeliosi ac litigiosi obluctentur Parochis, ipsorumque nonnunquam Episcoporum voluntati refragentur. Ideo hoc Provinciali Decreto renovant Patres Concilii, quidquid in Synodis

---

[1] Trid. Sess. 25. de reform. de Jejuniis.

[1] Conc. Aven. hoc Titulo 52.

Dioecesanis vel specialibus Constitutionibus a Metropolitano et Episcopis respective jam statutum reperitur: superadditisque opportunis remediis, quibus varii abusus, hactenus forsan aut ignoti aut indulgenter dissimulati, aliquando tandem tollantur, haec, quae sequuntur, decreverunt:

CAP. I. Constitutionibus ab Episcopo approbatis munitae sint omnes.

Primo, si quae Confraternitates noviter in Provincia institutae vel exleges sint vel statuta habeant ab Episcopo non approbata, tam necessaria auctoritate quamprimum muniantur.

CAP. II. Pios suos Conventus non agant Sodales nisi post Missam Parochialem, hora certa et constituta celebrandam.

Secundo, Diebus Festis ac Dominicis, dum Parochialis Missa celebratur, dumque sacra oratio, vulgo *Prône,* habetur ad Populum, vetat sancta Synodus, ne in *Poenitentium* sacellis celebrentur Missae, neve Officium Beatae Mariae Virginis aut aliae quaelibet Preces recitentur: absurdum enim est, tunc maxime portionem gregis aliquam abesse et alio distrahi, dum Pastor ipse e suggestu tanquam e specula Oves recenset, compellat et commonet suas, quamvis omnes omnino in Parochialem Ecclesiam ex antiquo et probato instituto convenire debeant. Ideoque et Parochos hortatur sancta Synodus, ut certum tempus assignent Parochiali Missae celebrandae, et statuit, ut nunquam nisi post eamdem celebratam supradicti Sodales in Oratoriis suis aut Sacellis ad solitas suas quantumlibet pias exercitationes congregentur.

CAP. III. In Sodalibus ad Officia eligendis, in reddendis Rationibus, in Sodalitii aere impendendo quaedam hic praefinita observentur.

Tertio, Electiones *Officiariorum* tempore debito inposterum fiant, vocatoque Parocho, in hunc effectum ab Episcopis ad nutum delegato, qui si aliis fuerit distentus curis, alium Presbyterum in sui locum substituat. *Confratres* autem excommunicati vel blasphemi vel vino intemperanter dediti vel alio quovis titulo inhabiles a muneribus excludantur[1]. Item rationes quolibet anno referantur coram Parocho, qui tanquam ab Episcopo specialiter delegatus habeatur, et coram aliis de more vocari solitis; rata autem accepti et expensi nomina non erunt, nec liber existimandus erit Thesaurarius, donec computationibus nomen Parochi fuerit subscriptum. Praeterea, si post recognitas rationes aliquid de *Confraternitatis* fructibus redundans in aerario reperiatur, nulla omnino impensa fiat excedens scuta quinque monetae Regiae sine Episcopi licentia, quae, consulto Parocho, prout res poscet, opportune permittetur.

[1] Conc. Aven. ibid.

a **CAP. IV.** Sodalitatum fructus ne in epulas et compotationes, sed in pios ac laudandos usus abeant.

Quarto, intolerabilem usum profundendi *Confraternitatum* redditus peculiumve, ex eleemosynis aut oblationibus collectum, in convivia et potationes improbat omnino sancta Synodus ac prohibet, poena interdicti quoad Oratoria et inhabilitatis ad munia *Confraternitatum* quoad ipsos *Confratres,* hujusce legis violatores; jubetque eadem, ut talis inposterum pecunia in necessarias tantum reparationes et sacrae supellectilis accretionem abeat. Quia tamen hic agitur de re ad pios usus destinanda, religiosa Panis benedicti, vulgo *Gâteau,* sodalibus dispertiendi consuetudo servetur, dum Placentarum numerus et qualitas debitae
b moderationi congruant.

CAP. V. Sacrae supellectilis Inventarium sive Synopsis fiat. Vasa et instrumenta sacra in loco tuto decenter condita serventur. Sacella et Sacraria sint ad loci dignitatem accommodate instructa. His omnibus aliisque, ad Dei cultum et Fundationes pertinentibus, extra Civitatem Episcopalem invigilent Parochi.

Quinto, Confratres Inventarium Vasorum sacrorum aliorumque Ornamentorum juxta Decreta, verisimiliter publicata in Pastorali visitatione, quamprimum conficiant: sacra omnis supellex in loco tuto et decenti servetur[1]: supradicta Oratoria eorumque Sacraria sint apte et pro dignitate composita. Mandat autem sancta Synodus Parochis Provinciae foraneis, ut ea, quae in suis Parochiis posita sunt, tanquam ab Episcopis spe-
c cialiter delegati, saltem quolibet anno visitent: et si quid irreverentiae vel in Officiorum celebratione vitiosi aut abusivi compererint, Episcoporum intercedente auctoritate corrigant ac reforment: videantque praesertim, an fundationibus, quarum exhibita sibi documenta perlegent, sive aliis Ecclesiasticis servitiis fideliter juxta Testatorum mentem satisfiat.

CAP. VI. Processiones extraordinariae nullae sint, nisi Episcopo annuente: ordinatim et modeste fiant, advocato Parocho: jus praecedendi penes eam Sodalitatem sit, quae prius fuerit instituta.

Sexto, Processiones publicae extraordinariae tam intra Parochiae fines quam extra nunquam fiant, nisi facultate ab Episcopo data, et nisi Parochus aut, re-
d cusante Parocho, proprius *Confraternitatis* Capellanus aut hujus defectu alius Presbyter, a Parocho subrogatus, in *Poenitentium* societatem adsciscatur, quod ut gratis fiat, mandant Concilii Patres. Viri ac Mulieres separatim, ordinatim, graviter ac modeste procedant[2], vitent contentiones, quibus incessus interturbari possit, nec unquam extra territorium pernoctent. Quod vero spectat ad praegrediendi ac praecedendi jus, de quo ejusdem Oppidi vel Loci Confraternitates, alia cum alia, contendere possunt, haec erit controversiae dirimendae regula, nempe, ut, quae prius instituta fuerit ac confirmata Sodalitas, priorem gradum obtineat.

[1] Conc. Aven. ibid.
[2] Conc. Aven. ibid.

CAP. VII. In Exsequiis Sodalium, sive Defunctus in Ecclesia Parochiali sive in ipso Sodalitatis Sacello sepeliatur, de cereis ac faculis fiat, ut statuitur.

Septimo, licet ex Ecclesiae indulgentia liberum cuique relinquatur arbitrium, sepulturam sibi eligendi: quoties tamen acciderit, ut eam quis elegerit in Oratoriis supradictis, in quibus jus sepeliendi jam a Concilii Patribus vel ab eorum Antecessoribus fuerit indultum, mandat sancta Synodus non solum, ut iis funeribus ea, qua par est, ratione intersit Parochus, verum etiam censet, faculas, quae circum Cadaver ad funebrem pompam deferuntur, eidem esse Parocho sine controversia tradendas. Quodsi sepultura in Ecclesia Parochiali eligatur, quamvis Defunctus de gremio *Confratrum* sit vel cum ipsis sub exitum vitae consociatus, idem ipsa Synodus servandum existimat, additis praeterea cereis Altari impositis: caeteri vero, quos prae manibus habent singuli Sodales, ratione tantum supradictae Consociationis ipsis Sodalibus indulgentur, nisi maluerint, eos in Oratorii sui utilitatem adhiberi, salvis semper juribus et legitimis consuetudinibus Ecclesiarum.

CAP. VIII. Sacerdotes, in Sodalitatibus ad rem Divinam adhibiti, erga Parochos reverentes sint et eamdem Sodalibus reverentiam persuadeant: ne turbatores sint, sed pacis et concordiae conciliatores.

Octavo, Sacerdotes quoscunque, servitio talium Sodalitatum addictos, serio sancta Synodus monet, ut erga Parochos reverentes sint, sinceroque pacis studio permoti, eamdem Sodalibus observantiam persuadeant. At si pravo consilio zizania seminare et discordiam suscitare praesumpserint, de Ministerio suo dimovendos se esse sciant et poenis a jure statutis, servato Provinciae more, corrigendos.

CAP. IX. Rectores atque Priores ad Institutorum observationem advigilent: fraternam foveant Charitatem: Pastoribus sibi praefectis sint obsequiosi: munus suum diligenter obeant.

Rectores quoque ac Priores *Confraternitatum* hortatur in Domino sancta Synodus, ut Constitutionibus suis religiose inhaerentes, nec unquam a Fundatorum mente, quae Disciplinae firmamentum est, nec a charitate, quae nexus est societatis, decedere quemquam patiantur: sed ipsi aliis exemplo sint, Pastoribus sibi ab Ecclesia praepositis obsequantur munusque suum tam integre, tam accurate exerceant, ut Divinam gratiam promereri possint.

CAP. X. Agitur nunc de aliis Sodalitatibus. Officiariorum electioni, computationum recensioni, proventuum justae dispensationi, Missarum votivarum celebrationi prospicitur.

Sunt et aliae *Confraternitates* sive Sodalitates Artificum, vulgo *Maîtrises,* sub Patrocinio quorumdam Sanctorum in Ecclesiis constitutae. Hae vero cum Nostris plerumque indigeant monitis ad rectam administrationem redituum, vel ex fundatione provenientium vel ex contributione sive eleemosynis, quae exigi solent ab iis, qui, dato nomine, in Societatem assu-
a muntur: ideo sancta Synodus, abusuum exstinctioni semper intenta, sic decernit:

I. Electiones Administratorum, vulgo *Bailes,* aliorumque Officiariorum nunquam fiant, nisi placide, moderate et praevia convocatione debita.

II. Electio fiat per vota secreta: nec valida habeatur Consilii definitio, nisi ex tribus suffragiorum partibus duae in unam sententiam conspirarint, modo tamen aliter non fuerit in Statutis praescriptum: alioquin satis erit, si suffragiorum multitudo dimidiam partem excesserit.

III. Quolibet anno rationes edantur Promotoribus, ad hunc praecise effectum ab Episcopo delegandis.

IV. Cum pessima haec invaluerit consuetudo, ut
b talium Sodalitatum fructus sive proventus magnam partem in convivia et comessationes impendantur, declarat sancta Synodus, similes sacrae pecuniae disperditiones a Promotoribus de mandato Episcoporum non esse comprobandas, sed eas tantum expensas, quae aut pro ornando ac reconcinnando Sodalium Sacello aut pro excudendis Imaginibus aut pro comparanda benedicendi ac distribuendi panis copia necessaria factae fuerint. Hic tamen non improbantur coenulae sive jentacula aliaeve quaecunque epulae, quae de more Magistratibus apponuntur.

V. Noverint tales Administratores, quod, etsi in Ecclesiis Regularium constituta fuerint Sodalitia, obnoxii tamen ipsi sunt legi supra statutae de referen-
c dis quolibet anno rationibus coram delegatis ab Episcopo, juxta Sacri Concilii Tridentini [1] mentem plurimasque ejusdem Sacrorum Interpretum resolutiones. Quoties vero eleemosynae pro Missis votivis offerentur in dictorum *Confratrum* sacellis, nemo quisquam eas accipiat praeter Rectorem aut Aedituum, si quis sit Sacrario praefectus, quo maturius certiusque ex fidelium voluntate fiat. In computationibus autem talium Missarum celebratio pro nulla habeatur, nisi perpetratum Sacrificium Sacerdos ipse proprio chirographo testatus fuerit.

TITULUS XLI.

De Montibus pietatis et frumentariis.

d Montium Pietatis Administratores munia sua diligenter impleant. A Fundatoris mente et conditionibus in erectionis Bulla expressis ne discedant. Pareant Episcoporum decretis ac statutis. Rationes quotannis referant Episcopo vel Vicario generali vel alii cuivis Delegato. Consilium de re gravi nunquam habeant, nisi praemonito Episcopo. Quod ad Montes frumentarios spectat, aequitati consulant Dispensatores, dum frumentum distribuitur; usurae parcant, cum restituitur.

Prooemium.

Inter onera Pastoralis sollicitudinis non minima sane habenda est *Montium,* Hospitalium omniumque piorum locorum cura [2]. Ut igitur quae recte insti-

[1] Trid. Sess. 22. Cap. 11. de ref.

[2] Trid. Sess. 7. Cap. 15. et Sess. 25. Cap. 8. de reform. Concil. Rom. Sess. 4. de Religiosis domib. [p. 385.] Benevent. a. 1693. Tit. 31. [p. 61–64.]

tuta sunt, in suo permaneant statu et, quae sunt vitiosa, emendentur: licet jam plura a Nobis nostrisque Coepiscopis fuerint in Nostris eorumque Visitationibus definita, haec nunc et alia quaecunque provide a Praedecessoribus nostris ad dictorum locorum regimen edicta vim Decreti Provincialis obtinere, declarat sancta Synodus.

CAP. I.

Primo itaque, *Montes Pietatis* et *Frumentarii* cum nomen prae se ferant, ex quo facile dignoscitur summorum Pontificum voluntas in Pauperum solatium propensa, tam piae Constitutioni ipsique aequitati valde consonum erit, si bona ex Fundatione Testatorum ad hoc misericordiae opus legata summa diligentia, omnique vitata usurae suspicione, administrentur.

CAP. II.

Quapropter eorum Administratores, quorum fidei ac probitati plurimum Patres Concilii confidunt, instanter monendos esse censet sancta Synodus, ne quid suo arbitrio immutari posse existiment ex iis rebus, quae expresse continentur in Bulla erectionis vel in Statutis ab Episcopo confirmatis vel in Constitutionibus seu Decretis in Pastorali Episcoporum Visitatione factis. Quae omnia nisi inviolate serventur, salva esse non potest indiligentium ac inobedientium conscientia.

CAP. III.

In computationibus recensendis eo accuratiori disquisitione opus est, quo major est nominum sive *Partitarum* numerus; ideoque [1] in Civitatibus Episcopalis residentiae quolibet anno reddatur coram Episcopo vel Vicario generali hujus administrationis ratio; deinque computa, ut rata fiant, vel Episcopi vel Vicarii generalis subscripta approbatione muniantur. In aliis vero Provinciae locis Officiales, Decani aut Parochi pro cujusque loci natura et opportunitate dictis computationibus pari modo recognoscendis praesint.

CAP. IV.

Praeterea, ubi de re gravi consultandum erit ac deliberandum, Seniorum Consilium non cogatur, nisi praemonito Episcopo, qui vel ipse vel per suum delegatum praesideat.

CAP. V.

Jam vero, cum *Montes Frumentarii* [2], quos in plurimis Parochiis institutos novimus, diversis pro Fundationum diversitate legibus constent ac conditio-
a nibus, eas Episcopus quisque in Pastorali sua visitatione diligenter expendat. Videat praesertim, an Frumenti distributio, quae ad Pauperum levamen praecipue a Fundatoribus ordinata est, ex aequo et bono fiat; an adaequetur necessitati subsidium, habita scilicet ratione non inopiae tantum, sed et numeri et qualitatis egentium; an demum aliquid causae sit, cur de fide ac aequitate Dispensatorum merito dubitetur. De caetero cavendum pariter, ne, cum mutuatitium illud Frumentum restituitur, quidquam aliud supra mensuram aut pretium dati mutui exigatur praeter certam quamdam accessionem, ab Episcopo in ipsa *Montis* constitutione approbatam et rectae Horrei administrationi necessariam. Absurda siquidem res esset et
b monstro similis, si beneficentia in Pauperes cum usura consisteret.

TITULUS XLII.

De Hospitalibus et aliis locis piis.

Publici Valetudinarii regimen in tribus maxime positum est, scilicet bonorum administratione, corporum curatione, animarum moderamine. De his tria subsequentia Capitula statuunt: in quorum ultimo Sacerdotibus, aegros Christianae Caritatis studio invisentibus, Indulgentiae conceduntur.

Prooemium.

Nosocomia sive *Hospitalia,* quae ad Pauperum infirmorum solatium condita sunt, non minorem Patrum
c Concilii sollicitudinem sibi vindicant; ideo eorum Rectores et Administratores obtestatur in Domino sancta Synodus, ut ex providis sacri Concilii Tridentini hac de re Decretis idonea muneri suo documenta sumant sicque se gerant in tanti momenti negotio, ut, dum Pauperum sanationi assidue ac diligenter invigilant, tum facile ipsos admittendo, quoties nota infirmitate et inopia urgentur, tum admissos omni ope ac medicamine curando, dumque eorum bona non minus religiose administrant, quam qui de Christi sanguine rationem reddituri sunt, veri miserorum conservatores ac consolatores habeantur.

CAP. I.

d Quoniam autem hunc potissimum finem spectaverunt Fundatores ac Benefactores, nempe ut alimenta et remedia pro cujuscunque Infirmi necessitate sufficiantur: caveant Rectores, ne quid unquam nimiae parcimoniae ipsis hac in re objectari merito possit; quod procul dubio vitabunt, si, seposito omni humano respectu, spretisque sordidae oeconomiae consiliis, non alios Medicos, Chirurgos, Pharmacopolas, familiares famulosque ad aegrotantium ac Domus hospitalis curam adhibeant quam peritos, probos et ad misericordiam propensos. Constat autem, non melius bono temporali Hospitalium consuli posse, quam si valida opportune parentur remedia et congrua alimenta; nam sicut illorum ope morbi semina et radices citius evelluntur, ita, his apposite subministratis, facilius refici-

[1] Trid. Sess. 22. C. 9. de ref. Conc. Rom. Tit. 23. de Relig. Domib. [p. 385.] Conc. Aven. Tit. 51. de Hospitalibus.

[2] * ***Mons frumentarius*** **a** ***Monte pietatis*** hoc differt, quod, dato pignore, pauperibus non pecunia, sed frumentum (ad serendum praecipue) mutuo datur. Pium hoc opus Benedictus XIII. maximopere fovit, qui in *Synodico dioecesano S. Beneventanae Ecclesiae* leges Montis frumentarii Beneventani et omnium similium illius dioecesis institutionum earumque statum accurate descripsit (t. II. p. 321—395).

untur Convalescentium vires, indeque publici pauperum aeris non mediocre fit compendium. Nec minus commodum capiĕtur ex multa linteorum facta comparatione, at curare potissimum debent Rectores, ut munda sint; plurimum enim potest mundities ad sanitatem aegro restituendam. Caveant praeterea, ne (quod saepe quodque dolentes viderunt Patres Concilii) duo simul in eodem lecto aegrotantes accumbant; hinc enim bene multa et gravissima oriuntur incommoda. Mutua siquidem aliquando contagione inficiuntur Infirmi novaque veneni accessione ex sanabili morbo in insanabilem ac mortiferum incidunt: erratur in remediorum atque ciborum dispensatione: quodque pejus est, Poenitentiae et Extremae Unctionis Sacramenta frustra fere, ubi necessitas non urget, interdum administrantur, interdum, ubi praesens periculum est, omnino denegantur.

CAP. II.

Si quid itaque ex supradictorum inobservantia obvenerit mali, culpam, quantacunque sit, Rectoribus imputandam esse statuit sancta Synodus: vultque, ab iis pro laudabili consuetudine quolibet anno proferri coram Episcopo seu Vicario generali accepti et expensi rationes excutiendas ac deinde rata auctoritate, hoc est, ejusdem vel Episcopi vel Vicarii generalis chirographo, muniendas.

CAP. III.

Cum tamen multo melior sit ac praestantior animarum curatio, multo etiam impensiori studio laborandum est, ut aeternae Infirmorum saluti provideatur. Idcirco, quicunque in Nosocomiis nunc delegatus vel deinceps delegandus est in administrationem Sacramentorum Poenitentiae, Eucharistiae et Extremae Unctionis, studium omne ac curam adhibeat, ut nullum Infirmis auxilium ac solatium spirituale desit; praesertim vero, ut statis diebus peccata sua confiteantur, sacra reficiantur Communione, matutinoque ac vespertino tempore solitas orationes et preces recitent. Graviori morbo laborantes invisantur frequentius, nec in ultimo vitae agone positi deserantur: quod a Capellanis, huic sancto muneri specialiter addictis, sedulo fieri praecipit sancta haec Synodus. Ut autem plurimorum Sacerdotum, sive Saecularium sive Regularium, qui propria vel suorum Ordinum solita caritate ducti, Infirmos dicti Hospitalis visitant, fervor novis incrementis augescat et, novo quasi fomite admoto, magis ac magis accendatur, eorum quemque hortatur sancta Synodus, ut in optima exercitatione constans salubribus et amicis verbis aegrorum anxietatem discutiat, horum, si legitima sit auctoritate instructus, Confessiones audiat animosque validis munimentis corroboret, consecuturus ipse sibi pro qualibet vice Indulgentiam quadraginta dierum, quam ei, paterno instigante amore, Patres Concilii libentissime concedunt.

a

CAP. IV. De Hospitio Pauperum.

Ea sit Hospitii Pauperum cura, ut Pauperes ipsi non negligantur. Infantes ut a bonis lactentur Nutricibus, justo ne parcatur sumptui. Separatim a viris habitent puellae ac feminae. Multa sit lintea supellex. Ubique salubris munditia niteat. Sic se gerant Rectores, ut ad piam liberalitatem facilius quisque ac fidentius adducatur. Tales tandem se praebeant Episcopi, ut erga id genus hospitia non benevoli tantum, sed benefici videantur.

Sic in Domino statutis, quae ad Nosocomia spectant, nunc Pauperum sanorum Hospitio, vulgo *Aumône générale* sive *Maison de la charité*, non minori diligentia prospiciendum esse existimant Patres Concilii. Cum autem hoc ad bonum commune non leviter conferat, si ii, qui angustia rei familiaris oppressi tenuitatem suam sustentare non possunt, in publica Egenorum Domo nutriantur et bonis instruantur moribus:
b ideo Rectores Domuum hujusmodi, quos paterno amore complectitur sancta haec Synodus, paterne monentur, ut oneris quam honoris studiosiores, earumdem temporalia jura bonaque ita tueantur et administrent, ut, dum Pauperum Hospitio utiles se praebere volunt, Pauperes ipsos in Hospitio alendos non deserant aut male habeant; ait enim Christus: *Quod uni ex meis fecistis, mihi fecistis* [1]. Supernae itaque Providentiae fidant magis quam humanae atque circumscriptae industriae, benigneque potius quam austere sentientes de iis, qui paupertatem causantur suam, Egenos alliciant, imo et, docente Christo, compellant [2] intrare in domum refugii [3], non acerbe ac fastidiose excludant: *hilares* quippe *datores diligit Deus* [4].

c I. Itaque, ubi Infantium ex incertis Parentibus procreatorum cura vel ex Fundatione vel de consuetudine ipsis commissa erit, Parentum se loco esse sciant bonisque eos Nutricibus justa mercede conductis lactandos tradant: si quae tamen forte sint in ipso Pauperum Hospitio, quae lactare queant, caeteris ipsae posthabitis adhibeantur, at minus parce minusque simpliciter, quam Pauperum communitas solet, cibandae sunt. Ubi vero ad eam aetatem Infantes supradicti devenerint, qua ediscendis Fidei rudimentis maturescere videbuntur: tunc ipsi aliique, ex legitimo partu nati, a Sacerdote ad hoc designato sancte erudiantur, nec ejusdem Sacerdotis minor sollicitudo ac cura sit in caeteris hujusce Domus ad religiosam rectamque vi-
d vendi rationem instituendis.

II. Certa et propria sibi habeant puellae ac feminae cubicula, eaque sejuncta, clausa et bene tuta: nec unquam ad illa pateat aditus Laicis viris, in eadem Domo degentibus, nisi necessitate cogente, testeque una ex Sororibus, custodiae cubiculorum praepositis. Cum pariter summe cavendum sit, ne nimia Pauperum frequentia corrumpatur aër, unde plerumque generantur morbi et languores: ideo optimum esse ducit sancta Synodus, si lintea supellex interdum reficiatur ac nova comparatione augeatur, et si munditia,

[1] Matth. 25, 40.
[2] Luc. 14, 23.
[3] Ps. 30, 3.
[4] 2. Corinth. 9, 7.

quamtumvis simplex, tam in areis seu cavaediis, scalis atque porticibus, quam in refectoriis, cubiculis, lectis ipsoque praesertim Pauperum vestitu et corpore niteat, juxta hoc Divi Bernardi sententiose dictum: *Paupertas mihi semper placuit, sordes autem nunquam.*

CAP. V.

Hoc vero tantum Christianae Caritatis opus ut promoveatur atque augeatur, plurimum valebit Fidelium liberalitas; at nunquam illa major erit ac frequentior, quam cum in procurandis Pauperum rationibus ea sese manifestabit prudentia eaque miseratio, quae ad ipsorum congruam sustentationem ac religiosam educationem satis esse videantur. Res quidem, ut est, optatis nostris respondet, et gratulari nobis ipsi possumus de optima ac provida supradictorum Hospitiorum rectione. Veruntamen sui officii putant esse Patres Concilii, ut Episcopus quisque in sua Dioecesi non modo propensum se praebeat in talium Hospitiorum utilitatem, sed eis ex proventu subveniat suo, multarum quandoque ac confiscationum pretium pro ratione majoris indigentiae adjudicet, restitutionesque incertas, quae ultra certam summam Episcopi arbitrio dispensandae reservantur, attribuat. Concionatores pariter, Confessarii ac Parochi moneantur saepe, ut de praemio misericordibus promisso verba palam facientes, Hospitium Pauperum piis munificentiis juvandum fidelium miserationi commendent. Decretum tandem Concilii Provincialis, sub cl. mem. Cardinali Taurusio, Tit. de Hospitalibus, §. ultimo [1], iterum publicari et observari mandat sancta Synodus.

CAP. VI. De Conservatoriis.

Conservatoria non in novissimis curanda sunt. Eorum Fundationes ac Statuta Episcopis intra mensem exhibeantur. Referantur quolibet anno rationes. Bonorum quorumcumque Index describatur. Spirituali talium Domorum rectioni nemo se immisceat, nisi legitime delegatus. Moniales Congregationis Viennensis, in Urbe Avenionensi ad quorumdam Locorum piorum moderamen adhibitae, quamvis Claustris non detineantur, raro tamen foras procedant.

Non dissimili accuratione indigent quaedam Domus in hac Civitate et Provincia erectae, vulgo *Conservatoria* nuncupatae: quarum scilicet aliae ad servandam Virginitatem, aliae ad ejusdem jacturam salutari Poenitentiae ac solitudinis remedio resarciendam institutae sunt. Eae itaque ut tam in spiritualibus quam temporalibus summa sedulitate regantur, sancta Synodus praecipit.

CAP. VII.

Quod ut ad mentem Concilii facilius succedat, monet sancta Synodus cujuslibet *Conservatorii* Rectores, ut Episcopis intra mensem tradant *Copiam* authenticam erectionis seu fundationis *Conservatorii,* cui praesunt, necnon exemplar Statutorum: ut, si quid in eis pro temporum ratione immutandum fuerit (ubi in eis confirmandis auctoritas Apostolica non intervenerit), mu-
a tetur ac reformetur in melius. Rationes item quolibet anno referant ad libitum Episcoporum. Inventarium pariter bonorum omnium mobilium atque immobilium confici curent vel jam confectum saepe recenseant, ut in ipso nova legata seu fundationes inscribantur.

CAP. VIII.

Conservatoria pariter, quae solis piarum Personarum largitionibus ac beneficiis sustentantur, ita regi cupiunt Patres Concilii, ut eis majus in dies incrementum det Deus. Licet itaque de talium Benefactorum conscientia atque intentione certa sit sancta Synodus, providendum tamen credidit, ne illi ullo unquam titulo directioni spirituali Puellarum se ingerant, sed
b soli Sacerdotes, ab Episcopis delegati vel delegandi, hanc sibi curam assumant. Nulla item dictis Puellis Mater sive Moderatrix, quamvis honesta, praeponatur, nisi eisdem Episcopis consultis, ut de ejus probitate, habilitate, ut par est, plane constet. Nulli item Sacerdoti, licet per Episcopum approbato, fas sit inposterum talium Puellarum confessiones audire in ipsis *Conservatoriis* seu Conciones familiaresve de rebus Divinis sermones habere sine Episcopi vel Vicarii Generalis licentia. Moniales item Congregationis Viennensis, quae in duarum ex hisce Domibus regimen admissae fuerunt, quanquam *Clausurae* voto non obstringantur, ad decentiam tamen regularis habitus atque professionis optat sancta Synodus, ut raro in publicum prodeant, nisi necessitas postulaverit vel debitum ur-
c banitatis officium.

CAP. IX. De variis rebus ad quaecunque opera pia pertinentibus summatim hic, tum demum de Peregrinorum Hospitiis speciatim statuitur.

Perspectis hucusque quorumdam Piorum Locorum necessitatibus, nunc ad quorumcunque piorum Operum universitatem, attendente sancta Synodo eademque approbante, haec statuta fuerunt:

I. Ut saepe Congregationes, vulgo *Bureaux,* pro eorum bono regimine convocentur, quibus, cum praesidere per se ubique non possit Episcopus, praesint Officiales foranei in Civitatibus suae residentiae: in caeteris vero Oppidis ac locis hujus Provinciae Decani Capitulorum, si qui in eis sunt: sin minus, Parochi
d aliique ad hoc munus delegandi.

II. Rectores curent, ut fundationibus Missarum aliisque, si quae sint, diligenter ac fideliter satisfiat. Tabella etiam publice affixa retineatur, in qua Fundationes supradictae sint ordine et singulatim descriptae, memorato in ea nomine Benefactoris, factaque mentione legati, anni et diei nominisque pariter Notarii, qui de his instrumentum confecit.

III. Pessime inductam consuetudinem, (praesertim ubi nullum est Hospitium receptandis infirmis aptum) distribuendi Hospitalium redditus Rectorum seu Consulum loci arbitrio, abolendam esse hoc Synodali decreto Concilii Patres judicarunt; voluntque, supra dictorum Mandata, vulgo *Billets,* pro nullis haberi in

[1] Conc. Aven. Tit. de Hospitalibus. 51. §. ultimo.

redditione solita rationum, nisi fuerint etiam Parochi a
nomine autographo subnotata: huic siquidem perspectae magis esse debent suorum Parochianorum angustiae, nec tantum erit periculum fraudis seu praedilectionis.

IV. Cum plures ad nos querelae delatae fuerint tam a Parochis quam ab aliis bonis Civibus, quod in quaedam Peregrinorum Hospitia titulo hospitalitatis exercendae, at plerumque contra mentem Fundatorum indistincte recipiantur pessimae utriusque sexus personae, omni alio vagantes incitamento quam sanctae peregrinationis a Benefactoribus intentae: tam gravi malo mederi volens sancta Synodus obtestatur Consules locorum omnium hujus Provinciae, ut, consultis Parochis et Senioribus, probos et integrae vitae viros praeponant custodiae talium Hospitalium, nec praestari b
Hospitium patiantur personis malae vel incertae famae, quandoquidem primaria Fundatorum mens est, ut aegrotis piaeve peregrinationis causa iter facientibus subveniatur, non vero erronibus ignavis, vagis mulierculis caeterisve hujusmodi sordibus.

V. Tandem zelo omnium Consulum, Rectorum ac Benefactorum supradictorum plurimum confisa sancta Synodus loca eadem pia ipsis valide commendat eosque hortatur, ut nunquam a prima caritate decidant, sed novae semper sollicitudinis ac christianae liberalitatis ope atque opera faciant, ut Aegrotis, Peregrinis seu cujuscunque nominis Pauperibus pro ratione instituti deserviatur, nec eos quidquam deficiat tam de congruis alimentis quam de medicaminibus necessariis. c
Licet enim oeconomia tanquam provida liberalitatis ministra laudanda sit, cupit tamen sancta Synodus, ut publicarum eleemosynarum dispensatores, tanquam fidi voluntatis ac misericordiae Episcopalis interpretes, non solum Pauperum indigentiae ac penuriae prospiciant, sed ea etiam ipsis suppeditent solatia, quibus eorum moerores et taedia, si in totum tolli non possunt, temperentur saltem ac minuantur.

CAP. X.

Nullus Administrator Hospitalium caeterorumque locorum Religiosorum electus munere prius fungatur suo, quam in manibus Episcopi vel Vicarii generalis juramentum praestiterit [1], quo fideliter se diligenterque munus suum exsecuturum promiserit ac studiose invi- d
gilaturum, ne bona fructusque in alios quam legitimos et designatos usus impendantur.

[1] Conc. Aven. Tit. de Hospitalibus. §. ultimo.

TITULUS XLIII.

De Sanctimonialibus.

Ex commendata a SS. Patribus vita Monialium inducitur earum ab Episcopis habenda cura. Deinque nonnulla de ipsarum tum regulari disciplina tum regimine temporali sancienda esse statuit sancta Synodus.

Prooemium.

Quandoquidem de Sanctimonialibus, tanquam de selecta Dominici Gregis portione, quae coelestem propemodum in terris vitam degit, magnifice dicunt Sancti Patres: hinc facile argui potest, quanta a Pastoribus hac in re sedulitas, quanta cautio, quanta prudentia requiratur. Ideo, licet ab Episcopis nihil hactenus videatur defuisse, quo Virgines illae Christo suo, cui se consecrarunt, conjunctissime semper adhaererent, nonnihil tamen Provincialis haec Synodus sanciendum esse duxit, quod ad earum regularem disciplinam ac etiam ad temporale regimen conferre possit.

CAP. I. Nemo ingrediatur Claustra Monialium absque Episcopi licentia.

Quapropter Sacrosancti Concilii Tridentini Summorumque Pontificum Decretis ad Moniales spectantibus inhaerens sancta Synodus [1] declarat: quod, quicunque ex quolibet sexu Claustra Monialium ingredi praesumpserit, Canonicas in Bullis Summorum Pontificum impositas Censuras et poenas incurret, nisi prius habuerit ab Episcopis licentiam, scripto et ex necessitatis causa tantum concedendam.

CAP. II. Antecedentis Capituli mens fusius explicatur: tum cavetur Decreto, ne pueri masculi, cujuscunque sint aetatis, intra Monasterii septa intromittantur.

Invalescente in dies erronea quorumdam opinione, credentium non violari Claustra, quoties aditus ad Monasteria liber esse videtur vel ex janua fortuito casu aperta vel ex murorum ruina, sancta Synodus, errori simul et periculo ad conscientiarum securitatem occurrere volens, juxta mentem Sanctorum Pontificum eisdem Censuris et poenis subjacere declarat quoscunque Claustrorum temeratores, etiam in casibus supradictis, et quamvis nullo malo consilio inducti fuissent. Quapropter Concionatores omnes omnesque Provinciae Sacerdotes, ad specialem Monialium directionem seu Confessionem delegatos, hortatur sancta Synodus ac monet in Domino: primo, ut illi suorum auditorum mentes a tam erronea ac futili opinione deterreant debitamque sacrarum Virginum Claustris reverentiam ingerant; secundo, ut hi (Confessarii nempe) concreditas suae curae Moniales serio moneant, ne ipsae in supradictis casibus aut assentiendo aut connivendo eisdem Censuris et poenis reddantur obnoxiae. Vetat pariter sancta Synodus, pueros masculos [2] cujuscunque aetatis intra Monasterii septa quovis praetextu intromitti.

CAP. III. Renovantur Pontificum et Conciliorum Decreta in Parentes, qui adhibita vi aut fraude mala Filias suas ad suscipiendum Monasticum institutum invitas adigunt.

Bonum sane est *et jucundum, habitare* plures *in unum, quoniam illic mandavit Dominus benedictionem et vitam usque in saeculum* [3]; ideoque beata jure dici potest Puellarum ad Claustra vocatio. At Religiosae vitae institutum Divino, non humano quovis afflatu

[1] Trid. Sess. 25. C. 5. de Regularibus. Conc. Aven. hoc Tit. 50.
[2] Trid. Sess. 25. Cap. 5. de Regular.
[3] Ps. 132, 1. 3.

capiendum est, nec vera illa vocatio habetur, quae ex a vi aut fraude adhibita procedit. Ne itaque audeant Parentes a natura datam et probatam a Canonicis et civilibus legibus paternam potestatem in Tyrannidem vertere: neve ab ipsis compellantur meticulosae Filiae vel seducantur quovis pacto, ut monasticae disciplinae se addicant, sicque invitae votis solemnibus obstringantur, censuit sancta Synodus, omnino observanda esse tum Pontificum tum Conciliorum Decreta [1], quibus tam atrox paternae potestatis usus tollatur penitus timore poenarum: neque enim paterno amori, ipsis feris commendato, nuncium impune remittere licet. Caveant ergo Parentes omnes, ne maledicto subjaceant, novum scilicet saeviendi genus subdole exercendo, quoties, adveniente legitima suarum filiarum b aetate, dum illae adhuc de velo sacro suscipiendo incertae sunt aut propositam veli susceptionem detrectant, eas illi assiduis molestiis de industria conspergunt domi et in claustra detrudunt, ut, omni Matrimonii sublata spe, taedio saepe verius quam zelo, secretaque desperatione potius quam vocatione, velum Religionis ore petant, quanquam reapse aliud nihil velint quam ineluctabili necessitati cedere, non vero Deo inservire propriaeque saluti prospicere.

CAP. IV. Puellas suae curae commissas ad emittenda Religionis vota non inducant Moniales.

Graviter etiam peccare declarat sancta Synodus Moniales illas, sive sint Consanguineae talium Puellarum sive earum Parentibus amicae, quae, veteris c hominis cum exuere debuissent affectus, eos adhuc in corde retinent carnisque et sanguinis fallacibus suggestionibus sic assentiuntur, ut Puellas sibi ad educationem commissas suasoriis quandoque verbis et versuta saepe ac simulata nunc severitate nunc indulgentia ad morem pravis Parentibus gerendum et ad vota tandem emittenda inducant; unde series dolenda malorum erumpit, Constitutionum nempe neglectio vel arbitraria nimis interpretatio, nonnunquam etiam religiosae Familiae confusio.

CAP. V. In exploranda Puellarum vocatione non alienis facile credatur dictis, sed earum ipsarum mens sagaciter introspiciatur.

d Maxima item vigilantia curare debent Episcopi, ut, qui ab ipsis delegari solent ad Puellarum sacro velo initiari postulantium explorationem, solerti indagine omnique humana ratione seposita, veros earum exquirant sensus nec Monialium dictis facile acquiescant.

CAP. VI. De Canonicis Monasticisque, quibus obstringuntur, legibus doceantur Moniales a suis Confessariis ac Directoribus.

Ut Monialium Conscientia tranquilletur, quam ex ignorantia Canonicarum Sanctionum vel ex oblivione, violatione seu inobservantia Constitutionum illaqueari saepe contingit, sancta Synodus hortatur earum Directores ac Confessarios, ut eas ipsi edoceant de Canonicis legibus, quibus obnoxiae sunt, et quae ad earum regimen pertinent, moneantque, quam stricte fidem ipsae obligaverint suam, se a Monasterii legibus nec indiligentia nec oblivione nec desuetudinis specie unquam discessuras.

CAP. VII. In contractibus, quoties Puellae ad Religiosam Familiam aggregantur, conficiendis nullae unquam sint pactiones illicitae. Nec in Puellis adsciscendis Abbatissae aut Superiorissae cupiditate lucri moveantur.

Dispositis juxta Episcoporum superius expressam mentem Puellis, ingressum in aliquod Monasterium tam libere quam enixe petentibus, Episcoporum ac Generalium Vicariorum cura esse debet, ne in conficiendis contractibus ullae unquam illicitae pactiones ad Parentum seu Monialium placitum ineantur; scire enim contrahentes debent, dotes alimentarias, quae in ingressu Virginum Monasterio adjudicantur, eo solo consilio ab Ecclesia tolerari seu permitti, ne ex modicitate reddituum, qui assignari solent in Fundationibus, sufficere non possint annui proventus ad congruam Monialium sustentationem. Quapropter serio moneri debent Abbatissae et Superiorissae quaecunque, ut in recipiendis Puellis ad animi ingeniique dotes, docilitatem nempe, lenem indolem, pietatem et moralem saltem verae vocationis certitudinem, animum potius intendant quam ad turpem lucri opimaeque dotis nummariae cupiditatem explendam. De Pensionibus vero, ad merum supplementum ob egestatem Monasterii toleratis, ea servari Patres Concilii volunt, quae quisque Episcopus in sua Visitatione sancte decreverit.

CAP. VIII. Cavetur, ne ullus Sacerdos audiat Monialium Confessiones, ne Concionem apud illas habeat neve Capellani Ordinarii fungatur officio sine speciali Episcopi aut Vicarii generalis licentia scripto concessa. Praefinitur tempus, quo vacua confabulantibus et clausa esse debent Locutoria. Prohibetur, ne quemquam sibi Procuratorem aut Notarium, inconsulto Episcopo vel Vicario generali, Moniales adhibeant.

Nullus Sacerdos, Saecularis aut Regularis, quantumvis generaliter approbatus, Monialium Confessiones audiat, nisi specialem ab Episcopo aut Vicario generali approbationem et facultatem in scriptis obtinuerit, juxta Decretum fel. recordat. Gregorii Papae XV. Ne quis etiam Saecularis aut Regularis in earum Ecclesiis Missam celebret tanquam ordinarius Capellanus aut Concionem habeat, sine facultate praedicta, scripto similiter obtenta. Prohibetur praeterea omnibus cujuscunque Ordinis Monialibus, ne ullum Capellanum sive Procuratorem aut quemvis Notarium vel ei substitutum recipiant, nisi parem ab Episcopo aut ejus Vicario generali licentiam impetraverint. Logea seu *Locutoria* Monialium tempore Divini officii clausa sint, nec cuiquam in iis confabulari seu immorari liceat nisi Consanguineorum causa seu Propinquorum, qui exteri sint:

[1] Trid. Sess. 25. Cap. 18. de Regularib.

nec nisi raro colloqui ipsi possint cum Monialibus sibi a
sanguine conjunctis.

CAP. IX. In Monialium Sacrariis atque in ipsis Monasteriis quis fenestrarum clathris muniendarum modus.

Cum autem ad Sacraria Monialium liber accessus pateat occasione Festorum seu Missarum, quae celebrari solent in earum Ecclesiis, cumque ad traditionem sive transmissionem sacrorum vestituum certis quibusdam Rotis seu Armariis versatilibus, vulgo *Tour* et *Tambour,* uti liceat ad Sacerdotum ipsarumque Monialium commodum; et in quibusdam ex dictis Sacrariis toleretur minor fenestra clathrata, quae tamen in pluribus Monasteriis juxta praescriptum in Constitutionibus munita est a parte interiori lamina ferrea vel b
lignea compage, parvis foraminibus intersita, ad solam vocis emissionem in casibus simpliciter necessariis: censuit sancta Synodus, quod, si vel ex negligentia vel ex laxata disciplina in quibusdam Monasteriis eorumque Sacrariis extant adhuc crates non ut supra munitae, mandent omnino Episcopi, ut quamprimum dicti cancelli ferrei vel lignei superaddantur, qui vel muro fixi et stabiles inhaereant, vel quorum clavis, si valvarum more vertantur in cardine, penes Superiorissam remaneat.

CAP. X. Frequens Computorum recensio ac recognitio Episcopis commendatur.

Quoniam vero in Monasteriis summam ab Episcopis vigilantiam requirit et sedulitatem rei domes- c
ticae administratio, cum raro perfecta Caritas et filialis Obedientia exigi possint a Monialibus, nisi vitae communis conditiones, congruo vestium, alimentorum ac remediorum subsidio non deficiente, facile pro Instituti ratione sustineri possint: hinc est, quod frequens debet esse Computorum recensio ac recognitio, ne imperitia Monialium, electarum ad dispensationem annuorum redditum, res Monasterii negligenter aut improvide geratur.

CAP. XI. In recensendis Computis delegandi sunt viri probi et periti, qui certiores reddant Episcopos de statu oeconomico cujuslibet Monasterii.

Quapropter non in fine solum Triennii recensendae sunt rationes Computorum, sed delegandi quan- d
doque intra Triennium viri probi et de rei familiaris administratione periti, qui, diligenter examinatis expensis et peculii Monastici dispensatione cognita, certiores reddant Episcopos de statu Oeconomico cujuslibet Communitatis, ut opportuna dentur consilia, ne male disperdatur, quod ex multiplici dotium accessione augeri deberet in melius.

CAP. XII. Abbatissae et Superiorissae non ineant contractus, inconsulto Promotore Mensae Episcopalis.

Cum autem eveniat saepe, ut re familiari comminuatur Monasterium ex nimia Monialium fiducia vel ex minus diligenti perquisitione facultatum eorum, quibuscum agi debet de constituendis Censibus seu Capitalibus pro reinvestitione dotium: ideo, ne inposterum falli vel decipi possint, stricte sancta Synodus prohibet Abbatissis ac Superiorissis, ne ullum contractum ineant, nisi consulto Promotore Mensae Episcopalis, ut fraus omnis vitari possit, utque consulatur simul bono regimini monasticorum redditum.

TITULUS XLIV.

De Usuris.

Detestabile vitium est Usura, eo severiori zelo profliganda, quo Judaicae nequitiae similior est. Innodantur Excommunicatione Notarii, Proxenetae, Testes caeterique consilio et opera contractibus usurariis faventes. Quisnam censendus sit usurarius contractus. Caveant Notarii, ne quid ex conniventia damnose fiat in contractibus cum Personis rusticis aut cum Filiis familiae. Assidue laboret Confessarius in discernendis Casibus Usuram redolentibus, et in dubiis quid agendum.

Prooemium.

Quam detestabile feneratorium scelus, quam injuriosum nomini Christiano, quam Religioni et Conscientiae perniciosum, quam denique humanae societati contrarium sit, dum reputant Patres Concilii, quaedam decernenda esse statuunt, ne inultum remaneat tam damnabile flagitium, neve culpae aut incuriae Pastorum id unquam tribui possit, quod de iniqua Jerusalem dolenter dicit Psalmista Rex [1]: *Non defecit de Plateis ejus Usura et Dolus.*

CAP. I.

Ideo, licet in hac Provincia parce hucusque et sobrie adhibitum fuerit Censurarum poenarumque Canonicarum terriculamentum, ab eo tamen abstineri diutius non posse sancta Synodus censuit, ubi longe ab hujus Provinciae finibus ablegandum occurrit tantum aeternae damnationis periculum scelusque, eo severiori zelo profligandum, quo propius ad Judaeorum fraudem et nequitiam accedit.

CAP. II.

Ut igitur tam prona lucri sordidi via prorsus intercludatur, Notarios omnes, Proxenetas, Testes caterosque quomodocunque illiciti lucri participes, eosque pariter, qui, licet non expresse nominati, consilio tamen et opera contractibus usurariis favent, excommunicatione innodatos sancta Synodus declarat reprobatque omnino lucrum quodcunque immediate proveniens ex mutuo, sive illud ad pecuniam pertineat sive ad honorem, sive sit aliquid pretio ac pecunia aestimabile, quod supra sortem seu summam Capitalem oriatur vel intendatur solummodo ratione mutui, etiam nullo praecedente pacto, imo etiamsi accipiatur ut donatum, modo detur ut debitum. Studeant ideo Confessarii diligenter animum advertere in Casibus Usuram redo-

[1] Psalm. 54, 12.

lentibus ad circumstantias omnes, quibus involvi solent vel excusari id genus pacta seu verius peccata. In Casibus autem dubiis, suspensa caute absolutione, peritos in hac materia Magistros consulant, a quibus erudiri possint de justis lucrandi titulis ex mutuo aliisque in similibus contrahendi modis evenire solitis.

CAP. III.

Usurariae pactiones ut plurimum cum Personis rusticis ac Filiis familiae fiunt. Ideo solertius subveniendum est eorum imbecillitati, ne quid ex aliena malitia in simplicium damnum accidat. Monitos itaque vult sancta Synodus Notarios omnes, ne in Censuras Ecclesiasticas lucri vilissimi studio incidant occasione contractuum seu mutui seu societatis [1] ac eorum praecipue, in quibus alter pecuniam, alter operas confert, vel uterque socius sortem sive Capitale, distributione scilicet lucri non nisi per quotas partes facienda pro rata portione rerum vel operarum, quae in contractu constituuntur. Cumque saepissime fraus et dolus in Acta similia sive in societates ingeri possint, maxime ubi agitur de pecudibus aliisque hujusmodi armentis: caveant Notarii, ne quid, quod Usuram sapiat, damno Rustici contrahentis ad placitum alterius ex conniventia fiat.

CAP. IV.

Cum tandem hic fieri non possit, ut infinita propemodum dubia, quae ex variis pactionum rationibus scatent, memorentur et aperiantur: plurimum commendat sancta Synodus Professoribus Casuum Conscientiae omnibusque Parochis et Concionatoribus, ut in publicis Concionibus invehantur saepe contra Usurarios eorumque administros ac fautores, ne maledicto subjaceant, neve in rem familiarem damni plus inferant quam lucri, quoties ex tam damnabili contrahendi modo ditescere et ad pinguiorem fortunam se deventuros esse arbitrantur.

TITULUS XLV.

De Maledicis et Detrectatoribus.

Detrectationis crimen quam horrendum. Quinam censendi sint Maledici et Detrectatores. Ad quid teneantur, ut de violata fama pro ratione injuriae proximo satisfaciant propriamque suam conscientiam exonerent. Quid cum his agendum a Confessariis. Contumaces quomodo coercendi. d

Prooemium.

Cum satis actum sit de fidei publicae temeratoribus, quo nomine designare convenit Usurarios, qui sanctissimas leges jusque ipsum naturale nefarie proculcant et privatas hominum sortes remque eorum familiarem malis artibus ac immodico fenore penitus exhauriunt: nunc in aliud pessimum hominum genus pari cura animadvertendum esse sancta Synodus judi-
a cavit; eo enim timendi sunt magis, quo enixius proximi famam venenato detrectationum halitu deturpare contendunt, non parcentes gregi, imo in ipsum Dei Sanctuarium, quod dolenter dicimus, ausu temerario irrumpentes et falsis quandoque criminationibus vel malignis commentis Pastores ipsos sacrorumque Ministros denigrare non erubescentes.

CAP. I.

Ut ergo Fideles hujus Provinciae tam nefarios homines, alienae existimationi infensos, sibi ipsis consulendo effugiant, neve quid habeant commune cum humani generis hoste, qui mendacii pater est et iniquus proborum insectator, Parochos omnes, Confessa-
b rios et Concionatores sancta Synodus hortatur in Domino, ut omni Apostolico zelo Plebem sibi concreditam instruant de tanti gravitate delicti deque necessitate restitutionis laesae famae ac de stricta obligatione congrue satisfaciendi parti offensae. Quicumque enim, non solum falsum crimen imponens, sed et verum malo animo detegens ac revelans, exaggerans, ementitis circumstantiis aggravans, proximi famam dehonestare praesumpserit, sive verbo sive scripto famosisve libellis, noscat, se non solum ex justitia et praecepto teneri ad integram cumulatamque laesae famae reparationem, sed etiam ad dicta scriptave contrariis scriptis aut verbis iisque publicis, si opus fuerit, retractanda eademque simul lege teneri ad cujuscunque
c temporalis damni refectionem, quoties ex detrectatione damnum etiam fortunarum alteri obvenerit.

CAP. II.

Circumspectissimi proinde ac consideratissimi esse debent Confessarii, ubi aliquis tanti criminis reus ad eorum Tribunal accedit; videant itaque, ne nimis praecipitanter et inconsulto absolutionem prodigant, sed praevio diligenti examine Poenitentium dispositiones perspiciendo suggerant eis, duce prudentia atque discretione, non solum ea, ad quae tenentur, sed aptissima quoque media, quibus ad reconciliationis gratiam obtinendam et ad conscientiae securitatem pervenire valeant.

CAP. III.

Ut itaque Maledicorum acuta velut serpentis lingua retundatur tutius: quoties detrahendi pruritum exstinguere aut saltem temperare non possunt hortationes et pastorales admonitiones, ad severiora Canonum remedia procedendum esse Concilii Patres duxerunt, licet inviti. Quocirca omnes et singulos, qui libellos probrosos mordacesque satyras seu cantiones, graviter proximi famam laedentes, confecerint, conscripserint, publicaverint, poenis Canonicis coërceri ac Censuris etiam puniri, Metropolitanus et Comprovinciales curabunt, ubi tam execrabile facinus ad Ecclesiasticum Forum delatum fuerit et legitimis indiciis ac testimoniis fuerit probatum.

[1] Bulla Sixti V. quae incipit: *Detestabilis*. Const. 45. d. 21. Oct. 1586. Coll. Lac. I.

a

TITULUS XLVI.

De Archivis et Juribus Ecclesiae recuperandis seu conservandis.

Assiduo laborent Episcopi et quicunque Beneficiati, ut suorum Beneficiorum Jura conservent ac recuperent. Retinentes Ecclesiastica bona, jura vel jurium documenta moneantur in Parochiali Concione diebus Dominicis habenda, ut ea restitui curent. Beneficiorum seu Capellaniarum Rectores infra tres menses post publicatum Concilium Episcopali Cancellario tradant in manus Instrumenta authentica Bonorum mobilium et immobilium suarum Ecclesiarum.

Prooemium.

Episcoporum onus et cura non levis fuit olim administratio et dispensatio omnium oblationum, quae Ministris Altarium in Ecclesia fiebant; in sua scilicet
b quisque Dioecesi idoneos Divino Servitio addicebat Clericos, quibus congruam collatitiae pecuniae portionem dividebat, unde vitam sustentarent. At crescente postea pietate ac munificentia fidelium, multiplicatisque in bona etiam stabilia Oblationibus supradictis, horum Administratio seu Oeconomia quibusdam de Clero partite attributa fuit, quae portio cuique assignata Beneficium nuncupatur. Non ideo tamen, quia pluribus plura Ecclesiae Bona sunt distributa, defervescere licite potest Pastorum sollicitudo, quoties de iisdem Bonis Ecclesiasticis servandis et, si forte in pejus ruerint, pristino statui restituendis necnon ab usurpatione et invasorum cupiditate defendendis agitur.

c

CAP. I.

Metropolitanus igitur et Comprovinciales, qui jurejurando obstricti tenentur Bona ac Jura Beneficiorum hujus Provinciae sarta tecta servare, exemplo aliis esse debent:

I. In instituendis, disponendis ordinandisque Archivis, quae sunt Ecclesiae aut Pauperum scrinia [1].

II. In colligendis recuperandisque omni diligentia sparsis quandoque apud Notarios Actis seu Instrumentis *Particulis*ve legatorum ac fundationum, quae occasione motae litis persaepe extrahuntur ex Archivis et per oblivionem aut incuriam non reponuntur.

III. In conficiendis (ad mentem Summi Pontificis) diligentibus ac fidelibus Beneficiorum ejusdem Provin-
d ciae Inventariis cum enumeratione redditunm ac fructuum, qui vel praesenti pecunia vel ex Frumento, Vino, Oleo etc. quotannis percipiuntur: in quo promptissimam a Capitulis omnibus, etiam ab Ecclesiae Metropolitanae Canonicis, executionem Concilii Patres expetunt.

IV. In meliorandis instaurandisque fundis Beneficiorum, in reparandis urbanis ac rusticis praediis, ne in supremo Judicio a Patre Familias pro male gesta Villicatione et dissipatis bonis ipsius damnentur [2], neve ira Summi Vindicis in nos tanquam perjurii sontes effundatur.

[1] Conc. Rom. Tit. 12. de Fide Instrumentorum. [p. 361.]
[2] Luc. 16.

CAP. II.

Ut itaque ad curam operamque, in hoc adhibendam tam a Capitulis quam a quocunque Beneficiorum Possessore, auctoritas hujus Concilii Provincialis accedat: Praedecessorum Episcoporum statutis inhaerens, praesenti Decreto mandat sancta Synodus, moneri in Parochiali Concione, diebus Dominicis haberi solita, omnes et quoscunque et cujuscunque status ac dignitatis sint, qui jura vel jurium documenta vel bona quaecunque, ad Ecclesias vel loca pia hujus Provinciae quomodolibet pertinentia, detinent, ut ea quamprimum restitui curent Capitulis seu Beneficiorum Possessoribus seu piorum locorum Rectoribus et in re tam gravi Conscientiae consulant suae, ne poenis tam sacrilegae detentioni reservatis subjaceant. Quodsi publicae ac iteratae huic monitioni propriae salutis obliti obtemperare detrectaverint, ubi Episcopi de monitionis negligentia atque contemptu certiores facti fuerint: ab illis, quorum intererit, severius etiam Monitoriorum, quod est extremum, remedium opportune adhibeatur, ut Canonicis omnibus modis frangatur simul contumacium pertinacia, et tantae Ecclesiarum utilitati prospiciatur.

CAP. III.

Quia tamen Clericorum saepe vel incuria vel ignorantia fit, ut, qui talia jura seu bona possident, ea tanquam transitoria et a re familiari prorsus aliena negligant Laicorumque, Ecclesiae patrimonio invidiose inhiantium, cupiditati permittant: ideo Inventarium, ut supra, tam mobilium quam immobilium infra tres menses a die publicatae Synodi confectum omnino Patres Concilii volunt.

CAP. IV.

Quapropter fore sperat sancta Synodus, ut ab omnibus Capitulis tam Metropolitanae Ecclesiae quam caeterarum Cathedralium ac Collegiatarum exemplum in re tanti momenti praebeatur, injungitque omnibus Beneficiorum seu Capellaniarum Rectoribus, ut infra praefinitum tempus deferantur in manus Secretarii Episcopalis *Copiae* authenticae Inventarii supradicti. Huic autem Decreto eo libentius obsequi debet quicunque Beneficiatus ad exonerationem propriae Conscientiae, quod fidelem se et laudabilem Ecclesiastici Patrimonii administratorem sic praebebit Deo, cujus Providentia, et Ecclesiae, cujus beneficio sustentatur.

TITULUS XLVII.

De Taxa Functionum Curialium.

Nullus Sacramentorum Dispensator quidquam mercedis exigere debet, nisi tanquam Persona legalis: hoc primum. Plures habentur coram Episcopis querimoniae de immodicis Ministrorum Ecclesiasticorum exactionibus: hoc alterum. Ex his duobus inducitur necessitas Taxationis, qua et habendi cupidini modus et conquerendi libidini finis imponatur: hoc ultimum.

Prooemium.

Quamvis jam expresse prohibita fuerit omnis exactio seu pactio pro Sacramentorum dispensatione;

cum tamen Parochi duplicem personam gerant ratione duplicis Ministerii, ad quod ab Ecclesia delegantur: sunt enim et sanctae nostrae Religionis Ministri, qui sacra dispensant, et Personae legales, quibus competit confectio quorumdam Actorum Civilium, qualia sunt Testamenta seu Legata, ad quae jure Canonico adhiberi possunt, quales etiam sunt Commentarii publici, Sponsalium publicationes scriptaeque testificationes, vulgo *Certificats,* tum Baptismorum tum Mortuariorum, Sponsalium etc., quibus in judicio et extra adhibenda est fides: ideo invigilent Episcopi, ut, dum procedent ad Taxam Dioecesanam, in iis tantum immorentur, quae nullo modo ad sacrorum dispensationem pertinere possint.

CAP. Unicum.

At, quoniam saepissime coram Episcopis habentur jure vel injuria querimoniae de immodicis Ministrorum exactionibus, quae sane fidelium in Viros Ecclesiasticos propriosque Pastores amorem restinguunt reverentiamque imminuunt ac fiduciam: ideo curabunt Episcopi, in sua quisque Dioecesi, ut generalis conficiatur Taxatio, in qua ratio habeatur veteris consuetudinis, probati Provinciae usus, subventionum aliorumque onerum, quibus subjacent Beneficia, et majoris proventuum casualium qualitatis. Haec vero Taxa, ubi in unaquaque Dioecesi publicata et juxta juris normam intimata fuerit, mandat sancta Synodus, ut inviolate observetur et in praesentis Concilii Appendicem inseratur.

TITULUS XLVIII.

De Taxa pro Salario et Mercede Expeditionum Cancellariae Episcopalis. [1]

Taxatio Expeditionum Cancellariae Episcopalis diligenter fiat, ita tamen, ut, quoad ejus fieri potest, et Taxae Innocentianae et aliorum, quae in hoc negotio pensanda sunt, ratio habeatur. Quicunque Clericus in hanc Provinciam ex alienis Dioecesibus venerit sacris Ordinibus initiandus, dimissorias litteras proferat Cancellario Episcopali; eas autem Cancellarius non restituat, nisi in Acta publica relatas, nec recipiat Clericus, nisi restitutas sibi fuisse scripto testatus fuerit.

Prooemium.

Cum nullo Partium studio patent aures querimoniis, sive a Clericis sive a Laicis prodeant, tunc res aequiori lance majorique diligentia pensitantur, nec aliud quidquam praeter juris aequabilitatem in statuendo spectatur. Patres itaque Concilii, apud quos habitae sunt querelae de nimietate sive immoderatione Salarii, quod pro dimissoriis litteris aliisque similibus expediri solitis a Cancellariis Episcopalibus exigitur, quamvis non certae omnino fidei esse putent id genus expostulationes, omnem tamen objurgandi causam occasionemve submovendam esse arbitrantur. Ideoque curabunt Episcopi, si Taxam Dioecesanam a se vel a
a Praedecessoribus suis statutam nondum habeant, ut novam diligenter conficiant, quae, quantum fieri poterit, cum Taxa Innocentiana congruat, habita tamen ratione usus Regionum, in quibus sitae sunt Dioeceses, antiquae consuetudinis et monetae tum Papalis tum maxime Regiae, quae quoad extrinsecum valorem incerta saepe est et commutabilis, aliisque pro rei momento perpensis atque discussis, necnon auditis interesse habentibus.

[1] Trid. Sess. 21. C. 1. de ref.

CAP. Unicum.

Quia vero Clerici, quoties ab aliis Dioecesibus in hanc Provinciam sacris Ordinibus initiandi veniunt, non solum authenticas testificationes proferre debent, a
b quibus Ordinis ultimo loco suscepti certa notitia depromi possit, verum etiam dimissorias litteras a propriis suis Episcopis obtentas: idcirco majoris cautionis causa placet sanctae Synodo, ut archetypae illae seu *Originales* dimissoriae litterae non reddantur a Secretariis Episcopalibus, nisi postquam in Acta publica Ordinationum fuerint relatae, easque dein sibi restitutas fuisse declaraverit Ordinandus, apposito in publici codicis margine Chirographo.

TITULUS XLIX.

De Medicis.

Renovantur et denuo publicantur Decreta de Medicis, in ultimo
c Concilio Provinciali Avenionensi facta.

Quandoquidem in ultimo Concilio Provinciali Avenionensi, sub clarae memoriae Cardinali Taurusio, hujus tunc Provinciae Metropolitano, de Medicis ad mentem sanctorum Pontificum caute provideque statutum fuit, satis futurum esse censuit sancta Synodus, si tam pii tamque considerati Viri premerentur vestigia: ideoque ejusdem hac de re Decreta renovari et iterum publicari mandat.

DECRETUM

Clar. mem. Cardinalis Taurusii in suo Concilio Provinciali.

Ita corporis valetudo curanda est, ut animae salus
d *non negligatur. Quapropter Medicis tam Physicis quam Chirurgicis praecipimus, ut, cum primum ad Aegrotos vocati fuerint, eis necessariam peccatorum Confessionem faciendam esse persuadeant. Quoniam vero res ista magni est momenti: idcirco, quaecunque Constitutio Pii V. fel. Record.* [1] *circa Medicorum munus decrevit et sancivit, hic commemoranda esse censuimus, ne cuiquam ignorantia suffragetur.*

Medici itaque tertio die ulterius Aegrotos non visitent, nisi longius tempus ipsis Confessor ob aliquam rationabilem causam, super quo ejus Conscientia oneratur, concesserit, et illis per fidem Confessoris in scrip-

[1] Constitutio Pii V. quae incipit: *Supra gregem.* Const. 3. d. 8. Mart. 1566.

tis factam constiterit, quod Infirmi, ut praemittitur, peccata sua confessi sint.

Quodsi qui Medicorum praemissa non observaverint, ultra poenas in Constitutione Innocentii III.[1] *contentas, quas incurrunt, iis etiam subjaceant, quae in supradicta Bulla Pii V. continentur.*

Nullus item Medicus, sub poenis supradictis, pro corporali salute aliquid suadeat vel permittat, quod in animae periculum vergat.

Quod autem de Medicis hactenus dictum est, de Pharmacopolis intelligendum est pariter, ubi Medicorum vices obeunt.

TITULUS L.

De Formulis.

Parochi, cum Baptismata, Conjugia Mortuosque in Acta publica referunt, eadem omnes utantur Formula, a Patribus Concilii praefinita: nec Parochorum Testificationes, nisi conceptis verbis perscriptae, auctoritate publica muniantur.

Hoc etiam totius Provinciae commodo non ita inutile futurum est, si omnes Parochi una eademque utantur Formula scribendi, cum Baptismatum, Conjugiorum Mortuorumque indicem conficiunt. Provide itaque decrevere hujus Concilii Patres, ut, quam, consultis Theologis Parochisque bene multis, normam praefinierint, ab ea nemo quisquam curam animarum habens unquam recedat: monenturque ad hunc finem Secretarii Episcoporum seu Cancellarii, ne *Legalitatem* apponant Testificationibus, quas Parochi, etiam proprio Chirographo munitas, concesserint, nisi conceptis et solemnibus verbis perscriptae sint.

TITULUS LI.

De Synodo Provinciali ejusque Decretis et Constitutionibus.

Statuta jam in Synodis Dioecesanis et in Metropolitani ac Comprovincialium Episcoporum Edictis atque Constitutionibus, quae hujusce Concilii Decretis non adversantur, confirmat sancta Synodus. Praecipitur, ut ejusdem Concilii Exemplar comparetur, et in eo contenta observentur. Interpretatio veri sensus Decretorum, ad quos pertineat, et quae sit res difficiles ac dubias enodandi aut aperiendi ratio.

Licet, quae hactenus definita et publicata sunt, pro majori parte decerpta fuerint ex antiquioribus Conciliorum Provincialium Aven. Codicibus, omnemque ideo observantiam ipsis praestandam esse, ex obedientia et docilitate Cleri nostri facile confidamus: ut tamen caetera, quae vel in Synodis Dioecesanis vel in Nostris et Comprovincialium Episcoporum Edictis et Constitutionibus statuta jam sunt, in suo vigore ac usu remaneant, declarat sancta Synodus, hanc sibi mentem fuisse, ut eorum omnium vis et auctoritas augeretur, non imminueretur, in iis praesertim, quae hujusce Concilii Decretis directe non repugnant. Ne autem, quae hic a Nobis et eisdem Episcopis unanimi Judicio
a renovata, correcta ac in Divini cultus augmentum et in strictiorem Disciplinae observantiam statuta sunt, eo, quem intendimus, fructu careant, praecipit sancta Synodus omnibus Praepositis, Decanis, Prioribus, Parochis et Ecclesiarum Rectoribus, ut, statim ac auctoritate Pontificia fuerint examinata, probata et confirmata typisque demandata, horum Exemplar sibi comparent, penes se habeant semperque retineant, legant et in eo conclusa observent. Si qua autem difficultas circa Decretorum sensum aut praxim occurrat, eam proprio judicio et interpretatione solvendam ne existiment, sed eorum explicationem seu declarationem usque ad proxime futuram Synodum reservatam esse noverint Metropolitano et Episcopis Comprovincialibus
b respective: quod intelligendum est de dubiis levioribus. Quoad graviora vero et urgentiori explanatione indigentia, ea quilibet Episcopus ad Metropolitanum deferat, ut cum eorumdem Comprovincialium voto et consensu opportune provideatur, salva semper sanctae Romanae Ecclesiae suprema auctoritate, cui omnia a Patribus in hac Provinciali Synodo Acta atque Decreta ea, qua decet, obedientia et reverentia subjiciuntur examinanda, explicanda et emendanda.

DECRETUM

de Concilii Conclusione ac Dimissione.

Ut tandem Praedecessorum Metropolitanorum et
c Comprovincialium Episcoporum veneranda traditio in similibus Cleri Comitiis servetur: expetita Reverendissimorum Coepiscoporum sententia, pastoralique sollicitudine eos jam ad suas Ecclesias revocante, ipsam Synodum merito dimittendam esse existimamus et praesenti Decreto tanquam absolutam dimittimus.

Dat. Aven. in Ecclesia Metrop. hac die prima Novembris anno 1725.

Ego Franciscus Mauritius Archiepiscopus Avenionensis Metropolita supradictis Decretis Provincialis Synodi definiens subscripsi.

Ego Franciscus Maria Episcopus Carpentoractensis consentiens subscripsi.

d Ego Joseph Episcopus Cavallicensis consentiens subscripsi.

Ego Joseph Ludovicus Episcopus Vasionensis consentiens subscripsi.

Cl. Carret Eccl. Metrop. Canonicus, Secretarius Concilii.

ELENCHUS MINISTRORUM CONCILII.

I. Promotores Fiscales.

Hieronymus Barbier, J. U. D. et Mensae Archiepiscopalis Advocatus.

Spiritus Josephus Dumas, J. U. D. et ejusdem Mensae Advocatus.

[1] Cap. *Cum infirmitas.* 13. de Poenit. (V, 38).

II. Secretarius.

Claudius Carret, Canonicus Ecclesiae Metropolitanae, in S. Theologia Licentiatus.

III. Magistri Caeremoniarum.

Spiritus Laget, Canonicus Ecclesiae Parochialis et Collegiatae S. Mariae Magdalenae Aven.
Franciscus Ranchet Presbyter.

IV. Cancellarius.

Joseph Philip.

V. Notarius.

Joannes Franciscus Mantillery.

VI. Theologi et Canonistae.

Pro parte Illustrissimi et Reverendissimi Metropolitae.

Lupus Paulus de Sallieres de Fosseran, J. U. D., Canonicus Ecclesiae Metropolitanae, Vicarius et Officialis Generalis Illustrissimi et Reverendissimi Archiepiscopi.
Josephus de Clerc de Mollieres, J. U. D., Ecclesiae Collegiatae S. Marthae Tarasconen. Thesaurarius Canonicus et Officialis a parte Provinciae.
Alexander de Fortia d'Urban, J. U. Licentiatus, Ecclesiae Collegiatae S. Joan. Rupismaur. Decanus et Officialis a parte Occitaniae.
Abbas Franciscus de Tullia, Tricastinensis Ecclesiae antiquus Praepositus.
Josephus Franciscus de Salvador Presbyter, J. U. D., Superior Seminarii N. D. a S. Custodia Aven.
Claudius Franciscus de Bellis de Roays Presbyter, J. U. D.
Paulus Antonius Bruyere Presbyter.
P. Josephus Patin Ordinis Praedicatorum, S. Theologiae Doctor et in Academia Aven. Professor perpetuus.
P. Lambertus Gaud Ordinis Praedicatorum, S. Theologiae Doctor et in Academia Aven. Professor perpetuus.
P. Claudius Rousset Ordinis Carmelitarum, Doctor Sorbonicus.
P. Bartholomaeus Moiroux Soc. Jesu, Majorum Scholarum Praefectus.
P. Ignatius Arnaud Soc. Jesu, S. Theologiae Professor.

Pro parte Reverendissimi Episcopi Carpent.

Joseph Franciscus de Jarente de Cabanes, S. Theologiae Doctor, Praecentor Ecclesiae Cathedralis Carpent.
Ludovicus de la Motte d'Orleans, S. Theologiae Doctor, Eccles. Cathedr. Carpent. Canonicus Theologus.

a Joseph de Ste. Marie Presbyter, J. U. D., Superior Seminarii S. Caroli a Cruce Aven.
Petrus Paulus Franciscus Tussanus de Cabanis Presbyter, Doctor Sorbonicus, Director Seminarii S. Caroli a Cruce Aven.

Pro parte Reverendissimi Episcopi Cavallicen.

Ludovicus de Guyon de Crochant, S. Theologiae Doctor, Canonicus Ecclesiae Metropolitanae et Reverendissimi Episcopi Cavallicen. Vicarius et Officialis Generalis.
Jacobus Gavotty, Canonicus Ecclesiae Cathedralis Cavallicen. et Reverendissimi Episcopi Vicarius et Officialis Generalis.
Laurentius Dominicus Bertet Presbyter.

Pro parte Reverendissimi Episcopi Vasionen.

Joseph Gabriel Barbier, J. U. Licentiatus, Baccalaur. Sorbon., Praepositus Eccles. Cathed. Vasion.
b Spiritus Petrus Julien, S. Theologiae Doctor, Archidiaconus Eccles. Cathed. Vasion.
Paulus Joachim Barthoquin, S. Theologiae Doctor.

BREVE SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI BENEDICTI

Divina Providentia Papae XIII.,

Quo praesentis Concilii Avenionensis Constitutiones ratae habentur et Pontificia Auctoritate confirmantur.

BENEDICTUS PP. XIII.

Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.
c Provincialis Concilii Constitutiones, quibus Fraternitas tua ad vota nostrae sollicitudinis explenda aliorum solertiae antevertere studuit, sicut a te missas libenter accepimus, ita a nobis merito comprobatas ad Fraternitatem tuam grato laetoque animo remittimus, tuum et Coëpiscoporum zelum ac sapientiam dignis laudibus prosequentes. Easdem proinde sanae doctrinae disciplinaeque Ecclesiasticae muniendae et propagandae, Domino adjuvante, mirifice profecturas nostra etiam auctoritate confirmamus. Tibi autem, Venerabilis Frater, et Comprovincialibus Episcopis, qui ad colendam vineam Domini strenuam operam per Synodalia Decreta contulerunt, Caelestem mercedem supplices exposcimus et Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXV. Februarii MDCCXXVIII. Pontificatus Nostri Anno quarto.

C. Archiepiscopus Emissenus.

---

* *Appendix ad Concilium Provinciale Avenionense varias epistolas et constitutiones complectitur, quas, quum bullariis et Conciliorum collectionibus contineantur, hic praetermittendas esse censuimus; dabimus tamen brevem, quam ante appendicem posuit Synodus, praefationem.*

Probatis jam ex Pontificia benignitate hujus Concilii Provincialis Constitutionibus, ac inde pari indulgentia concessa nobis earumdem editione ac publicatione, quaedam in ejus appendice addenda esse duxit sancta Synodus, quae uno volumine complexa ad manus totius Provinciae Cleri haberi possent et ad ipsius eruditionem paratiora fierent, quo promptiora; suntque selectae quaedam Constitutiones summorum Pontificum seu Decretales, quibus et Apostolico robore firmarentur Synodalia haec statuta, et contra nostrorum temporum novitates ac errores in-
d flictae jam Censurae atque Damnationis provida recordatio Clerum omnem redderet cautiorem.

Quaedam item recenseri conducibile visum est, publica nempe documenta, et sua antiquitate spectanda et gravissimorum Antistitum auctoritatis pondere veneranda, tum etiam alia ex veterum hujus Provinciae Patrum Synodalibus Comitiis excerpta, ut sic ad instar Patris Familias ad utilitatem plebis suae nova et vetera proferantur.

CONCILIUM PROVINCIALE FIRMANUM,

Quod Alexander Borgia Archiepiscopus Metropolita et Princeps Firmanus habuit Anno a Christo nato MDCCXXVI. Diebus 28. Aprilis ac 1. et 5. Maji. [1]

BENEDICTUS PAPA XIII.

Venerabili Fratri ALEXANDRO Archiepiscopo Firmano.

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Quod Episcopali vigilantiae Sacrorum Canonum ac Tridentinae praesertim Synodi commendavit auctoritas, Nostri vero Apostolatus sollicitudo praecipuis votis expetebat, Fraternitas tua impigra sedulitate repraesentavit. Vix enim ad Metropolitanam istam Ecclesiam tuae virtuti creditam perveneras, cum statim de Provinciali Concilio celebrando salubriter cogitasti ac, de Divino Cultu et Ecclesiastica Disciplina amplificanda sollicitus, una cum Provinciae tuae Coepiscopis sapientissima Decreta promulgasti. Eorum itaque exemplum, quod per dilectum Filium Fabritium Borgiam, Fratrem tuum, ad Nos deferri curasti, libenti laetoque animo accepimus, ac Fraternitatis tuae et Comprovincialium Episcoporum zelum prudentiamque meritis laudibus prosecuti sumus; Tibique persuasum esse optamus, insignia paterni studii incrementa ad pristinam in Te benevolentiam Nostram inde accessisse. Satis proinde intelligis, Venerabilis Frater, quantopere cupiamus singularem Tibi charitatem rebus ipsis declarare eamdemque Germano tuo, tam suis meritis quam tuis commendationibus Nobis acceptissimo, ubi se occasio dederit, testatam facere. Hujusce autem propensae voluntatis pignus Apostolicam Benedictionem Fraternitati tuae peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVI. Julii MDCCXXVI. Pontificatus Nostri Anno tertio.

C. Archiepiscopus Emissenus.

---

[1] * *Dabimus acta et decreta hujus Synodi secundum editionem Firmanam a. 1727.*

CONSTITUTIONES SYNODI PROVINCIALIS FIRMANAE.

Alexander Dei et Apostolicae Sedis Gratia Sanctae Firmanae Ecclesiae Archiepiscopus Metropolita et Princeps

De consilio et assensu Reverendissimorum D. D. Coepiscoporum nostrorum, qui ad Dei gloriam et honorem in hanc Provincialem Synodum convenerunt, haec statuimus et sancimus.

TITULUS I.

De Summa Trinitate et Fide Catholica.

In nomine sanctissimae et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. *Amen.*

Sanctam Catholicam et Apostolicam Fidem, humanae salutis initium et fundamentum, quam in prima hujus Concilii Sessione professi sumus juxta articulos in Constitutione fel. record. Pii IV. Romani Pontificis praescriptos, satis in Superiori Concilio Provinciali sub Sigismundo Zannettini piae mem., Archiepiscopo et Principe Firmano, habito cautum fuit, quinam et quando profiteri teneantur. Unum ad integritatem fidei servandam addimus, quod cum Clemens XI. sanctae mem., Romanus Pontifex, novissimos aliquos in Ecclesia errores Constitutione sua, quae incipit *Unigenitus,* damnaverit, eadem constitutio uti fidei et disciplinae Regula ab omnibus debita obedientia et executione servetur.

Ne vero neglectus jaceat Coelestis ille sacrorum Librorum Thesaurus, quem Spiritus Sanctus nobis tradidit, ut inde infallibili Dei sapientia edocti sciremus, quid credere, quidque sperare, quid denique agere debeamus, ut Deo placere possimus, praesertim, quod dolenter referimus, apud Ecclesiastici Ordinis Viros: Sancta Synodus decernit, ut unusquisque Sacerdos in universa Nostra Provincia Sacrorum Bibliorum Codicem vulgatae et ab Ecclesia approbatae editionis apud se habeat, sub poenis arbitrio Episcopi infligendis. Nec tantum apud se retineat, sed frequenter legat et meditetur, et unusquisque pro suo captu in Sacrarum Literarum cognitione semper magis ac magis proficere conetur. Ad haec Canonici Theologi in Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis, ubi sunt, ad implendum Officium suum juxta saluberrimam Constitutionem nuper editam a Sanctissimo Patre ac Domino Nostro Benedicto XIII.[1], quae modo publicabitur mox
a in calce Decretorum registranda, omnino compellantur, eademque constitutio in reliquis quoque diligenter observetur. Hoc addentes, quod etiam in Collegiatis Ecclesiis existentibus in aliquo insigni Oppido, ubi Clerus numerosus sit, Praebenda Theologalis instituatur juxta Tridentini Concilii Decretum *Sess. 5. Cap. 1. de reformatione.* Omnes vero hujusmodi Canonici Theologi publice in Ecclesia Sacram Scripturam interpretentur et, literali in unaquaque Lectione Textus enarratione praemissa, duas saltem ex eadem Sacra Scriptura proponant semper solvantque quaestiones, historicam unam, moralem alteram, vel de nostrae Fidei Articulis et Sacramentis, vel de Catho-
b licae Ecclesiae Ritibus eorumque Mysteriis, vel de aliis ad sanam Doctrinam et Christianam Institutionem spectantibus. Tempus et horam et numerum Lectionum habendarum Episcopi statuant. Populum etiam vehementer hortentur, Clero vero omnino mandent, ut intersit, ac praesertim Dignitatibus et Canonicis tam Cathedralium quam Collegiatarum Ecclesiarum, Parochis quoque et Confessariis.

Praeterea non solum Parochi, sed et Cappellani rurales, qui diebus Dominicis in Sacellis ruralibus, a Paroeciis dissitis, pro Populi commoditate Sacra faciunt, Pueros erudiant in Mysteriis Fidei, qua in re instructione edita in novissimo Concilio Romano, quan-
c tum pro regionis et temporis opportunitate licebit, utantur.

Insuper hujus Concilii Patres, quorum praecipuum est concionandi munus, quo frequentius possunt, ac praesertim inter Pontificalium Sacrorum solemnia, tum etiam, dum Confirmationis Sacramentum ministrant, dum Paroecias visitant, dum alias denique Pontificales obeunt Functiones, Sermonem ad Populum habeant. Parochi etiam caeterique Animarum Curatores singulis saltem Dominicis Festisque diebus, qui de praecepto observari solent, post lectum in Missa Evangelium Sermonem brevem habeant et facilem Auditorumque capacitati accommodatum ex ipso Evangelii textu de-

---

[1] Conc. Rom. in Append. pag. 403. et seqq.

ductum, quo vitia, quae declinare, et virtutes, quas sectari oportet, Populo denuncient. Tempore Quadragesimae et Adventus ne Canonici aliique Choro addicti Sacris Concionibus, quae in propria Ecclesia habentur, interesse negligant, subtractione quotidianarum distributionum aut punctaturis, ut vocant, tertiae partis illius diei adigantur.

TITULUS II.

De Constitutionibus, de Concilio Provinciali.

Constitutiones, editas in Concilio primo Provinciali Firmano sub Sigismundo Zannettini piae recordationis, Archiepiscopo et Principe Firmano, Anno MDXC., Sancta Synodus confirmat et approbat et ab iis, ad quos spectant, observari mandat, iis tantum exceptis, quae posterioribus ordinationibus adversantur.

De Synodo Dioecesana.

Quod Sacri Canones tantopere commendant, quod Concilii Tridentini auctoritas gravissimo Decreto sancivit, quod Sanctissimus Dominus Noster Benedictus XIII. exemplo suo in Ecclesia Beneventana firmavit et nuper in Concilio Romano decrevit, scilicet, ut Episcopi semel saltem in Annos singulos Dioecesanas Synodos cogant, hujus Concilii Patres in hac Provincia restituere cupientes, Annis singulis Dioecesanam Synodum haberi constituunt, ad quam Clerici omnes, qui de jure vel consuetudine interesse debent, sub poenis a jure statutis conveniant, si non ad nova pro emergentibus casibus decreta condenda, cum Majores nostri optimis Legibus has Dioeceses munierint, saltem ad exigendam veterum legum observantiam, quae legum omnium optima est. Porro Archiepiscopus et Episcopi omnes in prima Dioecesana Synodo, quam curent cogere, quanto ocius poterunt, quidquid in hoc Provinciali Concilio definitum actumque erit, palam omnibus referre et intimare non omittent. Taxam quoque pro mercede Officialium et Notariorum extra casus in Innocentiana comprehensos in suis Cancellariis observandam, sicubi ea desit aut informis sit, in eadem prima Synodo, habita locorum et causarum ratione, conficiant vel reforment et ad primum Provinciale Concilium deferant approbandam, ubi, si quid ulterius addendum, minuendum vel reformandum occurret, opportune providebitur.

De Statutis condendis Ecclesiarum Cathedralium, Collegiatarum et Conventualium.

Sanctissimus Dominus Noster Benedictus XIII. in Concilio Romano pro summa sapientia sua duo condidit Decreta de conficiendis Statutis Ecclesiarum Cathedralium, Collegiatarum et Conventualium, Metropolitis omnibus indicens, ut unusquisque eorum in primo Provinciali Concilio providas hujusmodi ac plane necessarias sanctiones publicaret earumque executionem
a sedulo promoveret. Nos itaque, quo par est obsequio ac studio, pia haec et salutaria Beatissimi Patris monita amplectentes praefata Decreta universae Provinciae denunciamus, quorum executionem sicut in hac Archidioecesi Nostra sumus curaturi, ita etiam Episcopi idem praestabunt in Dioecesibus suis. Decreta autem haec sunt:

Ex Concilii Romani

Titulo II. De Constitutionibus. Cap. IV. et V.

Ecclesiarum Capitulis tam Patriarchalium et Cathedralium, quam Collegiatarum omnium et Conventualium, quae quidem velut Corpora membris compacta, suis
b *legibus vivere suisque regulis nutriri et conservari oportet, definite praecipimus ac mandamus, ut antiqua, si qua habent, Statuta et Capitulares Constitutiones depromant; et ubi non adsint, sex infra saltem menses post praesentis Concilii publicationem sub Ecclesiastici interdicti poena omnino conficiant; et utraque, antiqua scilicet et nova, per Nos quoad Nostrae Almae Urbis Ecclesiarum Statuta et reliqua suos respective per Episcopos accurate examinanda et corrigenda deducant, atque approbanda praesentent. Episcopi igitur in iis examinandis, si quid contra jus vel Tridentini Concilii Decreta aut Pontificias Constitutiones irrepsisse cognoverint, super eo Sedem consulant Apostolicam, a qua juris remedia expectent. Consuetudines autem nonnisi rationabiles et honestas admittant; et si quas a ratione*
c *declinasse vel contra Breviarii vel Missalis, Caerimonialis Episcoporum, Pontificalis vel Ritualis Romani Rubricas inolevisse ac proinde indebitam legis speciem usurpasse compererint, eas vel corrigant vel omnino delenda decernant.*

His praehabitis, praecipuae Episcoporum partes erunt, ut tali methodo Statuta ipsa et Constitutiones condantur, quatenus, quae ipsarum sint Ecclesiarum et Capitulorum Origines, Fundationes, Insignia, Jura, Consuetudines, Redditus, Onera et Munera, suis sub capitibus distinctis exprimantur; nihilque in eis sit, quod a juris dispositione et Congregationum Decretis usuque recepto et approbato exorbitet, sed illa apposite statuantur, quae pro opportunitate et necessitate temporum, rerum et locorum
d *ad divini cultus augmentum, sanctioris disciplinae observantiam et Ecclesiarum utilitatem statuenda judicaverint. Hoc interim Decretum una cum praecedenti, ut ceterarum Ecclesiarum Capitulis et Collegiis consulamus, ad Metropolitanos omnes extra hanc Synodum extendimus, qui primo in eorum Concilio providas ipsas et plane necessarias praefatis super condendis Statutis sanctiones publicare meminerint et executionem sedulo promovere.*

TITULUS III.

De Rescriptis.

Ut Episcopali Dignitati debitus honor deferatur, statuit Sancta Synodus, ne Litterae, Decreta, Citationes

vel Inhibitiones, quae partibus instantibus Metropoli- a ticae Curiae Judices ad Episcopos suffraganeos eorumque Curias dirigent, a Litigatoribus vel aliis eorum nomine Sacratissimis ipsis Episcoporum Personis intimentur, sub poena nullitatis Actus aliisque arbitrariis; imo nec eorum Vicariis Generalibus: sed vel exhibeantur in Actis Curiae Episcopalis dimissa Copia, vel intimentur immediate Curiae Promotori Fiscali seu Cancellario, quae exhibitio vel intimatio eamdem vim habeat, ac si Episcopis ipsis seu eorum Vicariis Generalibus intimata fuissent.

Inhibitiones vero in Curia Metropolitana vigore Appellationum non expediantur sine insertione Sententiae definitivae vel habentis vim definitivae, aut inferentis gravamen, quod per definitivam reparari non b possit, sub poena suspensionis ab officio contra Notarios et Procuratores infligenda.

TITULUS IV.

De Officio Judicis Ordinarii.

De Cathedratico.

Cathedraticum a Clericis in signum subjectionis Episcopis debitum et in jure communi ita privilegiatum, ut neque ab Episcopis in totum remitti, nec a quoquam valeat quocumque titulo vel immemorabili consuetudine praescribi, ab Ecclesiis omnibus (non tamen Regularium) et a Beneficiatis subjectis ad ra- c tionem duorum solidorum, servata tamen moderatione in Concilio Romano praescripta, exigatur.

De Quarta Funerali Parochis a Regularibus debita.

Restituit nuper Sanctissimus Dominus Noster pro summa aequitate sua Parochis omnibus per universam Italiam et Insulas adjacentes constitutis Quartam Funeralem, ex Sacris Canonibus et prisca Ecclesiae Disciplina a Regularibus debitam, edita desuper Constitutione, quam Sancta Synodus modo publicari et Decretis hujus Concilii apponi jubet; ut, quidquid in ea sancitum est, absque mora in universa Provincia executioni mandetur. Ita ergo restituta Parochis Quarta Funerali, omnem et quamcumque consuetudinem tri- d buendi Parochis de Funeralibus distributionibus Portionem duplicem aut majorem ea, quae caeteris tribui solet, abrogat, Parochis inhibens, ne quid ulterius accipiant sub poena arbitrio Ordinarii infligenda.

De Pauperum Advocatis et Procuratoribus.

Quoniam vero paternam Pauperum curam gerere debemus, ubi Procuratores vel Advocati Pauperum in Curiis Ecclesiasticis constituti non sunt, constituantur; et quatenus opus sit, praeter exemptiones et praerogativas, iisdem de jure vel consuetudine indultas, etiam aliquod Stipendium arbitrio Episcopi ex proventibus Locorum piorum assignetur.

TITULUS V.

De Feriis et Festorum Dierum observantia.

Quod olim D. Silvester Papa sapientissime in Ecclesia constituit, ut, Sabbathi ac Dominici diei nomine retento, reliqui Hebdomadae dies, abjectis profanis vocibus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, Feriarum nomine distinguerentur, Sancta Synodus in omnibus Curiis Ecclesiasticis hujus Provinciae diligenter inposterum servari mandat.

Iis vero, quae in prima Provinciali Synodo, Cap. 7., de Festis Diebus observandis provide statuta sunt, addit, ut, quando tempore Messis aut Vindemiae, vel alia urgente necessitate, servile opus, audito prius Sacro, aggredi ab Ordinariis Locorum permittitur, moneantur Fideles, ut ex eo, quod ipsis die Dominico vel Festo utilitatis obvenerit, circumpositis Ecclesiis et Dei Pauperibus aliquam tribuant portionem, veluti in alterius praetermissi cultus compensationem.

Praeterea Vicarios Foraneos monet, ne occasione Festorum, quae magna Populi frequentia celebrari solent, profanas aut amatorias cantilenas fieri permittant, quas aliquibus in locis, publice conductis etiam Citharoedis, juniores homines ad Amasias suas habere, Sancta Synodus dolenter intellexit. Profanas quoque et ludicras Mysteriorum nostrae Fidei seu Sanctorum Martyrum repraesentationes omnino prohibet. Et ad hos tollendos abusus poenas, quas Episcopi statuent, Vicarii Foranei proponant et exigant.

TITULUS VI.

De Fide Instrumentorum.

Constitutio edita motu proprio a Sixto V. fel. rec. Pont. Max. de conficiendis Bonorum Ecclesiasticorum Inventariis, nuper in Concilio Romano innovata, excitat Sanctam Synodum, ut huic tam necessario operi tandem aliquando manum apponat. Itaque non solum Metropolita et singuli Episcopi quorumcumque Bonorum immobilium, Censuum, Canonum, Livellorum, Proventuum annuorum, Jurium, Jurisdictionum ac Privilegiorum et Scripturarum, quae eis annotatione digna videbuntur, ad Ecclesias suas spectantium, Inventaria diligenter conficere curabunt, et qui deinde in Ecclesiarum Regimine succedent, infra annum a die habitae Possessionis idem praestare non omittent; sed et Capitula Metropolitanae, Cathedralium vel Collegiatarum Ecclesiarum ac omnes et singuli Abbates, Praepositi, Priores, Vicarii, Guardiani, Abbatissae, Priorissae et cujuscumque Ecclesiae vel Pii Loci Saeculares vel Regulares et alii quocumque titulo et nomine Praefecti utriusque sexus, caeteraeque Personae Ecclesiasticae quascumque Dignitates, Personatus, Administrationes vel Officia aut Beneficia Ecclesiastica, cum Cura et sine Cura, Saecularia in quibusvis Ecclesiis, seu ipsas Parochiales aut alias Ecclesias in Titulum

vel Commendam aut alias quomodolibet obtinentes, Praeceptores quoque et alii, qui Beneficia quarumcumque Militiarum obtinent, etiamsi exempti et Sanctae Sedi Apostolicae immediate subjecti existant, denique omnes et quicumque Administratores, Rectores, Custodes, Officiales, Operarii et quocumque nomine nuncupati Superiores quorumcumque Hospitalium, Sodalitatum, Confraternitatum, Seminariorum, Montium Pietatis, Collegiorum, Studiorum generalium, Fabricarum Ecclesiarum et Piorum vel Religiosorum Locorum, etiam quae per Laicos seu Clericos conjunctim vel divisim regi aut gubernari solent, in Firmana nostra Provincia constituti, infra annum ab hujus Concilii promulgatione, Metropolitae respective et Episcoporum arbitrio nonnisi ex rationabili causa moderate prorogandum, idem Inventarium Bonorum omnium ad suas Ecclesias, Monasteria, Conventus, Collegia aut alia pia Loca, quocumque nomine nuncupentur, spectantium, et quidem intelligibili ac nitido Charactere, sicut etiam adhibita charta competentis formae et materiae, et servato margine ex omni parte, conficiant; perfectumque Episcopo exhibeant approbandum, qui, si ita ei videbitur, congruam Methodum ejusdem Inventarii conficiendi pro Dioecesis suae ratione proponat, poenis quoque et Censuris cogat eos, qui negligentes fuerint, aliisque opportunis juris et facti remediis sibi bene visis. Duo vero ejusdem Inventarii exemplaria, unum in Archivo Episcopali, alterum in Archivo Ecclesiae asservetur. Quodsi in ea Ecclesia haberi non possit, Rector aut Beneficiatus in alio vicinioris Paroeciae cum sua cautela deponat. Quoties autem, deficientibus Rectoribus, qui ad vitam Beneficia vel Administrationes obtinebant, alii eorum loco succedent, hi quoque teneantur Inventarium conficere vel confectum a Praedecessore innovare. In illis vero Ecclesiis, Monasteriis, Collegiis vel aliis piis locis, quae Administratores perpetuos non habent, sed temporarios, idem fiat singulis decenniis. Ubi vero Locorum piorum administrationes a pluribus in annum fiunt, omnes pro viribus ad hujusmodi onus conficiendi Inventaria teneantur; sin minus, poenas pro modo culpae et temporis ratione daturi.

Porro ut horum Inventariorum tuta Custodia habeatur, sicut Archiepiscopus in Archiepiscopio, ita et singuli Episcopi in Episcopiis suis vel alio, quo possunt, tutiori simul et commodiori loco Archivum erigent, in quo nedum unum praedicti Inventarii seu descriptionis Bonorum propriae Mensae exemplar (alio in Archivo Metropolitanae seu Cathedralis Ecclesiae respective reposito), sed et alias majoris momenti Scripturas et Inventaria omnium aliarum Ecclesiarum et Locorum piorum recondi curabunt. Ejusdem autem Archivi sicut etiam Cancellariae Inventarium confici et singulis annis renovari ac penes se retinere satagent, provideantque, cum ex hac vita migrandum est, illud Sigillo obsignatum Sacerdoti a Confessionibus tradere, ut Praelato dignioris Conventus suae Civitatis tute ac fideliter custodiendum consignet, qui Suc-

a cessori Antistiti illud clausum et integrum repraesentet, quod et ipsimet Ecclesiarum Praesules per se implere non omittant, si quando longius a Dioecesi necesse habuerint peregre proficisci. Tandem decedente Archiepiscopo vel Episcopo, Capitulum, in ordinaria Jurisdictione succedens, una cum Vicario Generali defuncti Antistitis quamprimum, et si fieri poterit, etiam antequam ad Vicarii Capitularis electionem procedat, Archivum Archiepiscopale vel Episcopale et Cancellariam visitet, novumque Inventarium conficiat et cum eo conferat, quod Episcopus reliquit.

Quicumque tandem Processus, Scripturas et Documenta existentia in hujusmodi Archivo aut Cancellaria corruperit, subtraxerit, combusserit, suppresserit,
b seu similia fieri mandaverit, aut auxilium, consilium vel favorem praestiterit: Dignitate, Beneficio et Officio, si quod habet in Curia Ecclesiastica, Notarii, Scribae, Procuratoris vel Advocati omnino privetur, et inhabilis habeatur eo ipso ad futura obtinenda. Quodsi Laicus fuerit, gravibus poenis pecuniariis vel corporis afflictivis, etiam damnationis ad Triremes, pro modo culpae coerceatur, et praeter has externi Fori poenas, nemo Sacerdotum audeat illum absolvere absque speciali Episcopi licentia (quae in generali casuum reservatorum concessione comprehensa non intelligatur) et facta prius eo modo, quo fieri poterit, reintegratione.

Quo vero ad Archiva aliarum Ecclesiarum, ubi desunt, instituantur, praesertim in Metropolitana, Ca-
c thedralibus, Collegiatis, Conventualibus et Parochialibus Ecclesiis cum Indice seu Catalogo omnium Scripturarum, quae in quolibet Archivo recondentur.

Denique, quoniam Sancta Synodus animadvertit, frequenter accidere, quod provisi de Beneficiis Ecclesiasticis per Litteras Apostolicas, praesertim in forma gratiosa, adeptae possessionis Instrumenta cum Litterarum Apostolicarum insertionibus ad Curiam Archiepiscopalem seu Episcopalem respective non deferant, unde fit, quod nec certo sciri possit, quinam Dioecesis Beneficia possideant: statuit et mandat, quod provisi de Beneficiis Ecclesiasticis Apostolica Auctoritate, saltem intra quindecim dies, postquam possessionem consecuti fuerint, adeptae possessionis Instrumenta cum
d insertione Litterarum Apostolicarum Ordinario debeant exhibere, sub poena Sequestri super fructibus Beneficii apponendi; Notarii vero, qui hujusmodi Instrumenta conficient, debeant Provisos, si exteri sint, de hujusmodi obligatione specifice monere.

TITULUS VII.

De Jurejurando.

Ad servandam Religionem Juramenti, quod non sine manifesto perjurii periculo illis, qui de crimine accusantur, dum examini subjiciuntur, defertur, ut veritatem patefaciant ad ea, de quibus interrogantur, praxim, quae in Curiis tam Ecclesiasticis quam Saecularibus inolevit, deferendi Reis hujusmodi Juramentum

Sancta Synodus omnino tollit et abolet, dum tamen Rei uti Principales constituuntur; atque ita ab omnibus et quibuscumque Judicibus et Notariis in hac Provincia servari mandat, alias Examen seu Constitutum et Acta omnia nulla sint eo ipso, et omni careant contra Reos effectu. Liceat tamen juramentum hujusmodi Reis deferre, dum non uti Principales, sed uti Testes quoad alios interrogantur.

TITULUS VIII.

De Celebratione Missarum et Divinis Officiis.

Decretum editum a Clemente XI. Fel. Record. Romano Pontifice et a Sanctissimo Domino Nostro nuper declaratum de Oratoriis privatis [1] et Altari Portatili Sancta Synodus publicari mandat una cum praedicta declaratione; decernit quoque, ut his Decretis apponatur et ubique servetur, praesertim a Regularibus, adversus quos Episcopi tamquam Sedis Apostolicae Delegati, quatenus opus, procedent.

De Anniversario Archiepiscopi et Episcoporum.

Decet Nos Praedecessorum Nostrorum, quorum Memoria in Benedictione est, rationem habere. Itaque non solum in Metropolitana et Cathedralibus pro defunctis Archiepiscopis seu Episcopis, ut hactenus servatum fuit, juxta primi Provincialis Concilii Decreta, sed et in Collegiatis aliisque Conventualibus seu Receptitiis Ecclesiis, juxta Concilii Romani Sanctionem, solemne Anniversarium prima die post Commemorationem omnium Fidelium Defunctorum distinctum ab illo, quod pro Canonicis seu aliis haberi solet, agatur; ac praeterea in iisdem Ecclesiis aliud celebretur, recurrente anniversario die obitus seu depositionis Archiepiscopi vel Episcopi postremo defuncti. Et Nos quidem in Metropolitana Nostra hujusmodi Officium praestabimus piae Memoriae Archiepiscopi Balthasaris S. R. E. Presbyteri Cardinalis Cincii, qui vigesima sexta Maji anno MDCCIX., dum Ecclesiam hanc summa vigilantia ac sapientia administraret, obdormivit in Domino.

Ut Pontificalibus Officiis Sacerdotes et Clerici omnes intersint.

Veterem Canonem Zephyrini Papae, quo cautum fuit, ut rem Divinam facienti Episcopo Sacerdotes omnes adstarent, Sancta Synodus innovans statuit, ut, quotiescumque contigerit in Civitatibus vel Oppidis Dioecesis Divina Officia pontificaliter celebrari, Sacerdotes omnes et Clerici, praesertim Beneficiati (inter quos, qui Generis Nobilitate clarescunt, decet esse promptiores) in Civitate vel in Oppido degentes, omnino debeant interesse. Et si dies solemnior sit et specialis necessitas urgeat, etiam Capitula Ecclesiarum Collegiatarum in Metropolitanam seu Cathedralem Ec-

[1] Conc. Rom. pag. 367. a. in Append. et pag. 434. d. in textu Concil.

a clesiam, ubi Pontificalia aguntur, conveniant, et omnes vocem sui Pastoris audiant. Si forte quis, Canonica praepeditione aut alia ratione detentus, interesse non poterit, excusationis suae causam prius Episcopo proponat; sin minus, dabit ejus arbitrio contumaciae poenas.

De Eleemosynis Missarum.

Ad consulendum paupertati Ecclesiarum et Locorum Piorum, quae multis Missarum oneribus supra vires gravantur, Metropolitanus nomine omnium Episcoporum Comprovincialium a Sanctissimo Patre ac Domino Nostro Benedicto XIII. impetrare curet facultatem reducendi praedicta onera ad rationem sexaginta Scutorum monetae Romanae pro qualibet Missa
b quotidiana, prout idem Sanctissimus D. N. omnibus et singulis Episcopis in Concilio Romano congregatis indulsit atque etiam specialiter eidem Metropolitano concessit pro Archidioecesi Firmana.

In manualibus vero Missarum Eleemosynis mos uniuscujusque Loci religiose servetur, ita ut nec plus ad tollendam omnem avaritiae suspicionem exigatur, nec minus ad evitandam omnem licitationis speciem a quolibet recipiatur. Qua in re serio moneantur Superiores Regularium, ut hi etiam cum reliquo Clero convenire velint.

De Sacris Collationibus.

Institutas in Provincia Nostra Cleri Congregationes
c pro disceptatione rerum moralium saepius quam hactenus frequentari, Sancta Synodus cupit; et si non liceat singulis hebdomadibus, singulis saltem quindenis diebus omnino fiant, in quibus alternatim de rebus moralibus et de Sacris Ritibus, addita eorum praxi, disceptetur. Semper vero oratione mentali hujusmodi Congressus concludantur ea Methodo, quam unusquisque Episcopus in Dioecesi sua aptiorem judicabit et utiliorem.

TITULUS IX.

De Vita et honestate Clericorum.

Quamvis, Deo sint Laudes, in Provincia Nostra
d Clerici omnes in Sacris Ordinibus constituti vel Ecclesiastica Beneficia obtinentes a Laicali habitu abstineant, nihilominus pro cautione magis futurorum quam emendatione praesentium Constitutionem editam a Sanctissimo Domino Nostro contra Clericos Beneficiatos in habitu Laicali incedentes [1] Sancta Synodus publicari et in calce horum Decretorum registrari mandat.

Insuper usum vestium nigri coloris olim in Provincia receptum approbans, alios quoscumque colores in vestibus exterioribus Clericis omnibus interdicit. Nemo praeterea audeat Divinis Officiis in Choro interesse, Missas celebrare aut Sacramenta publice mini-

[1] Conc. Rom. in Append. pag. 408. d.

strare, nisi indutus sit Sanctae Religionis habitu et veste talari, eaque ex omni parte decenter clausa, sub poena suspensionis. Tonsuram vero et Coronam Ordini congruentem Clerici gestent omni tempore et in omni loco.

Ad haec, quoniam arma Clericorum sunt lacrimae et preces, aliorum armorum usum sciant sibi esse interdictum et quascumque praesertim clamorosas venationes.

Praeterea ab alearum et taxillorum lusibus aliisque hujusmodi, qui Clericalem Vitam plurimum dehonestant, Clerici abstineant, praesertim in Tabernis aut Apothecis aut etiam in Praetoriis vel aliis Locis publicis, in quibus si quis Ecclesiastici Ordinis Vir ludere audebit, pecuniaria poena et aliis arbitrio Episcopi gravioribus, etiam suspensionis, mulctetur. Insuper et tempus inutiliter terere, ut ludentes spectent, aut publicis spectaculis intersint, gravitati morum adversari cognoscant.

Verum et cohabitationem Mulierum (iis, quae primo vel secundo consanguinitatis vel affinitatis gradu conjunctae sunt, dumtaxat exceptis) et nimiam earum consuetudinem vel familiaritatem Clerici omnino devitent. Nec quisquam audeat aliam Mulierem vel Ancillam penes se retinere, nisi forte aetate et moribus extra omnem suspicionem illa sit, et Ordinarii sui accedat licentia, sub poena pecuniaria et, contumacia crescente, suspensionis ab Officio et Beneficio aut etiam carceris vel alia graviori arbitrio Episcopi. Presbyteros tamen Sancta Synodus hortatur ac praesertim Parochos, ut Domi suae vel alium Presbyterum aut saltem Clericum habeant, et a Viris potius quam a Foeminis sibi ministrari permittant.

Denique Choreis interesse, aut Foeminas ad Choreas associare, aut domi suae opportunitatem dare, ut Choreae sive publice sive privatim habeantur, Clericis omnibus interdicit, sub poena pecuniaria aut etiam graviori arbitrio Episcopi; si vero contingat, Clericos cum Foeminis saltare aut larvatos incedere, inhabiles habeantur ad altiores Ordines. Presbyteri vero si, quod absit, larvati incedere aut cum Foeminis saltare audebunt, poenam suspensionis a Divinis Episcopo reservatam eo ipso incurrant: salva tamen Episcopis facultate in Dioecesana Synodo aliam poenam loco suspensionis, si forte efficacior videatur, statuere. Caeterum omnes Ecclesiastici Ordinis viri animo frequenter recolant ea Magni Gregorii Papae verba: *Nullum majus praejudicium quam a Sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit; quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus*[1].

Postremo Sacerdotes omnes Sancta Synodus monet, ut memores Dignitatis suae, Laicorum obsequio non se addicant nisi in iis, quae ad Pietatem spectant; et tunc quidem negotiis Saecularibus non se im- a plicent, nec vilia audeant tractare. Qua in re Nobiles quoque monet, ut, quoties contigerit, vel pro Christiana Filiorum suorum disciplina, vel pro alia Pietatis causa Sacerdotes apud se habere et sumptibus suis alere, nihil illis imponant, quod Sacerdotali Dignitati, quam semper summopere revereri debent, possit esse indecorum: quae ratio etiam erga Clericos habeatur, praesertim in Sacris Ordinibus constitutos.

TITULUS X.

De Clericis non residentibus.

Ne saluberrima S. Concilii Tridentini Decreta de Residentia *Sess. 6. de Reform. cap. 1. et Sess. 23. de* b *Reform. cap. etiam primo* unquam memoria excidant, Sancta Synodus mandat ea palam relegi et omnibus intimari.

Quoniam vero Parochorum absentia a Paroeciis suis carere non solet periculis Animarum, nemo eorum ultra biduum (quod nec frequenter fiat) audeat abesse absque Ordinarii licentia, in scriptis et gratis concedenda; idoneo tamen Oeconomo relicto, ab eodem Ordinario approbando, sub poena amissionis fructuum pro rata temporis aliisque gravioribus pro modo culpae.

TITULUS XI.

De Testamentis.

c Plurimum Nobis displicuit, in hac Provincia exiguam adeo apud nonnullos curam esse adimplendi Decedentium voluntatem, ut quandoque Testamenta ac Supremae Tabulae ad multos annos post Testatoris obitum occlusa maneant, prout adhuc manent, nemine petente, ut aperiantur. Quod sane non minus Ecclesiae quam Reipublicae noxium est, praesertim cum ex hujusmodi fraude pia Legata et constituta Suffragia ignorentur et negligantur. Propterea Sancta Synodus ad occurrendum hujusmodi malo decernit, ut Notarius aut quicumque alius, cujus fidei Defunctus clausum Testamentum commisit, statim post obitum Testatoris, cadavere adhuc praesente, et antequam e mortuaria domo efferatur, si fieri poterit, aut saltem quam- d primum licebit, Testamentum, adhibitis Testibus, ac servatis de jure servandis, aperiat et publicet, etiamsi Consanguinei Testatoris id minime petant, sine praejudicio tamen exigendi mercedem, a quibus et prout de jure; et si quid in pios usus legatum relictumque est, ad notitiam Episcopi infra quindecim dies a Testatoris obitu deducat; atque idem praestet (si quid fiat ad pias causas dispositione aliqua inter vivos, de qua ipse rogatus sit) infra idem tempus a die celebrati Actus vel Instrumenti; qua de re Episcopi in propria Dioecesi Edictum publicent, proposita contra contumaces poena, etiam Excommunicationis majoris latae sententiae sibi reservatae. Parochi quoque infra idem tempus de piis Legatis, quae coram ipsis a Pa-

[1] Homil. 17. [Opp. S. Greg. Ed. Migne II. 1146. C.]

rochianis fiunt, Episcopum reddant certiorem: Testamenta quoque, si fiant, exhibeant, ut, servata juris forma, revelentur; et hoc quidem, ut Episcopi piarum voluntatum executionem, quae ipsis maxime incumbit, valeant curare.

TITULUS XII.

De Statu Monachorum et Eremitarum ac Monialium.

Arduum plane et periculis plenum Eremitarum propositum paternae nostrae sollicitudinis merito excitat Officium; praesertim cum Eremus, a summis viris olim culta, quorum opera ac studio Solitudo exultabat et florebat quasi Lilium, neglecta modo jaceat ac moerens, ita ut, si quis nova cum veteribus b conferat, fateri debeat, obscuratum esse aurum, mutatum colorem optimum. Itaque Sanctae Synodo primum praecavendum esse videtur, quod olim magnus ille Monachorum Pater ac Magister Benedictus animadvertit, ne quis scilicet conversionis fervore novitio, sed Monasterii probatione diuturna fraterna ex acie ad singulare certamen adversus Diabolum descendat. Et sane, quantum fieri poterit, antequam quis ad Eremum dimittatur, in aliquo severioris disciplinae Monasterio probetur informeturque; deinde illis, qui Litterarum gnari sunt, asceticorum Librorum lectio summopere commendetur; ac praesertim, ut collationes Patrum ac vitas et verba Seniorum assidue legant: inde enim, unde hujus Caelestis vitae genus initium c duxit, capient exempla vivendi et praecepta vitandi callidi Hostis insidias. Postremo Regulas a Sanctissimo Domino Nostro in Romano Concilio editas [1] Anachoretis hujus Provinciae observandas proponit, nec desinent Episcopi illos quotannis congruo tempore ad Civitatem evocare, ut peculiari Scrutinio de Ecclesiis et Eremis, ubi fuerint divino servitio deputati, de eleemosynis insuper et illarum usu, ac de actibus suis et institutae vitae profectu reddant rationem.

Caeterum Sancta Synodus, quantum in Domino potest, Monialium Curam Episcopis commendat, ut illae et Vota sua Domino reddant, et Clausurae Leges diligenter observent, et rerum omnium communionem, quae nihil habet, et cui nihil deest, quantum d fieri poterit, amplectantur. Curent quoque, ut Puellae, quae in Asceteriis degunt, pie educentur et a vano vestium ornatu abstineant.

TITULUS XIII.

De Consecratione Ecclesiae vel Altaris et Cultu.

Solemnes Ecclesiarum et Altarium dedicationes, quae rarae admodum olim erant, Sanctissimus Dominus Noster Benedictus XIII. exemplo et auctoritate sua in Concilio Romano restituit. Et Nos quidem, qui in priori Nostra Nucerina Ecclesia Cathedrale Templum

[1] Conc. Rom. in Append. pag. 443. et seqq.

a et insignem Collegiatam S. Petri Sentini et plures Parochiales Ecclesias et Altaria consecravimus, ubi primum ad hanc Metropoliticam Sedem evecti sumus, animadvertentes, multas etiam praecipuas Ecclesias et majora earum Altaria in hac Archidioecesi Firmana nondum fuisse solemniter dedicata, instructionem ad Parochos edidimus, ut ea pararent, quae ad hujusmodi Dedicationem requiruntur. Aggressi opus jam sumus in Visitationis decursu; nec desinemus rem urgere, quod ut Coepiscopi Nostri etiam faciant, Sancta Synodus illos vehementer hortatur. Non enim decet, Cathedrales, Collegiatas aut Parochiales Ecclesias Consecratione carere, nec Altari portatili etiam in Majoribus Basilicis passim uti. Quapropter cum in hac Metropolitana Ecclesia Aram maximam, quam olim Bonjoannes, Episcopus et Princeps Firmanus, anno Domini MCCCLI. dedicavit, postquam anno MCCCLVIII. eversa fuit, restitutam quidem, sed nondum perfectam et consecratam deprehenderimus, illam perfici curavimus, et hoc mane, quinta scilicet Maji, Dominica secunda post Pascha, praesentibus et sacram cohonestantibus functionem Sanctissimis Coepiscopis Nostris aliisque omnibus in praesenti Provinciali Concilio congregatis, solemniter dedicavimus ad honorem Dei et Nomen B. Mariae Virginis, et in eo Reliquias Sanctorum Martyrum Alexandri, hujus Ecclesiae Episcopi, et Sabini, pariter Episcopi, inclusimus, cum Indulgentiis solitis et consuetis.

Quoniam vero Locis Deo dicatis Religiosus Cultus debetur, caveant Ecclesiarum Rectores et Sacristae, ne quid indecens aut inordinatum in Ecclesia fiat: canes et alia animalia omnino arceantur. Sacris Altaribus, quibus Christus significatur, nemo audeat pileos aut profanum quid superimponere, nec iis adhaerere vel accumbere; ac propterea, ubi licet, Altaria cancellis muniantur; nec ita passim et adeo multiplicia in Ecclesiis erigantur, ut Divinus Cultus confundatur potius quam augeatur, praesertim si inter se vicina vel ex adverso sint, ita ut Sacerdos rem Sacram faciens in uno impediat alterum, aut Populus ibi Sacrificio assistens terga vertat alteri sacrificanti. Quod si alicubi ita inordinate Altaria jam erecta sint, sublatis Sanctorum Reliquiis, Arae destruantur, maneant tamen Icones et quae circa Aras sunt, ad ornatum Ecclesiae. Divinis vero Mysteriis absolutis, Sacrae Altarium Mensae corio aut tela colorata contegantur, ne pulvere aut sordibus squaleant. Nitor denique et mundicies in iis, quae ad Sacrificium spectant, et in Sacris Vestibus et in omni Templi parte diligentissime curetur. Qua in re maxime dolendum est, quod ditiores Clerici aut Monachi a pauperioribus se vinci permittant.

Ad haec Parochi omnes interdum Populo proponant atque explicent Cap. XI. Epistolae primae ad Corinthios, ubi Beatus Apostolus Paulus Viris prohibet, ne audeant orare velato capite, et Mulieribus, non velato, atque inde deducant, aeque turpe esse videre aliquando Viros in Ecclesia tecto capite et Mu-

lieres non tecto, easque hortentur, ut juxta Apostoli monitum habeant super caput suum *Potestatem*, scilicet velum tanquam humilitatis suae sarcinam et insigne subjectionis, idque, ut ait Apostolus, propter Angelos, scilicet ne Angeli, quorum Custodiae commissae sunt, earum impudentia offendantur, et ne Viri, qui caelibem velut Angeli vitam ducunt in terris, earum aspectu scandalizentur. Si quae vero Mulier his Apostolicis monitis obtemperare contempserit, participatio Sacramentorum, capite non velato, ei omnino denegetur.

TITULUS XIV.

De Reliquiis et Veneratione Sanctorum ac de Sacris Imaginibus.

Quamvis Catholica Ecclesia, praesertim in Oecumenico Tridentino Concilio [1], satis diserte tradiderit Doctrinam de Invocatione et Veneratione et Reliquiis Sanctorum ac Sacris Imaginibus, nihilominus graves adeo in hac re passim videmus excessus, ut, nisi modus imponatur, pusillorum scandala et haereticorum vitari non possint blasphemiae, qui nihil frequentius, licet perperam, Catholicis objiciunt, quam Cultum uni Deo debitum defunctis cum Sanctitatis opinione Viris eorumque Reliquiis, imaginibus quoque et sculptilibus et operibus manuum hominum a nobis exhiberi. Et hanc quidem rem Tridentini Concilii Patres tanti fecerunt, ut Episcopos omnes non solum gravissimo Decreto monuerint de tollendis abusibus, sed etiam in difficilioribus casibus Metropolitani et Comprovincialium Episcoporum in Provinciali Concilio sententiam expectare voluerint.

Itaque Episcopi, Parochi caeterique docendi munus et curam habentes doceant Populum sibi commissum, unum a nobis Deum ejusque Filium Dominum nostrum Jesum Christum, qui solus Redemptor et Salvator noster est, adorari, Sanctos vero tamquam cum Christo regnantes venerari: in Deo tantum fiduciam obtinendae gratiae ponendam esse per merita Jesu Christi Filii ejus, qui unicus Mediator est inter Deum et Homines, non autem in ulla creatura; Sanctos tamen utiliter a nobis invocari, non, ut aliquid nobis propria Virtute largiantur, sed ut pro nobis a Deo petant, pro nobis orent et precibus suis apud Deum nobis suffragentur; nullam etiam Imaginibus inesse Virtutem, sed Cultum, quem his adhibemus ad Prototypa referri, ita ut per Imagines, quas osculamur, et coram quibus caput aperimus et procumbimus, Christum adoremus, et Sanctos, quorum illae similitudinem gerunt, veneremur. Si quando autem Divinae Trinitatis Mysterium aut Divinam aliquam Personam coloribus repraesentari contigerit, ut indoctae Plebis desiderio satisfiat, quod tamen sobrie nimis faciendum est, moneatur Populus, non propterea Divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici vel coloribus aut figuris exprimi possit: atque idem servetur, cum contigerit, Spirituales Substantias, scilicet Angelos et Animas a Corpore separatas, effingi.

Praeterea Pictorum et Sculptorum licentia fraenetur, qua quidlibet etiam in Sacris audentes, Angelos (quorum Ordo Sanctis excelsior in Coelis est) pingunt aut fingunt circa Sanctorum Reliquias aut Imagines famulari, qui honor post Deum uni tantum Deiparae Virgini, Angelorum Reginae, deferendus est. Insuper cum Domum Dei deceat Sanctitudo, lascivia omnis et procax venustas in Angelorum et Sanctorum Imaginibus vitetur, nec illae corporis partes, quas verecundus pudor tegere consuevit, nudatae unquam appareant, nec ludicrum quid aut profanum aut Gentium superstitionem sapiens in Ecclesia ullibi inveniatur.

Quoniam vero Sacrificii oblatio uni Deo, rerum omnium Creatori, debetur, omnino caveatur, ne indocta Plebs credat, Creaturae ulli a nobis offerri. Propterea omnes sciant, Ecclesias et Altaria uni Deo a nobis dicari, licet ad Nomen et Memoriam aut Deiparae Virginis vel Angelorum aut Sanctorum: cum vero festi Sanctorum dies aguntur, non alia ratione fieri, nisi ut Deo gratias agamus, a quo Sancti et Gratiae dona, quibus meruerunt, et justitiae coronam, quam acceperunt, consecuti sunt; Memorias autem Sanctorum ideo coli, ut ad Pietatis studium eorum erudiamur exemplis, et precibus juvemur apud Deum. Super Aras vero, praesertim cum Missae celebrantur, in medio et digniori loco, ad avertendum omne Idololatriae periculum aut suspicionem, Imago Domini Nostri Jesu Christi Cruci affixi, cujus Passionis Memoriam Sacrificio recolimus, dumtaxat collocetur. Cum autem Sanctissima Eucharistia Populo adoranda exponitur, non solum procul sint omnes Sanctorum Imagines aut Statuae, sed etiam illae, quae ad parietem supra vel prope Altare habentur, contegantur.

TITULUS XV.

De Baptismo et Confirmatione.

Parochi Baptismalis Fontis Benedictionem non solum Sabbatho ante Sacratissimum Pascha, sed et altero Sabbatho ante Pentecosten juxta Sacros Canones et Romanum Rituale non intermittant; Baptizandorum quoque Catechesim ad Ecclesiae januam, his cum Patrinis extra existentibus, peragant, prout non sine Mysterio ab Ecclesia est institutum.

Confirmationis Sacramentum quotannis in Civitatibus, et nisi grave obstet impedimentum, in Festis Pentecostes, per Dioeceses vero tempore saltem Visitationis Episcopi solemniter conferant, semper tamen, quantum fieri poterit, de mane in Ecclesia, et jejuni jejunis, Maribus a Foeminis seorsim dispositis, et Adultis Sacramentali prius Confessione mundatis.

[1] Sess. 25.

TITULUS XVI.

De Ecclesiis aedificandis vel reparandis.

Quamvis in hac Provincia frequentes adeo Ecclesiae sint, ut earum numerus non facile videatur augendus, si quando tamen novae Ecclesiae aedificandae aut veteris reparandae aut novi Altaris erigendi licentia petatur, curent prius Episcopi, exhiberi sibi novi Operis Ideam, ne quid incipiatur, quod inordinatum deinde et Cultui Divino minus aptum aut a veteri et probata Ecclesiae disciplina alienum deprehendatur: prius etiam de Dote sufficienti constituta in Actis Curiae Episcopalis doceatur. Insuper caveant, ne quis Stemma aut Titulum in digniori Ecclesiae parte aut, quod deformius foret, in ipsa Altarium summitate, ubi Crux figenda est, vana quadam ad Posteros jactantia apponere praesumat. Imo ubi haec apposita in summitate Altarium inveniuntur, inde tollantur, et Crux eorum loco ponatur; ipsa vero Stemmata ad basim columnarum, quae Aram ornant, aut alio aptiori loco arbitrio Episcopi ad servandam gratam erga Fundatores memoriam transferantur.

Quoniam vero Sanctissimus Dominus Noster saluberrima constitutione [1], quae incipit *Pius et misericors Dominus,* conservationi et reparationi fabricae Ecclesiarum Metropolitanarum et Cathedralium et Collegiatarum consuluit, attributa his medietate fructuum primo anno percipiendorum ex Beneficiis, quae ab Episcopis aliisque Inferioribus conferuntur, eandem Constitutionem publicari et in hujus Concilii Actis registrari et ad praxim deduci, Sancta Synodus mandat.

TITULUS XVII.

De Immunitate.

Constitutionem nuper editam a Sanctissimo Domino Nostro circa immunitatem Ecclesiasticam, cujus initium *Ex quo* etc. [2], Sancta Synodus publicari mandat et hujus Concilii Actis inseri, ut diligenter ab omnibus servetur.

TITULUS XVIII.

De Accusationibus.

Ut Sancta Synodus quarti Lateranensis Concilii Decreto in *Cap. Sicut olim. de accusationibus* faciat satis, Testes Synodales in hac aliisque Provinciae Dioecesibus eos eligit et deputat ab ipsis Sanctissimis Provinciae Patribus propositos, quorum nomina Elenchus exhibet in Actis hujus Concilii inserendus. Horum autem Synodalium Testium officium erit simpliciter et de plano absque ulla jurisdictione sollicite investigare, quae correctione vel reformatione sunt digna, ut ea Metropolitae et Coepiscopis in futuro Concilio con-

[1] Conc. Rom. in Append. pag. 448.
[2] Conc. Rom. in Append. p. 450. d.

a gregatis fideliter referant, super quibus, prout utilitati et honestati congruerit, provida deliberatione procedetur.

TITULUS XIX.

De Magistris.

Seminariis Clericorum, quae jam, Deo dante, in unaquaque hujus Provinciae Civitate erecta sunt, sicubi novis proventibus indigeant, Sanctissimi Domini Nostri Constitutione [1], superiori anno edita et Actis hujus Concilii addenda, satis consultum est; nec quidquam Nobis restat, nisi ut ejus providam mentem exequamur, et ejus vigilantiam in hac re, ex qua b Ecclesiasticae disciplinae profectus maxime pendet, imitemur.

TITULUS XX.

De Poenitentiis et Remissionibus.

Cum Praebenda Poenitentiariae [2] non solum in Metropolitana, sed in unaquaque Cathedrali hujus Provinciae instituta sit, nihil superest, nisi ut Provisi de illa Ministerium suum diligenter adimpleant, et ubi hujusmodi Praebenda admodum tenuis est, eo modo, qui in novissima et jam promulgata Constitutione Apostolica proponitur, augeatur.

Quoniam vero nihil aut Christifidelibus Curae Nostrae commissis periculosius aut Nobis acerbius c accidere potest, quam si quis ex hac vita sine Sacramentali Confessione demigret, propterea Parochis omnibus aliisque Animarum Curatoribus Sancta Synodus districte jubet, ut praecipuam Infirmorum curam habeant, et ubi primum aliquem aegrotare intellexerint, quamvis a Domesticis non moniti, Infirmum visitare et Poenitentiae Sacramento ejus spirituali saluti (ex qua aliquando etiam corporis salus dependet) consulere non omittant, sub gravi poena arbitrio Episcopi imponenda. Praeterea iidem Parochi, ubi amplior Animarum cura est, et vires Ecclesiae sufficiunt, unum aut plures Coadjutores ab Episcopo approbatos secum habeant et, si fieri potest, in Aedibus Parochialibus; atque etiam equum, si cura Animarum ad d plura per agros milliaria se extendat, ut praesto esse possint et necessarium adeo officium adimplere.

Non tamen propterea Domesticos Infirmi ab obligatione accersendi Parochum, ubi primum quis aegrotare incipiet, Sancta Synodus putat absolvendos, imo et Domesticis quoque, ut in hac re diligentes sint, districte jubet; sin minus, Episcopi in eos severe animadvertant pro modo culpae.

Medici quoque et Lateranensis IV. Concilii Decretum et Constitutionem S. Pii V., quae incipit *Super Gregem Dominicum,* diligenter observent, sub poena excommunicationis latae sententiae Episcopis reservata,

[1] Conc. Rom. in Append. pag. 451.
[2] * Forte *poenitentiaria.*

si post tertiam Infirmi visitationem a cura non abstineant, donec Infirmus poenitentiae susceperit Sacramentum. De observanda autem praedicta Constitutione juramentum ibi praescriptum, cum in Medica facultate Doctoris gradum suscipiunt, omnino praestent; et antequam ad medendum admittantur, aut doceant jam praestitisse, aut coram Ordinario hujusmodi juramentum emittant.

Infirmi autem non putent,* licere sibi tempore Sacratissimae Quadragesimae carnibus aut lacticiniis vesci, habito tantum a Medicis necessitatis suae Testimonio; sed sciant ulterius dispensationem ab Episcopo esse petendam, qui in Civitatibus per se aut Vicarium Generalem, in Dioecesi vero per Vicarios Foraneos gratis illas concedet. Si quis tali dispensatione non impetrata carnibus aut lacticiniis vesci praesumpserit, arbitrio Episcopi puniatur.

SUBMISSIO

Omnium Sanctae Apostolicae Sedi.

Omnia et singula, quae a Nobis in hac Sancta Provinciali Synodo decreta atque acta sunt, qua debemus obedientia et reverentia, Auctoritati et Judicio S. Romanae Ecclesiae, omnium Ecclesiarum Matris et Magistrae, emendanda et corrigenda subjicimus.

Ego Alexander, Dei et Apostolicae Sedis Gratia Archiepiscopus Metropolita et Princeps Firmanus, de consilio et assensu Reverendissimorum Coepiscoporum meorum definiens subscripsi.

Ego Alexander Episcopus Maceratae et Tolentini consentiens subscripsi.

Ego Lucas Antonius Episcopus Montisalti consentiens subscripsi.

Ego Gregorius Episcopus Ripanus consentiens subscripsi.

Ego Caesar Episcopus S. Severini consentiens subscripsi.

In quorum fidem

Nicolaus Calvuccius Metropolitanae Ecclesiae Primicerius S. Concilii Secretarius subscripsi.

Annibal de Brancadoris Metropolitanae Ecclesiae Canonicus S. Concilii Secretarius subscripsi.

In Nomine Domini Amen.

Praesenti hoc publico Instrumento cunctis ubique pateat evidenter et notum sit, qualiter in prima Sessione Sacri Concilii Provincialis Firmani habita in Ecclesia Metropolitana Dominica in Albis die 28. Aprilis 1726. de mane post Missam Pontificalem decantatam ab Illustrissimo et Reverendissimo in Christo Patre et Domino D. Alexandro Borgia, Archiepiscopo Metropolita et Principe Firmano, et caeteras preces in Pontificali Romano praescriptas Sermonemque habitum in Faldistorio per eumdem, fuerunt publicata a Perillustri et admodum Reverendo Domino Nicolao Calvuccio, ejusdem Metropolitanae Ecclesiae Primicerio et Sacri Concilii supradicti Secretario, ex Ambone prima Decreta videlicet: *De non praejudicando, de inchoanda Synodo, de ratione vivendi in Synodo, de non discedendo, de Ministris Synodalibus, de Professione Fidei et de adnotatione Interessentium.* In secunda vero Sessione celebrata feria quarta prima Maji pa-
a riter de mane post Sacrum Pontificaliter ab Illustrissimo et Reverendissimo in Christo Patre ac Domino D. Alexandro Varani, Maceratae et Tolentini Episcopo, persolutum aliasque preces in eodem Pontificali Romano descriptas ac Sermonem habitum in Ambone a Perillustri et admodum Reverendo Domino Philippo Montani, dictae Metropolitanae Ecclesiae Canonico, per praefatum Dominum Secretarium fuerunt publicata Decreta de reformatione, consistentia in septem Titulis, videlicet: *De Summa Trinitate et Fide Catholica, de Constitutionibus, de Rescriptis, de Officio Judicis Ordinarii, de Feriis et Festorum dierum observantia, de Fide Instrumentorum et de Jurejurando* una cum pluribus Constitutionibus Apostolicis ex eodem Ambone lectis et publicatis, prout latius ex originali et authentico libro Actorum ejusdem Concilii Provincialis, asservato in Cancellaria Archiepiscopii Firmani. In tertia vero Sessione habita die Dominica 5. ejusdem mensis Maji 1726. a prandio, praemissis precibus, de quibus in Pontificali, idem Dominus Secretarius prosecutus fuit publicationem plurium Constitutionum Apostolicarum, prout latius in dicto originali libro Concilii, necnon promulgationem reliquorum Decretorum
b de Reformatione usque ad Titulum vigesimum videlicet: *De Celebratione Missarum, de Vita et honestate Clericorum, de Clericis non residentibus, de Testamentis, de Statu Monachorum et Eremitarum ac Monialium, de Consecratione Ecclesiae vel Altaris, de Reliquiis et veneratione Sanctorum, de Baptismo et Confirmatione, de Ecclesiis aedificandis vel reparandis, de Immunitate, de Accusationibus, de Magistris, et de Poenitentiis et remissionibus,* una cum Decreto submissionis Sanctae Apostolicae Sedi, quibus accessit Decretum de subscribendo ac Indictio alterius Concilii Provincialis ad diem octavam Maji 1729. Omnes demum et singulae Constitutiones praedictae in praesenti Sacro Provinciali Concilio contentae, celebratae et promulgatae, lectae, latae et gestae, ac in mei praesentia subscriptae in Cornu Evangelii Arae maximae fuerunt a dicto Illustrissimo et Reverendissimo Domino Archiepiscopo Metropolita et Principe, omnibusque Illustrissimis et Reverendissimis PP. Coepiscopis assistentibus in memorata Sacra Metropolitana Ecclesia coram Reverendissimo Metropolitano Capitulo, Procuratoribus Ecclesiarum Cathedralium, Collegiis atque Cleris Urbano et Foraneo; et deinde clausa fuit Sessio,
c habita a Perillustri et admodum Reverendo Domino Marco Antonio Francolino, dictae Metropolitanae Ecclesiae Canonico, Oratione gratulatoria.

Super quibus omnibus et singulis petitum fuit a me Protonotario Apostolico infrascripto et Notario Synodali, ut unum vel plura, publicum seu publica conficerem atque traderem Instrumentum vel Instrumenta, prout opus fuerit, et requisitus ero.

Actum Firmi in memorata Ecclesia Metropolitana hac die 5. Maji 1726. praesentibus, audientibus, intelligentibus et inspicientibus nobilibus Viris DD. Caesare Brancadoro, Concepto Orlandi et Marino Hieronymo Catalani, Patritiis Firmanis, Testibus ad haec specialiter vocatis, habitis atque rogatis; unde ego in praemissorum fidem de praedictis omnibus rogatus et requisitus hic me subscripsi, et consueto Sigillo signavi.

Ita est. Joannes Baptista Galli Protonotarius Apostolicus, Curiae Archiepiscopalis Cancellarius Generalis et Notarius Synodalis.

---

d

ELENCHUS MINISTRORUM CONCILII.

Judices Querelarum et Excusationum.

Reverendissimus Dominus Abb. Fabritius Borgia Vicarius Gen.
Reverendissimus Dominus Fabritius Francolini P. Vic. Gen.

Promotores.

Perillust. et Adm. R. D. Hippolytus Gratianus Archidiac. Eccl. Metrop.

Perillust. et Adm. R. D. Antonius Aloysius Sempronii Canonic. Eccl. Metrop.

Secretarii.

Perillust. et Adm. R. D. Nicolaus Calvuccius Primicerius Eccl. Metrop.

Perillust. et Adm. R. D. Annibal Brancadorus Canonic. Coadjutor Eccl. Metrop.

Praefecti Hospitiorum et Disciplinae.

Perillust. et Adm. R. D. Franciscus Maria Morroni Archipresb. Eccl. Metrop.
Perillust. et Adm. R. D. Franciscus Xaverius Sabinus Decanus Eccl. Metrop.
Perillust. et Adm. R. D. Ignatius Aloysius Grassi Canonic. Eccl. Metrop.

Coadjutores.

R. Alexander Fabritii Praebendat. Eccl. Metrop.
R. Franciscus Antonius Bernardelli Mansionarius Eccl. Metrop.
R. Angelus Bianchini Presb.

Oratores.

Perillust. et Adm. R. D. Philippus Montani Canonic. Eccl. Metrop.
Perillust. et Adm. R. D. Marcus Antonius Francolini Canonic. Eccl. Metrop.

Theologi.

Perillust. et Adm. R. D. Curtius Pacini Canon. Theologus Eccl. Metrop.
Perillust. et Adm. R. D. Joannes Bernardinus Mora Canon. Poenitentiar. Eccl. Metrop.

Adm. Rev. Patres.

R. D. Joseph Maria Zarattini Abbas Canonicor. Regul. Lateran. S. Catharinae Firmi.
P. Fr. Augustinus Ricci S. T. Mag., Prior Convent. S. Dominici Ord. Praedicat. Firmi.
P. Fr. Thomas a Velitris Lector Jubilat., Visit. et Commissar. Capit. Provinc. Min. de Obser.
P. Fr. Joannes Baptista Aloysii de Firmo Lector Jubilat. Ord. Min. de Obser.
P. Fr. Augustinus Antonius Bascarini S. T. Mag. Ord. Min. Convent.
P. Fr. Antonius de Aesio S. T. Lector Ord. Min. Reform.
P. Fr. Joannes Baptista Cotta S. T. Mag., Prior Convent. Eremit. S. August. Firmi.
P. Fr. Antonius Maria a S. Firmo Prior Convent. Eremit. Discalceat. S. August. Firmi.
P. Fr. Vitalis ab Ascensione Ord. Carmel. Discalceat.
P. Fr. Franciscus Barnabei Exprovincialis Ord. Minim. S. Francisci de Paula.

a P. Fr. Paulus de Offida Exprovincial. et Guardianus Capuccinorum Firmi.
P. Virginius Provenzali Soc. Jesu, Theologus Illustrissimi et Reverendissimi D. Archiepiscopi.
P. Emanuel Aguilera Soc. Jesu, Theologus Illustrissimi et Reverendissimi D. Episcopi Maceraten. ac Tolent.
P. Thomas Semproni Praepositus Cong. Orat. S. Philippi Firmi.
D. Joseph Maria delle Piane Superior Domus Missionis Firmi.

Decretalistae.

Perillust. et Adm. R. D. Lucius Guerrerius U. J. D. Canon. Eccl. Metrop.
Perillust. et Adm. R. D. Valentinus Paccaroni U. J. D. Canon. Coadjutor Eccl. Metrop.
b Perillust. et Adm. R. D. Canon. Antonius Hieronymus de Canonicis Vic. Gen. S. Severini.
Perillust. et Adm. R. D. Abbas Franciscus Simon Adami U. J. D. et Protonot. Apost.
Adm. R. D. Benedictus Cavallini Presbyter U. J. D.
Perillust. et Adm. Exc. D. Thomas Guerrieri U. J. D., Advocatus et Lector Primar. Vespert. in Univers. Gymnasio Firmano.
Perillust. et Adm. Exc. D. Comes Thomas Spinucci U. J. D. et Advocatus.
Perillust. et Adm. Exc. D. Petrus Amicus Silotti U. J. D. Advocatus et Lector Primar. Matut. in Univers. Gymnasio Firmano.
Perillust. et Adm. Exc. D. Jo. Laurentius Calvuccius U. J. D., Advocatus et Lector in Univers. Gymnasio Firmano.

Historici et Chronologi Sacri.

c Perillust. et Adm. R. D. Bartholomaeus Adami Canon. Eccl. Metrop.
Adm. R. P. Nicolaus Bardi Soc. Jesu.
Adm. R. P. Joannes Hieronymus Paccaroni Cong. Orat. S. Philippi Nerii.

Magistri Caeremoniarum.

R. Philippus Sensini Praebendat. Eccl. Metrop.
R. Gregorius Gramadassi Praeb. Eccl. Metrop.
R. Xaverius Morgantinus Praeb. Eccl. Metrop.
R. Conceptus Antonellus Presbyter.

Notarius.

R. D. Jo. Baptista Galli Prot. Apost., Archiep. Curiae Cancell. Gen.

APPENDIX AD CONCILIUM PROVINCIALE FIRMANUM A. D. 1726.

ORATIO ALEXANDRI BORGIAE

Archiepiscopi et Principis Firmani

Habita in Provinciali Concilio.

Adsumus, Reverendissimi Patres, Sacrum Concilium Provinciale, Auctore Deo, celebraturi, ex quo universa Provincia ad rei novitatem commota grande aliquod opus et amplissimi hujus Conventus dignitati respondens merito praestolatur. Mali timent atque ii praesertim, qui adhuc operibus servientes Saeculo, fidem mentiri Deo per Tonsuram noscuntur; sciunt enim Nos de emendandis Moribus ac tollendis abusibus non ad speciem tantum acturos, sed pro tradita Nobis a Deo Potestate sinceris votis studiisque omnibus operam Reformationi daturos. Boni exultant veluti in spem meliorum rerum erecti, in spem scilicet videndi apud nos Ecclesiam Dei non habentem maculas neque rugas sicut in diebus antiquis: omnes denique, conjectis in Sacratissimum Ordinem nostrum oculis, gravissimam hanc et insolitam, quam ordimur, actionem suspiciunt, stupent, mirantur.

Hactenus inaudita apud nos Concilii Vox erat. Priscis siquidem Ecclesiae temporibus bis in annum juxta Canones, qui Apostolorum nomine circumferuntur, Episcopi simul congredi solebant de Ecclesiasticis Causis tractaturi, quod Nicaeni Concilii Patres ita servari mandarunt[1], ut semel ante dies Quadragesimae et iterum circa tempora Autumni Episcopi simul convenirent[2], sed, hac temporis ratione in Antiocheno Concilio deinde immutata, statutum fuit, ut primus Conventus post tertiam hebdomadam Paschalis Festivitatis ageretur, secundus vero Idibus Octobris, qui dies apud Graecos Hyperberetei Mensis decimus invenitur. Sanctissimus quoque Romanus Pontifex Leo, ex operum magnitudine merito Magnus appellatus, ut bini Episcoporum Conventus in annos singulos haberentur, rescripsit Anastasio Episcopo Thessalonicensi et Apostolicae Sedis Vicario[3]. Vix Saeculo Salutis septimo tanta haec Conciliorum frequentia sublata: Patres enim sextae Synodi, ut Episcoporum sumptibus et itineris incommodis parcerent, satis esse duxerunt, si semel quotannis congrederentur. Ne quis autem contra hanc gravissimam Ecclesiae Legem peccaret, in septima Generali Synodo[4] Principibus, qui in eam quidquam molirentur, anathema dictum, Metropolitis vero, qui infectum cogendi Concilii negotium reliquissent, Canonicae poenae imperatae. At, quod dolenter enarramus, collapsa deinde ac fere eversa Ecclesiastica disciplina, quod olim bis in annum agebatur, cum vix quolibet Saeculo ageretur: placuit Patribus Oecumenicae Tridentinae Synodi, ut saltem tertio quoque anno Provincialia Concilia haberentur, quem morem Divus Carolus Borromaeus in Provincia sua Mediolanensi et pauci alii Sanctissimi Metropolitae, Ecclesiasticae Reformationis maxime studiosi, ad amussim servarunt. Enituit etiam in hac Provincia hujus Canonicae observantiae praeclarum initium; ubi enim Sixtus V. immortalis memoriae Romanus Pontifex Ecclesiam hanc, cujus olim fuerat Episcopus, anno salutis 1589. in Metropolim erexit, statim Sigismundus Zannettinus felicis recordationis Archiepiscopus sequenti anno 1590. Provinciale Concilium celebravit.

[1] Can. *Habeatur.* 3. dist. 18.
[2] Can. *Propter Eccl.* 4. dist. 18.
[3] Epist. 84. [al. ep. 14. c. 7. Opp. S. Leonis ed. Ballerini t. I. col. 689.]
[4] Can. 6. [Mansi Coll. Maxima. XIII, 750. D.]

a Altum deinde ad nostra usque tempora de Synodis Provincialibus silentium, et forte periissent omnino vetera haec Ecclesiasticae Disciplinae instrumenta, nisi in Ecclesia Dei surrexisset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, non inanis gloriae cupidus, non sapiens carnem et sanguinem, qui in Archiepiscopali Munere Provinciales ac Dioecesanas Synodos agere consuetus, jam ad Apostolicae Sedis fastigium evectus exemplo et auctoritate sua restitueret rem; qui Episcopalem dignitatem maximi prae omnibus faciens Episcopos amplecteretur ut fratres, ageret cum eis familiariter, et quantum licet pro suprema Majestate sua, in omnibus vere fraterne; qui Episcopalem auctoritatem tueretur, Jura servaret et quieti ac tranquillitati Regiminis Nostri sapientissime consuleret: ita ut Episcoporum omnium vota unum a Deo petant, ut serius illi emeritam Justitiae Coronam reddat in Coelis, sed Nobis et Ecclesiae universae sospitem ac felicem diutissime servet in Terris.

Itaque, Reverendissimi Patres, cum ea tempora advenisse videamus, quorum hactenus spes tantum ac desiderium fuit, Nos auctoritatem Dignitatis Nostrae fide et operibus quaerentes, aemulemur charismata meliora et Ecclesiis Nostris atque universae
b Provinciae, quantum in Domino possumus, hujus Provincialis Synodi celebratione consulere studeamus. Non enim a primo illo Provinciali Concilio ad nostram usque aetatem centum triginta sex annorum decursu inimicus Homo, qui in Agrum Dominicum Zizania superseminare solet, obdormivit, sed partim Diaboli invidia, partim indita humanis rebus conditione veterem disciplinam paulatim collabi, abusus vero ac Morum corruptelas in diem succrescere et fere secreta Sanctuarii penetrare videmus. Propterea vigilare Nos oportet et hac temporum felicitate, qua modo fruimur, bene uti, ut potestate Nobis ex alto credita vitiorum Zizania, quae jam adoleverunt usque ad Messem, colligamus in fasciculos ad comburendum, et frumenti electi Mensuram bonam et confertam et coagitatam ac superfluentem servemus in Horrea Vitae aeternae.

Aderit Conatibus Nostris supremus et invisibilis Agri Dominici Custos, qui Apostolis suis (quorum Nos licet immeriti locum et officium tenemus) spondere non dubitavit, ubi duo vel tres congregarentur in Nomine suo, se in medio eorum futurum. Ipse Mentis Nostrae tenebras illustrare, Corda Nostra excitare, labores Nostros gratiae suae rore solari et laboris uberrimum
c fructum atque operis copiosam mercedem reddere non tardabit.

Recens prae oculis ponamus exemplum Beatissimi Patris Nostri Benedicti XIII., qui superiori anno his fere diebus Romanum Concilium celebravit. Opus sane dignum virtute et sapientia sua, quod certe quanta sui nominis gloria, qua admiratione Sanctitatis, quanta universae Ecclesiae et Populorum omnium acclamatione acceptum sit, verbis assequi nemo potest; et ne Romanae tantum Provinciae consuleret, qui universae Ecclesiae supremam curam et sollicitudinem gerit, Apostolicas addidit Sanctiones, quibus et Nos de Officio admonuit et ad rem bene gerendam vehementer inflammavit. Has Nos quasi in speculo positas diligenter contemplemur et, collatis sine contentione sententiis, quo maximo possumus, et quo certe debemus studio, exequi satagamus. Decet enim Nos in hac Provincia constitutos, quae Romanae proxima est, caeteros omnes aliarum Provinciarum Episcopos anteire, ut alacrius et celerius ea decreta exequamur, quae ad Nos delata sunt a Suprema Petri Cathedra, cui arctius conjungimur et non solum animorum devotione, sed et ipsa locorum propinquitate tenacius copulamur. Quid enim in opere nostro remissius aut segnius, quid ordini

Nostro injuriosius, quid Episcopali vigilantiae turpius excogitari a posset, quam si culpa nostra Picenum nesciret, quod remotissimae Italiae Provinciae jam laudarent? Si Nos respueremus, quod longe dissitae Ecclesiae jam forent amplexae? Si apud Nos negligeretur, quod alibi jam esset executioni mandatum? Meliora profecto de Nobis sibi pollicetur Sanctissimus Pater Noster, cujus liberalitatis dono, non meritis nostris, hanc Metropoliticam Sedem tenemus, praesertim cum ipse septimo Idus Januarii superioris anni, dum Archiepiscopale Pallium Sacratissimis Manibus suis humeris nostris imponeret, nil adeo Nobis commendandum duxerit, quam ut Provincialis Concilii celebrationem quamprimum curaremus.

Et Vos, Venerabiles Fratres, dilecti Filii, qui huc Nobiscum convenistis, ut legem requireretis de Ore Nostro, bono animo estote, bene sperare Vos jubemus; ecce enim Nos et hi Reverendissimi Patres de salute vestra solliciti, nil plane intermissuri, quod ad Divini Cultus augmentum, ad incrementum Pietatis, ad Cleri honorem, ad Populi aedificationem et ad universae Provinciae utilitatem pertinere existimabunt.

Eja itaque, Patres Reverendissimi, Sacerdotali plane Zelo ac mansuetudine rem aggrediamur, et ad piam hanc necessariamque Muneris Nostri Curam toto pectore incumbamus enitamurque, ut, quantum consilio et opere, Spiritu Sancto Duce ac Moderatore, possumus, tantum ad constituendam communis Provinciae incolumitatem afferamus. Nihil in hac Sacrosancta gravissimarum rerum tractatione remissum aut negligens, nihil praeposterum, nihil inordinatum aut contentiosum, sed ordinata omnia et pacifica, et quod caput est, Deum solum (cui de credito Nobis officio rationem aliquando reddituri sumus) prae oculis habentes, quidquid in Nostro Munere est, strenue agamus perficiamusque, ut fidem Nostram apud Deum, apud Beatissimum Patrem Nostrum, apud universam Provinciam, apud Bonos omnes liberemus.

[Litterae Apostolicae, quae in hac appendice continentur, hic omittuntur, quum et Bullario Romano et Appendici ad Conc. Roman. insint.]*

CONCILIUM PROVINCIALE EBREDUNI

Habitum ab Illustrissimo et Reverendissimo Domino D. Petro de Guerin de Tencin, miseratione Divina Archiepiscopo Principe Ebredunensi, Sancti Romani Imperii Principe et Tricamerario, Throno Pontificio Assistente, Regi ab omnibus Consiliis, anno Domini 1727. mensibus Augusto et Septembri. [1]

EDICTUM a

De Concilio Ebredunensi.

Petrus De Guerin De Tencin,

miseratione Divina Archiepiscopus Princeps Ebredunensis, Sancti Romani Imperii Princeps et Tricamerarius, Throno Pontificio assistens, Regi ab omnibus Consiliis.

Reverendissimis Fratribus Episcopis Comprovincialibus, necnon Venerabilibus Decanis, Capitulis, Abbatibus, Conventibus, Prioribus caeterisque nostrae Ebredunensis Provinciae Ecclesiasticis Personis, quae de Jure vel consuetudine Concilio Provinciali interesse debent, Salutem in Domino!

Cum eae sint muneris nostri partes, ut necessitatibus Ecclesiarum Provinciae nostrae sedulo invigilantes, praesentibus, si quae sint, medeamur malis futurisque occurramus: sollicitudinem nostram Pastoralem visum est convertere, juxta Sacrorum Canonum praescripta, ad celebrationem Concilii Provincialis, ubi b in Spiritu Sancto congregati et arma Lucis induentes, ea statuamus, quae ad Fidei puritatem, integritatem morum, Ecclesiasticae Disciplinae conservationem, abusuum excessuumve correctionem, scandalorum propulsationem prodesse coram Deo videbuntur. Quamobrem Concilium Provinciale in Ecclesia nostra Metropolitana Ebredunensi ad diem decimam-sextam mensis Augusti, videlicet postridie Assumptionis Beatae Virginis Mariae, praesentis anni millesimi septingentesimi vigesimi-septimi decrevimus habendum et inchoandum. Et ad eum finem Reverendissimos Dominos Episcopos Provinciae nostrae per Litteras ad singulos nominatim directas evocavimus ac denuo evocamus. Et insuper universis et singulis, qui de jure vel consuetudine dicto Concilio debent interesse, mandamus et praecipimus, ut, amoto quovis excusationis non legitimae obtentu, in Civitatem Ebredunensem ad celebrationem Concilii nostri Provincialis convenire et comparere non praetermittant, et ad illud, praehabita coram Deo deliberatione, deferant, quae discutienda, corrigenda, promovenda judicabunt. c Atque hoc praesenti Decreto declaramus, nos, non obstante convocatorum absentia aut contumacia, illius initium dicta die sine ulla prorogatione facturos: mandantes interim, ut hoc praesens Edictum nostrum, ne cui detur ignorantiam obtendendi locus, ad valvas tum Ecclesiae nostrae Metropolitanae, tum singularum Cathedralium ac caeterarum in tota nostra Provincia insignium Ecclesiarum affigatur. Quod in Dei gloriam et honorem feliciter, Dei juvante gratia, cessurum confidimus. Datum Gratianopoli die decima quinta Junii anni millesimi septingentesimi vigesimi-septimi, sub Signo sigilloque nostris et Secretarii nostri Chirographo.

† *Petrus Arch. P. Ebredun.*

De Mandato Illustrissimi et Reverendissimi D. D. Archiepiscopi Principis. *Allard.*

[1] * Acta et decreta hujus Concilii edita sunt Gratianopoli a. 1728. (apud Petrum Faure Typographum).

LITTERAE SCRIPTAE

Ad Reverendissimos D. D. Episcopos Provinciae.

Petrus De Guerin De Tencin,

miseratione Divina Archiepiscopus Princeps Ebredunensis, Sancti Romani Imperii Princeps et Tricamerarius, Throno Pontificio assistens, Regi ab omnibus Consiliis.

Reverendissimo Domino Episcopo Suffraganeo nostro Salutem in Domino.

Reverendissime Domine, ex quo in partem sollicitudinis Pastoralis Divina Providentia vocati, in specula Provinciae Ebredunensis fuimus constituti, vota nostra iis votis adjunximus, quae jam dudum concepere Episcopi Galliae de Conciliis Provincialibus juxta Sanctiones Canonicas ac salutarem usum olim in Gallia nostra vigentem celebrandis; quo dirigerentur oves in viam salutis, et zizania, si quae superseminavisset inimicus homo, penitus eradicarentur. Vota illa in postremis Comitiis Generalibus Cleri Gallicani ad Regalem Thronum concordi animo una omnes detulimus, eoque majore fiducia freti, quod ad Primogenitum Ecclesiae Filium, haeredem pietatis avitae, Regem nostrum accederemus. Annuit tandem Princeps Christianissimus, qui a nobis vinci se non passus est in studio Religionis Catholicae fovendae atque promovendae. Superest, ut, cui Ecclesiae ipse non defuit, ei nos deesse non deprehendat, nec in vitium illud delabi nos sentiat, de quo legimus in Propheta [1]: *Dormitaverunt Pastores tui.*

Quapropter re coram Deo mature perpensa, pro suscepti regiminis officio necessitatibus Ecclesiarum Provinciae nostrae providere cupientes, Concilium Provinciale judicavimus in Civitate Ebredunensi quamprimum esse cogendum atque celebrandum, ac hisce praesentibus Litteris indicimus, statuimus et convocamus ad ea consultanda et statuenda, quae pro illaeso servando fidei deposito, pro moribus ad normam Christianae vitae dirigendis, excessibus corrigendis et Ecclesiasticae disciplinae vigore refovendo necessaria ac utilia fore judicabuntur; ut, si quid fuerit contra debitam Ecclesiae Catholicae obedientiam attentatum, renitentium pervicaciam strenue coërceamus; si quis Pastorum incuria invaluerit abusus, hunc labore indefesso resecando morum integritatem restituamus; si perversionis periculum immineat, officii nostri memores, profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae sedulo praecaveamus, ac denique fiat in Ecclesia Dei omnium credentium cor unum et anima una. Itaque Amplitudinem Vestram invitamus, hortamur et pro auctoritate nostra Archiepiscopali monemus, ut in nostram Civitatem Ebredunensem ad Concilium supradictum in Ecclesia nostra Metropolitana celebrandum die decima-sexta Augusti, videlicet postridie Assumptionis Beatae Virginis Mariae, praesentis anni millesimi septingentesimi vigesimi-septimi, vel per se, vel si quo fuerit justo impedimento detenta, alioquin a Concilii

[1] Nahum 3, 18.

Patribus rite probando, per Procuratorem suum legitimum ad a condictam diem conveniat. Ac insuper A. V. obtestamur et monemus, ut illud nostrum, quod in his Litteris inclusum ad eam mittimus, de celebratione Concilii Edictum valvis Ecclesiae suae Cathedralis aliarumque in sua Dioecesi insignium affigatur illico et promulgetur; ac denique procuret, ut omnibus et iis praesertim innotescat, qui Concilio Provinciali de jure vel consuetudine debent interesse, quos publicatione illa rite volumus convocatos. Cum autem neque, qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus, confidimus A. V. pro pietate sua supplicationes publicas in Ecclesiis Dioecesis suae indicturam, quibus una omnes Deum obsecremus impense, ut, quod felicibus aggredimur auspiciis, ad feliciorem exitum, ipso aspirante, perducamus. Datum Gratianopoli die decima-quinta mensis Junii anni millesimi septingentesimi vigesimi-septimi, sub Signo Sigilloque nostris et Secretarii nostri Chirographo.

† *Petrus Archiep. P. Ebredun.*

De Mandato Illustrissimi et Reverendissimi D. D. Archiepiscopi Principis. *Allard.*

DECRETUM

De Modo vivendi in Concilio.

Ex quo Concilii Provincialis celebrationem indiximus, spes nobis affulsit non dubia, eum, qui in nobis operatus est velle, operaturum et perficere, eoque magis id consecuturos nos esse jam nunc confidimus, quod omnes, quotquot hic adstant ad operis executionem accincti, eodem, qui eos ante comedebat, domus Dei zelo etiam nunc comedi ac fervescere deprehendimus. Attamen ne praevia illa felicioris eventus omina in cassum cadant, universos et singulos in Concilio isto degentes pro Pastorali nostra sollicitudine hortamur ac monemus, ut toto Concilii tempore, nihil de sedulitate sua remittentes, ad eum confugiant, unde venit Spiritus scientiae et fortitudinis; sapientem enim, qui cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum et in conspectu Altissimi deprecabitur, Spiritu intelligentiae replebit Deus et diriget consilium ejus et disciplinam, et in absconditis suis consiliabitur.

Quocirca id imprimis habeant omnes summopere sibi commendatum, ut a negotiis saecularibus prorsus abstracti Divinis toti incumbant et quotidianas preces ad Deum effundant, quibus istud nostrum Concilium peragi ac finiri prospere impetrent, uti jam impetravimus feliciter inchoari.

Praeterea Civitatis Ebredunensis Incolas, quorum et totius Provinciae gratia salutaria Decreta Concilium meditatur, paterno animo admonemus atque hortamur, ut pietatis officiis se dedant impensius: Poenitentiae Sacramento contractas sordes eluant: Auctori gratiae sacra synaxi sese conjungant: et sobrie, caste, juste et pie, ut docet Sanctos, vivere satagant; obtestamur demum in Domino, obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones fieri pro Sanctissimo Domino nostro Papa ac pro Episcopis in hoc Concilio congregatis, pro Rege nostro Christianissimo caeterisque Principibus Christianis, ut omnes in hac charitate radicati pacem foveant, sectentur justitiam et, quae sunt Christi, sapiant et quaerant unanimes.

Jam vero, ut omnis praecludatur aditus jurgio et altercationi de jure hos illosve praegrediendi fortasse exoriendis, in Spiritu humilitatis accedant omnes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate Superiores sibi invicem arbitrantes, non, quae sua sunt, singuli considerantes, sed ea, quae aliorum. Quod ut felicius assequamur, in qualicunque or-
b dine quisque compareat et consideat, salva illius jura decernimus.

Praecavendum deinde, ne quis sacrum istum Consessum tumultus interturbet, atque adeo modestiam induentes in Spiritu lenitatis animi sensa, prout Spiritus Sanctus dabit eloqui, opportune, servato ordine, proferant omnes in Congregationibus, sive privatae illae sint sive publicae, ac potissimum in Sessionibus; non enim in confusione[1] Dominus.

Denique sub poenis a Jure statutis inhibemus, ne quis Episcoporum aut eorum, qui ad istud Concilium nostrum evocati huc accesserant, ex hac Civitate Ebredunensi ante dimissam Synodum discedere praesumat, nisi discessus causa a Concilii Patribus cognita, approbata, ac legitimo deinde Procuratore suffecto.

Eae sunt Sanctiones, quas postulare duximus utilitatem Concilii hujusce nostri Provincialis, quod in nostrum omnium salutem redundaturum speramus.

[1] * Fortasse: *in commotione.* Cf. 3. Reg. 19, 11.

DECRETA CONCILII PROVINCIALIS EBREDUNENSIS,

Ebreduni habiti ab Illustrissimo et Reverendissimo Domino D. Petro de Guerin de Tencin, miseratione Divina Archiepiscopo Principe Ebredunensi, Sancti Romani Imperii Principe et Tricamerario, Throno Pontificio Assistente, Regi ab omnibus Consiliis, anno Domini 1727. mensibus Augusto et Septembri.

CAPUT I.

De Professione Fidei.

Cum inter omnes Pastoralis Officii sollicitudines illa potissimum prima esse debeat, ut Fides Catholica, quam Sancta Romana Ecclesia colit ac tenet, incorrupta in hac Provincia sinceraque permaneat, et omnes in ejus puritate immobiles inviolatique persistant: Nos in hac nostra Synodo Provinciali hinc praecipue exordiendum esse duximus, ut, quae ex eodem Spiritu est Fides, eamdem una oris confessione profiteamur. Quocirca Sacri Concilii Tridentini Decretis insistentes, Professionem Fidei, Pii IV. Pontificis Maximi Constitutione acceptam, a Nobis et Reverendissimis Coepiscopis caeterisque in hoc Concilio insidentibus palam et publice admittendam decrevimus.

Ego N. firma Fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in Deum Patrem Omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium: et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt: qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis, et incarnatus est de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, et Homo factus est: crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato, passus et sepultus est: et resurrexit tertia die secundum Scripturas, et ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris: et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos, cujus regni non erit finis: et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit; qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur; qui locutus est per Prophetas: et in unam Sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum: et vitam venturi saeculi. Amen.

Apostolicas et Ecclesiasticas Traditiones reliquas-
a que ejusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector.

Item Sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit et tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto: nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novae Legis, a Jesu Christo Domino nostro instituta atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria; scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam-Unctionem, Ordinem et Matrimonium, illaque gratiam conferre: et ex his Baptismum, Confirmationem et
b Ordinem sine sacrilegio iterari non posse.

Receptos quoque et approbatos Ecclesiae Catholicae Ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio et admitto.

Omnia et singula, quae de peccato originali et de justificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio.

Profiteor pariter, in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium Sacrificium pro vivis et defunctis: atque in Sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem una cum Anima et Divinitate Domini nostri Jesu Christi: fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in San-
c guinem: quam conversionem Catholica Ecclesia Transsubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo, Purgatorium esse, animasque ibi detentas Fidelium suffragiis juvari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque illorum Reliquias esse venerandas. Firmissime assero, Imagines Christi ac Deiparae semper Virginis necnon aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano Populo maxime salutarem

affirmo. Sanctam Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem et Magistram agnosco, Romanoque Pontifici, B. Petri Apostolorum Principis Successori ac Jesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo ac juro. Caetera item omnia a Sacris Canonibus et Oecumenicis Conciliis ac praecipue a Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita et declarata indubitanter recipio ac profiteor; simulque contraria omnia atque haereses quascunque ab Ecclesia damnatas et rejectas et anathematizatas ego pariter damno, rejicio et anathematizo.

Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eandem integram et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime, Deo adjuvante, retinere et confiteri atque a meis subditis vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum: ego idem spondeo, voveo ac juro: sic me Deus adjuvet, et haec Sancta Dei Evangelia.

CAPUT II.

De Constitutionibus Apostolicis.

Cum Fides sit *humanae salutis initium et fundamentum, ac sine illa impossibile sit placere Deo* [1]; primum ac praecipuum Pastoralis sollicitudinis caput est illam integram illibatamque servare.

Quoniam igitur in simplicitate fidei quidam non ambulantes, Constitutionibus Apostolicis, quibus succrescentes novissimis temporibus errores damnati sunt, palam et aperte refragantur, aut eas subdolis interpretationibus conantur eludere: idcirco de obedientia illis Constitutionibus debita sequentes Articulos promulgandos judicavit haec Sancta Synodus.

I.

Constitutio *Unigenitus,* qua centum et una Quesnelli Propositiones damnatae sunt, cui suffragata est universalis Ecclesia, est dogmaticum, definitivum et irretractabile judicium illius Ecclesiae, de qua Divino ore dictum est: *Portae inferi non praevalebunt adversus eam* [2]. Si quis igitur eidem Constitutioni corde et animo non acquiescit aut veram et sinceram obedientiam non praestat, inter eos habeatur, qui *circa fidem naufragaverunt* [3]. Quodsi nonnulli, crescente contumacia, haereticorum vestigiis insistentes, a praefato dogmatico judicio, quo non laudabiles Patrum Sententiae, non innoxiae Catholicarum Scholarum opiniones, ut calumniantur novatores, sed imprimis Baii et Jansenii errores, jam dudum damnati, iterum damnantur, ad futurum generale Concilium provocare praesumpserint: hujusmodi provocationem noverint esse a ipso jure irritam, scandalosam, schismaticam, jam damnatis erroribus faventem, Sedi Apostolicae et Ecclesiae injuriosam.

II.

Quoniam autem quidam eorum, per quos oborta sunt memorata scandala, praescriptae ab Alexandro VII. Formulae reluctantes, diversis cavillationibus vim illius eludere conantur obtenduntque, Ecclesiam non exigere, ut quisque subscribendo praefatae Formulae juramento profiteatur, sensum haereticum in quinque Propositionibus ab Innocentio X. damnatum contineri in Cornelii Jansenii Libro: ideo nos, ejusdem Alexandri VII. Constitutioni inhaerentes, praefatam illam b subscriptionis interpretationem declaramus perniciosam, temerariam, Ecclesiae et ejus praxi injuriosam, schismaticam, necnon haereticis et haeresibus faventem, et ut talem rejicimus et damnamus.

III.

Quod spectat ad inquietos illos homines, qui non sine gravi Sedis Apostolicae injuria maximoque totius Ecclesiae scandalo docere non verentur, ad obedientiam praefatis Apostolicis Constitutionibus debitam non requiri, ut quis praedicti Janseniani Libri sensum, in antedictis quinque Propositionibus damnatum, interius ut haereticum damnet, sed satis esse, si ea de re obsequiosum, ut vocant, silentium teneatur: Doctrinam c illam declarat haec sancta Synodus ab omni Catholico abhorrendam, fallacem, perniciosam et perjuriis faventem; hujus enim Doctrinae pallio non deponitur error, sed absconditur, Ecclesiae illuditur, non paretur, et lata filiis inobedientiae via sternitur ad fovendam silentio haeresim; statuitque juxta Constitutionem Clementis XI. *Vineam Domini Sabaoth,* obedientiae, quae memoratis Apostolicis Constitutionibus debetur, obsequioso illo silentio minime satisfieri, sed damnatum in quinque praefatis Propositionibus Jansenii Libri sensum, quem illarum verba prae se ferunt, ab omnibus Christi Fidelibus ut haereticum non ore solum, sed et corde rejici ac damnari debere; et qui secus docuerint vel quovis modo asseruerint, subjacere censuris et d poenis in supradictis Constitutionibus contentis.

IV.

Neminem ad Sacros Ordines promoveant Episcopi, aut ad Confessiones audiendas et munia Concionatoris obeunda applicent, vel ad Beneficia possidenda admittant, nisi prius Constitutionum Innocentii X. et Alexandri VII. subscriptionem exegerint et de praestita Clementis XI. Constitutionibus *Vineam Domini Sabaoth,* et *Unigenitus Dei Filius,* sincera ac demissa obedientia certiores facti fuerint.

V.

Denique cum Novatores, sparsis ubique virulentis ac fallacibus libellis, incautos homines ipsosque etiam,

[1] Conc. Trid. Sess. 6. de justific. 8. Ad Hebr. 11, 6.
[2] Matth. 16, 18.
[3] 1. Tim. 1, 19.

a si fieri posset, electos in errores suos inducere conentur, eaque praevaleat iniquitas temporum, ut Libri improbi, quo graviori anathemate feriuntur, eo curiosius requirantur et legantur avidius; ne venenum latius serpat, et ut a noxiis pascuis Christi oves arceantur: priorum Conciliorum vestigiis inhaerens declarat haec sancta Synodus, omnes, qui prohibitos Libros seu Libellos et praesertim adversus praefatas Constitutiones Apostolicas recens vulgatos, tam scripto quam typis editos, legere, describere aut apud se retinere ausi fuerint, Excommunicationis vinculo esse ipso facto innodatos, a qua nisi speciali licentia (secluso mortis articulo) absolvi nequeant.

b

CAPUT III.

De Episcopis.

I.

Meminerint Archiepiscopi et Episcopi, se ad formam Gregis esse constitutos, ac proinde morum sanctitate et doctrinae integritate aliis praeluceant.

II.

In audiendo faciles, in respondendo mites, patientes in sustinendo, in corripiendo misericordes et in consolando promptiores sese exhibeant.

c

III.

Invigilent Domesticorum moribus, ne ex alienis vitiis turpem et quasi sibi propriam contrahant dedecoris labem.

IV.

Singulis Festis, et praesertim diebus Dominicis, quantum in ipsis erit, Divinis Officiis intersint.

V.

Intelligant, se ad laborem et Ecclesiae suae sollicitudinem esse vocatos. In Civitate Pontificia residentes, ab aliis non omnino absint suae Dioecesis oppidis, sed Gregi universo semper spiritu praesentes, neminem
negligant et in omnes Pastoralem curam aequaliter d
impendant.

VI.

Suam singuli Dioecesim, quam saepissime poterunt, obire et perlustrare non omittant, Sacramentum Confirmationis conferant et inter confirmandos neminem nisi septem annis natum admittant.

VII.

Nullum ad sacros Ordines admittant, nisi per tempus sufficiens studio Theologiae vacaverit, nec quemquam veste Clericali indui sinant absque licentia, ni per Tonsuram sacrae Militiae fuerit adscriptus.

VIII.

Repulsis ab Episcopo proprio aut ab ejus Vicario Generali Litteras, quae *Visa* nuncupantur, seu Beneficii institutionem nemo quavis de causa aut quovis praetextu conferre praesumat, nisi juxta Ecclesiasticas Sanctiones et in ordine Hierarchico ad id constitutam auctoritatem habeat.

IX.

Nullus a Sententiis vel Censuris, ab Archiepiscopo vel Episcopo latis, absolvere audeat, nisi qui eas tulerit, aut cui in ordine Hierarchico et per Canones competit superior auctoritas.

X.

Graviter aegrotante Episcopo, vicinior accurrat Episcopus, qui Fratrem infirmum in Domino soletur et adjuvet, erepto e vivis solemniores exequias curet exsolvi.

CAPUT IV.

De Canonicis.

I.

Statutis ac debitis horis assidue Choro intersint Canonici omnes et Beneficiarii, ibique Officium Divinum decenter ac devote persolvant.

II.

Assuescant ad Orationes et Psalmos de mane surgere: nec ad modicam retributionem attendentes, ullam Officii partem deserant, sed unanimiter perseverantes in Canticis, Horas Canoniales, alternantibus Choris, attente ac distincte recitent.

III.

Sciant, se muneri suo deesse nec facere fructus suos, si suam aliorum vocibus et cantibus vocem non immisceant et, neglecto Choro, vel canere omittant vel tacite pronuncient.

IV.

Accurata punctatione notentur absentes; ipsisque pro rata absentiae legitima denegetur retributio.

V.

Ab Ecclesiis suis absque licentia, causa gravi et in Canonibus contenta discedere non praesumant; noverintque, se ad residentiam personalem sub poenis a sacrosancta Tridentina Synodo latis strictissime teneri.

VI.

Nulla, quantum fieri poterit, Missa privata celebretur, dum Missa solemnis aut Horae Matutinae decantantur, vel dum e suggestu Concio habetur ad populum.

VII.

Canonici Sacerdotes et caeteri de gremio Ecclesiae Presbyteri, quam saepissime poterunt, Missam celebrent; eumque celebrandi ordinem observent, qui in Tabula assignabitur. Clericos vero, et praesertim sacris Subdiaconatus et Diaconatus Ordinibus initiatos, hortatur sancta Synodus, ut intra Missarum solemnia ad sacram Synaxim frequenter accedant. Praecipit vero, ut saltem in majoribus Ecclesiae solemnitatibus hoc Pietatis ac Religionis Officio fungantur, sub poena privationis distributionum illius diei.

VIII.

Cum inter Canonicos et Beneficiarios cooptabitur aliquis, prohibet sancta Synodus, ne quid ab eo recipiant, quod in pios Usus non impendatur.

IX.

Capitula Generalia saltem bis in anno convocentur, ibique de vita et moribus uniuscujusque prudens inquisitio ac fraterna correctio peramanter fiat. Capitula vero ordinaria semel in Hebdomada certis hora et die pro more habeantur, et in iis de redituum perceptione, bonorum administratione aliisque occurrentibus negotiis accurate pertractetur.

CAPUT V.

De Parochis.

I.

Omnibus, quibus animarum cura incumbit, praecipit sancta Synodus, ut Oves suas verbo doceant, Sacramentis reficiant et exemplo informent.

II.

Diebus saltem Dominicis Mysteria Fidei, Evangelii praecepta et sanctas morum Regulas populum edoceant; nec iisdem diebus Dominicis instructionis formulam et Preces intra Missarum solemnia legi solitas unquam omittant; iisdem diebus Dominicis, et quantum fieri poterit, bis saltem in unaquaque Quadragesimae Hebdomada pueros Christianae Religionis elementis imbuant juxta Catechismum a Concilio Provinciali vel ab Ordinario approbatum.

III.

Sacrum facere raro omittant; diebus vero Dominicis juxta Officii sui debitum pro Paroecianis Sacrificium offerant.

IV.

A nimia cum Paroecianis suis familiaritate abstineant; negotiis secularibus non se temere immisceant; inter discordes et litigantes animos pacifici incedant; a comessationibus, aleis, choreis, spectaculis et ludis
a publicis sint prorsus alieni; modestos capillos et coronam gestent in capite; Veste talari in loco residentiae sint semper induti; nec ibidem, sub poena suspensionis ipso facto, tabernas comedendi et potandi causa ingrediantur.

V.

Mulierum colloquia, ut plurimum periculosa, et consortia suspecta devitent; nec mulieres aliquas praeter eas, quas Canones permittunt, apud se retinere audeant, sub poena suspensionis. Eorum ancillae sint ad minus quinquagenariae, et viros, quantum fieri poterit, foeminis in famulatu praeferant.

b

VI.

Caveant inprimis, ne quis eorum culpa sive parvulus sine Baptismo sive adultus Sacramentorum auxilio destitutus e vivis excedat.

VII.

Tria diligenter ab ipsis asserventur regesta, videlicet: Baptizatorum, Nubentium et Mortuorum; eaque si ablata fuerint, quantocius repetant. Si quis autem ea fraudulenter retineret, sciat, se poenam excommunicationis incurrere.

VIII.

Non ultra sex dies, idque rarissime, a Parochia
c sua abesse praesumant, nisi justa de causa ab Episcopo approbata, et nisi suffecto in sui locum ex Episcopi licentia alio Sacerdote.

IX.

Vetus et Novum Testamentum, Concilium Tridentinum, ejusdem Concilii Catechismum, Summam Sancti Thomae et Monita Sancti Caroli ad Confessarios penes se habeant; eosque libros assiduo studio evolvant.

X.

Singulo quoque mense, excepto hiberno tempore, viciniores simul una conveniant Sacerdotes, de iis,
d quae ad Scripturam Sacram et Theologiam Moralem pertinent, disceptaturi. In his vero Kalendarum Comitiis, ut decet Ministros Christi, sapienter se gerant et, quae inter ipsos agitata fuerint, ad Episcopum referant, ut, quod statuendum censuerit, ad ipsos remittat.

XI.

Parochis simul et Secundariis praecipit haec sancta Synodus, ut saltem intra biennium per octo dies exercitiis spiritualibus in domo ab Episcopo designanda vacare studeant, ut uni Deo intenti Legem vitae sicut Moyses et spiritum zeli sicut Elias a Domino accipiant.

CAPUT VI.

De Celebratione Missae.

I.

Nullus ad Altare, nisi cum Veste talari, celebraturus accedat. Si quis autem secus fecerit et cotta seu semi-talari Vestimento pro tertia vice indutus celebraverit, hunc suspensionis poenam ipso facto incurrere declaramus.

II.

Quanta debeatur tremendo Missae Sacrificio reverentia, satis admonet vel ipsa tanti Sacrificii dignitas. Nemo igitur, nisi praevia praeparatione, Sacra peragere aggrediatur; in ipsa autem celebratione Sacrificii ita se componant Presbyteri omnes, ut vel ipsa oris species, corporis habitus gravisque et distincta verborum prolatio modestiam et sanctimoniam spirent; atque ut tam propriae Sacerdotum pietati quam Fidelium aedificationi consultum sit, nullus ante peractam gratiarum actionem recedere audeat: in hunc finem praecipit sancta Synodus, ut in omnibus Sacrariis duae Tabulae typis expressae exponantur, quarum una praeparationem Missae, altera vero gratiarum actionem contineat.

III.

Inter celebrandum rubricae ad amussim serventur. Quae secundum communem usum submissa voce et secreto pronunciari debent, alta voce non pronuncientur; nec alii omnino ritus adhibeantur praeter eos, qui constanti Ecclesiae more sunt recepti vel Episcopali auctoritate probati. Qui vero hujusmodi ritus de industria praetermiserit, aut novos et ab usu hodierno alienos invexerit: hujus sanctae Synodi Decreto a Divinis sit ipso facto suspensus.

IV.

Nullae admittantur fundationes, nisi ab Episcopo recognitae et approbatae; semel admissae religiose adimpleantur; et si propter redituum tenuitatem adimpleri nequeant, a solo Ordinario vel ejus auctoritate reducantur.

CAPUT VII.

De Sacramentorum Administratione.

I.

Sacramenta nostrae salutis instrumenta eo uberiorem in animabus fructum producunt, quo majori cum pietate ac religione suscipiuntur. Quapropter Parochi frequenter eorum vim, maxime cum illa administrant, explicare curent et ad illa pie ac reverenter suscipienda Fideles adhortentur.

a II.

Caveant Sacerdotes, ne, peccati lethalis conscii Sacramenta administrantes, gravi se sacrilegii scelere commaculent, neve in Sacramentis administrandis aliquam avaritiae suspicionem incurrant.

III.

Dum Sacramenta ministrantur, adstantes Parochus admoneat, ne inania misceant colloquia, sed ea, qua decet, modestia ac reverentia sese gerant.

IV.

In Sacramentorum administratione solo Rituali Romano in tota Provincia utantur. b

CAPUT VIII.

De Baptismo.

I.

Cum omnium novae Legis Sacramentorum primum maximeque necessarium sit Baptismus, et absque eo nullus ad Regnum Coelorum pateat aditus: monendi sunt parentes, ut filios suos quantocius baptizari curent.

II.

Infans, qui in casu necessitatis domi fuerit baptizatus, statim ac convaluerit, ad Ecclesiam deferetur, c ut caeremoniae ac ritus sanctae Romanae Ecclesiae suppleantur.

III.

Nomen profanum aut insuetum Parochus baptizandis non imponat; nec scandalosos aut in Fide suspectos aut eos, qui muneri Paschali non satisfecerint vel prima Doctrinae Christianae elementa ignorent, in Patrinos aut Matrinas admittat.

IV.

Clericis Secularibus et quibuscunque Regularibus utriusque sexus prohibemus, ne infantes nisi de licentia Episcopi de sacro Fonte suscipiant. d

V.

Sub poena excommunicationis praecipit sancta Synodus, ut parvuli ad Ecclesiam baptizandi saltem intra tres ab ortu dies deferantur; quod si parentum incuria illos sine Baptismo decedere contingat, excommunicationi ipso facto parentes subjaceant.

CAPUT IX.

De Confirmatione.

I.

Sacramentum Confirmationis, quod sine sacrilegio iterari non potest, nemo Fidelium suscipere negligat.

II.

De tempore, quo Sacramentum illud administrandum erit, Fideles Parochus admonebit; ipsosque, quidquid ad illud digne suscipiendum requiritur, diligenter docebit.

III.

Omnes confirmandi impositioni manuum Episcopi intersint, nec ab Ecclesia nisi post illorum detersam frontem et post Episcopi Benedictionem discedant.

IV.

Nullus infans ante septennium, nullus, nisi rudimentis Fidei imbutus, confessus ac, si commode fieri possit, jejunus ad illud Sacramentum admittatur.

CAPUT X.

De Eucharistia.

I.

Eucharistiae Sacramentum caeteris omnibus Dignitate praestat, cum sanctitatis Auctorem et fontem Christum contineat: ideo Pastores animarum illius excellentiam et effectus diligenter exponent, ut rei tam sanctae debitum cultum exhibeant Fideles, et ad illam ea, qua decet, fide, pietate ac reverentia frequenter accedant.

II.

Tabernaculum, ubi reservatur sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, sit exterius, quoad fieri poterit, deauratum, intus vero panno serico ornatum et sera clausum.

III.

In eo sit Corporale mundum, super quo sacra Pyxis, Corpus Christi recondens, sola reponatur, et intra illud nec aliud quodcunque vas nec Reliquiae asserventur.

IV.

Renovatio Sacramenti in Pyxide fiat ad minus semel intra quindecim dies.

V.

Nemo ad primam communionem admittatur, nisi Corpus Domini dijudicare valeat et ea, quae ad tantum Sacramentum cum fructu suscipiendum necessaria sunt, didicerit.

VI.

Decretum Concilii Provincialis Ebredunensis innovantes decernimus, ut eorum, qui praescripto Paschae tempore non communicaverint, vel absque licentia Episcopi, Parochi vel Confessarii Communionem distulerint, vel in alia Ecclesia quam propria communica-
a verint, nomina Parochus post tempus Paschale scripta deferat ad Episcopum, qui eos, praehabitis monitionibus a jure praescriptis, ab ingressu Ecclesiae et sepultura Ecclesiastica privari decernet, prout in Domino expedire judicaverit.

VII.

Clericis in Sanctuario, Laicis vero extra Sanctuarium sine ulla personarum acceptione sacra Communio administretur.

VIII.

Dum ad infirmos defertur Viaticum, Fideles ad campanae sonitum convocentur, ut majori, quo poterit,
b comitatu, praesertim in Urbibus, deferatur, semperque sub Baldachino et luminaribus accensis; atque ad eorum devotionem et frequentiam excitandam Indulgentiae eis concessae publicentur.

IX.

Ad promovendum tanti Sacramenti cultum sodalitas Corporis Christi, ubi instituta non est, instituatur.

X.

Processio Sanctissimi Sacramenti publice non fiat nisi in Festo Corporis Christi vel diebus ab Episcopo ordinatis.

c XI.

Frequentiores Sanctissimi Sacramenti Benedictiones in Ecclesiis tam Secularium quam Regularium prohibentur, nec ullae introducantur in posterum nisi de Episcoporum licentia; semel autem et iterum ad summum in die in eadem Ecclesia ejusmodi Benedictiones dentur et nunquam post solis occasum.

XII.

Parochis et aliis Sacerdotibus prohibetur Eucharistiae Sacramentum deferre ad januam Ecclesiae aut extra Ecclesiam pro sedandis tempestatibus aut incendiis restinguendis aliisve similibus causis, sub poena suspensionis ipso facto incurrenda. In supradictis ta-
d men casibus liceat luminaribus accensis Tabernaculi januam aperire ad solatium populi et consuetas Preces in Ritualibus contentas ibi recitare.

CAPUT XI.

De Poenitentia.

I.

Cum Poenitentiae Sacramentum hominibus a suscepto Baptismate lapsis necessarium sit, instanter adhortandi sunt Fideles, ut, cum a statu Gratiae per aliquod lethale peccatum exciderint, ad secundam illam post naufragium Tabulam cito recurrant.

II.

Moneantur quoque, ut, dum ad Sacramentum Poenitentiae se disponunt, conscientiam diligentius excutiant et illius sinus omnes et latebras explorent, cujus quidem discussionis faciendae modum saepius edoceantur a Parocho.

III.

Confessarii tum in Poenitentibus interrogandis aut instruendis, tum in concedenda aut differenda absolutione, tum in satisfactionibus injungendis Regulas a Rituali Romano et a Sancto Carolo traditas sequantur.

IV.

Nulli Confessario liceat extra locum, pro quo approbatus fuit, sine licentia Episcopi Confessiones audire, cum aliter ab ipso concessae absolutiones irritae ac invalidae sint.

V.

Quoties Sacramentum hoc Sacerdotes Seculares administrant, Superpelliceo, quantum fieri potest, sint induti, nec ipsis confessiones mulierum, sublato necessitatis casu, extra Tribunal audire liceat.

VI.

Medicis praecipimus, ut, cum infirmum periclitantem primum inviserint, ad peccata confitenda illum adhortentur; et ne ad eum nisi confessum tertio accedant, sub poena interdicti ab ingressu Ecclesiae prohibemus.

CAPUT XII.

De Extrema Unctione.

I.

Parochis praecipit sancta Synodus, ut, cum infirmo sacrum praebuerint Viaticum, eundem, dum adhuc integris est sensibus, ad Extremae-Unctionis Sacramentum recipiendum praeparent, ipsum hortantes, ut, omnibus abjectis hujus saeculi desideriis, ad sola coelestia aspiret.

II.

Moneant saepissime Parochianos suos animarum Pastores, ne, dum periculose quis aegrotat, tardius differat hoc Sacramentum suscipere; et imperitum vulgus ab hac falsissima opinione retrahere conentur, qua per illam Unctionem mortem accelerari existimat, cum tamen, ut ex verbis Divi Jacobi intelligitur, non solum ad remedium animae, sed etiam ad levamen corporis hoc Sacramentum fuerit institutum.

CAPUT XIII.

De Ordine.

I.

Cum non alios sacris Ordinibus initiari liceat, quam quos constiterit morum innocentia, pietate et omnibus virtutibus esse commendabiles: prohibet sancta Synodus, ne Parochi testimonium de vita et moribus concedant Clericis in eorum Parochia commorantibus, nisi vita, exemplo caeteris praeluxerint, per dies Dominicos ac Festos Divinis interfuerint Officiis et ad sacram Mensam semel saltem singulis mensibus consueverint accedere: qua in re eosdem Parochos meminisse par est, eum gravissimi peccati reum fieri, qui cum tanto Ecclesiae damno Episcopum decipit.

CAPUT XIV.

De Matrimonio.

I.

Sancta Synodus praecipit et mandat omnibus Parochis et Sacerdotibus sub poena suspensionis, ipso facto incurrenda et Episcopis aut eorum Vicariis Generalibus reservata, ne Matrimonia celebrent partium alterius Parochiae sine licentia Episcopi aut Parochi illarum partium, cum Matrimonia ejusmodi ex Ecclesiae Legibus nulla et irrita sint.

II.

Iisdem etiam prohibet, ne ullum Matrimonium celebrent, nisi trina praecesserit Bannorum Proclamatio, aut [si] ab illa per Episcopum dispensatum fuerit cum partibus, nondum elapso viginti-quatuor horarum spatio, Parochi non subministrent.

III.

Matrimonia non in privatis Capellis, non post meridiem aut extra celebrationem Missae, non eodem die, quo ultima Bannorum Proclamatio facta est, celebrentur: Parochus absque licentia Episcopi contrafaciens poena suspensionis puniatur.

IV.

Nemo ad Matrimonii Sacramentum admittendus, nisi rudimentis Fidei fuerit imbutus, prius confessus sit et muneri Paschali satisfecerit.

CAPUT XV.

De Indulgentiis.

I.

Indulgentiae, perpetuae vel ad tempus, non publicentur, etiam apud Regulares, nisi primum ab Episcopo vel ab ejus Vicario Generali visae sint et subsignatae.

II.

Harum autem utilitatem et virtutem explicent Parochi doceantque, quibus mediis et operibus fructum illarum Fideles consequantur.

CAPUT XVI.

De Reliquiis.

I.

Sacris Sanctorum Reliquiis maximum honorem perpetuo exhibuit Ecclesia: ideo praecipimus eas in capsis decentibus religiose asservari, nec eas populo deosculandas tradi, nisi per Sacerdotem Stola et Superpelliceo indutum.

II.

Strictissime prohibemus, ne ullas Parochi, nisi ab Episcopo approbatae fuerint, populo venerandas proponant aut in processionibus deferant.

III.

Caveant etiam, ne, dum Sanctissimum Sacramentum expositum erit publico Fidelium cultui, venerationem tanto Sacramento debitam transferant ad Reliquias, si quae in Altari tunc expositae sint.

CAPUT XVII.

De Sepulturis.

I.

Nulli in posterum in Ecclesiis sepeliantur, nisi de licentia Episcopi, aut nisi de jure id ipsis competat.

II.

Cum jure communi ad Parochos tantum pertineat Fidelium Defunctorum corpora e domo efferre: sancta Synodus Regularibus quibuscunque prohibet, ne sine illorum licentia hoc munus sibi arrogent.

III.

Sciant autem Regulares, si quempiam ad eligendam Sepulturam in propriis Monasteriis inducant, se
a poenas incurrere contentas in Constitutione Bonifacii VIII., quae incipit: *Animarum periculis.*

IV.

Coemeteria muris et januis obseratis debite claudantur, ne ad illa jumentis caeterisque bestiis pateat aditus, et in omnibus Crux erigatur.

Nos *Petrus de Guerin de Tencin* Archiepiscopus Princeps Ebredunensis, Sancti Romani Imperii Princeps et Tricamerarius, Throno Pontificio Assistens, Regi ab omnibus Consiliis, haec Decreta a nobis definita subscripsimus.

b † *Petrus* Arch. P. Ebred.
† Ego *Franciscus* Ep. et Comes Vapincensis, Princeps Sancti Imperii, subscripsi.
† Ego *Henricus* Ep. Massiliensis subscripsi.
† Ego *Joannes* Ep. D. Bellicensis, Sacri Romani Imperii Princeps, subscripsi.
† Ego *Flodoardus* Ep. Vinciensis subscripsi.
† Ego *Petrus-Josephus de Castellane* Ep. Forojuliensis subscripsi.
† Ego *Petrus-Franciscus* Ep. Sistaricensis subscripsi.
† Ego *Dominicus* Ep. Glandavensis subscripsi.
† Ego *Antonius-Franciscus* Ep. Aeduensis subscripsi.
† Ego *Franciscus-Reginaldus* Ep. Vivariensis subscripsi.
c † Ego *Joannes-Baptista* Ep. Aptensis subscripsi.
† Ego *Alexander* Ep. et Comes Valentinensis subscripsi.
† Ego *Joannes* Ep. et Princeps Gratianopolitanus subscripsi.
† Ego *Carolus-Octavianus* Ep. Grassensis subscripsi.
† Ego *Raimundus* Ep. Niciensis subscripsi.

Ego *Franciscus de Puget* Vicarius Generalis atque Procurator generaliter ad omnia deputatus Illustrissimi et Reverendissimi Domini Episcopi Diniensis ejus nomine interfui et subscripsi et omnia et singula in hac sancta Synodo Ebredunensi Acta, Decreta, Edita et Promulgata ejus et Ecclesiae suae nomine recipio.

ACTA CONCILII PROVINCIALIS EBREDUNI

Habiti ab Illustrissimo et Reverendissimo D. D. Petro de Guerin de Tencin, Archiepiscopo Principe Ebredunensi, et die 16. Augusti Anno 1727. inchoati.

[* Acta Gallice conscripta sunt, dabimus autem hic Latinam, quam Ebredunensis ipse edendam curavit, versionem; quae a Gallico autographo hoc differt, quod Archiepiscopi subscriptionem, qua singulae sessiones ibi apparent munitae, non exhibet.

Jam haec acta maximam prae se ferunt moderationem. Antistites enim ita religionem Catholicam et Sedem Apostolicam defendere conabantur, ut, quidquid Gallicanorum animos offendere posset, sollicite evitare studerent. Cujus rei nonnulla exempla proferamus. Etenim neque appellationem ad Concilium oecumenicum, a Senecensi factam, ex Apostolicis constitutionibus, sive in Synodis Constantiensi et Lateranensi V. sive alias editis, rejiciunt, neque, ut ejus iniquitatem et absurditatem ostendant, fidei Catholicae proferunt doctrinam, quam Lugdunense Concilium his declaravit: sanctam Romanam Ecclesiam summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam Catholicam cum potestatis plenitudine obtinuisse. Sed irritam esse illam appellationem et perniciosam, iis argumentis evincere student, quorum vim vel ipsi Gallicani agnoscere cogerentur. Simili dein ratione Antistites agunt, quum appellationem tamquam ab abusu, quam Senecensis interposuerat, rejiciunt. Quanta denique cautio apparet, quanta circumspectio in judicio contra eundem Antistitem exercendo! Tantum vero abest, ut Patres Ebredunenses reprehendendos, ut summis laudibus efferendos censeamus, quippe quorum agendi modus ex tristissima illorum temporum conditione abunde explicetur. Hoc unum monere velimus, Benedictum XIII., quamquam prudentiam maximam et singularem plane zelum, quo Metropolita Concilium gubernaverat, meritis prosequutus est laudibus, sola tamen Concilii decreta literis suis approbasse. Constitutionum, inquit, gravitate et sapientia postulante, quae ad nos misistis, Concilii decreta mature a nobis expensa, praesertim vero de contumaci Episcopo providum consilium, libenti animo collaudamus et comprobamus nostraeque auctoritatis subsidium ac robur adjicientes plenissime confirmamus. [Vid. literae Apostol. ad calcem Actorum Conc. Ebredun.]

At hoc ipsum de Senecensi susceptum consilium doctis hominibus difficultatem aliquam peperit; causa enim hujus Episcopi, quam Synodus dijudicavit, inter majores criminales, quum antiquioribus sanctionibus tum Tridentino decreto (cap. 5. sess. 24. de Reform.) uni SS. Pontifici reservatas, numeranda esse videtur; ad quam difficultatem solvendam alios aliam viam iniisse cernimus. Nam aut causam reapse majorem fuisse negant, aut Concilium ex peculiari dispensatione Senecensem condemnavisse affirmant. Atque illam quidem sententiam tuetur auctor libelli, qui inscribitur: Journal historique du Concil d'Embrun, ipsi Concilio aequalis, cujus argumentatio haec est: causas majores criminales, SS. Pontifici reservatas, secundum Tridentinum eas solas esse, in quibus de Episcopi depositione vel privatione agatur, in nostro vero Concilio de suspensione, non depositione fuisse actum. Quod tamen responsum Dominico Bouix (de Concilio provinc. Edit. II. p. 499. et seqq.) minime solidum esse videtur, propterea quod causa Episcopi illius, schisma et haeresim foventis, iis accensenda sit, quae, ut cum Tridentino (sess. XXIV. c. 5.) loquamur, depositione vel privatione digna sunt; fuisse igitur illam causam vere majorem, nihilominus potuisse Antistites ita agere, utpote Benedicti XIII. mandatis instructos, qui Nuntio Parisiensi in mandatis dederat, sedulo curaret ac niteretur, ut per Episcopales conventus ab ordine et jurisdictione temere exercenda pervicaces Episcopi abstinerentur (lit. Apostol. Bonam sobolem d. 17. Dec. 1727.); quibus SS. Pon-

a tificem haud obscure sane innuisse, se a Tridentina lege observanda dispensare et secundum antiquam disciplinae formam causae illius cognitionem Concilio provinciali relinquere.

Haec argumenta, a Dominico Bouix allata, quam gravia sint, non diffitemur; sed alterius illius auctoris, qui Patrum Ebredunensium rationes optime perspectas habuisse videtur, sententia nobis magis probatur. Neque enim unquam peculiari Sedis Apostolicae dispensatione se agere Synodus indicavit; id quod eo magis opus erat, quum Senecensis judicium de sua causa Concilio competere diserte negaret. Quid enim? Nonne, remota dispensatione, Synodus de causa criminali majore, uni Romano Pontifici reservata, judicasset injuste? Jam vero dispensatio non praesumitur, sed probanda est. Ea igitur nullo unquam modo a Patribus Ebredunensibus significata, judicium, si revera de causa majore ab iis fuisset susceptum, omnino censendum esset injustum.

Accedit, quod dispensatio, quam Dominicus Bouix intercessisse existimat, simul delegationem continuisset, eandemque plane singularem. Neque enim dubium cuiquam esse potest, quin Synodus provincialis judex ordinarius causae majoris criminalis secundum
b disciplinam Ecclesiae ea aetate vigentem nullatenus fuerit. Talem igitur causam si Synodus ex SS. Pontificis mandato judicasset, non ordinaria, sed delegata jurisdictione cognovisset. At delegatio non praesumitur, sed probanda est, ut ipse ille auctor cum omnibus Canonistis fatetur. (De judiciis. Ed. Paris. 1855. I. 153.) Quum igitur Patres Ebredunenses non solum non probent, sed ne innuant quidem unquam, se jurisdictione delegata procedere, omnino affirmandum videtur, eos causam Episcopi Senecensis ut Synodo provinciali competentem judicasse. Id, quod aliae quoque rationes persuadebunt. Etenim quum Senecensis Concilium in causa sua judicem idoneum esse negasset, Promotor Concilii hoc ideo rejiciendum censuit, quod sine ulla controversia talium rerum esset judex constituta Synodus provincialis. (Acta Conc. Ebredun. II. Congreg. general.) Pariter Episcopus Grassensis, quem explicatorem causae Synodus constituerat, evincere studuit, Concilia provincialia jure suo hujusmodi causas, praesertim ad modum fraternae correctionis, quam solam Patres Ebredunenses exercere voluerunt, dijudicare (Précis du rapport de M. l'Evêque de Grasse). Neuter vero ullum verbum de dispensatione vel delegatione, qua judicium
c illius causae probaretur, protulerunt. Et profecto, etiam remota hac dispensatione, consilium, quod Synodus iniit, explicari potest. Senecensis enim causa, etsi natura sua depositione vel privatione digna fuit, non per se tamen hic consideranda est, sed qua ratione a Patribus sit tractata. Atqui certo constat, nunquam toto contra Senecensem exercito judicio de ejus depositione vel privatione fuisse actum, minime igitur ejus causa ut major criminalis est tractata. Neque verbum causae privatione dignae a Tridentino usurpatum nimis urgendum videtur, quandoquidem idem Concilium hanc causam alio loco eam esse definit, in qua Episcopus deponendus vel privandus veniat (sess. XIII. c. 6.). Judicium vero, prouti de Senecensi a Synodo Ebredunensi agebatur, haudquaquam tale fuit. Ac sane Antistites in iis, quae Senecensis perpetraverat, non injustitiae vel criminis atrocitatem severa poena vindicandam, sed fratris errorem lenitatis remedio corrigendum spectabant. Quocirca, venia identidem proposita, per complures hebdomadas omnes charitatis rationes tentabant, ut eum ad scandalum reparandum inducerent. Quod quum infelix senex semper renueret, tandem cum a jurisdictione et ordinis exercitio, quippe quas functiones sine gravi

culpa aut fidelium scandalo obire jam non posset, suspenderunt, a
ea tamen adjecta conditione, ut in ejus arbitrio positum esset, retractata pastorali, propter quam damnatus fuit, instructione, illico munus illud suum denuo suscipere. Hanc vero potestatem Concilio provinciali tribuendam esse, pro certo habemus, etiamsi cum Prospero Fagnani eam ita restringimus, ut Concilium non ad majorem quam charitativam correctionem procedere debere *censeamus. (In V. librum Decretal. tit. de accus. c.* Sicut olim. *n. 47.) Caeterum, ut verbis clarissimi Cardinalis Petra utar,* non videtur hoc ita indistincte firmari, quia vere Concilium potest poenas imponere Episcopis transgressoribus, ut clare habetur in sess. XXIV. cap. 3. S. Conc. Trid.: „*(Episcopi)* aliis poenis in Synodo provinciali arbitrio Synodi absque ulla spe veniae mulctentur." *(Commentar. ad Constitut. Apostol. Const. II. Leonis IX. Sect. 1. n. 33.)*

Sed Ebredunensis Synodus non solum maximam moderationem in causa Senecensis dijudicanda, verum etiam summam adhibuit cautionem. Ut enim majore solemnitate *definiret, ex finitimis provinciis decem Episcopos adscivit. Atque ita quidem adversariorum exceptiones praecavisse videtur. Sunt enim canones, qui ad* b
judicium contra Episcopum exercendum duodecim saltem Antistites convenire jubent (Can. Accusatores. *1. can.* Suggero. *2. caus. III. qu. 8.), quod quamquam de minoribus causis criminalibus, quarum judicium Synodo provinciali et antiquo jure et Tridentino canone competit, minime est intelligendum (Petra l. c. n. 30), tamen, quia canones illi hoc non diserte exprimunt et quinquaginta ante annis Jansenistae iisdem canonibus ad Episcopos, qui sibi faverent, tuendos abusi erant, majore cautione omnibus adversariorum cavillationibus obviandum Patres censuerunt. Multos igitur Episcopos ex finitimis provinciis accersiverunt, sive ut majore instantia tot fratrum concors charitas fratrem errantem facilius reduceret, sive ut majore solemnitate tot Antistitum consentiens judicium ejus contumaciae mederetur.]*

CONGREGATIO PRIMA PRIVATA.

Anno Domini millesimo septingentesimo vigesimo septimo die decima sexta mensis Augusti, ex Edicto Indictionis Concilii c
ab Illustrissimo et Reverendissimo D. Petro de Guerin de Tencin, Archiepiscopo et Principe Ebredunensi, promulgato Litterisque ejusdem convocatoriis ad omnes Reverendissimos D. D. Provinciae Episcopos directis, convenere mane hora sesqui-septima in Palatio Archiepiscopali cum Supparo et Capitio Rmus D. Joannes de Soanen, Senecensis Episcopus; Rmus D. Flodoardus Moret de Bourchenu, Vinciensis Episcopus; Rmus D. Laurentius Dominicus des Bertons de Crillon, Glandavensis Episcopus, et R. D. Carolus d'Antelmy, Episcopus Grassensis. Atque post celebratam a Rmo Archiepiscopo in Palatii Archiepiscopalis Sacello missam de Spiritu sancto, habita est ibidem prima Congregatio privata, cui interfuere soli dicti Rmi D. D. Episcopi secundum ordinem antiquitatis inaugurationis suae considentes.

Actum est in ea de modo habendi Congregationes, tum privatas tum generales; de creandis Officiariis seu Adjutoribus Concilii; de ordine sedendi servando a Deputatis, simul et de suffragio, quod ipsis esset concedendum. Speciatim actum est de suffragio concedendo Procuratori Reverendissimi Domini Dinien- d
sis Episcopi absentis et de modo, quo dictus Procurator interesse et considere deberet in Congregationibus; de Theologis Concilii et Canonistis eligendis; de edendis Decretis, sive de aperienda Synodo, sive de Fidei professione emittenda, sive de exigendo juramento non revelandi ea, quae in Congregationibus, seu privatis seu generalibus, agerentur; de Indictione primae Sessionis, de hora et toto ordine ac modo procedendi die indicta a Palatio Archiepiscopali ad Ecclesiam Metropolitanam; ac denique de Indictione secundae Sessionis. Sicque terminata est prima Congregatio privata.

Tum ad Valvas Palatii Archiepiscopalis haec affixa est tabella.

Illustrissimus ac Reverendissimus D. Archiepiscopus Princeps Ebredunensis, Rmi D. D. Episcopi, Patres Concilii, universis et singulis, qui Concilio Provinciali de Jure vel Consuetudine interesse debent, mandant et praecipiunt: ut hac die 16. mensis Augusti anni 1727. hora 3. pomeridiana in Palatio Archiepiscopali sistant se, pro Congregatione generali in Sacello ejusdem Palatii habenda; et ut Procuratores ac Deputati procuratoria ibidem examinanda afferre non praetermittant. De Mandato Illustrissimi et Rmi D. Archiepiscopi Principis. *Amiel.*

PRIMA CONGREGATIO GENERALIS.

In Nomine Sanctae et Individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Anno Domini millesimo septingentesimo vigesimo septimo, Pontificatus Smi Domini nostri Benedicti divina Providentia Papae XIII. quarto, Regni Christianissimi Regis Ludovici XV. duodecimo, die 16. Augusti, hora tertia pomeridiana, habita est a Rmo D. Archiepiscopo in Palatii Archiepiscopalis Ebredunensis Sacello Congregatio prima generalis, cui interfuere cum Rocheto et Mozetta Reverendissimi D. D. Episcopi: videlicet Rmus D. Joannes Soanen, Episcopus Senecensis; Rmus D. Flodoardus Moret de Bourchenu, Episcopus Vinciensis; Rmus D. Laurentius Dominicus des Bertons de Crillon, Episcopus Glandavensis; Rmus D. Carolus d'Antelmy, Episcopus Grassensis. Interfuere R. D. Josephus de Puget, Rmi D. Episcopi Diniensis absentis Procurator necnon ejus in Dioecesi Vicarius Generalis; R. D. Victor Amedaeus de la Font de Savine, Abbatiae Boscodonensis S. Benedicti Abbas Commendatarius; Deputati: scilicet duo Capituli Ecclesiae Ebredunensis; duo item Ebredunensis Dioecesis Cleri; unus Capituli Diniensis Ecclesiae et unus ejusdem Dioecesis Cleri; duo Glandavensis Capituli, quorum alter erat item a Clero ejusdem Dioecesis deputatus; Deputati duo Grassensis Ecclesiae, alter Capituli, alter Cleri: dicti omnes cum pallio, talari et quadrato pileolo; demum Deputatus unus Abbatiae Lerinensis Ordinis sui vestibus indutus. Interfuere Theologi ac Canonistae, in Congregatione privata matutina electi. Facto initio ab invocatione Spiritus sancti solitis precibus, Rmus D. Archiepiscopus habuit orationem latinam ad Concilium.

Cum perorasset, Rmus D. Archiepiscopus sequentes nominavit Adjutores Concilii seu Officiarios ab iisdemque more solito juramentum exegit.

Adjutores Concilii.

R. D. Gaspar d'Hugues, Ecclesiae Metropolitanae Ebredunensis Canonicus et Reverendissimi D. Archiepiscopi Vicarius Generalis, Promotor Concilii.

R. D. Joannes Baptista Jouve, ejusdem Ecclesiae Canonicus, Vice-Promotor.

R. D. Antonius de Michel, ejusdem Ecclesiae Canonicus, Secretarius.

R. D. Nicolaus Amiel, in Dioecesi Ebredunensi Beneficiarius, Subsecretarius.

R. R. D. D. Guillelmus Salva, Ebredunensis Ecclesiae Canonicus; et Franciscus Ignatius Jouvene, ejusdem Ecclesiae Beneficiarius, Caerimoniarum Magistri.

D. Jacobus Vial, in supremo Delphinatus Senatu Causidicus, et D. Franciscus Leydon, in Ebredunensi Curia Procurator, Notarii Concilii.

Tum a Concilio electi Theologi, et Canonistae nominati sunt, qui sequuntur.

Theologi et Canonistae Saeculares.

R. D. Joannes Faure, Sacrae Theologiae Doctor, Ebredunensis Ecclesiae Canonicus et Archidiaconus.

R. D. Josephus Payan, Dioecesis Aquensis Sacerdos, Doctor Sorbonicus et Dioecesis Grassensis Deputatus.

Regulares.

R. D. Jacobus Silvestre, Ordinis S. Benedicti, in Abbatia Boscodonensi Prior Claustralis.

Pater Antonius Arnaud, Ordinis S. Dominici, in Monasterio Barcinonensi Alpium Sacrae Theologiae Doctor.

P. Ludovicus Clarion, ejusdem Ordinis, Monasterii Brianconensis Prior et Sacrae Theologiae Baccalaureus.

P. Josephus Roux, Ordinis Minorum Conventualium sancti Francisci, in Monasterio Ebredunensi Guardianus, Sacrae Theologiae Doctor.

P. Franciscus Roulx, ejusdem Ordinis ac Monasterii, Sacrae Theologiae Doctor.

P. Stephanus Maniquet, Ordinis Minimorum Provincialis in a Provincia Lugdunensi, Sacrae Theologiae Doctor.

P. Benedictus de la Roche Ordinis Capucinorum, Ebredunensis Monasterii Guardianus.

P. Laurentius de la Roche, ejusdem Ordinis ac Monasterii.

P. Polycarpus Ramboz, Ordinis Recollectorum sancti Francisci, Brianconensis Monasterii Guardianus.

P. Pontianus du Tremble, ejusdem Ordinis, Monasterii Gratianopolitani Guardianus et Sacrae Theologiae Professor.

P. Nicolaus Boudret, Societatis Jesu, Collegii Ebredunensis Rector.

P. Franciscus Mollie, ejusdem Societatis, in Clericorum Seminario Ebredunensi Director et Sacrae Theologiae Professor.

Rmus D. Senecensis Episcopus a Concilio petiit, ut inter Theologos admitterentur bini, quos adduxerat, Ecclesiastici, quibus nomen esse dixit, uni Bouret de Vaumeni, alteri Boulenai.

Rmus D. Archiepiscopus, de Concilii sententia, Rmum D. Episcopum Glandavensem praeposuit examinandis Theologorum Concilii titulis et Rmum D. Episcopum Vinciensem expendendis Deputatorum litteris Procuratoriis; eundem constituit judicem b tum absentiae causarum tum controversiarum; eique in praefatis adjutores dedit R. D. de la Font de Savine, Abbatem Boscodonensem, et R. D. d'Hugues, in Metropolitana Ecclesia Ebredunensi Canonicorum Collegio praepositum.

Rmus D. Archiepiscopus exhibuit litteras a Rmo D. Episcopo Diniensi ad se missas, quibus significabat, gravibus detineri se infirmitatibus, ne Concilio interesse posset, rogans hanc legitimam habeat absentiae causam, simul adjiciens perscriptum Medicorum testimonium; hisce Synodi jussu recitatis in consessu litteris medicorumque testificatione adjecta, excusationem accepit Synodus acceptionisque actum concedi voluit Rmo D. Episcopo Diniensi, atque tam ejus litteras, quam Medicorum testimonium actis Concilii inseri.

Exhibuit item Rmus D. Archiepiscopus tum epistolam propriam suam, Regi Sardiniae scriptam occasione Concilii Ecclesiaeque Niciensis, cujus Episcopus Ebredunensis Metropolitani Suffraganeus est, qua Regiam ejus tutelam petit pro Concilio simul et facultatem omnibus ex Dioecesi Niciensi, qui de jure vel consuetudine Concilio interesse debent, Ebredunum c conveniendi ad Synodum inchoandam die 16. Augusti praesentis anni; tum rescriptas sibi litteras a dicto Rege, quibus significat, exoptasse se quidem, recens nominatum Niciae Episcopum adesse Concilio potuisse inauguratum; quod cum fieri non potuisset, sese interim omnibus ex Dioecesi Niciensi, qui de jure vel consuetudine Concilio interesse debent, facultatem Ebredunum conveniendi ad Synodum die indicta perlibenter concessurum.

Denique a Rmo D. Archiepiscopo exhibitae sunt item litterae, sibi a D. le Blanc, Regi a secretis in re Militari Consiliis, missae Regio nomine. Quibus ipsi notam facit Christianissimi Regis voluntatem de Militaribus Concilio deferendis Honoribus Regiaque hac de re mandata, a se denuntiata Domino de Menard Proregi ac Praefecto Ebredunensi: videlicet, ut prima inchoati Concilii actio publica tormentorum bellicorum emissionibus duodecim celebretur; ut, cum Episcopi turmatim aliqui, incedendo per Urbem, occurrent stationi Militum, derepente armis accincti se sistant stationis Milites, ordinati signumque dantes profectionis, denique ut ex proxima Militum statione singulis Episcopis pro foribus collocetur Excubitor honoris causa. d

Has omnes jussum est palam in consessu recitari litteras, atque inde inter Concilii instrumenta reponi.

Statuit deinde Synodus, quae sequuntur:

1. Hora octava matutina habebuntur in Palatii Archiepiscopalis Sacello Congregationes privatae Episcoporum. Eodem in loco Congregationes habebuntur Generales hora tertia pomeridiana. Omnibus Congregationibus intererunt Episcopi cum Rocheto et Mozetta. Solis Generalibus intererunt Deputati ac Theologi, Saeculares cum talari pallio et pileolo quadrato, Regulares vero vestitu quisque suo proprio induti.

2. Congregationum privatarum fiet exordium a Missa ab uno Episcoporum sine cantu celebranda; quam subsequetur invocatio Spiritus sancti. Ab ipsa vero invocatione Spiritus sancti Congregationes generales sument initium, finemque singulae accipient Oratione: *Sub tuum praesidium,* etc.

3. Ex responso Gregorii Papae XIII. ad Rothomagensis Concilii quaesitum anno 1581. decretoque conformi Burdigalensis Concilii anno 1624. non alii praeter Episcopos vocem habebunt decisivam. Reverendissimi tamen D. Episcopi Diniensis gratia concesso jure illo fruetur R. D. de Puget, dicti Reverendissimi D. Episcopi Procurator, in iis omnibus, in quibus ex Canonibus non est praedictum jus specialiter Episcopis reservatum.

4. Dictus Procurator omnibus Concilii Congregationibus intererit. In iis vero quemadmodum et in Sessionibus publicis sedebit primus ab Episcopis, eodem ordine et in sella dorsuosa. Quod ad alios spectat Deputatos, quemcunque sedendi ordinem servent, nihil inde officietur juri alieno, nulli jus novum acquiretur.

5. Nemo eorum, ex quibus constat Concilium, absque causa legitima aberit riteque sibi concessa facultate.

6. Decreta, prius a Reverendissimo D. Archiepiscopo, sive de aperienda Synodo, sive de modo vivendi in Concilio, concepta et formata atque a Patribus in privata Congregatione approbata, recitabuntur, quae et palam perlecta sunt.

7. Cum Fides totius sit Religionis basis ac fundamentum, decernendum visum est, ut in 1. Sessione pro more Conciliorum omnium solemnis emittatur ab omnibus Fidei professio, atque pro more Conciliorum Provincialium Tridentino posteriorum ea adhibeatur formula, quae ex Pii IV. constitutione deprompta in praesenti consessu lecta est.

8. Habebitur prima Sessio crastina die 17. Augusti in Ecclesia Metropolitana.

9. Etsi in posterioribus Conciliis id moris videatur fuisse, ut in prima Sessione Sacram Eucharistiam de manu Archiepiscopi solemniter celebrantis sumant omnes, qui Concilio intersunt: nihilominus, cum declarasset Reverendissimus D. Archiepiscopus, significatum sibi a quibusdam Praesulibus fuisse, optare se ea die ob speciales causas privatim Sacrum facere, statutum est, omissa Eucharistiae sumptione publica, privatim singulos Missam celebraturos.

10. Ante initium Congregationum generalium continuo per semi-horam ictu pulsabitur majus Aes campanum Ecclesiae Metropolitanae. Ut vero cunctis solemnius annuntietur prima Sessio cras futura; hac die vespere ab hora quarta ad septimam et cras mane a sexta usque ad tempus, quo Metropolim ingressa fuerit Synodus, Urbis Campanae pulsabuntur omnes.

11. Crastina die, decima septima Augusti, hora sesquiseptima matutina, processionaliter ad Palatium Archiepiscopale conveniet Capitulum Cathedralis Ecclesiae; indeque universa Synodus, ibidem adstans hora praedicta, ad Ecclesiam Metropolitanam simul cum Capitulo ordine infra describendo procedet, primam Sessionem habitura.

Ordo incedendi.

Bidellus.

Thuriferarius.

Subdiaconus Crucem gerens Ecclesiae Metropolitanae, duobus hinc inde stipatus Acolythis.

Theologi et Canonistae, Regulares secundum Ordinis sui antiquitatem procedentes propriisque Ordinis Vestibus induti, et Saeculares cum talari Pallio et Pileolo quadrato.

Deputatus Abbatiae Lerinensis, Ordinis sui Vestibus indutus.

Deputati Clerorum cum talari Pallio et Pileolo quadrato.

Beneficiarii Ecclesiae Metropolitanae cum Superpelliceo.

Deputati Ecclesiarum Cathedralium cum Superpelliceo villosoque amictu.

R. D. Abbas Boscodonensis, Rocheto et Pluviali indutus.

R. D. Procurator Rmi D. Episcopi Diniensis, Alba et Pluviali indutus.

R. R. D. D. Canonici Metropolitanae Ecclesiae cum Pluvialibus.

Rmi D. D. Episcopi, ordine antiquitatis Consecrationis suae incedentes, Pluviali super Rochetum induti Mitramque gestantes, suo quisque ad latus extra ordinem comitati Capellano.

Crucem gerens Archiepiscopalem.

Qui Pedo Archiepiscopali gerendo destinatur.

Bini Capellani Rmi D. Archiepiscopi.

Prima et secunda Capituli Dignitas, Gremiale ferentes.

Illustrissimus et Reverendissimus D. Archiepiscopus, Pontificalibus indutus, Pedum manu gestans, medius inter Diaconum et Subdiaconum Canonicos.

Diaconus et Subdiaconus assistentes.

Tertia et quarta Capituli Dignitas cum Pluvialibus.

Presbyter assistens alterque Mitram gerens cum Pluvialibus.

Bidellus.

12. In consessu recitatum est Decretum de secunda Sessione indicenda ad diem 24. Augusti, quae erit dies Dominica; salva tamen facultate eam prorogandi aut in aliam diem rejiciendi, si id expedire Concilio videbitur.

Cum Reverendissimus D. Archiepiscopus etiam id statuendum proposuisset, ut omnes, qui Concilio intersunt, jurejurando sese astringerent, ne quidquam revelarent, quod iis detrimento esse posset: consensere omnes praeter Reverendissimum D. Episcopum Senecensem, qui huic obstitit Decreto Juramenti velut insoliti. Re aliquamdiu agitata, cum nihil certi de ea statui potuisset, in proxime futuram Congregationem generalem rejecta est. Huncque finem habuit prima Congregatio generalis.

PRIMA SESSIO.

Anno Domini millesimo septingentesimo vigesimo-septimo, Sanctissimi Domini nostri Benedicti Papae XIII. Pontificatus quarto, Christianissimi Regis Ludovici XV. Regni duodecimo, die decima-septima mensis Augusti, quae erat dies Dominica, habita est prima Sessio in Ecclesia Metropolitana.

[* Longam, quae dein sequitur, caerimoniarum descriptionem omisimus.]

Concilii Secretarius, medius inter binos caerimoniarum Magistros, ad Rm̃um D. Archiepiscopum accessit, atque inclinato capite tum ipsum tum Rm̃os D. D. Episcopos salutans, de manu Rm̃i D. Archiepiscopi Decreta sumpsit Concilii promulganda. Salutatisque iterum Rm̃is D. D. Archiepiscopo et Episcopis, in suggestum ascendit, promulgavitque sequens de aperienda Synodo Decretum.

Decretum de aperienda Synodo.

Illustrissime et Reverendissime Domine, Reverendissimi Patres, placetne vobis, ad laudem Dei et Ecclesiae Catholicae decorem, Concilii Provincialis Ebredunensis initium fieri?

Promulgato Decreto, Subsecretarius simul cum duobus caerimoniarum Magistris ad Rm̃um D. D. Archiepiscopum accessit, salutans tum ipsum tum Rm̃os D. D. Episcopos, dixitque: *Illustrissime et Rm̃e Domine, placetne Decretum?* Qui respondit: *Placet.* Eoque salutato, ad Rm̃os D. D. Episcopos, qui erant e regione antiquioris Episcopi, accedens, salutatis iis, dixit: Rm̃i *Patres, placetne vobis Decretum?* qui per vices singuli responderunt: *Placet.* Rursum salutatis iis, ad Rm̃os D. D. Episcopos altroversum positos perrexit, factusque obviam Rm̃o D. Archiepiscopo inclinavit sese, et salutatis Rm̃is D. D. Episcopis, dixit: Rm̃i *Patres, placetne vobis Decretum?* qui singuli per vices responderunt: *Placet.* Iis iterum salutatis, rediit ad Rm̃um D. Archiepiscopum, profundeque inclinans sese, dixit: *Illustrissime et Reverendissime Domine, Decretum placuit Patribus.* Simulque recessit. Tum Rm̃us D. Archiepiscopus pronunciavit: *Decretum placuit Patribus; itaque decernimus, Concilii Provincialis Ebredunensis initium fieri et jam factum esse.*

Post haec duo caerimoniarum Magistri Rm̃o D. Archiepiscopo annunciavere *Te Deum laudamus.* Sumptoque Pastorali Pedo, stetit rectus ad finem usque Hymni, quo finito, consederunt omnes Rm̃i D. D. Archiepiscopus et Episcopi, Mitras induentes. Jussu Rm̃i D. Archiepiscopi Secretarius e suggestu legit Decretum de Modo vivendi in Concilio.

Decretum de Modo vivendi in Concilio.

Ex quo Concilii Provincialis celebrationem, etc. *Ut supra p. 617.*

Tum Subsecretarius, binis comitatus caerimoniarum Magistris, modo praefato Patrum vota exquisivit retulitque ad Rm̃um D. Archiepiscopum, qui, acceptis illis, dixit: *Decreta placuere Patribus, ideo agendae sunt Deo gratiae.* Responderunt Patres: *Deo gratias.*

Secretarius e suggestu singulos Rm̃os D. D. Episcopos nominatim appellavit.

Reverendissimus Dominus Episcopus Senecensis; R. Adsum.

Reverendissimus Dominus Episcopus Diniensis; R. Adest per Procuratorem.

Reverendissimus Dominus Episcopus Venciensis; R. Adsum.

Reverendissimus Dominus Episcopus Glandavensis; R. Adsum.

Reverendissimus Dominus Episcopus Grassensis; R. Adsum.

Reverendissimus Dominus Episcopus Niciensis; R. Abest.

a Jussu Rm̃i D. Archiepiscopi ex eodem suggestu Secretarius promulgavit Decretum de Professione Fidei emittenda.

Decretum de Professione Fidei emittenda.

Cum inter omnes Pastoralis Officii, *ut supra p. 619.*

Decreto a Patribus approbato, Secretarius e suggestu recitavit Professionis Fidei Formulam Pii IV. jussu edictam. Tum Subsecretarius Patrum vota de more sumpsit retulitque ad Rm̃um D. Archiepiscopum, qui posita Mitra, flexis genibus, manuque super librum Evangelii extenta, legit formulam etc.

„Ego Petrus de Guerin de Tencin, Archiepiscopus Princeps Ebredunensis, ea omnia et singula, quae a Sacrosancta Tridentina Synodo definita et statuta sunt, recipio. Necnon veram obedientiam Summo Romano Pontifici spondeo et profiteor, haeresesque omnes, a Sacris Canonibus et Generalibus Conciliis praesertimque ab eadem Synodo damnatas, detestor et anathematizo, juxta Formulam praescriptam a Sanctissimo Domino Nostro Pio IV. Pontifice Maximo."

b Tum Rm̃us D. Archiepiscopus Mitra indutus sedit, habens prae manibus librum Evangeliorum, atque ad eum singuli Rm̃i D. D. Episcopi per vicem accedentes, positis Mitris, manibusque super dictum librum Evangeliorum superpositis, eandem pronuntiavere Fidei Formulam. Hos subsecutus est Procurator Rm̃i D. Episcopi absentis. Idem praestitere Abbas praesens, Deputati, Theologi, Canonistae, Officiarii Concilii, bini et bini accedentes.

His peractis Secretarius e suggestu promulgavit Decretum sequens de secunda Sessione habenda:

Illustrissime et Reverendissime Domine, Reverendissimi Patres, placetne vobis, secundam Sessionem fore die vigesima-quarta praesentis mensis, quae erit dies Dominica, ita tamen ut ad aliam diem transferri vel prorogari possit, si pro rebus Concilii bene gerendis conducere videbitur?

A Subsecretario votis Patrum de more exquisitis et relatis, Rm̃us D. Archiepiscopus dixit: *Decreta placuerunt Patribus, ideo habebitur secunda Sessio die vigesima quarta praesentis mensis, ita tamen, etc.,* ut supra.

c Deinde Rm̃us D. Archiepiscopus solemniter benedixit. Secretarius e pulpito centum dierum Indulgentias a Concilio iis omnibus, qui Caerimoniae adfuerant, concessas promulgavit. Discessitque Concilium eodem, quo accesserat, ordine.

SECUNDA CONGREGATIO PRIVATA.

Anno 1727. die 18. Augusti habita est mane in Palatii Archiepiscopalis Sacello a Rm̃o D. Archiepiscopo secunda Congregatio privata; cui interfuere Rm̃us D. Episcopus Senecensis, Rm̃us D. Episcopus Venciensis, Rm̃us D. Episcopus Glandavensis, Rm̃us D. Episcopus Grassensis et R. D. de Puget, Rm̃i D. Episcopi Diniensis Procurator.

In hac Congregatione disseruere Patres, quaenam essent, de quibus utile foret statuere, ad rectam Provinciae gubernationem instituendam.

SECUNDA CONGREGATIO GENERALIS.

d Anno 1727. die 18. Augusti, hora 3. pomeridiana, habita est in Palatii Archiepiscopalis Sacello a Rm̃o D. Archiepiscopo secunda Congregatio generalis, cui interfuere omnes Rm̃i D. D. Episcopi, Deputati ac Theologi.

Cum iterum actum esset ac deliberatum de jurejurando, de quo in priori Congregatione generali nihil statutum fuerat, nisi de illo rursus esse deliberandum in praesenti Congregatione: Rm̃us D. Archiepiscopus, exquisitis Concilii sententiis, pronuntiavit: quandoquidem jusjurandum illud soli Rm̃o D. Senecensi Episcopo non probaretur, eo excepto, ab omnibus fore proferendum his verbis: Juro et promitto, nihil me revelaturum, quod in detrimentum eorum, ex quibus Concilium constat, cedere possit. Quod et praestitum est.

Rm̃us D. Episcopus Venciensis, cui cura demandata expendendi absentium excusationes deputatorumque procuratoria, haec retulit ad Concilium:

Primum: nihil esse, quod in causis absentiae Rm̃i D. Episcopi Diniensis, a Rm̃o D. Archiepiscopo adductis atque a Concilio approbatis, ultra adverteret.

Alterum: quod ad Niciensem Ecclesiam spectat, lectam a a se epistolam Vicarii generalis Dioecesis, sede vacante, ad Concilium scriptam, in qua infirmam valetudinem causatur, tam longi itineris laboribus ferendis imparem, simul et suam in Dioecesi praesentiam necessariam, cum propediem adventurus esset recens creatus Episcopus, cui administrationis diuturnae rationem reddere et praesentem Ecclesiae Niciensis statum aperire per sese accurate et enucleate nullo modo posset omittere. Denique absonum visum sibi fuisse in sui locum sufficere aliquem, cui Deputati potestas brevi deficeret, cessante mox sua Vicarii generalis, sede vacante, deputantis potestate atque jurisdictione.

His auditis, Concilium adjudicavit dicto Vicario generali actum excusationis epistolamque actis Concilii inseri jussit.

Nullus aderat Deputatus a Clero Senecensi, nullus item a Capitulo et Clero Vinciensi. Rmus D. Episcopus Senecensis dixit, brevi affuturum aliquem procuratorio sufficienti instructum a Clero suo. Rmus D. Episcopus Vinciensis postulavit, in Concilium admitti R. D. Rostan Beneficiarium, cui item affirmavit intra paucos dies non defuturum simile a capitulo et Clero b Dioecesis suae procuratorium. Caetera Deputatorum procuratoria ex stata et consueta forma tradita esse, declaravit Rmus D. Episcopus Vinciensis.

Inde requisivit Promotor, praedicta procuratoria in actis reponi Concilii, riteque Deputatos in Concilium admitti. Quod ex tempore fieri jussum est a Synodo.

Rmo D. Episcopo Vinciensi concessum est, ut interim R. D. Rostan Concilio posset interesse.

Deputatorum Nomina et Cognomina.

R. D. Josephus de Puget, facultatis Parisiensis Baccalaureus, Sacerdos, Vicarius generalis Rmi D. Episcopi Diniensis ejusdemque Procurator.

R. D. Guillelmus d'Hugues, in Ecclesia Ebredunensi Metropolitana praepositus, et R. D. Ludovicus Paschalis, dictae Ecclesiae Canonicus, a Capitulo Deputati.

R. D. Andreas Remusat, Ebredunensis Parochiae S. Vincentii Parochus, et R. D. Joannes Berthelot, Pagi S. Clementis c item Parochus, ab Ebredunensi Clero Deputati.

R. D. Joannes du Pasquier, Ecclesiae Cathedralis Senecensis Canonicus atque a Capitulo Senecensi Deputatus.

R. D. Joannes-Baptista de Boulogne, Capituli Diniensis Canonicus Theologalis atque ab eodem Capitulo Deputatus.

R. D. Josephus de Puget, qui et Procurator Rmi D. Episcopi Diniensis, Deputatus item a Clero Diniensi.

R. D. Arnaldus Rostan pro Capitulo et Clero Vinciensi.

Rdi D. D. Josephus Belin et Josephus Ravel, Cathedralis Ecclesiae Glandavensis Canonici, a Capitulo Deputati.

R. D. Josephus Ravel, Deputatus item a Clero Glandavensi.

R. D. Stephanus Maria, Ecclesiae Cathedralis Grassensis Canonicus, a Grassensi Capitulo Deputatus.

R. D. Josephus Payan, Dioecesis Aquensis Sacerdos et Doctor Sorbonicus, a Grassensi Clero Deputatus.

D. Benedictus de Benoit, Abbatiae Lerinensis Decanus et Cellarius, dictae Abbatiae Deputatus.

Visis et comprobatis Procuratoriis, Promotor sic exorsus est:

Reverendissimi Domini. Cum primus ac potissimus sacri d hujusce celebrandi Concilii finis sit, sartam tectam atque incolumem tutari Fidem Ecclesiaeque Dogma, ubi haec aliquo in periculo versari sentiuntur: nihil mihi, rerum Concilii Promotori, visum est magis ad vestram pertinere sollicitudinem, quam si disceptandum ad vos adducam scriptum opus, quod, ubi primum in lucem fuit editum, cunctis indignationi, infirmis in fide offensioni, vere Catholicis pavori fuit atque, ut ita dicam, consternationi. In quod proinde opus plurimorum sanctitate praestantium Praesulum animus continuo fuit incensus atque inflammatus: opus videlicet, ita ab auctore conscriptum, ut leges disturbare ipsumque Ecclesiae Dogma penitus pervertere voluisse videatur: opus eo ad vos pertinens magis, quod vestris quodammodo sub oculis natum, in fronte etiam praeferat nomen in hac Provincia augustius atque sacratius.

His quasi delineamentis haud dubie unusquisque vestrum designatum a me intelligit libellum Instructionis Pastoralis, in Rmi Domini Episcopi Senecensis nomine typis editum, adscripta die 28. Augusti D. Augustino sacra anni 1726.

Frustra occultare aut dissimulare vellem, quam aegre admodum pro muneris mei ratione in hoc opus insurgam, quod non minus ore omnium atque judicio quam ipsa libri inscriptione huic Praesuli tribuitur auctori.

Nimirum summam a puero edoctus in ordinem Episcopalem venerationem atque observantiam, inferiori ipse in ordine constitutus et educatus, cui specialis honor est animo aeque ac loco subesse Episcopis: jam dudum in Rmo D. Episcopo Senecensi quasi demirans suspexeram eximiam illam in dicendo facultatem, sibi a supremo bonorum omnium largitore Deo cumulate concessam. In eo oris dos illa singularis cum morum gravitate conjuncta, quibus decus addebant et ornamentum palam compositus pudor, vultus modestia totiusque corporis ad normam exacta compositio. Haec in Praesule videbantur mihi delineare ac quasi oculis nostris subjicere formam virorum Apostolicorum, quos dignitate referebat. Atqui ob hoc ipsum rursus maxime judico tenendam esse mihi ac sequendam, quam institui, viam. Nempe, quo majoris est ponderis auctoritas Rmi D. Episcopi Senecensis, eo timendus magis videri debet omnibus error multiplex, tanto veniens tutus ac protectus nomine.

Ad haec postulat a me Religionis amor, postulat solemnis data vobis Sacramenti Fides, accurate et ardenti studio partes obeundi mihi commissas: ut, posthabito humano affectu omni, non dubius haeream inter ea, quae officii mei sunt, et quae propensae caeteroqui voluntatis. Cedant igitur muneris et officii mei rationi, cedant existimationis, observantiae ipsiusque etiam animi inclinationis rationes. Universae scilicet hujus Provinciae nomine loquor. Ore meo exprimitur vox Sacerdotum, quotquot sunt, atque Levitarum, vos Patres inclamantium suos. Quin ipsum, me loquente, audire vobis licet fidelem ac pavidum populum vos interpellantem Pastores, ut auctoritate vestra venenatum pravi Dogmatis pabulum, callida sibi arte paratum blandisque sermonum floribus occultum, detegendo ac palam faciendo ab ipsis avertere longeque arcere tandem aliquando non dubitetis.

Intenta in vos Gallia, intentis animis Ecclesia universa, quid acturi sitis, expectat. Summam enimvero spem faciunt ipsi jure merito is Episcoporum Coetus in Christi nomine congregatus iique, ex quibus conflatur haec Synodus, Praesules, plurimarum rerum cognitione conspicui, sanae praesertim Doctrinae retinentissimi, pietate non fucata veraeque tuendae Religionis studio magis etiam quam Episcopali, qua fulgent, dignitate commendabiles. Spem auget et expectationem praeses ille, cui ob raras animi dotes, virtutem eximiam, acre ac praecellens ingenium singulariter dudum devinctus fuit animus duorum Summorum Pontificum, qui et ipsa eorum usus familiari consuetudine e puris hisce fontibus tutissima ac certissima hausit Christianae Fidei morumque Disciplinae principia; quem nunc ipsi conspicimus, pietatis exemplo suo praelucentem Clero, virtutumque omnium Episcopi propriarum splendore toti populo ad miraculum pariter atque amorem quodammodo esse propositum.

Scriptum opus, quod ad vos Judices, Reverendissimi Domini, vestrumque Tribunal defero, merito in se convertit vestrum omnium indignationem. Eo nempe continentur scripto [dolens dico, at dissimulare nequeo, nec tacere veritas sinit] eo scripto continentur monstrosa, ut ita dicam, errorum semina, principia seditionem concitantia, errores ipsi capitales, non semel damnati nec uno Ecclesiae anathemate perculsi. In eo ipsamet damnatur Fidei formula ab Alexandro VII. praescripta atque jam inde a sexaginta annis in Regno isto recepta usuque firmata. Certe illi contradicitur, eamque omni ope irritam facere scripti auctor annititur: dum videlicet vexationi adscribit puram et simplicem, quae exigitur huic formulae, subscriptionem eique tanquam certissimo fonti tribuit mala plurima, quibus dudum ait Ecclesiam Gallicanam affligtari. Idem Constitutionem: *Vineam Domini Sabaoth,* a Clemente XI. traditam, ita interpretatur fallaciter atque in alienam detorquet significationem, ut non tam eam commemorasse, quam turpiter ei illusisse aut etiam contradicere aperte voluisse videatur.

Nec minus injuriose tractat Constitutionem *Unigenitus,* ab eodem Summo Pontifice datam, ab Episcoporum ordine receptam, Regis Ludovici XIV. Diplomate anno 1714. munitam, regia demum declaratione anni 1720. firmatam, atque pro certa utriusque pariter, tum Ecclesiae tum Regni, Lege habendam. Vix equidem voce referre ausim, quae scripto temere protulit hujus Institutionis auctor: dum eam Constitutionem fideli populo ex-

hibet ea mente, eo consilio datam, ut faveat ac patrocinetur periculosis in Fide opinionibus, Regulis morum laxioribus, abusibus in disciplinam inducendis falsisque de sacra Hierarchia principiis; dum pronuntiat, reipsa hac Constitutione Orthodoxae Fidei Dogmata, sanas ac tutas morum Regulas, Sacramentorum administrandorum Leges ipsaque Regni hujus jura ac sacratissimos usus damnari, inverti, disjici penitus atque disturbari. a

Demum in hac Instructione Pastorali amplissimis exornatur laudibus liber moralium Quesnelli Considerationum. Dumque sociato utriusque, et Ecclesiae et Principis, damnatur liber ille judicio atque auctoritate prohibetur: ausu temerario memoratae Instructionis auctor populo Senecensi legendum librum illum et offerre et valde suadere non dubitat. Haec sunt ipsissima illius verba: *Is Liber ille est*, inquit, *in quem non modo non cadit merito censura ulla, verum etiam qui dignissimus est, ut legatur; utpote qui totus in Divinarum Litterarum, Sanctorum Patrum sermone verbisque versatur, qui luce atque unctione plenus, alendae Fidelium pietati aptissimus est, ipsorum scilicet animos sensu ipso Mysteriorum Christi plene imbuendo atque intelligentiam eorundem ipsis subministrando.* b

Sunt et alia plurima, quae in hac instructione pastorali juste ac meritissimo reprehendantur. Verum tribus hisce commemoratis a me capitibus potissimum inhaerendo, requiro et postulo primum:

Ut Rm̄us D. Episcopus Senecensis aperte declaret, an reipsa sua sit haec instructio Pastoralis, an non. Si suam esse negaverit, palam diffiteatur opus atque constantissima affirmatione condemnet. Si vero suam agnoscat, jam recantet opus pariterque condemnet; specialiter in iis, quae ibi profert, tum adversantia subscriptioni purae et simplici formulae Alexandri Papae VII., tum injuriosa Constitutioni *Unigenitus* ejusque factae acceptationi, demum in iis, quibus lectionem libri Moralium Quesnelli Considerationum commendat atque auctoritate sua comprobat. Haud insuper approbans caetera, quae in dicta instructione Pastorali aliunde reprehensione digna possent inveniri.

Alterum postulo, ut ab ipso Concilio prodeat condemnatio praefatae instructionis Pastoralis, sive eam confiteatur esse suam Rm̄us D. Episcopus Senecensis, sive neget. Actumque exposco praesentis meae requisitionis. c

Deliberatum Ebreduni die 18. Augusti anno 1727. *Gaspar d'Hugues* Promotor.

Promotori concessum est a Concilio actum delationis. Ipse vero discedens, in consessu reposuit praedictae Instructionis Pastoralis exemplar, simul et delationem conclusionesque proprio chirographo munitas. Quae omnia extant inter autographa Concilii instrumenta.

Cum verba facturus surrexisset alter e duobus Theologis, quos in Synodum induxerat Rm̄us D. Episcopus Senecensis, Rm̄us D. Archiepiscopus ait: Neutri id concedi posse, ut audirentur in Synodo, nisi prius inter Concilii Theologos rite admissis; neque vero ante admittendos esse, quam idoneis testificationibus, quinam et quales essent, coram speciali Judice constituto ipsisque ad vitandam publicae anquisitionis notam clementer a Patribus indulto ostendissent. Quod cum hactenus constanter renuissent, in majorem inde venisse suspicionem Concilio, qui jam ante merito ei erant valde suspecti: nimirum, cum nominibus viderentur uti supposititiis, essent extranei et non in hac modo, sed etiam in Senecensi Dioecesi penitus ignoti ipsique adeo Rm̄o D. Episcopo Senecensi non satis cogniti, quippe qui in prima Congregatione privata nomina eorum et cognomina ignorare se dixerat; cum tamen pridie, eo praesentanto, in conspectum Rm̄i D. Archiepiscopi venissent, alter *Bouret* dictus *de Vaumeni*, alter *de la Neuville;* jam vero posterior iste non *de la Neuville*, sed novo indutus nomine, *Boulenay* nuncupatus, induceretur. Quibus considerationibus inductum fuisse Concilium, ut omnino amandandos eos esse ediceret, donec de conditione vitaeque suae genere ac instituto certam ipsimet fecissent Synodum. Quae cum jussa exequi non essent parati, e vestigio sponte simul a Synodo recesserunt dicti Theologi. d

Tum vero Rm̄us D. Episcopus Senecensis jus eo ipso tempore petiit dici a Synodo super acto suo extrajudiciali, rite omnibus in Concilio adfuturis Episcopis denuntiato, dum denuntiatum fuit die 11. Augusti praesentis anni Rm̄o D. Archiepiscopo. Quo videlicet acto declarabat, Provinciali Synodo Ebredunensi non competere judicium sive de se sive de scriptis suis. Rm̄us D. Archiepiscopus rogavit eum, tantisper recedere vellet, dum de ipsius requisitione deliberaretur.

Quo absente, decrevit Synodus, prius omnino interrogandum esse Rm̄um D. Episcopum Senecensem, suamne agnosceret, an diffiteretur Instructionem pastoralem a Promotore delatam. Ei iterum ingresso renunciavit Rm̄us D. Archiepiscopus Concilii Decretum; simulque eum interrogavit, suamne agnosceret praefatam instructionem pastoralem, quam si agnosceret, nomine Concilii petiit, ut in exemplari ejus adducto, subscripto nomine, propria item nota primam et ultimam paginam insigniret. Ad interrogatum respondens Rm̄us D. Episcopus Senecensis suam ipsemet dictavit declarationem, prout habetur infra in interrogatorio, ex juris formula concepto. Cujus interrogatorii declarationisque autographum exemplar inter acta Concilii authentica asservatur.

Interrogatorium R. D. Episcopi Senecensis.

Reverendissimus D. Archiepiscopus ex promotoris requisitionibus nomine Concilii Rm̄um D. Episcopum Senecensem interpellavit, ut diceret ac declararet, an a se auctore prodiisset libellus, gallico sermone typis impressus, cui titulus: *Instructio pastoralis Rm̄i D. Episcopi Senecensis, in qua occasione sparsorum de morte sua rumorum apud Clerum et populum suum deponit, quid ultimo sentiat super iis, quae Ecclesiam exagitant, disceptationibus;* sexaginta et una paginis comprehensum opus, adjecta insuper pagina sexagesima secunda, operis errata continente, die adscripta 28. Augusti anni 1726., cum hac subscriptione, Joannes Episcopus Senecensis, et ex adverso *de mandato Rm̄i Domini, Du Pasquier.* Quem libellum si suum agnosceret, factam declarationem chirographo muniret; atque in exemplari adducto dictae Instructionis primae et ultimae paginae nomen suum, propria nota insignitum, apponeret. Disertis respondit verbis Rm̄us D. Episcopus Senecensis suam hanc agnoscere et adoptare instructionem pastoralem; jussu suo promulgatam fuisse; ejusque defensionem se suscipere, donec convincentibus argumentis ostenderetur sibi, errores in illa reperiri. Praesensque responsum dictavit ipsemet, subscribens: Ebreduni in Concilio die 18. Augusti anno 1727. subscripsit *Joannes* Episcopus Senecensis.

Simul in exemplari oblato dictae Instructionis pastoralis subscriptum nomen, propria nota insignitum, apposuit primae et ultimae paginae. Tum denuo postulavit a Synodo, ut super acto suo de incompetentia tribunalis Concilii statueretur. Atque his dictis recessit.

Quo digresso, Synodus, ut requisitioni dicti Rm̄i D. Episcopi Senecensis concederet, qua postulaverat, deliberari a Synodo de Synodi incompetentia argumentisque incompetentiae a se allatis in acto die 11. Augusti dato: jussit palam recitari dictum actum. Cujus autographum extat inter instrumenta Concilii.

ACTE [1]

Signifié à Monseigneur l'Archevêque le onziéme Août, de la part de Monseigneur l'Evêque de Senez.

L'an mil sept cens vingt-sept et l'onze Août avant midi, devant Jacques Fantin Notaire Royal du Mandement de Savine, et présens les Témoins bas nommés, fut présent en personne Messire Jean de Soanen Evêque de Senez en Provence, lequel nous a requis d'insérer dans nos Ecritures l'Acte dont la teneur s'ensuit mot à mot. Au nom du Seigneur. Amen.

Personne n'a jamais desiré avec plus d'ardeur que nous, de voir revivre en France l'usage des Conciles Provinciaux, où les Evêques d'une Province, pénétrés de la Sainteté de leur Ministère, et unis par les liens de la charité, concourent avec une parfaite liberté à conserver le dépôt de la Foy, et à maintenir la pureté des Moeurs et de la Discipline.

Les Monumens sacrés de la Tradition de l'Eglise, nous font voir l'avantage inestimable de ces Conciles, lorsque les Prélats qui les composent, attentifs à suivre l'Ordre prescrit par les Saintes Régles et à se renfermer dans les bornes de l'authorité de ces Assemblées particulières, s'apliquent à faire refleurir la science des

[1] * Paucos tantummodo ex libellis, quos Senecensis in Concilio Ebredunensi protulit, edendos selegimus, quum eandem semper futilem cantilenam canat neque aliud nos doceat, nisi obstinatum suum animum.

saintes Lettres, à ranimer le zèle et la piété des Ecclesiastiques et a des Peuples, à faire connoître l'Esprit de la Réligion, et les maximes essentielles du Christianisme, à reprimer les relachemens scandaleux, tels que nous avons la douleur de les voir se répandre comme un déluge affreux qui fait périr une infinité d'ames, à maintenir dans toute leur integrité les Articles de la Foy Catholique, dont l'Eglise de Jésus-Christ fait une profession claire et universelle, à travailler à l'éclaircissement des matières sur lesquelles il s'est formé des nuages épais et de grandes disputes qui partagent les Esprits des Catholiques, à en conférer d'une manière pacifique, à mettre au grand jour la Doctrine ancienne et perpétuelle, et à préparer ainsi les voyes à la décision du Concile Général, sans rien entreprendre sur l'authorité de ce Tribunal suprême, et sans exceder la mesure de la compétence qui convient à un Concile d'une Province particulière.

Mais la voix publique, qui se fait entendre de toutes parts, ne nous permet pas d'ignorer que le Concile convoqué dans la Métropole de cette Province, a un autre objet, et elle nous dévelope ce qui est indiqué dans la Lettre de Convocation que Monseigneur l'Archevêque d'Embrun nous a écrite. Nous voyons dans cette b Lettre que la Convocation du Concile Provincial est la suite et l'exécution de l'Assemblée du Clergé de 1725. où l'on a conclu, malgré les contradictions de plusieurs Prélats, de demander au Roy la permission d'assembler des Conciles Provinciaux, particuliérement dans quelques Provinces du Royaume, et nommément dans celle de Narbonne, pour procéder contre Monsieur l'Evêque de Montpellier, au sujet des Ouvrages qu'il a publiés contre la Constitution Unigenitus, et pour le maintien de la paix de Clement IX. Ouvrages que nous avons adoptés, en nous opposant à la déliberation de cette Assemblée.

Cette notorieté publique, et cette Lettre de Convocation de Monseigneur l'Archevêque d'Embrun, qui témoigne que la tenuë du Concile Provincial, auquel on nous invite, est l'exécution de la Déliberation de l'Assemblée de 1725. ne nous permettent pas de douter du dessein qu'on a formé de procéder contre nôtre Personne, et contre les Ecrits que nous avons publiés, pour rendre un nouvel hommage aux saintes verités que nous devons défendre jusques au dernier soûpir de nôtre vie.

Seroit-il conforme aux régles de l'Eglise, de reconnoître le c Concile particulier d'une Province pour nôtre Juge compétent, dans une matière dont le Tribunal suprême de l'Eglise universelle est saisi par l'Apel juridique que nous avons interjetté en mil sept cens dix-sept au futur Concile Général, de la Constitution Unigenitus, et de tous les griefs qui pouvoient être recherchés à dessein, et portés au préjudice de cet Apel, au nombre desquels le public a mis plusieurs entreprises qu'on a faites dans ces derniers tems contre la paix de Clement IX?

Cet Apel n'est pas une démarche qui nous soit personnelle: Nous l'avons interjetté de concert avec plusieurs de nos Collégues, et avec la Faculté de Théologie de Paris, par un seul et même Acte qui forme un Apel indivisible et inséparable: Nous l'avons renouvellé en mil sept cens dix-neuf à l'occasion des Lettres, Pastoralis Officii, contre lesquelles tous les Parlemens du Royaume se sont élevés, Nous l'avons aussi renouvellé en mil sept cens vingt, à l'occasion de l'accommodement que l'on projettoit alors, et qui a échoüé de toutes parts, et en même tems nous avons interjetté Apel comme d'abus au Parlement de Paris, lors séant à Pontoise, de tout ce qui pourroit être fait en faveur de la Constitution, au pré- d judice de nôtre Apel au futur Concile. L'Université, la Faculté de Théologie de Paris, et plusieurs Curés de cette Capitale ont présenté pour le même fait au Parlement de Paris, des Requêtes tendantes à la même fin.

Si par tous ces Apels qui forment une cause indivisible, et qui sont une voye de Droit reconnuë dans l'Eglise Catholique; l'affaire de la Constitution et tout ce qui peut y avoir raport se trouve déferé au Jugement de l'Eglise universelle, assemblée dans le Concile Oecumenique: un Concile Provincial ne peut s'attribuer le droit de la terminer en dernier ressort, ni de prononcer à ce sujet des Censures contre un Evêque, sans attenter sur l'Authorité de l'Eglise Universelle, et sans violer ouvertement les saintes Libertés du Royaume, et les Droits sacrez de l'Episcopat.

Nôtre interest dans cette cause est inséparable de l'interest de ceux qui se sont joints à Nous dans le même Apel; et quel degré d'Authorité peut avoir le Concile de cette Province sur les Evêques des autres Provinces, sur les Corps et cette multitude d'Ecclesiastiques avec lesquels nous sommes unis?

Saint Augustin nous marque les bornes Canoniques dans lesquelles les Conciles particuliers des Provinces doivent se renfermer, eu égard à la qualité des matières. Et voudroit-on ne mettre plus de différence entre les Dogmes clairs et les Articles de la Foy Catholique, dont l'Eglise fait une Profession unanime et d'autres points de Doctrine qui nous sont à la verité transmis par le Canal d'une Tradition toujours subsistante, mais sur lesquels de grandes disputes se sont élevées parmi des Catholiques, et ont répandu dans plusieurs Esprits tant de nuages, que le soin des Conciles Provinciaux doit être de les éclaircir par les Conférences des Evêques, de démêler la Tradition de l'Eglise d'avec la nouveauté, de disposer les voyes à une décision irrévocable, en ramenant les Esprits à une concorde parfaite sur la Doctrine, mais non pas de fraper d'Anathème, ni de déposer les Evêques qui pensent différemment de leurs Collégues, encore moins d'entreprendre de prononcer sur ces matières en dernier ressort, au préjudice de ce qui a été reglé dans l'Eglise.

De quel Droit, en effet, le Concile d'une Province particulière condamneroit-il un Evêque pour avoir justifié et maintenu une paix qui a été concluë par le concours des deux Puissances, qui est aussi constante par les Monumens publics que nécessaire pour calmer les contestations, contre laqelle un Concile particulier ne pourroit prononcer, sans s'attribuer le Droit de condamner les Souverains Pontifes, les Evêques de France, les Arrêts du feu Roi de glorieuse mémoire, confirmés par les Déclarations de Sa Majesté, pour être exécutez selon leur forme et teneur?

Rien n'est donc plus évident, que l'incompétence du Concile particulier d'une Province, pour nous juger sur ces matières. Mais dans ces circonstances, nous avons deux devoirs à remplir, l'un de contribuer autant qu'il est en nous à la célébration légitime d'un Concile ordinaire de la Métropole, et de déliberer avec nos Collégues sur les besoins de la Province, et sur ce qui est de la compétence d'un tel Concile; nôtre ministère exigeant de nous cette fidelité, et la verité ne rougissant que de ne point paroître au grand jour.

C'est dans cette vûë et avec ces intentions, que nous avons resolu de nous rendre à Embrun, quoique le poids de plus de quatre-vingt ans, et les infirmités qui en sont les suites, nous dispensassent, selon les Canons, d'y assister en personne: L'autre devoir est, de ne point reconnoître en cette occasion pour Juge de nôtre Personne et de nos Ecrits un Tribunal incompétent et formé extraordinairement dans ce Concile. Nous ne pourrions le faire sans violer les régles des Jugemens Canoniques, sans renverser les Loix de la Hierarchie et les Maximes du Royaume, sur les Apels au Concile Général, sans entreprendre sur l'Authorité de l'Eglise Universelle, et sans mettre un Concile particulier à la place du Tribunal suprême du Concile Oecumenique.

C'est par ce motif que la notorieté publique sur les desseins du Concile convoqué dans cette Province, la suite et la correspondance des Actes qui y ont raport, les préparatifs qui se font, et enfin de graves considerations qui ont été mûrement pesées par des personnes très-instruites des saintes Maximes du Royaume et des régles de la Procedure Judiciaire, nous engagent dès à présent de suivre la voye que les saints Canons et les Souverains Pontifes nous ont tracées, que la nature même et la Constitution de tous les Tribunaux a dictée, et dont les plus grands Evêques de l'antiquité nous ont donné l'exemple.

A ces Causes et autres, Nous Evêque disposé autant qu'il est en Nous, à concourir à la célébration légitime d'un Concile de cette Province; déclarons ne vouloir y assister que pour y déliberer canoniquement et avec une pleine liberté sur ce qui est de la compétence du dit Concile, et qu'en cas qu'on y entreprenne de procéder contre nôtre Personne et nos Ecrits, nous le récusons pour nôtre Juge, par son incompétence notoire, eu égard à la qualité des matières, à la qualité des Parties qui y sont interessées, et à nôtre Apel au Concile Général, nous réservant à déduire en tems et lieu, s'il y écheoit, d'autres causes de récusation, adhérant à nôtre dit Apel interjetté au futur Concile Général au mois de Mars 1717. renouvellé en 1719. et 1720. et à l'apel comme d'abus interjetté en 1720. au Parlement de Paris, lors séant à Pontoise, de tout ce qui pourroit être fait au préjudice de nôtre Apel au futur Concile: Nous déclarons encore, que nous interjettons Apel au futur Concile Général, et Apel comme d'abus au Parlement de Paris, de tout ce qui pourra être fait, soit contre nôtre Personne, soit contre nos Ecrits, dans le Concile Provincial d'Embrun, convoqué et indiqué pour le seize du présent mois, protestant de nullité de tout ce qui pourra être fait au contraire.

De laquelle susdite Enregistration, Moidit Notaire, suivant la requisition dudit Seigneur Evêque, lui ai concedé Acte, et de ce qu'il a retiré le modéle enregistré cy-dessus, pour lui servir et valoir ainsi que de Droit. Fait et publié audit Savine dans le Grand Logis, en présence du sieur François Doutre Consul moderne dudit lieu, et du sieur Antoine Garcier Fils de Claude du même lieu, Témoins requis et signés avec ledit Seigneur Evêque, et Moidit Notaire, ainsi signés Jean *Evêque de Senez;* Doutre; Garcier; J. Fantin *Notaire. Et à la marge il y a, controllé à Embrun le onze Août mil sept cens vingt-sept. vol. 16. fol. 16. reçu 12. sols: Signé,* Raymond. *Collationné au requis dudit Seigneur Evêque. Signé,* J. Fantin *avec Paraphe.*

Infra Actum legitur adscripta Acti denunciatio, eadem die Rm̃o D. Archiepiscopo facta et insimul omnibus Episcopis Concilio interfuturis, his verbis:

ACTUM DENUNTIATIONIS.

Anno 1727. die 11. Augusti post meridiem. Certum omnibus sit, per me, qui subscripsi, Tossanum Sarrazin, Ebredunensis Urbis Apparitorem ordinarium et in eadem Urbe domicilium habentem, ad requisitionem Rm̃i D. Episcopi Senecensis supra descriptum Actum rite fuisse denunciatum omnibus Reverendissimis Dominis, Archiepiscopo Ebredunensi et Episcopis, ex quibus constat futura Synodus Provincialis, Ebreduni indicta ad diem decimam-sextam praesentis mensis; ipsimet loquendo dicto Rm̃o D. Archiepiscopo in Palatio ejus Archiepiscopali, tam causa dicti Rm̃i Domini quam causa caeterorum dicti Concilii Provincialis Episcoporum, ne ullus ignorantiam possit obtendere. Subscripsit *T. Sarrazin.*

His recitatis, edixit Synodus, esse illud actum exhibendum Promotori deliberandi causa. Quo recepto, Promotor egressus iterumque Concilium ingressus dixit:

Reverendissimi Domini. Perpenso acto, die 11. praesentis mensis Augusti denunciato Rm̃o D. Archiepiscopo, perpensisque argumentis in illo allatis, quibus Concilium Provinciale Ebredunense in causa sua judicem non esse idoneum affirmat Rm̃us D. Episcopus Senecensis: vanum esse judico dictum actum vanaque allata argumenta et minime a Concilio admittenda; cum sine ulla controversia talium rerum sit judex constituta Synodus Provincialis, et cum aliunde praedictum actum ad hanc Synodum nullo modo pertineat, eo quippe tempore denuntiatum, quo nondum ipsa existeret Synodus congregata. Quamobrem concludo et requiro, ut, praetermisso dicto acto, ultra procedat Concilium ad judicium ferendum ex requisitionibus, prius a me libellum deferente adductis hac ipsa die praesentis mensis.

Deliberatum Ebreduni 18. Augusti anni 1727. Subscripsit *Gaspar d'Hugues* Promotor.

Cum discessisset Promotor, deposita in consessu requisitione sua, Synodus infrascriptum pronuntiavit Judicium. Cujus autographum exemplar simul cum requisitione Promotoris extat inter authentica Concilii instrumenta.

JUDICIUM DE PRAETENSA INCOMPETENTIA.

Concilium, attentissime ponderatis rationum momentis, de praetensa Synodi Provincialis incompetentia adductis in Acto die 11. Augusti anni 1727. Rm̃o D. Archiepiscopo Ebredunensi nomine Rm̃i D. Episcopi Senecensis denuntiato, exquisitisque et auditis plurium Concilii Theologorum et Canonistarum sententiis: infirma esse haec rationum momenta, minime idonea minimeque admittenda judicavit. Quapropter Promotoris requisitioni concedens decrevit: praetermisso praedicto Acto, ultra procedendum esse ad Judicium, ut par erit, de delata Instructione Pastorali ferendum; atque in hunc finem explicatorem causae designavit Rm̃um D. Episcopum Grassensem, eique Consultores dedit Rdos D. de Boulogne, Theologalem et Deputatum a Capitulo Diniensi; D. Payan, Doctorem Sorbonicum, Deputatum a Clero Grassensi; Patrem Arnaud Dominicanum, Theologiae Jurisque Doctorem, Regis Sardiniae Theologum eidemque a Conciliis[1]; et Patrem Maniquet, Theologiae Doctorem, Ordinis Minimorum Provincialem: ut, audita relatione dicti Rm̃i D. Episcopi Grassensis, sententiam ferat Concilium, prout ipsi videbitur.

Datum in Concilio in secunda Congregatione generali habita, die 18. Augusti anno 1727. Subscripsit † *Petrus* Arch. P. Ebredunensis.

Rursus Synodum ingresso Rm̃o D. Episcopo Senecensi palam renunciatum est a Rm̃o D. Archiepiscopo Concilii Judicium mox prolatum de incompetentiae argumentis allatis in Acto suo, die 11. Augusti anno 1727. dato. Tunc vero Rm̃us D. Episcopus Senecensis declaravit, recusare se Judices Praesules, qui Concilio intererant, generatim omnes et specialiter singulos, ob certas et distinctas causas, quas ipse recitavit scriptas; scriptumque proprio chirographo munitum deposuit in consessu. Quod Scriptum extat inter Acta Concilii, quale exscriptum legitur.

COPIE DE L'ECRIT

De Monseigneur l'Evêque de Senez.

Au Nom du Seigneur *Jesus. Amen.*

Les bruits publics répandus de toutes parts, que le Concile de cette Province n'étoit convoqué que pour juger nôtre Personne et nos Ecrits, nous ont obligé de faire signifier le onze un Acte à Monseigneur de Tencin Archevêque d'Embrun, pour lui déclarer, et en sa Personne, à tous les Seigneurs Evêques du Concile, que nous n'y entendions assister, que pour y délibérer sur les matiéres de sa compétence, et qu'au cas qu'on y entreprît de nous juger, nous récusions ledit Concile par son incompétence notoire sur les matiéres, sur les Personnes, eu égard à l'Apel Juridique que nous avons interjetté au futur Concile Général, nous réservant de proposer, s'il y échéoit, d'autres moyens de récusations.

Nous espérions qu'une démarche si légitime et si authorisée, non seulement par les Saints Canons, mais même par le droit naturel, et par l'usage constant de tous les Tribunaux, arrêteroit les poursuites qu'on avoit dessein de faire contre nous.

En effet, tous les Canonistes nous apprennent, que la récusation est un moyen de droit offert à l'Accusé pour se défendre, et que l'effet propre de cette récusation est de lier tellement le Tribunal du Juge récusé, qu'il ne peut plus agir. Proposita legitime et servato Juris ordine ipsa recusatione, *dit Van Espen (Partie 3. Tit. 10. Cap. 5),* suspenditur Jurisdictio et auctoritas Judicis, teneturque, pendente causa recusationis, Judex supersedere.

Verius est, *ajoûte le même Jurisconsulte,* Acta a Judice, pendente recusatione, non tantum esse revocanda, probata causa recusationis, sed esse ipsô Jure nulla, tametsi postmodum declararetur, recusationis causam esse insufficientem.

Le célèbre Vallensis (Lib. 2. Tit. 28. §. 19) *apporte la raison de cette maxime,* quia, *dit-il,* hic est inhibitio Juris, constat autem, omnia Acta post inhibitionem esse ipso Jure nulla.

Nous avions donc lieu d'espérer, que les Evêques du Concile d'Embrun, instruits de ces régles si communes, auroient quelque égard à nôtre premiére récusation, nous nous étions prêté d'autant plus volontiers à cette démarche, que nous croyions éviter par là la dure nécessité d'en venir à des récusations personnelles, pour lesquelles l'amour de l'union et le respect que nous portons aux Evêques nos Collégues, nous ont toujours inspiré un extrême éloignement; mais toutes nos espérances ont été vaines, et nous voyons avec douleur, que les Prélats qui composent le Concile de cette Province, oubliant les droits les plus justes, et les régles les plus inviolables, entreprennent de nous juger, malgré l'incompétence de leur Tribunal, que nous avons alléguée juridiquement.

Une conduite si irréguliére dans des Evêques obligés par leur Ministére de maintenir les Loix de l'Eglise et les Régles saintes des Canons, nous oblige de proposer enfin les moyens de récusation personnelle que nous avons à alléguer contre chacun d'eux.

Nous protestons devant Dieu, et à la face de l'Eglise, que nous ne faisons cette démarche qu'avec un extrême regret, par la seule nécessité d'une juste défense, et pour ne point manquer à ce que nous devons aux Droits sacrés de l'Episcopat et à la cause que nous avons l'honneur de soutenir.

Nous vous déclarons donc à vous Monseigneur Pierre de Guerin de Tencin Archevêque d'Embrun, et à vous Monseigneur de Bourchenu Evêque de Vence, et à vous Monseigneur de Crillon Evêque de Glandéves, et à vous Monseigneur Antelmy Evêque de Grasse, et à vous M. de Puget comme fondé de Procuration et représentant Monseigneur de Puget Evêque de Digne, que nous vous récusons tous et chacun en particulier pour nos Juges.

[1] * Fortasse *consiliis.*

Les moyens de récusation contre Monseigneur l'Archevêque d'Embrun, sont tirez, de ce que selon le Droit Canonique et Civil, celui qui ne peut être ni Accusateur ni Témoin, ne peut à plus forte raison être Juge.

Or on ne peut être Accusateur d'un Evêque, si l'on est coupable, ou même simplement accusé de quelque crime jusqu'à ce qu'on se soit purgé juridiquement, et que l'on aye fait connoître son innocence. C'est la disposition du Canon 6. du second Concil Général tenu à Constantinople, dont voicy les Termes: Si sit crimen Ecclesiasticum, quod Episcopo intentatur, tunc decernit Sancta Synodus, examinari personas accusatorum, et eos, qui prius rei facti accusatique sunt, non prius ad Episcopi vel aliorum Clericorum accusationem admitti, quam se objectorum criminum insontes ostenderint.

Le 8. Canon du 6. Concile de Carthage, où se trouvérent les Légats du Saint Siége avec deux cens dix-sept Evêques, ne s'explique pas avec moins de force. Aurelius dixit: placet Charitati vestrae, ut is, qui aliquibus sceleribus irretitus est, vocem adversus majorem natu non habeat accusandi; ab universis Episcopis dictum est: Si criminosus est, non admittatur. Placet.

Nous le disons avec douleur et avec une peine extrême; Monseigneur l'Archevêque d'Embrun est dans le cas exprimé par les Canons que nous venons de citer; il a été accusé publiquement du crime de confidence et de simonie: plusieurs Factums ont paru imprimés à Paris chez Jacques Collombat, où l'on énonce des faits et des piéces qui établissent cette accusation: il est intervenu en conséquence et sur les conclusions de Monsieur l'Avocat Général de Lamoignon, un Arrest du Parlement de Paris en date . . . . qui condamne ledit Seigneur Archevêque en l'amande et en tous les dépens du Procès. Ne pourroit-on pas dire, que c'est là une conviction manifeste du crime de simonie?

Inutilement allégueroit-on la clause absolventes *inserée dans les Bulles que Monseigneur de Tencin a obtenues depuis l'accusation, pour être pourvû de l'Archevêché d'Embrun: cette clause, selon tous les Canonistes, n'est mise qu'*ad effectum; *c'est-à-dire qu'elle n'a d'autre effet, que de rendre le Porteur de la Bulle capable de recevoir la grace qui lui est accordée en levant l'obstacle, et ôtant l'incapacité qui la rendroit nulle, mais en même tems elle laisse subsister tous les autres effets, et ne change rien d'ailleurs dans l'état de celui à qui la Bulle est adressée.*

C'est le sentiment de Cabassut (Lib. 3. Cap. 14. n. 12). Duae sunt species absolutionis ab excommunicatione, *dit cet Autheur,* prima simplex est et absoluta, quae vinculum omnino solvit: secunda vero secundum quid est restricta: haec dividitur in absolutionem ad effectum, qualis est, quam solet impertiri Summus Pontifex in suis Litteris ad istum duntaxat finem, ut impetrans fiat capax fruendi Apostolica Concessione, remanente adhuc quoad omnia excommunicationis vinculo.

Fagnan (in 1. Parte Lib. 3. Cap. Quod praecesserat) *ne s'explique pas moins clairement:* In Litteris Apostolicis provisionum ad validandam gratiam in favorem excommunicati non denunciati ex stilo apponi solet clausula absolutionis a censuris ad effectum gratiae duntaxat consequendum.

En effet, si la clause absolventes, *avoit un effet général et rompoit absolument le lien de l'Excommunication, il n'y a personne qui ne pût obtenir l'absolution des Censures et de l'Excommunication encourue par les plus grands crimes, en prenant des Provisions en Cour de Rome du plus petit Bénéfice; il faudroit donc que Monseigneur l'Archevêque d'Embrun eût reçû une absolution publique et solemnelle pour ce cas particulier, ce qui n'est point encore venu à nôtre connoissance.*

Mais quand même ledit Seigneur Archevêque ne seroit point coupable ni convaincu de ce crime; il est du moins accusé: il a gardé sur cette accusation un silence profond, et il n'a jamais demandé réparation de cette injure: il ne peut donc pas, selon les Canons, être nôtre Juge, jusques à ce qu'il se soit purgé du crime dont il est prévenu, et qu'il aye manifesté son innocence. Non prius ad Episcopi accusationem admitti quam se objectorum criminum insontes ostenderint, *dit le Canon cité.*

A l'égard de Messeigneurs les Evêques de Vence, de Glandéves, de Grasse, de Digne; les moyens de récusation sont fondés sur cette maxime reçue dans tous les Tribunaux, qu'un Juge qui se déclare avant le Jugement, peut être légitimement suspecté, parce qu'alors il doit être regardé comme un Juge prévenu qui prononce avant l'examen, et sans avoir entendu les Parties, et qui est dans une disposition fixe, non de juger équitablement, mais de condamner;
a *c'est ce qui est marqué clairement dans l'Ordonnance de 1667. Art. 6. Tit. où l'on met au nombre des moyens de récusation, si on a ouvert son avis hors la visitation et jugement.*

Or, pour commencer par Monseigneur l'Evêque de Vence, le plus ancien Evêque après nous; il a dit en présence de Monseigneur l'Archevêque d'Embrun, et en la nôtre, dans le Cabinet dudit Seigneur Archevêque, le. . . . . . . que nos deux derniéres Instructions étoient deux boute-feux.

Monseigneur l'Evêque de Glandéves a dit dans nôtre Appartement, et en présence de plus de vingt Personnes, que nos deux Instructions étoient insoûtenables, et que nous ne pouvions nous dispenser de les abandonner: et Monseigneur l'Evêque de Grasse qui l'accompagnoit, ayant avancé que nôtre Apel au futur Concile n'avoit rien de différent de celui de Luther, et plusieurs autres choses semblables; ledit Seigneur Evêque de Glandéves l'aprouvoit en tout à haute voix.

Monseigneur l'Evêque de Grasse a dit dans la Ville d'Aix, 1°. Qu'on nous laisseroit parler, et qu'ensuite quoy que nous représentassions, on nous interdiroit; après quoi on nous déposeroit,
b *qu'avant que d'en venir à cette déposition, on mettroit un grand Vicaire pour avoir soin de nôtre Diocése. 2°. Le même Seigneur Evêque de Grasse a dit dans Aix: les coups de bâton ne font honneur à personne; M. l'Evêque de Senez en a voulu tâter, et il en aura. 3°. Le même Seigneur Evêque a dit dans la même Ville d'Aix, qu'il y auroit des défenses aux Parlemens d'Aix et de Grenoble, de recevoir aucun Apel comme d'abus de ce qui se feroit dans le Concile d'Embrun. 4°. Le même Seigneur Evêque a dit le. . . . . . dans nôtre Apartement et en présence de Monseigneur de Glandéves, et de plus de vingt Personnes, que nôtre Apel au futur Concile étoit semblable à celui de Luther.*

Monseigneur l'Evêque de Digne, après nous avoir invité luimême à prêcher à la Profession d'une Réligieuse de la Visitation de cette Ville, nous écrivit peu de tems après, une Lettre, par laquelle il nous mandoit, qu'il ne pouvoit se dispenser de révoquer le pouvoir qu'il nous avoit donné, attendu les engagemens qu'il avoit pris avec les autres Evêques: ce moyen de récusation tombe sur M. l'Abbé de Puget Procureur de mondit Seigneur l'Evêque.

Nous avons l'avantage de suivre dans ces récusations person-
c *nelles l'exemple de S. Jean Chrysostôme Patriarche de Constantinople; ce grand Saint ayant été cité par un Concile assemblé au Fauxbourg de Chalcédoine, connu sous le nom du faux Concile du Chesne, écrivit en ces termes à Théophile d'Alexandrie:* Si vous avez dessein que je vienne vers vous pour me justifier, faites 1°. sortir de vôtre Assemblée mes ennemis déclarés, qui n'ont fait nulle difficulté de faire paroître publiquement le dessein qu'ils ont conçû de me perdre et après cela je ne disputerai pas du lieu où je dois être jugé; quoique selon les Régles, ce Jugement dût se faire dans la Ville: Or le premier de ceux que je récuse comme suspect est Théophile, que l'on sçait très-certainement avoir dit dans la Ville d'Alexandrie et dans la Lycie: Je parts pour déposer Jean. La conduite qu'il a gardée envers moi, fait assez voir, qu'il a tenu ce discours, puisqu'étant arrivé en cette Ville, il ne m'a point parlé, il n'a nullement communiqué avec moi: que ne faut-il donc pas croire qu'il fera après le Jugement, puisqu'il s'est déclaré ouvertement mon ennemi, avant même qu'il y eût aucune action intentée contre moi? Je demande aussi que l'on ôte du nombre de mes Juges, Acace, qui
d a dit en me menaçant: Je lui ai aprêté son boüillon: et qu'est-il besoin que je parle de Severien et d'Antioque, dont les crimes sont si publics, que les Théatres, même séculiers, en rétentissent? Si donc vous avez dessein que je vienne au lieu où vous me mandez; chassez de vôtre Assemblée ces quatre Evêques; en cas qu'ils prétendent être mes Juges.

Telles furent les raisons que S. Jean Chrysostôme allégua, pour récuser ceux d'entre les Evêques qui lui étoient légitimement suspects, mais elles n'empêchérent pas, qu'il ne fût injustement déposé et banni ensuite par l'Empereur.

Placé dans les mêmes circonstances, et exposé peut-être aux mêmes rigueurs; pouvons-nous nous dispenser de suivre la même conduite? Nous vous déclarons donc à vous Monseigneur Pierre de Guerin de Tencin Archevêque d'Embrun, et à vous Monseigneur de Bourchenu Evêque de Vence, et à vous Monseigneur de Crillon Evêque de Glandéves, et à vous Monseigneur Antelmy Evêque de Grasse, et à vous M. de Puget comme représentant Monseigneur l'Evêque de Digne; 1°. Que nous renouvellons nôtre premier Acte de récusation de tout le Tribunal du Concile, attendu son incom-

pétence notoire pour juger nôtre Personne et nos Ecrits, par les raisons que nous avons alleguées dans ledit Acte. 2°. Que quand même ledit Tribunal seroit compétent pour nous juger, ce qui n'est pas; Nous vous récusons tous et chacun en particulier pour nos Juges, pour les causes et raisons que nous venons d'énoncer, vous suppliant, requerant et interpellant de vous abstenir de tout Jugement, protestant de nullité de tout ce que vous pourriez faire et attenter au préjudice de nosdites récusations, et de nous pourvoir par les voyes de Droit, pour faire casser lesdits Jugemens. Fait à Embrun ce dix-huit Août mil sept cens vingt-sept. Signé, † *Jean Evêque de Senez.* a

Cum haec recitasset Rmus D. Episcopus Senecensis, ab eo quaesivit Rmus Archiepiscopus, num paratas haberet probationes factorum, quibus nitebantur recitatae recusationes, petiitque, ut adduceret. Cum vero adducere palam denegasset Rmus D. Episcopus Senecensis, sic eum affatus est Rmus D. Archiepiscopus:

Quid? meipsum, Reverendissime Domine, ejuras ac rejicis judicem, quem hactenus tam apertis significationibus Metropolitanum tuum habuisti, tum pluribus ad me rescribens litteris, hoc nomine insignitum, tum convocationi Concilii a me factae obediens, quam ratam et legitimam habuisti, tum hesterna die Fidei professionis formulam in manibus meis solemni ritu pronuntians, tum pluribus jam in Concilii Congregationibus, me praeside, tuam ipse sententiam dicens, me Concilii Decreta audiens pronuntiantem et sustinens. Cui unquam istud in mentem venisset, statim ut de doctrina tua in Concilio ageretur, excidisse me omni Metropolitani dignitate et jurisdictione atque in Simoniae suspicionem venire? Minime credibile est, hoc totum, quod audivimus, quo famam nostram impetis, a te proficisci auctore. Si te ipse audisses, si tibi consuluisses: nunquam animum induxisses hoc agere, hoc proloqui; unde nullum tibi commodum, morum scandalum, tui unius famae nociturum, reportares. Ipse tu, ipse, priusquam talia in me injiceres, quibus me judicem detrectas, instrumenta omnia hujus a me olim deperditae litis perpendere voluisses. Simul deprehendisses, nullum in hac causa, ne minimum quidem Simoniae accusationis, nedum condemnationis vestigium extitisse, cum lis ageretur ab adversario non de Beneficio jure devoluti a se impetrato, sed de gratiosis tantummodo *per obitum* obtentis provisionibus; proindeque dictum adversarium nihil unquam sive directe sive indirecte in postulationibus suis nomine Simoniae petiisse vel labis fiduciariae. Nihil item hujusmodi reperisses, neque in requisitionibus supremi Causidici Regii, neque in sententia ipsa aut judicio Senatus. Denique exploratum plane habuisses, mulctam pecuniariam, in qua tantum praesidii ponit male cautum consilium tuum ad probandum scelus praetensum, non aliam fuisse, quam longe ante praescriptam edicto mulctam cuicunque appellanti causa cadenti provocatoria. Atqui, quod ipse tibi relictus haud dubie fecisses, ut acta ipsa consuleres, possum in praesenti supplere, exhibendo nimirum tibi totique Concilio, ut facio, archetypum exemplar dictae sententiae judiciique Senatus, quorum publicam recitationem postulo. Caeterum, cum ex hac recitatione veritas comperta fuerit omnibus detectaque calumnia, polliceor, Reverendissime Domine, quod ad te attinet, sancteque profiteor, fore ut iisdem semper, quibus hactenus, viis lenitatis, moderationis sinceraeque charitatis insistam; ac proinde et apud Deum, ut tibi saniora suadeat, precari et apud te tui causa toto animo eadem semper repraesentare, obtestari, efflagitare non desistam.

Eo ipso tempore Rmus D. Episcopus Grassensis palam declaravit, minime se unquam ea protulisse verba, quae conquestus fuerat Rmus D. Episcopus Senecensis; iterumque interpellavit eum Rmus D. Archiepiscopus, num probationibus obfirmare vellet ea, quae adduxerat tum in sui tum in caeterorum Rmorum D. D. Episcoporum recusationem. Quod cum iterum ille denegasset, Rmus D. Archiepiscopus Secretario tradidit supradicta litis instrumenta recitanda. Tum vero iis aurem denegans Rmus D. Episcopus Senecensis abire velle visus est; frustra commonitus rogatusque, ut adesse vellet nove abnueret, qui se veritatis cultorem esse diceret, veritatem audire in re praesertim tam gravi, in qua de bona Metropolitani sui existimatione ageretur diluendisque calumniis hominum male edoctorum vel pejus affectorum falsisque inde et detrimentosis delendis notionibus, quae in ejus animo possent residere consignatae. Nil his exoratus abiit Rmus D. Ep. Senecensis.

Quo digresso, palam recitata sunt a Secretario Provisiones, Sententia Judiciumque Senatus, quae exscripta leguntur.

COPIE DES PROVISIONS DE LA COUR DE ROME,

Pour le Prieuré de Merlou, datées du 22. Décembre 1718.

Bellovacensis.

Per obitum extra Curiam.

Beatissime Pater: Cum Prioratus Cura Conventuque carens et personalem residentiam non requirens de Merloto (vulgo de Merlou), Ordinis Sancti Benedicti, Bellovacensis Dioecesis, dicti Prioratus commenda, in quam ille ex Concessione Apostolica ad vitam obtinere consuevit, per obitum illius ultimi Possessoris Commendatarii, cujus nomen et cognomen in Litteris, si videbitur, exprimi possint, extra Romanam Curiam defuncti, cessante, adhuc eo, quo ante ipsam commendam vacabat, modo vacaverit b et vacet ad praesens, licet quidam pro Presbytero se gerens, cujus nomen et cognomen in Litteris, si videbitur, exprimi possint, incapax, inhabilis nullisque saltem Titulis legitimis suffultus, dictum Prioratum indebite assequi praetendat seu jam forsan indebite detineat occupatum: supplicat humiliter Sanctitati Vestrae devotus illius Orator Germanus le Roy, Presbyter Claromontensis seu alterius Dioecesis, quatenus sibi, ut commodius sustentari valeat de alicujus subventionis auxilio, providendo ac specialem gratiam faciendo, dictum Prioratum, cujus et illi forsan annexi fructus viginti-quatuor Ducatus aureos de Camera secundum communem existimationem valorem annuum non excedunt, quomodo seu per liberam dicti defuncti vel cujusvis alterius cessionem de illo in dicta Curia vel extra eam et coram Notario publico et testibus sponte factam aut assecutionem, commenda ipsa cessante, vacet, etsi devolutum, affectum specialiter vel alias ex quavis causa et dispositione exprimenda generaliter reservatum, litigiosus cujus litis status existat, eidem Oratori per eum, quoad vixerit, tenendum, ita quod liceat ei de fructibus disponere, alienationeque interdicta, commendare dignemini c de gratia speciali, non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac Monasterii seu alterius regularis loci, a quo dictus Prioratus forsan dependet, et Ordinis praefati etiam juramento et [quavis firmitate alia] roboratis Statutis caeterisque contrariis quibuscunque cum clausulis opportunis.

Concessum ut petitur in praesentia SS. D. N. Papae à *De Astellis.*

Cum absolutione a Censuris ad effectum et quod Oratoris dispositio verusque et ultimus dicti Prioratus vacationis modus, etiamsi ex illo quaevis generalis reservatio etiam in Corpore Juris clausa resultet, habeantur pro expressis, seu in toto vel ex parte exprimi possint, et cum clausula: Generalem, etc. exprimenda, et de commenda dicti Prioratus ad ipsius Oratoris vitam, quatenus dictus defunctus illum sic obtineret, illeque sic obtineri consueverit, tenendi; ita quod liceat ei de fructibus disponere ut supra, et quatenus litigiosus existat litis status, ac nomina et cognomina Judicum et Collateralium juraque et tituli illorum exprimi seu etiam pro expressis haberi, et Litterae in forma simplicis commendae gratiosae surrogationis etiam quoad d possessionem gratiae *si neutri, si nulli, si alteri, perinde valere*, cum gratificatione opportuna, quatenus illi locus sit extendendi, simul vel separatim exprimi possint et cum derogatione regulae de annali possessione quoad primam ejus partem ac praefatorum Statutorum caeterorumque quomodolibet contrariorum latissime extendendo et quod praemissorum omnium et singulorum etiam qualitatum invocationum, denominationum, nuncupationum annexorum fructuum aliorumque necessariorum major et verior specificatio et expressio fieri possit in Litteris, et committatur Episcopo Bellovacensi sive ejus Officiali in forma *dignum* antiqua.

Concessum. . . . . . *De Astellis.*

L. Vannicellus.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem, undecimo Kalendas Januarii anno decimo-nono.

R. P. H. Lancianus pro Rmo D. Vices-Gerente.

S. M. M. undecimo Kalend. Januarii anno decimo-nono Lib. 3. fol. 82.

Balthazar Roland du Bourg in supremo Galliarum Senatu et in Regis Consilio Advocatus Consiliarius Regis, in Romana

Curia Expeditionarius, Parisiis commorans in vico Sancti Severini, expediri curavit et tradidit. *Roland du Bourg.*

Controllé à Paris le 4. Mars 1719. De la Noüe.

Insinué et controllé à Beauvais au Greffe des Insinuations Ecclésiastiques, le 11. Mars 1719. Renard.

SENTENCE.

A tous ceux qui ces présentes Lettres verront; Les Gens tenant les Requêtes du Palais à Paris, Conseillers du Roy en sa Cour de Parlement, Commissaires auxdites Requestes, Salut. Sçavoir faisons; Qu'entre M. Etienne Veissiere Clerc du Diocése de Sisteron, Prieur de Sainte Marie Magdeleine de Merlo ou Merlou, Demandeur, suivant sa Requeste et Exploit d'Assignation donnée pardevant le Bailly de Senlis des douze et dix-neuf Juillet 1719. Et évoquée en la Cour, à ce que sans avoir égard à l'opposition du Défendeur cy-après nommé, ledit Demandeur sera maintenu, et gardé en la possession et joüissance du Prieuré de Sainte Marie-Magdeleine de Merlo ou Merlou, fruits et revenus en dépendants, avec restitution de ceux qui seroient perçûs par ledit Défendeur, et le condamner aux dépens, et . . . . . . Comparant par Ms. Cochin et Copineau ses Avocat et Procureur, d'une part; Messire Pierre Guerin de Tencin Abbé de Vezelay, Grand Archidiacre et Grand Vicaire de Sens, Défendeur, et incidemment Demandeur par ses défenses du 22. Août 1719. à ce que ledit sieur Veissiere fut débouté de ses prétentions et condamné aux dépens, comparant par Ms. Aubry et l'Hoste ses Avocat et Procureur, d'autre part; La Cour, Parties oüies en la Chambre pendant une Audience, Ordonne qu'il en sera déliberé. Fait le 7. Juin 1720. Et après avoir déliberé, la Cour faisant Droit sur la demande de la Partie de Cochin, a maintenu et gardé, maintient et garde ladite Partie de Cochin dans la possession et joüissance du Prieuré de Sainte Marie Magdeleine de Merlo ou Merlou dont est question: fait défenses à la Partie d'Aubry et tous autres de l'y troubler; condamne la Partie d'Aubry à lui en restituer les fruits et revenus, si aucuns il en a perçû; condamne en outre la Partie d'Aubry aux dépens, et sera la présente Sentence exécutée nonobstant opositions ou apellations quelconques, et sans y préjudicier par provision, en cas d'Apel par forme de récréance à la caution juratoire de la Partie de Cochin suivant l'Ordonnance: Si mandons au premier Huissier ou Sergent Royal sur ce requis, mettre la présente Sentence à exécution, de ce faire lui donnons pouvoir. Donné à Paris sous le Scel desdites Requestes en la seconde Chambre d'icelles le 14. Juin 1720. Collationné. Veillard. Scellé le 18. Juin 1720. Copie. Copineau. Feüille. 21. Juin 1720.

ARREST.

Loüis, par la Grace de Dieu, Roy de France et de Navarre: Au premier des Huissiers de Nôtre Cour de Parlement, ou autrement nôtre Huissier ou Sergent sur ce requis. Sçavoir faisons, que le jour et date des Présentes, comparut judiciairement entre Messire Pierre Guerin de Tencin Abbé de Vezelay, Grand Archidiacre et Grand Vicaire de Sens, Apellant de la Sentence renduë aux Requestes du Palais à Paris le 14. jour de Juin et 19. jour de Juillet 1720. et de l'exécutoire des dépens décerné en conséquence, et de tout ce qui est ensuivi, et Demandeur en Requeste du 13. jour de Février 1721. à ce qu'il plût à nôtredite Cour, mettre lesdites Apellations et ce dont est Apel au néant, et émandant débouter le sieur Veissiere cy-après nommé de toutes ses demandes, décharger ledit Demandeur desdites condamnations contre lui prononcées par lesdites Sentences, et condamner ledit sieur Veissiere à la restitution des fruits par lui perçûs, ou pû percevoir audit Prieuré, en ses dommages, intérêts, et en tous les dépens, tant des causes principales que d'Apel, d'une part; et Etienne Veissiere Clerc tonsuré du Diocése de Sisteron, Prieur de Sainte Marie Magdeleine de Merlo ou Merlou, Intimé et Défendeur, d'autre part; Et encore entre Jean Loüis Guerin de Tencin, se disant Clerc tonsuré du Diocése de Grenoble, Demandeur aux Requestes des 3. Février et 2. Août 1721. La premiére, à ce qu'il plût à ladite Cour le recevoir Partie intervenante dans la susdite cause, lui donner Acte de ce que pour moyen d'intervention, il employoit le contenu dans sa Requeste, ensemble les Provisions obtenuës dudit Prieuré de Merlou par ledit sieur Abbé de Tencin, le 29. jour de Juin 1717. et l'Acte de prise de possession faite en conséquence le 12. Avril 1718. Faisant Droit sur son intervention où nôtredite Cour jugeroit que l'union du

a *Prieuré de Merlou au Chapitre de Vezelay ne dût point recevoir d'exécution, en ce cas, le maintenir et garder dans la possession dudit Prieuré avec restitution de fruits, faire défense audit sieur Veissiere et tous autres de l'y troubler, à peine de tous dépens, dommages et intérêts, et condamner les Contestans aux dépens; Et la seconde, à ce qu'où là Cour feroit quelque difficulté d'authoriser l'exécution de l'union du Prieuré de Merlou à la Mense Capitulaire de Vezelay, il plût à nôtredite Cour, le maintenir et garder dans la possession dudit Prieuré, aux offres qu'il faisoit de raporter ses Lettres de Tonsure en bonne forme, dans le tems qu'il plairoit à nôtredite Cour de préfixer, et condamner ledit sieur Veissiere aux dépens, d'une part; Et ledit sieur de Tencin Abbé de Vezelay, et Veissiere Prieur de Sainte Marie-Magdeleine de Merlou, Défendeurs, d'autre part; Et encore entre ledit sieur Veissiere Demandeur en Requeste du 11. de Février audit an, à ce que faute par ledit Jean-Loüis de Tencin, d'avoir communiqué ses Titres et capacités, il plût à nôtredite Cour, le déclarer non recevable dans son intervention et Requeste, et le condamner aux dépens, d'une part; et ledit Jean-Loüis de Tencin, Défendeur, d'autre part: Après qu'Aubry* b *Avocat de Pierre Guerin de Tencin, Chevalier Avocat de Guerin de Tencin, et Julien de Pruney Avocat de Veissiere ont été oüis pendant trois Audiances, Ensemble de Lamoignon pour le Procureur Général du Roy. Nôtredite Cour reçoit la Partie de Chevalier, Partie intervenante, sans avoir égard à son intervention, ni à sa Requeste, desquelles elle l'a débouté, a mis et met les Apellations au néant; ordonne que ce dont est Apel, sortira effet; condamne l'Apellant en l'amende de douze livres et aux dépens; condamne pareillement la Partie de Chevalier aux dépens: Mandons mettre le présent Arrest à dûe et entiere exécution selon sa forme et teneur, de ce faire te donnons pouvoir. Donné en Parlement le troisiéme jour d'Avril l'An de Grace 1721. et de nôtre Regne le sixiéme. Collationné par la Chambre,* signé, *Gilbert; et scellé extraordinairement le 8. Avril 1721.* Signé, *Aubrelie Syndic, avec Paraphe; Coquineau, Signifié le 8. May 1721. en Domicile, et plus bas, Corpelet.*

His recitatis, edixit Concilium, Promotori exhibendum esse Rmi D. Episcopi Senecensis scriptum, depositum in consessu, deliberandi causa super illo et requirendi, quae sibi viderentur.

c Rmus D. Episcopus Glandavensis Theologos omnes, a Concilio praesentatos, dignos a se repertos affirmavit, qui in Concilium admitterentur: solos a Rmo D. Episcopo Senecensi adductos Theologos coram se nullo modo praesentes extitisse.

Subscripsit † *Petrus Arch. P. Ebredun.*

TERTIA CONGREGATIO PRIVATA.

Anno 1727. die 19. Augusti habita est mane in Palatii Archiepiscopalis Sacello a Rmo D. Archiepiscopo tertia Congregatio privata, cui interfuere Rmi D. D. Episcopi Vinciensis, Glandavensis et Grassensis ac R. D. de Puget, solo absente ultro Rmo D. Episcopo Senecensi.

Disseruerunt Patres de utilitate Decretorum edendorum, quibus, quantum fieri posset, una atque consimilis in tota Provincia statueretur disciplina. Actum est specialiter de Episcoporum, Canonicorum et Parochorum officiis.

d

TERTIA CONGREGATIO GENERALIS.

Anno 1727. die 19. Augusti, hora tertia pomeridiana, habita est a Rmo D. Archiepiscopo in Palatii Archiepiscopalis Sacello tertia Congregatio generalis, cui interfuere Rmi D. D. Episcopi Vinciensis, Glandavensis et Grassensis, R. D. de Puget, R. D. Abbas Boscodonensis, Deputati, Theologi ac Canonistae omnes Concilii. Solus aberat Rmus D. Episcopus Senecensis.

Promotor super exhibito sibi scripto Rmi D. Episcopi Senecensis, quo singulorum continebantur Reverendissimorum D. D. Episcoporum personales recusationes, haec exposuit apud Synodum dixitque:

Reverendissimi Domini. Manifestum est, non alium Rmo D. Episcopo Senecensi propositum esse finem, quam ut novas et moratorias inducat causas, quaecunque illae sint. Cum enim primum objecisset Concilii Provincialis incompetentiam, a qua objectione se non recedere profitetur: viam tamen nunc oppositam init, dum personales tentat etiam judicum singulorum recusationes cum incompetentia non consentaneas. Hac

vero recusationes, iterum si in se spectentur, et probabili omnes destitutae fundamento, et vitiose insuper ac non servata debita forma propositae primo aspectu apparent.

Primum enim et apertum formae vitium est, quod evidenti affectatione simul eodemque tempore omnes singulatim Concilii Episcopos recuset Rm̃us D. Episcopus Senecensis. Est enim illud speciali jure cautum, ne totum aliquod valide possit Tribunal recusari, sive directa id fiat via sive indirecta, singulatim omnes simul recusando Judices. Nimirum haec cernitur esse manifesta attentatio affectata effugiendi judicii, quam jura reprobant. Manifestius vero haec cernitur in praesenti delatae Instructionis Pastoralis causa, quae non alium aptiorem agnoscit Judicem quam Comprovincialium Synodum Episcoporum.

Alterum occurrit vitium, dictarum recusationum nullum afferri probationis firmamentum, imo et constanter denegari requisitum. Quod quam sit juri communi contrarium, nemo nescit; quo videlicet expresse statuitur, ut recusans ob factum aliquod Judici objectum, accedere teneatur cum scriptis probationibus objecti, alioquin in cassum cat sua objectio, judicique vel contrarium declaranti credi debeat et hoc uno asserta sibi manere judicandi facultas; adeo ut Rm̃us D. Episcopus Senecensis hoc ipsum, quod amplectitur, recusationum remedium simul deserere videatur, dum probare renuit, quod in recusationis argumentum adducit.

Jam vero, si singula opus sit perpendere dictarum recusationum capita, quis non videt, quam inane sit illud, quod Rm̃o D. Archiepiscopo objicitur? Nempe fiduciariae crimen Simoniae, de quo neque judicium exstitit ullum, neque actio intentata, neque locus etiam fuerit actioni: cum provisiones in ea, quae adducitur, lite agerentur defendendae ab adversario, non jure devoluti ob competitoris inhabilitatem ullam aut incapacitatem, sed mere *per obitum* obtentae, mulcta vero, a judicio Senatus imposita, non alia fuerit quam praestituta appellanti causa cadenti mulcta; atque etiam imminuta et solita minor, quippe ad duodecim libras redacta. Quod apertius iterum est ac manifestius innocentiae signum. Atqui ex vulgatissimis juris regulis delictum nullum opponi potest Judici aut in recusationem proponi, nisi sit prius de illo intentata actio vel judicanda vel judicata. Quod si non esset, jam penes quemcunque reum foret, falsum affingendo judici suo crimen, omnem suspendere auctoritatem judicis omnemque proinde actionem judiciumque declinare ac morari. Recusatio haec non esset, sed accusatio et recriminatio, quam pariter omnes vetant leges et canonicae et civiles. *Non relatione criminum,* aiunt illae, *sed innocentia reus purgetur.* Sed vulgata ista quid afferre necesse est? cum jam ex allatis atque recitatis in consessu praedictae litis instrumentis perspecta omnibus fuerit calumnia, cumque vel ipsemet Rm̃us D. Episcopus Senecensis, postquam ea in consessu hesterno audivit, quae in dictae calumniae confutationem a Rm̃o D. Archiepiscopo ex tempore prolata sunt, neque interpellatus probationum fidem adducere, neque rogatus instrumentorum adductorum fidem vel auditu percipere voluerit, sed sponte a Concilio recedens, planum omnibus fecerit, se nec talium auctorem esse, nec ullam habere fidem auctoribus commentorum. Est igitur haec recusatio fundamento destituta et forma debita.

Idem de caeteris Reverendissimorum D. D. Episcoporum recusationibus ferri debet judicium. Inani pariter omnes nituntur fundamento. Rm̃us D. Episcopus Grassensis palam negavit, se iis unquam usum fuisse verbis, quae retulit Rm̃us D. Episcopus Senecensis in acto suo. Aliunde vero constat, in rebus, quae ad Fidei doctrinam pertinent, nullum jure posse recusari Episcopum judicem, quin sit ipse erroris in Fide suspectus. Neque vero, quod eorum aliquis pro munere suo acriter in errorem insurrexerit, hoc ei aut crimini verti aut in recusationis legitimae argumentum opponi posse, quisquam dixerit.

Ex his aliisque permultis e re ipsa natis passimque cuilibet occurrentibus considerationibus requiro ac postulo, ut, non obstantibus supradictis recusationibus, tam generalibus quam specialibus, quae vanae, illusoriae, frustratoriae, informes atque irritae declarabuntur, ultra procedatur ad instructionem judiciumque querimoniae a me habitae de Instructione Pastorali, delata die 18. Augusti, ex requisitionibus dicta die allatis seu ulterius a me afferendis.

Deliberatum Ebreduni die 19. Augusti anno 1727. Subscripsit *Gaspar d'Hugues,* Promotor.

Cum discessisset Promotor, deposita in consessu requisitione, Concilium, jus dicens, Decretum infra descriptum protulit, cujus a autographum, adjunctis Promotoris requisitionibus, extat inter Synodi instrumenta authentica.

Decretum.

Concilium, ex Promotoris requisitionibus jus dicens, statuit: non obstantibus allatis recusationibus, sive generalibus sive specialibus, utpote vanis, frustratoriis, informibus et irritis, ultra esse procedendum ad examen Instructionis Pastoralis a Promotore delatae, atque post auditam relationem Rm̃i D. Episcopi Grassensis, explicatoris hujus causae designati, judicium pronuntiandum esse a Synodo, prout ipsi videbitur. Notumque fiat praesens Decretum Rm̃o D. Episcopo Senecensi, recitante apud ipsummet Secretario Concilii, praesentibus binis Concilii Notariis.

Datum in Concilio tertia in Congregatione generali, habita die 19. Augusti anno 1727. Subscripsit † *Petrus* Archiep. P. Ebredunensis.

Subinde deliberatum est a Synodo, specialem curam esse demandandam Patribus ea perpendendi singulatim, quae ad Ec-
b clesiasticam spectant disciplinam. Quapropter rogati sunt Rm̃i D. D. Episcopi Venciensis et Glandavensis, ut expendenda susciperent, Rm̃us D. Episcopus Venciensis, quae ad Episcoporum et Canonicorum, et Rm̃us D. Episcopus Glandavensis, quae ad Parochorum officia pertinent.

QUARTA CONGREGATIO PRIVATA.

Anno 1727. die 20. Augusti ante meridiem habita est a Rm̃o D. Archiepiscopo in Palatii Archiepiscopalis Sacello quarta Congregatio privata: cui interfuere Rm̃i D. Episcopi Venciensis, Glandavensis et Grassensis ac R. D. de Puget, solo absente Rm̃o D. Episcopo Senecensi.

Actum est de utilitate edendi libri Catechismi ad communem totius Provinciae usum. Variis praeterea de rebus actum est. Sicque terminata est Congregatio.

Descriptio Notificationis hesterni Decreti.

c Anno 1727. die 20. Augusti, me Concilii Secretario recitante, praesentibus binis Concilii Notariis, personaliter notificatum fuit Rm̃o D. Episcopo Senecensi suprapositum Decretum, die 19. praesentis mensis datum. Qui Rm̃us D. Episcopus Senecensis respondit, persistere se in actis suis contestatisque denunciationibus, subscriptionemque denegavit. Quae attestans subscripsi *de Michel,* Secretarius Concilii. *Vial,* Concilii Notarius, *Leydon,* Concilii Notarius, subscripsere.

QUARTA CONGREGATIO GENERALIS.

Anno 1727. die 20. Augusti hora 3. pomeridiana habita est in Palatii Archiepiscopalis Sacello a Rm̃o D. Archiepiscopo quarta Congregatio generalis; cui interfuere Rm̃i D. D. Episcopi Venciensis, Glandavensis et Grassensis, R. D. de Puget, R. D. Abbas Boscodonensis, Deputati, Theologi et Canonistae Concilii. Abfuit Rm̃us D. Episcopus Senecensis.

Rm̃us D. Episcopus Grassensis ex speciali relatoris demandato sibi munere die 18. Augusti in secunda Congregatione ge-
d nerali cum retulisset ad Synodum de Instructione Pastorali a Promotore delata: ad pleniorem causae cognitionem jussum est ipsammet palam recitari Instructionem Pastoralem; simulque omnibus ejus generis ejusque momenti visa est esse, de qua statuendum foret ex requisitionibus Promotoris. Quare ulterioris ab ipso afferendae deliberationis causa statutum est, exhibendam dicto Promotori esse declarationem a Rm̃o D. Episcopo Senecensi eadem die 18. Augusti in consessu factam, qua se palam auctorem profitetur Instructionis Pastoralis, jussu suo fuisse divulgatam, ejusque defensionem se suscipere. Promotor, accepta lectaque declaratione, Synodum ingressus ait:

Rm̃i Domini. Cum ad vos primum detuli libellum Instructionis Pastoralis, cui adscriptum erat nomen Rm̃i D. Episcopi Senecensis, confidebam, Rm̃um D. Episcopum Senecensem illius non esse auctorem, vel, si esset, fore ut ad recantandum opus adduceretur, vestra emollitus mansuetudine vestrisque sincerae erga ipsum charitatis officiis permotus: quod cum longe aliter evenisse intellexerim ex ipsiusmet declaratione, jussu vestro mihi exhibita, qua potius promptum se paratumque profitetur illud

defendere: expresse jam requiro et postulo, ut non modo in dictam Instructionem Pastoralem, sed et in ejus Auctorem viis Canonicis procedatur. Ad quem finem et ut solemnius a vestro coetu exeat judicium, requiro, ut invitentur ad hanc Synodum Rm̃i D. D. Episcopi vicinarum Provinciarum Aquensis, Arelatensis, Viennensis, Lugdunensis et Bisuntinae.

Deliberatum Ebreduni die 20. Augusti anno 1727. Subscripsit *Gaspar d'Hugues* Promotor.

Deposita in consessu deliberatione, cum recessisset Promotor: Concilium sequens edidit Decretum, cujus autographum exemplar simul cum Promotoris requisitorio asservatur inter acta Concilii.

Decretum.

Requisitioni Promotoris concedens Synodus statuit ac decrevit: e vicinis Aquensi, Arelatensi, Viennensi, Lugdunensi et Bisuntina Provinciis invitatoriis litteris advocandos esse Episcopos procedendi causa, ut attinebit, praesensque Decretum ipsi Rm̃o D. Episcopo Senecensi esse notificandum per Secretarium, dictum Decretum recitantem, praesentibus binis Concilii Notariis. Qui Secretarius dictum Rm̃um D. Episcopum simul interpellabit, ut, si quos ex dictis Aquensi, Arelatensi, Viennensi, Lugdunensi et Bisuntina Provinciis Episcopos suspectos habeat meritoque recusandos, nominatim appellet ac recusationis argumenta proferat; quo Synodus super his statuat, quod aequum videbitur.

Statuit insuper Synodus, ut non prius praefatum notificetur Decretum dicto Rm̃o D. Episcopo Senecensi, quam ei a duobus Rm̃is D. D. Episcopis Vinciensi et Grassensi, ipsum simul cum R. D. de Puget et R. D. d'Hugues, Ebredunensis Ecclesiae praeposito, adeuntibus, denuo supplicatum fuerit verbis hortatoriis: ne velit longioris obediendi morae difficilem exitum experiri neve Concilio diram inferre necessitatem, ex Canonibus gravius aliquid in ipsum constituendi, utrumque avertat, justae tum Ecclesiae tum Concilii voluntati obsequendo.

Datum in Concilio in quarta Congregatione generali, habita die 20. Augusti post meridiem anno 1727. Subscripsit † *Petrus* Arch. P. Ebredunensis.

Eo ipso tempore Rm̃i D. D. Vinciensis et Grassensis Episcopi, Decretum exequentes, Rm̃um D. Episcopum Senecensem simul cum R. D. de Puget et R. D. d'Hugues, Capituli Ecclesiae Ebredunensis praeposito, convenere. Frustraque adhibitis suasionibus hortationibusque vehementioribus, ad Synodum reversi retulere, obfirmato in priori proposito ac sententia perstare animo Rm̃um D. Episcopum Senecensem.

QUINTA CONGREGATIO PRIVATA.

Anno 1727. die 21. Augusti ante meridiem habita est in Palatii Archiepiscopalis Sacello a Rm̃o D. Archiepiscopo quinta Congregatio privata, cui interfuere Rm̃i D. D. Episcopi Vinciensis, Glandavensis et Grassensis ac R. D. de Puget, solo absente Rm̃o D. Senecensi Episcopo.

Rm̃us D. Episcopus Vinciensis Patribus exposuit varia, quae sibi occurrerant, utiliter statuenda de iis, quae ad officia spectant Episcoporum Canonicorumque Ecclesiarum Cathedralium.

QUINTA CONGREGATIO GENERALIS.

Anno 1727. die 21. Augusti hora 3. pomeridiana solito in loco habita est a Rm̃o D. Archiepiscopo quinta Congregatio generalis, cui interfuere de more omnes Episcopi praeter Rm̃um D. Episcopum Senecensem absentem, R. D. de Puget, R. D. Abbas Boscodonensis, Deputati, Theologi et Canonistae.

Interim dum ipsa haberetur Congregatio, notificatum fuit Rm̃o D. Episcopo Senecensi hesternum Concilii Decretum. Cujus notificationis actum hic exscriptum infra Decretum ipsum adscriptum legitur in autographo.

Notificatio Decreti.

Anno 1727. die 21. Augusti per me, Concilii Secretarium, praesentibus binis Concilii Notariis, recitatum fuit ac rite notificatum Rm̃o D. Episcopo Senecensi Decretum Concilii, die 20. praesentis mensis datum. Qui Rm̃us D. Episcopus simul per me ex dicto Decreto interpellatus, ut, si quos ex Aquensi, Arela-

a tensi, Viennensi, Lugdunensi et Bisuntina Provinciis suspectos haberet Episcopos meritoque recusandos, nominatim appellaret atque recusationum argumenta proferret. Ad dictam interpellationem non respondens hoc solum petiit, ut liceret sibi infra praesentis notificationis actum scriptas apponere contestatas prioribus actis suis denuntiationes, quas iterare se velle declaravit. Cui postulationi cum a me concedi non posse retulissem, donec postulationem ipsam ad Concilium detulissem: mox rediturus, ad Synodum accessi; ejusque responsam voce deliberationem retuli ad Rm̃um D. Episcopum Senecensem, videlicet: contestatas denuntiationes minime ipsi licitum esse infra apponere notificationi Decreti, in charta vero separata quaecumque vellet exarata dare responsa, me recepturum, simul daturum spopondi dictae chartae exemplum chirographo meo subsignatum, certum ipsi ac solemne futurum testimonium a se responsorum. Oblata renuit necnon et postulatam praesenti notificationi subscriptionem. Quae omnia recedens in actum redacta curavi, praesentibus dictis Concilii Notariis, qui mecum subscripsere.

b *De Michel*, Secretarius; *Vial*, Concilii Notarius; *Leydon*, Concilii Notarius.

Relato ad Synodum praedicto notificationis acto, exposuit Promotor, mirum esse, quod Rm̃us D. Episcopus Senecensis, a quo hactenus de industria ad lites litibus inserendas prodiissent acta opposita, mox incompetentiae, mox recusationis, nihil tamen objecisset suspicionis adversus ullum ex quinque Provinciarum Episcopis, denuntiatis sibi in causa sua futuris judicibus: unde provide facturam sibi videri Synodum, si nullum accersat Episcopum ex iis, in quos ex Cleri Gallicani Conventuum statutis cadere possit privatio juris utriusque suffragii.

Rm̃us D. Archiepiscopus recitandum tradidit sequens invitatoriae Epistolae exemplum, ad vicinarum Provinciarum Episcopos a se perscriptae.

EPISTOLA.

Reverendissime Domine.

c In Civitatem istam Ebredunensem ad Concilium nostrum Provinciale, annuente Rege Christianissimo, Nobis pro debito Pastoralis sollicitudinis convocantibus, convenerunt Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Episcopi Suffraganei nostri, quo necessitatibus et bono Ecclesiarum Provinciae nostrae, aspirante Deo, provideremus. Porro inter caetera, quae huic sanctae Synodo proponenda occurrebant, primum ac praecipue denuntiatum nobis fuit opus quoddam Gallico idiomate impressum ac vulgatum sub titulo: *Instruction Pastorale de Monseigneur l'Evêque de Senez, dans laquelle à l'occasion des bruits, qui se sont répandus de sa mort, il rend son Clergé et son Peuple dépositaires de ses derniers sentimens sur les Contestations, qui agitent l'Eglise.* Cujus quidem operis Auctor plurima ab Ecclesia jam damnata Dogmata commendare, a debita Principibus ac legitimis Pastoribus obedientia avertere, Summorum Pontificum Constitutiones, universa suffragante Ecclesia, promulgatas lacessere gravibus accusatur indiciis. Illud vero stupendum magis visum est, quod Reverendissimus Episcopus Senecensis, cujus nomine praefatum documentum inscribitur, ex Juris praescripto interrogatus, illud
d suum esse agnoverit suisque nota ac nomine muniverit.

Quocirca, ut Saluti Praesulis ac periclitanti Plebi consuleremus, matura coram Deo deliberatione habita, adversus praedictum Reverendissimum Episcopum Senecensem juxta Canonicas Sanctiones agendum existimavimus. Ut autem solemnius hac in causa prodiret judicium, e vicinioribus Provinciis Episcopos duximus advocandos. Has idcirco ad Amplitudinem Vestram Litteras mittimus, eam enixe rogantes et obtestantes in Domino, ut, abjecta omni cunctatione, ad hanc sanctam Synodum ipsa die octava Septembris adveniat et accedat, Nobiscum et cum Illustrissimis Suffraganeis nostris de causa Praefati Reverendissimi Episcopi Senecensis deliberatura. Hanc vero nostram invitationem gratam Vobis futuram confidimus. Ipsi enim scitis, de Ecclesiae hic agi utilitate promovenda, de Episcopatus tuenda gloria ac denique de exitiali scandalo resecando. Ea sum interim, qua par est, observantia

Amplitudinis Vestrae

Humillimus et Obsequentissimus
Servus in Christo.

Recitatam epistolam Synodus approbavit statuitque mittendam ad Rmos D. D. Episcopos Vapincensem, Sistaricensem, Aptensem, Forojuliensem, Telonensem, Massiliensem, Arausicanum, Vivariensem, Tricastinensem, Diensem, Gratianopolitanum, Valentinum, Cabilonensem, Bellicensem, Augustodunensem. a

Ingressus Promotor ait: denuntiatum sibi hac ipsa die fuisse post meridiem nomine Rmi D. Episcopi Senecensis actum, priores ejus denuntiationes omnes innovans tum de incompetentia Concilii tum de recusatis specialiter singulis Rmis D. D. Episcopis; quod actum cum mera esset praedictorum repetitio, postularo se, ut prioribus adjungatur actis ultimo causae judicio reservandum. Depositoque in consessu Acto, exiit Promotor.

Synodus palam recitari jussit praedictum Actum.

ACTE.

[Actum hoc ex ratione supra indicata omittendum censuimus.]*

Recitatum Actum decrevit Synodus inter Acta referri Concilii, de illo jus dictura suo tempore, ut attinebit.

Sub haec variis de rebus ad disciplinam spectantibus tractatum est. b

SEXTA CONGREGATIO PRIVATA.

Anno 1727. die 22. Augusti ante meridiem habita est in Palatii Archiepiscopalis Sacello a Rmo D. Archiepiscopo sexta Congregatio privata: cui interfuere Rmi D. D. Episcopi Vinciensis, Glandavensis et Grassensis ac R. D. de Puget, solo absente ultro Rmo D. Episcopo Senecensi.

Pensata sunt Decreta proposita de Episcoporum et Canonicorum officiis; cumque res sufficienter agitata in hac Congregatione non visa fuisset, in proxime futuram Congregationem rejecta est. Simul, Decretis nondum confectis, deliberatum fuit de differenda Sessione secunda, Decretis hisce promulgandis destinata, ad diem trigesimam primam mensis Augusti, quae erit dies dominica.

SEXTA CONGREGATIO GENERALIS.

Anno 1727. die 22. Augusti hora 3. pomeridiana solito in c loco habita est a Rmo D. Archiepiscopo sexta Congregatio generalis, cui interfuere de more omnes Rmi D. D. Episcopi praeter Rmum D. Episcopum Senecensem, R. D. de Puget, R. D. Abbas Boscodonensis, Deputati, Theologi et Canonistae Concilii.

Ut distributius tractarentur materiae, visum est, insistendum esse ordini Decretorum in ultimo Ebredunensi Concilio Provinciali anno 1584. instituto, cujus habentur solummodo Decreta; iis omissis vel retentis, quae temporibus his congruere vel non congruere judicarentur. Unde et ea recitanda curavere Patres; atque agitata recitatorum Decretorum materia, de his potissimum statutum est, esse edenda Decreta, videlicet:

Primum, De exigenda certa ac non dubia Constitutionibus Summorum Pontificum Innoc. X., Alexandri VII. et Clementis XI. obedientiae significatione ab iis omnibus Ecclesiasticis, qui sive Ordinibus initiandi sive ad beneficia canonice erunt instituendi.

Alterum, Quo noxiae librorum prohibitorum lectioni efficaciter occurratur.

Tertium, Quo praecipiatur Parochis, ut solerter invigilent executioni Ordinationum Christianissimi Regis de scholis ludique d Magistris et, si quid contra peccatum fuisse noverint, Ordinarium sedulo commoneant.

Quartum, De edendo Catechismi libro, quo uno et eodem uti teneantur omnes in tota Provincia, et quo specialiter instructi esse debeant, antequam constituantur, Ludimagistri.

Quintum, Quo prohibeatur cuilibet stipem corrogare absque Ordinarii facultate concessa.

Sextum, De reservanda Episcopis ipsis perjurii in judicio absolutione.

Septimum, De innovandis Concilii Ebredunensis Decretis, quoad observationem celebrationemque Festorum et diei Dominicae: Parochis mandando, ut in iis Magistratuum vigilantiam excitent.

Octavum, Quo praecipiatur omnibus, qui apud se retinent tabulas recensionum, Baptismorum, Matrimoniorum et Defunctorum, ut continuo eas in manibus Parochorum reponant; prohibeaturque sub poena excommunicationis, ne, Parochis vita functis, eaedem surripiantur tabulae.

Nonum, Decretum, quo recens natos pueros praecipiatur quamprimum adduci in Ecclesiam Baptismi recipiendi causa.

Tum sequens de 2. sessione differenda edidit Decretum, in consessu recitatum:

Decrevit sancta Synodus, quod secunda Sessio, quae indicta fuit ad diem 24. praesentis mensis Augusti, transferatur seu prorogetur in diem trigesimam primam ejusdem mensis, et quod Programma affigatur ad valvas Ecclesiae Metropolitanae et Palatii Archiepiscopalis.

Subscripsit † *Petrus* Arch. Pr. Ebred.

SEPTIMA CONGREGATIO PRIVATA.

Anno 1727. die 23. Augusti ante meridiem habita est solito in loco a Rmo D. Archiepiscopo septima Congregatio privata, cui interfuere de more Rmi D. D. Episcopi Vinciensis, Glandavensis et Grassensis ac R. D. de Puget, absente Rmo D. Episcopo Senecensi.

Referente Rmo D. Episcopo Vinciensi, incoeptam persecuti sunt Patres materiam de Episcoporum et Canonicorum officiis.

Die 24. Augusti, quae erat dies dominica, hora 5. matutina haec ad valvas Ecclesiae Metropolitanae et Palatii Archiepiscopalis affixa est tabella:

De Mandato Illustrissimi et Reverendissimi D. Archiepiscopi Principis Ebredunensis et Reverendissimorum D. D. Episcoporum Patrum Concilii monentur omnes, qui Concilio intersunt aut interesse debent, secundam Sessionem, die vigesima quarta praesentis mensis Augusti anni 1727. habendam, in diem trigesimam primam ejusdem mensis esse translatam.

Subscripsit *Amiel*, Subsecretarius Concilii.

Eadem die hora decima matutina Rmus D. Archiepiscopus et Rmi D. D. Episcopi Vinciensis, Glandavensis et Grassensis, R. D. de Puget, R. D. Abbas Boscodonensis, Deputati Theologique omnes et Canonistae Concilii in Ecclesiam Metropolitanam simul convenere, Sacro adfuturi solemniter peragendo a Rmo D. Episcopo Glandavensi. Quo peracto, cantatae sunt Litaniae Sanctorum.

Reliquum diei fundendis apud Deum Precibus insumptum est.

OCTAVA CONGREGATIO PRIVATA.

Anno 1727. die 25. Augusti ante meridiem habita est solito in loco a Rmo D. Archiepiscopo octava Congregatio privata: cui interfuere Rmi D. D. Episcopi Vinciensis, Glandavensis et Grassensis et R. D. de Puget, absente Rmo D. Episcopo Senecensi.

Proposita fuere Decreta de iis, quae ad debitam Constitutionibus *Vineam Domini Sabaoth* et *Unigenitus Dei Filius* obedientiam spectant.

Actum est etiam de opportunioribus adhibendis remediis ad resecandos abusus coercendamque immodestiam sive Laicorum sive Ecclesiasticorum in usu sanctissimi Sacramenti Eucharistiae.

SEPTIMA CONGREGATIO GENERALIS.

Anno 1727. die 25. Augusti hora 3. pomeridiana solito in loco habita est a Rmo D. Archiepiscopo septima Congregatio generalis: cui interfuere de more omnes Rmi D. D. Episcopi praeter Rmum D. Episcopum Senecensem, R. D. de Puget, R. D. Abbas Boscodonensis, Deputati, Theologi et Canonistae Concilii.

Inchoata Decretorum Concilii Provincialis Ebredunensis recitatio continuata fuit; atque constitutum, ea esse innovanda, quae modestiam praecipiunt accedentibus ad Sacram Mensam; ea, quae decentiam commendant in ornando Divinae Hostiae Tabernaculo; item ea, quae agunt sive de constituenda Sodalitate titulo insignita Sanctissimi Sacramenti in locis, ubi non viget haec Institutio, sive de ritibus observandis in Sacro faciendo: cui posteriori Decreto visum est, adjiciendum esse praeceptum, ne quis absque talari Tunica Sacrum facere praesumat, sub poena suspensionis tertium delinquenti constituta.

NONA CONGREGATIO PRIVATA.

Anno 1727. die 26. mensis Augusti ante meridiem habita est a Rmo D. Archiepiscopo solito in loco nona Congregatio

privata: cui interfuere, Rmo D. Episcopo Senecensi solo excepto, omnes Rmi D. D. Episcopi et R. D. de Puget.

De Constitutionibus Apostolicis Decreta formata allata sunt atque perpensa.

OCTAVA CONGREGATIO GENERALIS.

Anno 1727. die 26. Augusti hora 3. pomeridiana solito in loco habita est a Rmo D. Archiepiscopo octava Congregatio generalis: cui interfuere de more omnes praeter Rmum D. Episcopum Senecensem.

Continuata fuit Decretorum recitatio Concilii Ebredunensis actumque de recitatorum Decretorum materiis.

DECIMA CONGREGATIO PRIVATA.

Anno 1727. die 27. Augusti ante meridiem in Palatii Archiepiscopalis Sacello habita est a Rmo D. Archiepiscopo decima Congregatio privata. Adfuere Rmi D. D. Episcopi Venciensis, Glandavensis et Grassensis ac R. D. de Puget. Aberat Rmus D. Episcopus Senecensis.

Actum est variis de rebus ad Fidem pertinentibus.

NONA CONGREGATIO GENERALIS.

Anno 1727. die 27. Augusti hora 3. pomeridiana habita est solito in loco in Palatii Archiepiscopalis Sacello a Rmo D. Archiepiscopo nona Congregatio generalis; cui interfuere omnes Rmi D. D. Episcopi praeter Rmum D. Episcopum Senecensem; R. D. de Puget, R. D. Abbas Boscodonensis, Deputati, Theologi et Canonistae Concilii.

Secretarius in consessu deposuit Actum sibi die praecedenti sub vesperam hora sexta nomine Rmi D. Episcopi Senecensis denuntiatum.

Quod Actum decrevit Synodus exhibendum esse Promotori deliberandi causa, postmodum super ejus deliberatione jus dictura.

Recitata fuere Concilii Ebredunensis Decreta, quae innovanda constituit Synodus:

De foraneis Vicariis; de Visitationis exercendae officio; de Metropolitanis, Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis et in his ministrantibus; de tempore, quo quisque debet esse in Choro; de modo, quo Divinum Officium sit celebrandum; de Missa solemni celebranda; de Ecclesiis in genere; de Processionibus; de Ecclesiarum Mansionariis; de conservatione et administratione bonorum Ecclesiae; de Capellanis; de Regularibus et de Exequiis Episcoporum.

Rmus D. Episcopus Venciensis obtulit Procuratorium deputationis, quod pridie receperat a Clero Venciensi, R. D. Rostan rite concessum.

UNDECIMA CONGREGATIO PRIVATA.

Anno 1727. die 28. Augusti ante meridiem solito in loco habita est a Rmo D. Archiepiscopo undecima Congregatio privata; cui interfuere Rmi D. D. Episcopi Venciensis, Glandavensis et Grassensis ac R. D. de Puget, solo absente Rmo D. Episcopo Senecensi.

Actum est iterum de rebus ad Fidem pertinentibus, iterumque recitata fuere et examinata prius hac de re formata Decreta.

DECIMA CONGREGATIO GENERALIS.

Anno 1727. die 28. Augusti hora 3. pomeridiana solito in loco habita est a Rmo D. Archiepiscopo decima Congregatio generalis. Adfuere omnes Rmi D. D. Episcopi praeter Rmum D. Episcopum Senecensem et Rmum D. Episcopum Venciensem morbi causa absentem; R. D. de Puget, R. D. Abbas Boscodonensis, Deputati, Theologi omnes et Canonistae.

Promotor dixit:

Reverendissimi Domini, Actum praesentis mensis die 26. nomine Rmi D. Episcopi Senecensis Synodo ipsi denuntiatum, mediante Synodi Secretario, expressam habet iteratam denuntiationem tum Acti sui de incompetentia die 11. Augusti tum al-
a terius de recusationibus ab ipsomet in consessu depositi die 18. ejusdem mensis. Caetera, quae praesenti enuntiantur Acto, reipsa mera sunt repetitio eorum, quae praecitatis Actis continentur; nisi quod in isto asserat et conqueratur Rmus D. Episcopus Senecensis, denegatum sibi fuisse dicta die 18. Augusti, cum palam Instructionem Pastoralem subscripto nomine suam declararet, postulatum Actum contestatae denuntiationis, qua Synodo objiciebat et ejus incompetentiam et recusationes Episcoporum speciales: cum tamen, si veritas ipsa audiatur perscriptaque consulantur acta, nullam omnino tunc temporis constet a Rmo D. Episcopo Senecensi factam fuisse mentionem contestatae ullius denuntiationis.

Quare concludo et requiro, praesens actum aliis prioribus adjungi, ut tempore suo judicet de illo Synodus, prout ipsi videbitur.

Deliberatum Ebreduni die 28. Augusti 1727. Subscripsit *Gaspar d'Hugues*, Concilii Promotor.

Deposita in consessu requisitione, cum exiisset Promotor, recitandum jussit Synodus actum Rmi D. Episcopi Senecensis.

b

ACTE.

[Actum hoc ex ratione supra indicata omittendum censuimus.]*

Audita Acti recitatione, Synodus edidit Decretum, cujus autographum simul cum Promotoris requisitione Actis Concilii insertum est.

Decretum.

Promotoris requisitioni concedens Synodus statuit, decrevit, ut Actum, die 26. praesentis mensis Concilii Secretario, eoque mediante, Concilio ipsi denunciatum nomine Rmi D. Episcopi Senecensis, caeteris adjungatur Actis litisque Instrumentis, suo tempore jus de illo dictura, ut attinebit; praesensque Decretum ipsi Rmo D. Episcopo Senecensi notificetur per Secretarium, dictum ipsi Decretum recitantem, praesentibus binis Concilii Notariis.

Datum in Concilio decima in Congregatione generali, habita die 28. Augusti post meridiem anno 1727. Subscripsit † *Petrus*
c Archiepiscopus P. Ebredunensis.

R. D. de Puget recitando protulit Professionis Fidei Formulam, sibi a Rmo D. Episcopo Diniensi missam Concilio exhibendam; qua palam declarat ac profitetur, quid sentiat specialiter de iis, quae in praesenti acrius in Ecclesia agitantur, quaestionibus.

Ea audita, Rmus D. Archiepiscopus dixit: ex iis, quae audierat Synodus, sensu vere Catholico plenis, non levem accepisse confirmationem jam ante animis omnium insitam opinionem de eximia Religione Rmi D. Episcopi Diniensis; simul et auctum Praesulis illius desiderium doloremque de valetudine, per quam ejus praesentia careat Synodus et sapientibus Consiliis. Rogatusque est Rmus D. Episcopus Glandavensis, ut per Litteras certum faceret Reverendissimum D. Diniensem Episcopum, quam laudata ab omnibus summaque cum veneratione habita fuerit tam sanae tamque orthodoxae fidei declaratio ac professio.

d

DUODECIMA CONGREGATIO PRIVATA.

Anno 1727. die 29. Augusti ante meridiem habita est in Palatii Archiepiscopalis Sacello a Rmo Archiepiscopo duodecima Congregatio privata: cui interfuere Rmi D. D. Episcopi Glandavensis et Grassensis ac R. D. de Puget. Abfuit Rmus D. Episcopus Senecensis, abfuit item morbi causa Rmus D. Episcopus Venciensis.

Actum est variis de rebus ad morum reformationem pertinentibus.

Notificatio Decreti die 28. Augusti dati.

Anno 1727. die 29. Augusti post meridiem per me, Concilii Secretarium, praesentibus binis Concilii Notariis, ex recitatione notificatum fuit Rmo D. Episcopo Senecensi Concilii Decretum die 28. praesentis mensis datum. Qui dictus Rmus D. Episcopus Senecensis subscribere interpellatus recusavit. Quae attestans subscripsi *de Michel*, Secretarius Concilii. *Vial*, Concilii Notarius; *Leydon*, Concilii Notarius subscripsere.

UNDECIMA CONGREGATIO GENERALIS.

Anno 1727. die 29. Augusti hora tertia pomeridiana solito in loco habita est a Rmo D. Archiepiscopo undecima Congregatio generalis, cui interfuere Rmi D. D. Episcopi Vinciensis, Glandavensis et Grassensis, R. D. de Puget, R. D. Abbas Boscodonensis, Deputati, Theologi et Canonistae Concilii, solo absente ut prius Rmo D. Episcopo Senecensi.

Recitata sunt Decreta in II. Sessione publicanda: 1. *De Episcopis.* 2. *De Canonicis.* 3. *De celebratione Missae.*

Deinde Rmus D. Archiepiscopus dixit: quoniam quidem de Disciplina tractandae materiae omnes ita essent instructae atque ordinatae, ut intra hebdomadam sequentem Decreta possent omnia confici, promulganda in 3. Sessione sub finem hebdomadae, ex tunc videri, Sessionem illam indici posse ad diem septimam Septembris, quae erit dies Dominica; qua habita Sessione, libera foret Deputatis ac Theologis omnibus a Concilio abeundi facultas atque assistendi pariter, si lubitum foret; quos etiam, ut prius, ipse Rmus D. Archiepiscopus domi suae laetus recipere mensaque communicare promptus esset ac paratus.

Recitatumque fuit Decretum tertiam Sessionem his verbis indicens ad diem septimam Septembris, quae erit dies Dominica:

Illustrissime et Reverendissime Domine, Reverendissimi Patres. Placetne vobis tertiam Sessionem fore die septima mensis Septembris, quae erit dies Dominica; ita tamen, ut ad aliam diem transferri vel prorogari possit, si pro rebus Concilii bene gerendis conducere videbitur?

SECUNDA SESSIO.

Anno Domini millesimo septingentesimo vigesimo septimo, SS. D. N. Benedicti Papae XIII. Pontificatus quarto, Christianissimi Regis Ludovici XV. Regni duodecimo, die 31. mensis Augusti, quae erat dies Dominica, habita est secunda Sessio in Ecclesia Metropolitana. [Caerimoniarum descriptionem omisimus.]

Secretarius Concilii, binis comitatus Caerimoniarum Magistris, de manibus Rmi D. Archiepiscopi accepit Decreta Concilii promulganda: videlicet de Episcopis, de Canonicis, de celebratione Missae; Decretum unum, quo Concilii Provincialis Ebredunensis anno 1584. habiti innovantur Decreta: *De celebratione Festorum, de Foraneis Vicariis, de Visitationis exercendae Officio, de Metropolitanis, Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis et in his Ministrantibus, de tempore, quo quisque debet esse in Choro, de modo, quo Divinum Officium sit celebrandum, de Missa Solemni celebranda, de Ecclesiis in genere, de Processionibus, de Ecclesiarum mansionariis, de conservatione et administratione Bonorum Ecclesiae, de Capellanis, de Regularibus et de Exequiis Episcoporum;* denique Decretum, quo tertia Sessio ad diem 7. Septembris indicitur [ut supra].

Decreta illa a Secretario e suggestu recitata cum approbassent Patres, ritibus observatis iisdem, qui in 1. Sessione, Rmus D. Archiepiscopus Benedictione solemni toti coetui ac populo benedixit. Ac Secretarius e pulpito centum dierum Indulgentias, a Synodo adstantibus concessas, promulgavit. Huncque habuit finem secunda Sessio. Processionaliter recessere ad Palatium Archiepiscopale Rmi D. D. Archiepiscopus et Episcopi, Mitra et Pluvialibus induti, ac tota Synodus eodem, quo ad Ecclesiam accesserant, ordine.

XIII. CONGREGATIO PRIVATA.

Anno 1727. prima die Septembris ante meridiem habita est a Rmo D. Archiepiscopo in Palatii Archiepiscopalis Sacello decima-tertia Congregatio privata: cui interfuere Rmi D. Episcopi Vinciensis, Glandavensis et Grassensis ac R. D. de Puget. Abfuit Rmus D. Episcopus Senecensis.

Actum est de Parochorum Officiis atque deliberatum de invitando Rmo D. Sistaricensi Episcopo, qui pridie in Urbem advenerat, ut Concilii Congregationibus omnibus, sive privatis sive generalibus, vellet interesse, secundum ordinem Inaugurationis suae consessurus.

XIV. CONGREGATIO PRIVATA.

Anno 1727. die 2. Septembris ante meridiem solito in loco habita est a Rmo D. Archiepiscopo decima-quarta Congregatio
a privata: cui interfuere Rmi D. D. Episcopi Vinciensis, Sistaricensis, Glandavensis et Grassensis ac R. D. de Puget, Procurator Rmi D. Episcopi Diniensis, absente more suo Rmo D. Episcopo Senecensi.

Rmus D. Episcopus Sistaricensis gratias egit Rmo D. Archiepiscopo et Rmis D. D. Episcopis, inter eos in Concilium admissus. Tum continuata est de Parochorum Officiis inchoata tractatio.

XV. CONGREGATIO PRIVATA.

Anno 1727. die 3. Septembris ante meridiem habita est a Rmo D. Archiepiscopo in Palatii Archiepiscopalis Sacello Congregatio decima-quinta privata: cui interfuere iidem Rmi D. D. Episcopi, qui in praecedenti Congregatione adfuerant, et R. D. de Puget, absente de more Rmo D. Episcopo Senecensi.

Actum est de Sacramentis in universum atque etiam de specialibus Baptismi, Confirmationis et Poenitentiae Sacramentis; suntque allata de his meditata et formata Decreta.

b

XII. CONGREGATIO GENERALIS.

Anno 1727. die 3. Septembris hora 3. pomeridiana habita est a Rmo D. Archiepiscopo in Palatii Archiepiscopalis Sacello duodecima Congregatio generalis; cui interfuere Rmi D. D. Episcopi Vinciensis, Sistaricensis, Glandavensis et Grassensis, R. D. de Puget, R. D. Abbas Boscodonensis, Deputati Theologique et Canonistae Concilii. Abfuit, ut semper, Rmus D. Episcopus Senecensis.

Recitata fuere et perpensa Decreta, in privata hodierna Congregatione proposita: de Sacramentis in universum et de specialibus Baptismi, Confirmationis et Poenitentiae Sacramentis; atque ita, ut erant proposita, promulganda visa sunt in tertia Sessione.

XVI. CONGREGATIO PRIVATA.

Anno 1727. die 4. Septembris ante meridiem solito in Sacello habita est a Rmo D. Archiepiscopo decima-sexta Congre-
c gatio privata: cui interfuere Rmi D. D. Episcopi Vinciensis, Sistaricensis, Glandavensis et Grassensis ac R. D. de Puget, absente more solito Rmo D. Episcopo Senecensi.

Postquam tractatum fuit de Sacramentis Eucharistiae, Extremae-Unctionis, Ordinis et Matrimonii, proposita fuere de hisce Sacramentis edenda Decreta.

XVII. CONGREGATIO PRIVATA.

Anno 1727. die 5. Septembris ante meridiem solito in loco habita est a Rmo D. Archiepiscopo 17. Congregatio privata: cui interfuere iidem, qui in praecedenti Congregatione, Rmi D. D. Episcopi et R. D. de Puget, absente de more Rmo D. Episcopo Senecensi.

De Indulgentiis actum est, de Sacris Reliquiis, de Sepulturis; atque allata fuere statuenda de iis Decreta; simul et de Parochorum officiis, de quibus abunde fuerat disputatum in privatis praecedentibus Congregationibus.

R. D. Episcopus Grassensis postulationem et querimoniam
d detulit ad Concilium de Urbe Antipoli, quae, spreta sui Grassensis Episcopi Dioecesani Jurisdictione, id sibi arrogat, ut a Vicario Apostolico jura immediate sumere valeat. Quae causa in praesenti agitur apud Judices recuperatorios, a Rege ipso designatos.

Rmus D. Archiepiscopus rogatus est a Concilio, ut in Epistola sua, ad Regem Christianissimum occasione Concilii perscribenda, hanc Episcopi causam commendet, postquam a dicto Rmo D. Episcopo Grassensi Commentarium hac de re plenum ac sufficiens acceperit.

XIII. CONGREGATIO GENERALIS.

Anno 1727. die 5. Septembris hora 3. pomeridiana in Palatii Archiepiscopalis Sacello habita est a Rmo D. Archiepiscopo 13. Congregatio generalis; cui interfuere Rmi D. D. Episcopi Vinciensis, Sistaricensis, Glandavensis et Grassensis; R. D. de Puget; R. D. Abbas Boscodonensis; Deputati, Theologi et Canonistae. Abfuit de more Rmus D. Episcopus Senecensis.

Recitata sunt in Consessu Decreta omnia prius in privatis

Congregationibus proposita de Eucharistia, Extrema-Unctione, a Ordine et Matrimonio; de Parochorum officiis; de Indulgentiis; de Sacris Reliquiis et de Sepulturis. Quae omnia approbata fuere et in sequenti Sessione visa sunt esse promulganda.

XVIII. CONGREGATIO PRIVATA.

Anno 1727. die 6. Septembris ante meridiem solito in loco habita est a Rmo D. Archiepiscopo decima-octava Congregatio privata; cui interfuere Rmi D. D. Episcopi Vinciensis, Sistaricensis, Glandavensis et Grassensis ac R. D. de Puget, absente de more Rmo D. Episcopo Senecensi.

Sequens datum est Decretum de translatione tertiae Sessionis ad diem 8. Septembris. Quae Sessio indicta fuerat ad diem septimam:

Decrevit Sancta Synodus, quod tertia Sessio, quae indicta fuit ad diem septimam praesentis mensis Septembris, transferatur seu prorogetur in diem octavam ejusdem mensis, et quod tabella affigatur ad Valvas Ecclesiae Metropolitanae et Palatii Archiepiscopalis.

Deinde constitutum fuit, ut in ipsa 3. Sessione Sacro Eucharistiae Sacramento reficerentur simul omnes, ex quibus constabit Concilium.

Sequenti die 7. Septembris anni 1727., quae erat dies Dominica, mane hora sesqui-septima affixa est ad Valvas Ecclesiae Metropolitanae et Palatii Archiepiscopalis tabella admonens de translatione 3. Sessionis (ut supra pag. 662. a. de transl. 2. Sessionis).

Rmi D. D. Archiepiscopus et Episcopi interfuere Missae solemni a Capitulo cum cantu celebratae. Vespere vero solemnibus item adfuere primis Vesperis Festi Nativitatis B. M. Virginis, sub quas Gratiae Deo actae sunt publicae de felici Reginae partu, solemni cantato Hymno *Te Deum laudamus.* Demum consueto ritu, sumpto in manus Sanctissimo Sacramento, toti coetui benedixit Sacerdos.

XIX. CONGREGATIO PRIVATA.

Anno 1727. die 7. Septembris hora 5. sub vesperam solito in loco habita est a Rmo D. Archiepiscopo decima-nona Con- c gregatio privata: cui interfuere Rmi D. D. Episcopi Vapincensis, Massiliensis, Bellicensis, Vinciensis, Forojuliensis, Sistaricensis, Glandavensis, Vivariensis, Aptensis, Gratianopolitanus et Grassensis, ac R. D. de Puget, Procurator Rmi D. Episcopi Diniensis, absente ultro de more Rmo D. Episcopo Senecensi.

Statutum fuit in hac Congregatione, ut dicti Rmi D. D. Episcopi, quotquot in Concilio aderant, pariter interessent Sessioni publicae die sequenti habendae atque reficerentur ipsi et tota Synodus Sanctissimo Eucharistiae Sacramento, administrante scilicet Rmo D. Archiepiscopo celebrante. Insuper statutum fuit, ut, qui inter eos recens ad Synodum advenerant invitati, eandem pronuntiarent Fidei Professionis formulam, quae in 1. Sessione a comprovincialibus Episcopis fuerat recitata.

Deinde admissi fuere in Concilio et in numerum Theologorum et Canonistarum adscripti, qui sequuntur, a Rmis D. D. Episcopis praesentati:

R. D. Stephanus Guerin, Theologiae Doctor, Decanus Capituli Massiliensis Ecclesiae B. V. Mariae dictae *Des Accoules*, Rmi D. Episcopi Massiliensis Vicarius Generalis et ab eodem Rmo D. Episcopo praesentatus.

R. D. Nicolaus Reynaud, in Parisiensi facultate Theologiae Doctor, Rmi D. Archiepiscopi Aquensis Vicarius Generalis, a Rmo D. Episcopo Forojuliensi praesentatus.

R. D. Josephus-Franciscus Salvador, Juris Canonici Doctor, Avenionensis Clericorum Seminarii Superior, a Rmo D. Episcopo Vivariensi praesentatus.

R. D. Ludovicus-Franciscus-Gabriel d'Orleans de la Mothe, Theologiae Doctor, Rmi D. Archiepiscopi Arelatensis Vicarius Generalis, a Rmo D. Episcopo Aptensi praesentatus.

TERTIA SESSIO.

Anno 1727. SS. D. N. Benedicti Papae XIII. Pontificatus quarto, Christianissimi Regis Ludovici XV. Regni duodecimo, die octava Septembris, quae erat dies Lunae, habita est in Ecclesia Metropolitana tertia Sessio.

[Caerimoniarum descriptionem omisimus.]

Secretarius, binis comitatus Caerimoniarum Magistris, de manu Rmi D. Archiepiscopi recepit Decreta e suggestu promulganda fecitque initium a Decreto Professionis Fidei, cujus formulam recitavit eandem, quae usurpata fuerat in 1. Sessione. Tum Rmi D. D. Episcopi Vapincensis, Massiliensis, Bellicensis, Forojuliensis, Sistaricensis, Augustodunensis, Vivariensis, Aptensis, Valentinus et Gratianopolitanus praedictam in manibus Rmi D. Archiepiscopi pronuntiavere formulam. Secundum illos idem praestitere R. R. D. D. Reynaud, Guerin, Salvador et de la Mothe Theologi et Canonistae Concilii recens admissi. Deinde Secretarius promulgavit Decreta *de Curatis et de administratione Sacramentorum*, quae Decreta a Patribus Provinciae approbata fuere, ritu in praecedentibus Sessionibus observato. Denique publicatum fuit Decretum indictionis quartae Sessionis ad diem 14. praesentis mensis [ut supra p. 665].

Quod Decretum ab omnibus Concilii Patribus fuit approbatum. Tum more solito Rmus D. Archiepiscopus solemni Benedictione adstantibus benedixit. Secretarius e suggestu Indulgentias promulgavit, atque Rmi D. D. Archiepiscopus et Episcopi, b Pluviali et Mitra induti, ac universa Synodus ad Palatium Archiepiscopale processere eodem, quo ad Ecclesiam accesserant, ordine.

XIV. CONGREGATIO GENERALIS.

Anno 1727. die 8. Septembris hora 3. pomeridiana in Palatii Archiepiscopalis Sacello habita est a Rmo D. Archiepiscopo decimaquarta Congregatio generalis; cui interfuere Illustrissimi et Reverendissimi Rmus D. Franciscus Berger de Mallissoles, Vapincensis Episcopus et Comes, S. Imperii Princeps; Rmus D. Henricus-Franciscus-Xaverius de Belsunce de Castelmoron, Massiliensis Episcopus; Rmus D. Joannes de Dousset, Bellicensis Episcopus et Dominus, S. Imperii Princeps; Rmus D. Flodoardus Moret de Bourchenu, Vinciensis Episcopus et Dominus; Rmus D. Petrus-Josephus de Castellane, Forojuliensis Episcopus et Dominus; Rmus D. Petrus-Franciscus Laffitau, Sistaricensis Episcopus et Princeps Leurzii; Rmus D. Laurentius-Dominicus des Bertons de Crillon, Glandavensis Episcopus; Rmus D. Antonius-Franciscus de Bliterswich de Moncley, Augustodunensis seu Aeduensis Episcopus, Comes Saulieu, Provinciae Burgundiae Comitiorum Praeses natus, Provinciae Lugdunensis Suffraganeorum primus et Archiepiscopatus Lugdunensis, sede vacante, Administrator in Temporalibus et Spiritualibus; Rmus D. Franciscus Reynaud de Villeneuve, Vivariensis Episcopus, Princeps Duzerae; Rmus D. Joannes-Baptista de Vaccon, Aptensis Episcopus et Princeps; Rmus D. Alexander Milon, Valentinus Episcopus et Comes, Princeps Soyonsii; Rmus D. Joannes de Caulet, Gratianopolitanus Episcopus et Princeps; Rmus D. Carolus-Octavianus d'Antelmy, Grassensis Episcopus; R. D. de Puget, Rmi D. Diniensis Episcopi Procurator; R. D. de Savine, Abbas Boscodonensis; Deputati, Theologi et Canonistae Concilii; absente ultro Rmo D. Episcopo Senecensi.

Rmus D. Archiepiscopus latinam habuit Orationem.

Cum perorasset, Rmus D. Archiepiscopus ipsemet causae statum retulit, delatae a Promotore Instructionis Pastoralis Rmi D. Episcopi Senecensis; totamque Litis seriem ad hanc usque diem exposuit. Deinde dixit, idcirco se invitatorias non direxisse Lit- d teras ad Rmos D. D. Episcopos Arausicanum et Tricastinensem, quod eos a Dioecesi sua abesse didicisset; quod vero spectat ad Rmos D. D. Diensem, Telonensem et Cabilonensem Episcopos, infirmam valetudinem causatos eos fuisse per Litteras.

Declaravit praeterea Rmus D. Archiepiscopus, ab initio statutum fuisse a Synodo, ut gallice quisque loqueretur in Concilio; cum id postulare viderentur Materiae tractandae, cumque aliunde actum ipsum, a Rmo D. Episcopo Senecensi die undecima Augusti denuntiatum, gallice conscriptum esset.

† *Petrus,* Arch. P. Ebredunensis. † *Franciscus,* Ep. et Comes Vapincensis. † *Henricus,* Ep. Massiliensis. † *Joa.,* Ep. Bellicensis. † *Flod.,* Ep. Vinciensis. † *Petrus Josephus de Castellane,* Episcopus Forojuliensis. † *Petrus Franciscus,* Ep. Sistaricensis. † *Dominicus,* Ep. Glandavensis. † *Antonius Franciscus,* Episcopus Aeduensis. † *Franciscus Reginaldus,* Ep. Vivariensis. † *Joannes Baptista,* Ep. Aptensis. † *Alexander,* Ep. et C. Valentinensis. † *Joannes,* Episcopus et P. Gratianopolitanus. † *Carolus Octavianus,* Ep. Grassensis. *Franciscus de Pu-*

get, Sacerdos, Vicarius Generalis et Procurator Rmi Episcopi Diniensis.

XV. CONGREGATIO GENERALIS.

Anno 1727. die nona Septembris ante meridiem hora nona in Palatii Archiepiscopalis Sacello habita est a Rmo D. Archiepiscopo decima-quinta Congregatio generalis; cui interfuere Rmi D. D. Episcopi Vapincensis, Massiliensis, Bellicensis, Vinciensis, Forojuliensis, Sistaricensis, Glandavensis, Augustodunensis seu Aeduensis, Vivariensis, Aptensis, Valentinus, Gratianopolitanus et Grassensis, R. D. de Puget, R. D. Abbas Boscodonensis, Deputati, Theologi et Canonistae; absente more suo Rmo D. Episcopo Senecensi.

Promotor dixit:

Reverendissimi Domini. In omnibus, quae ab inchoatione Concilii hactenus peracta sunt, experti sumus, quid possit veritas, quantasque vires habeat, tum ad detegendas Haeresis artes varias ac tortuosas plenasque periculi et insidiarum, tum ad depellendas discutiendasque adductas sponte mendacio nebulas rebusque injectam erroris caliginem.

Rmus D. Episcopus Senecensis, ut Concilii hujusce Provincialis auctoritatem subterfugeret seque ipsum, Episcopum scilicet, fidemque suam ac doctrinam judicio ejus subtraheret, mira arte ab initio ad Concilii universalis Tribunal confugere se ac provocare palam declaravit, Acto publico die 11. Augusti praesentis anni denuntiato Reverendissimo Domino Archiepiscopo Ebredunensi. Hinc consequenter omne, quod non est plenum et Oecumenicum Concilium, incompetentem esse sui Judicem annuntiat Rmus D. Episcopus Senecensis, quasi vero ille, Canones disciplinamque Ecclesiae mire doctus, ignorare possit Concilii Provincialis jura perpetuumque in Ecclesia Judiciorum usum, quo scilicet norunt omnes, primum, quem sciamus, Episcopum canonice judicatum, Paulum Samosatenum, in Provinciae suae Concilio et judicatum et depositum fuisse (erat tamen ille Patriarcha Antiochenus et Principum auctoritate praefultus); consequentibus vero temporibus, Euphratam in Coloniensi, Palladium et Secundianum Arianos Episcopos in Aquilejensi, Conciliis Provincialibus rite et damnatos et depositos fuisse, quamvis posteriores isti duo, non secus ac Rmus D. Episcopus Senecensis, in ipso Concilio, cui intererant, plenis buccis Concilium generale inclamarent Synodique Provincialis Judicium rejicerent atque detrectarent; famosum illum Julianum Eclanensem, cujus Doctrina necdum ullius Concilii universalis Judicio perculsa fuerat, sed tantummodo Summi Pontificis, cui annuerat Sacra per orbem diffusa Episcoporum Cohors, nihilominus ob contumaciam depositum rite fuisse in Concilio item Provinciali, quamquam cum octodecim Episcopis, Assoclis suis, esset illi causa communis, et ipse quoque palam praetexeret interpositam a se damnationis Pontificiae ad Concilium universale provocationem. Doctrinae illius damnatio prior posteriorque depositio haud minus propterea in consequenti Ephesina Synodo universali ratae et comprobatae sunt, parique in illa loco ac numero habitae sunt causa Juliani et mox ab ipsa damnati causa Nestorii.

Frustra congererem innumera generis ejusdem exempla, passim in Ecclesiae reperta Commentariis. Minime vero haec ignorat Rmus D. Episcopus Senecensis; vel si ignorare videtur, affectata est tota haec ignorantia. Numquid enim oblivisci eorum potest, quae ipsemet nuper protulit in ea, quam ad vestrum detuli Judicium, Instructione Pastorali; ubi disertis verbis, de Episcopo consorte suo loquens, ista conqueritur: *Saltem debuisset*, inquit, *haec Episcopi causa rite ad Provincialem Synodum fuisse deducta, ad quam solam pertinet primum ferre de Episcopi Doctrina Judicium.... Non servata forma Canonica indictaque ex praescriptis Regulis causa, privatur ille Beneficiis, atque praetermittitur naturalis ejus ac proprius Judex, in re videlicet, quae tota est de Doctrina, et in qua id inquiritur, utrum derogaverit necne Constitutionibus duorum Summorum Pontificum.*

Undenam igitur nunc auctoritate sua decidit Concilium Provinciale Judexque factus est Episcopi illegitimus et non competens? Atqui eadem prorsus agebatur tunc causa atque nunc. Idem facinus, par in utroque Dignitas, idemque Appellationis confugium. Id, quod est, perspicitis; tunc temporis, anno scilicet elapso, olim tantum futura prospiciebatur, imo non futura putabatur unquam Synodus Provincialis. Nunc et praesens

a adesse cernitur, et praesenti periculo errori damnationem, contumaciae poenam minari. Hinc nimirum sermo diversus. Pro tempore nempe diversa loquuntur isti. Atque inde satis quisque habet indicii, quid futurum esset, si illa ipsa, ad quam provocant, adesset praesens Synodus universalis; fore scilicet, ut, qui priscorum decimi-sexti saeculi imitantur facta Haereticorum, ab eorundem vestigiis non discederent, neque, pariter ut illi, Oecumenico Concilio obedientiam praestarent.

Scitis, Reverendissimi Domini, in rebus, quae ad Fidem spectant, varium est in Ecclesia Judiciorum genus: Oecumenici Concilii Decretum; Summi Pontificis Constitutio, subscribente Episcoporum ordine; Concilii etiam Provincialis decisio, universalis deinde Ecclesiae consensu comprobata.

Horum nota sunt omnibus temporibus exempla. Arii quippe, Nestorii et Eutychetis errores in Conciliis Oecumenicis damnati sunt. Pelagianorum aliorumque permultorum Haereses, sive ante sive post tempora Nicaeni Concilii a Summis Pontificibus peremptorie pariter confossae atque damnatae sunt, suffragantibus omnibus Episcopis. Demum Semipelagianorum Haeresis Paulique
b ipsius Samosateni errores non aliud peremptorium subiere Judicium quam Concilii Provincialis, ab universali postmodum Ecclesia comprobatum.

Non igitur necesse quisquam dixerit, universale Concilium cogi, quoties novus inciderit error damnandus, neque ob paucos Rebelles legitimoque Ecclesiae per orbem diffusae Judicio non stantes totum ipsum commoveri debere orbem Christianum, ut in unum adunentur locum primi Pastores, qui jam conspiranti consensu erant animo conjuncti atque adunati. Et quis hoc sibi persuadeat, privati cujuslibet hominis vano provocationis ausu ad futurum universale Concilium, cui congregando ut plurimum obstant variae Principum rationes, prohiberi interim atque impediri Patremfamilias, ne ex agro Ecclesiae ea, quae non cessat inimicus homo superseminare errorum zizania, valeat eradicare?

Minime, Reverendissimi Domini, credibilis est tantus in supremo Pastore Christo ovilis sibi tam chari neglectus. Quin potius quovis tempore, quovis loco circumstantes dedit illi hujusmodi rapaces arcere lupos, praesentis nempe Judicis remedio.
c Hoc laeti sumus experti in ea, quae agitur causa. Locutus est scilicet Summus Pontifex; loquentem Ducem conjunctis sententiis secutus est Episcoporum ordo: causa finita est. Nefas igitur sit Ecclesiae loquenti contradicere, absonum et contra Leges, ab Ecclesiae universalis Judicio authentico et irrevocabili ad Ecclesiam ipsam in Concilium universale congregatam provocare.

Ex his, quae hactenus diximus, manifestum est, Rmi D. D., interpositam a Rmo D. Episcopo Senecensi appellationem, si in se spectetur, et Canonibus esse contrariam, et Sacrae Hierarchiae adversantem, et Ecclesiae ipsi injuriosam. Si vero expostulationis nostrae singula perpendantur capita, omni prorsus praetextus velamine denudata apparebit hujusmodi appellatio. Nimirum tria conquesti sumus: *Primum*, Fidei formulae a S. Pontifice traditae ac dudum Regni Legibus usuque receptae audacem detrectationem; *Alterum*, Constitutioni Apostolicae ab Ecclesia acceptatae apertam inobedientiam; *Tertium*, libri anathemate ab Ecclesia universa damnati affectatam approbationem atque laudationem. Quid horum non cernitur in Concilio Provinciali esse jure disceptandum atque judicandum?

d Etenim, etiamsi esset illa Rmi D. Episcopi Senecensis appellatio legitima, aeque atque evidenter irrita est ac schismatica, an interim, dum cogatur supremum illud Concilii universalis Tribunal, non debent ab inferiore Tribunali resecari abusus, audacia coërceri, facinora puniri? Nunquid non debet erroribus obsisti, lexque, potestatis utriusque conspirante auctoritate posita, incolumis atque illibata servari? An impune licebit Haeresi verum inficere Ecclesiae Dogma? Tranquillisque licebit esse Episcopis, dum in Domo Dei, ipsis conspicientibus, flamma ardet discordiae, furor Haeresis ac Schismatis insanit? Idque licebit, donec per tempora liceat, forte nusquam, Concilium universale congregari?

His, Rmi D. D., legitimis atque consentaneis nixa est rationibus delatio mea atque expostulatio. Censui nempe pro munere mihi credito occurrendum dissensioni, Regno pariter atque Ecclesiae imminenti. *Solet enim*, quemadmodum Constanti Imperatori scribebat olim Martinus Pontifex, *una cum Orthodoxa Fide Status florere Reipublicae.*

Non hic referam, quae jam ante superioribus dixi sermoni-

bus adversus recusationes, tam generales quam speciales a Rmo D. Episcopo Senecensi adductas. Nihil iterum de falsis rei gestae expositionibus secusque ab ipso narratis in actis duobus posterioribus, quae Concilii Officiariis denuntiari curavit. Hoc unum in praesenti consideretis, obsecro, quascunque ille sive ante sive post inchoatum Concilium interposuit appellationes, ut dicitur, tamquam ab abusu seu usurpatae alienae Jurisdictionis nomine, frivolas, inordinate et contra Leges fuisse interpositas minimeque adeo esse admittendas; cum vel in ipsis Tribunalibus saecularibus pro indubitato habeatur, causas Doctrinales sortis esse Ecclesiasticae cum exceptione, idque ipsum asserat articulus trigesimus Edicti Regii anno 1695. dati.

Ex quibus jam expresse requiro ac postulo, ut, praetermissis argumentis omnibus a Rmo D. Episcopo Senecensi adductis ipsaque ejus appellatione ab abusu, ultra tendatur ad judicium delationis et expostulationis meae, ex prius datis a Concilio Decretis praeparatoriis. Atque in hunc finem, notificetur Rmo D. Episcopo Senecensi, advenisse ad Concilium invitatos, me requirente, Rmos D. D. Episcopos Vapincensem, Massiliensem, Bellicensem, Forojuliensem, Sistaricensem, Augustodunensem, Vivariensem, Aptensem, Valentinum et Gratianopolitanum; eosque caeteris prius in Concilium congregatis Episcopis sese adjunxisse, judicandi causa de ejus instructione Pastorali atque etiam de propria ejus persona.

Deliberatum Ebreduni die nona Septembris anni 1727. Subscripsit *Gaspar d'Hugues* Promotor.

Cum discessisset Promotor, Concilium infra descriptum protulit Decretum, cujus archetypum exemplar una cum Promotoris requisitione extat inter acta Concilii authentica.

Decretum.

Concilium, ex Promotoris requisitione jus dicens, statuit ac decrevit, notificandum esse Rmo D. Episcopo Senecensi, advenisse in hanc Urbem Rmos D. D. Episcopos Vapincensem, Massiliensem, Bellicensem, Forojuliensem, Sistaricensem, Augustodunensem, Vivariensem, Aptensem, Valentinum et Gratianopolitanum, specialiter a Synodo invitatos, eique sese adjunxisse, ut viis Canonicis procedatur ad Judicium de Instructione Pastorali dicti Rmi D. Episcopi Senecensis, a Promotore delata die 18. Augusti praesentis anni; jusque dicendum ex requisitionibus ab ipso factis, tum dicta die 18. Augusti adversus praedictam Instructionem Pastoralem, tum insuper die 20. ejusdem mensis adversus personam ipsam Rmi D. Episcopi Senecensis, tanquam dictae Instructionis Auctoris. Concilium vero, ut iisdem, quibus hactenus, viis mansuetudinis et charitatis insistat, Rmos D. D. Episcopos Glandavensem et Aptensem rogavit, ut, antequam dicto Rmo D. Episcopo Senecensi notificetur per Concilii Secretarium praesens Concilii Decretum, ipsi eum conveniant, denuo hortaturi, ut exitum velit praevertere Judicii mox a Synodo pronuntiandi de ejus Instructione Pastorali atque etiam, casu incidente, de propria ejus persona.

Datum in Concilio in Congregatione generali decima-quinta, habita die nona Septembris ante meridiem anno 1727. Subscripsit *Petrus* Arch. P. Ebredunensis.

Supradictum Decretum confestim Rmo D. Episcopo Senecensi notificatum fuit. Cujus notificationis actum habetur hic exscriptum.

Notificatio Decreti.

Anno 1727. die nona Septembris ante meridiem. Postquam Rmi D. D. Episcopi Glandavensis et Aptensis munus sibi a Concilio demandatum obiissent et vanam in hortando Rmo D. Episcopo Senecensi posuissent operam: praesentibus iisdem Rmis D. D. Episcopis, per me, Concilii Secretarium, binis comitatum Concilii Notariis, qui mecum infra subscripsere, notificatum fuit Rmo D. Episcopo Senecensi ex recitatione a me facta suprapositum Concilii Decretum. Qui Rmus D. Episcopus Senecensis declaravit, perstare se in contestatis prius a se factis denuntiationibus. Quae supra dicta omnia in actum relata curavi, cui subscripsere Rmi D. D. dicti Episcopi Glandavensis et Aptensis, minime vero Rmus D. Episcopus Senecensis, qui interpellatus recusavit.

† *Dominicus* Episcopus Glandavensis subscripsit.
† *Joannes Baptista* Episcopus Aptensis subscripsit.
De Michel, Concilii Secretarius; *Vial*, Concilii Notarius; *Leydon*, Concilii Notarius, subscripsere.

a Deinde Secretarius in Consessu lectionem publicam orsus est actorum Concilii perscriptorum, a prima Congregatione privata et prima generali initium faciens. Synodus constituit ac designavit Rmos D. D. Episcopos Glandavensem et Vivariensem relatores litis illatae in Instructionem Pastoralem et in personam Rmi D. Episcopi Senecensis.

XVI. CONGREGATIO GENERALIS.

Anno 1727. die nona Septembris hora tertia pomeridiana in Palatii Archiepiscopalis Sacello habita est a Rmo D. Archiepiscopo decima-sexta Congregatio generalis: cui interfuere omnes Rmi D. D. Episcopi, qui in praecedenti interfuerant; R. D. de Puget, R. D. Abbas Boscodonensis, Deputati, Theologi et Canonistae, absente de more Rmo D. Episcopo Senecensi.

Rmus D. Archiepiscopus Concilio exhibuit actum sibi hac ipsa die denuntiatum ante meridiem nomine Rmi D. Episcopi Senecensis ex occasione Hymni *Te Deum laudamus*, die Domi-
b nica praecedenti decantati, ut gratiae Deo agerentur de felici Reginae partu. Quod actum jussit Synodus recitari.

ACTE

De Monseigneur l'Evêque de Senez.

Au Nom du *Seigneur*. Amen. etc. etc.

Recitato acto, Rmus D. Archiepiscopus dixit et palam declaravit, narrata in hoc acto cum factis minime congruere, sicque omnino rem gestam fuisse, videlicet: dicta die Dominica post meridiem, cum ipse, D. Archiepiscopus, simul esset in Conclavi suo cum Rmis D. D. Episcopis, advenisse ac se coetui adjunxisse Rmum D. Episcopum Senecensem, atque post semihoram urbani cum ipso habiti colloquii, cum mox adesset tempus Sacris Vesperis praestitutum, ipsum, D. Archiepiscopum, surrexisse atque a coetu abeuntem dixisse, accinctum sese ire ad publicam Caerimoniam decantandi Hymni *Te Deum laudamus;*
c tum vero ei dixisse Rmum D. Episcopum Senecensem: *Et ego, ut una tecum huic intersim Caerimoniae, induam me modo vestibus Episcopi.* Cumque nihil ei responsum fuisset a D. Archiepiscopo, nihilominus eum in Palatii vicinam aulam divertisse. Interim vero, cum sibi D. Archiepiscopo ab aliquot ex Rmis D. D. Episcopis, qui praesentes aderant, needum sese Episcopalibus vestibus induerant, significatum fuisset, averso se esse animo et quodammodo refugere huic Caerimoniae publicae simul cum Rmo D. Episcopo Senecensi interesse, non potuisse se D. Archiepiscopum, quin revertenti in praedictum Conclave D. Episcopo Senecensi, Rocheto et Mozetta induto, occurreret, ingenue dicens: Moestum quidem se illi renuntiare, aegre et repugnanter ferre aliquot Episcopos, quod cum ipsis simul vellet ad hanc Caerimoniam convenire. Cui, haec ipsa cum retulisset verba, D. Episcopus Senecensis: *Ergo jubes discedere me.* Responsum ei fuisse a se D. Archiepiscopo disertis verbis: *Non dico tibi, discedas, neque, remaneas. Id unum dico tibi, nimirum refugientem ac repugnantem animum aliquot Reverendissimorum D. D. Episcoporum.* Tum vero Rmum D. Episcopum Senecensem e vestigio disces-
d sisse, cum eadem ipse, D. Archiepiscopus, saepius illi ingeminaret verba praedicta. Subdidit Rmus D. Archiepiscopus, se hac ipsa die, cum cerneret praedicto acto, conqueri Rmum D. Episcopum Senecensem: impediri Urbis officia, ne sibi vel perscriberent Acta, vel nomine suo denuntiarent, accivisse actuarios Urbis omnes atque Apparitores eisque significasse, non solum non obstare se, quominus Rmo D. Episcopo Senecensi Acta pro libito perscriberent aut ejusdem nomine denunciarent, verum etiam hanc esse sibi voluntatem, ut absque ulla speciali a se facta potestate eadem perscribant atque denuntient.

Promotor, hac audita declaratione Rmi D. Archiepiscopi, requisivit, [ut] Actum praedictum Rmi D. Episcopi Senecensis, simul et illi adjecta declaratio Rmi D. Archiepiscopi in Acta referrentur Concilii. Postulavitque insuper decerni, ut ad requisitionem suam notificaretur Rmo D. Episcopo Senecensi praefata declaratio Rmi D. Archiepiscopi per Secretarium, binis praesentibus Concilii Notariis. Subscripsitque *Gaspar d'Hugues* Promotor.

Cum recessisset Promotor, Concilium edidit Decretum, quod sequitur.

Decretum.

Requisitioni Promotoris concedens Synodus decrevit, Actum Rmi D. Episcopi Senecensis simul cum facta super illo declaratione a Rmo D. Archiepiscopo in Acta referendum esse Concilii, praedictamque declarationem Rmo D. Episcopo Senecensi notificandam per Secretarium, praesentibus binis Concilii Notariis. Subscripsit † *Petrus* Arch. P. Ebred.

Ipso tempore notificatum fuit Decretum Rmo D. Episcopo Senecensi. Cujus notificationis Actum hic exscriptum legitur. Ipsa vero autographa, scilicet Actum Rmi D. Episcopi Senecensis cum adjecta illi declaratione Rmi D. Archiepiscopi, Promotoris requisitio, Concilii Decretum ipsique infra posita notificatio, extant inter Concilii Instrumenta authentica.

Notificatio Decreti.

Anno 1727. die 9. Septembris hora quarta post meridiem per me, Secretarium Concilii, praesentibus binis Concilii Notariis, qui mecum infra subscripsere, ex recitatione notificata fuere Rmo D. Episcopo Senecensi supraposita declaratio Rmi D. Archiepiscopi Decretumque Concilii. Qui Rmus D. Episcopus Senecensis subscribere interpellatus recusavit.

Subscripsit *de Michel*, Concilii Secretarius. *Vial*, Concilii Notarius, *Leydon*, Concilii Notarius, subscripsere.

Rmi D. D. Episcopi Vapincensis, Massiliensis, Bellicensis, Forojuliensis, Sistaricensis, Augustodunensis, Vivariensis, Aptensis, Valentinus et Gratianopolitanus, ac Reverendi D. D. Guerin, Reynaud, Salvador et de la Mothe, idem juramentum iisdemque conceptum sequentibus verbis, quibus juraverant in 2. Congregatione generali ii omnes, ex quibus constabat Synodus, et ipsi pariter jurarunt:

Juro et promitto, nihil me revelaturum, quod in detrimentum eorum, ex quibus Concilium constat, cedere possit.

Secretarius legit primae Sessionis narrationem in actis perscriptam. Tum Rmus D. Episcopus Grassensis referre coepit de Instructione Pastorali Rmi D. Episcopi Senecensis. Cumque rem perficere non licuisset: deliberatum fuit, ut in proxime futura Congregatione generali institutam persequeretur relationem.

XVII. CONGREGATIO GENERALIS.

Anno 1727. die 10. Septembris ante meridiem in Palatii Archiepiscopalis Sacello habita est a Rmo D. Archiepiscopo decimaseptima Congregatio generalis, cui interfuere Rmi D. D. Episcopi omnes, qui praecedenti interfuerant; R. D. de Puget; R. D. Abbas Boscodonensis; Deputati, Theologi et Canonistae Concilii, absente de more Rmo D. Episcopo Senecensi.

Secretarius perscripta recitavit Acta 2. Congregationis privatae et 2. Congregationis generalis. Sub quae Rmus D. Episcopus Grassensis institutam in superiori Congregatione relationem persecutus est. Cumque necdum finem referendi fecisset: statutum fuit, ut pergeret in proxime futura Congregatione generali.

XVIII. CONGREGATIO GENERALIS.

Anno 1727. die 10. Septembris hora tertia post meridiem consueto in loco habita est a Rmo D. Archiepiscopo decimaoctava Congregatio generalis, cui interfuere Rmi D. D. Episcopi omnes caeterique, qui priori matutinae interfuerant, absente more suo Rmo D. Episcopo Senecensi.

Rmus D. Archiepiscopus Concilio exhibuit Actum sibi hac ipsa die denuntiatum nomine Rmi D. Episcopi Senecensis, quod Synodus jussit recitari.

ACTE

De Monseigneur l'Evêque de Senez.

Au Nom du *Seigneur*. Amen. etc. etc.

Recitatum Actum requisivit Promotor caeteris Concilii Actis adjungi, ut ei postmodum tantum tribuatur, quantum videbitur ratio postulare.

Egresso Promotore, statuit ex Promotoris requisitione Synodus, caeteris Concilii Actis adjungendum esse praedictum Actum, Jus postmodum de illo dictura, prout attinebit.

a Rmus D. Episcopus Grassensis coeptam de Instructione Pastorali relationem persecutus exegit. Ipsaque deinde Instructio Pastoralis Rmi D. Episcopi Senecensis, a Promotore delata, jussu Concilii est recitata in Consessu, quem ingrediens Promotor dixit:

Reverendissimi Domini. Cum jam rite notificatum fuerit Rmo D. Episcopo Senecensi, advenisse Rmos D. D. Episcopos ac sese Concilio adjunxisse, ut pariter de scriptis et persona ejus judicent; vobisque jam plene cognita sit causa ad vos a me delata, tum ex recitatione delati ipsius operis, tum ex iis, quae quisque vestrum attente considerans super illo animadvertit: requiro ac postulo, ut dictus Rmus D. Episcopus Senecensis personaliter vocetur ad Synodum, ore proprio responsurus articulatim ad ea, quae ab ipso quaerentur: primum super tripartita querimonia, a me data die 18. Augusti praesentis anni de Instructione Pastorali, de qua agitur; deinde super altera querimonia, item a me data die 20. ejusdem mensis Augusti de ipsomet Rmo D. Episcopo Senecensi, quatenus praedictae Instructionis Pastoralis auctore; atque super aliis causae ejusdem circumstantiis ac dependentiis seu accessionibus.

b Deliberatum Ebreduni die decima Septembris anno 1727. Subscripsit *Gaspar d'Hugues* Promotor.

Deposita in Consessu requisitione, cum exiisset Promotor: Synodus subsequens tulit Decretum, cujus autographum simul cum Promotoris requisitione caeteris Concilii Instrumentis insertum est.

Decretum.

Concilium, ex Promotoris requisitione jus dicens, edixit, ut Rmus D. Episcopus Senecensis personaliter vocetur ad Synodum; statuitque, rogandos esse binos ex Rmis D. D. Episcopis, ut velint ipsi per se id obire munus personaliter citandi Rmi D. Episcopi Senecensis. Atque in hunc finem nominavit delegavitque Rmos D. D. Episcopos Vinciensem et Sistaricensem, qui praesens edictum Rmo D. Episcopo Senecensi absque mora notificent, simul interpellantes eum, ut hac ipsa hora in praesenti Congregatione Concilii se sistat, vel si commodius ei fuerit, in Congregatione crastina die habenda hora 10. matutina, proprio sui ipsius Rmi D. Episcopi Senecensis ore responsurus ad ea, quae ab ipso quaerentur
c super querimoniis, die 18. et die 20. Augusti praesentis anni a Promotore datis; tum de ejus Instructione Pastorali, tum de ipsomet, qua dictae Pastoralis Instructionis auctore; atque super aliis causae ejusdem circumstantiis et accessionibus.

Datum in Concilio in Congregatione generali decima-octava habita die 10. Septembris post meridiem anno 1727. Subscripsit † *Petrus* Arch. P. Ebredunensis.

Eo ipso tempore Rmi D. D. Episcopi Vinciensis et Sistaricensis Rmum D. Episcopum Senecensem adiere eumque personaliter ad Synodum citavere. Cujus citationis Actum autographum extat inter instrumenta Concilii, quale hic exscriptum legitur.

Prima Citatio.

Anno 1727. die 10. Septembris hora sesqui-sexta post meridiem. De Concilii Decreto, hac ipsa die dato ex Promotoris requisitionibus, Rmi D. D. Episcopi Vinciensis et Sistaricensis domum se contulere D. Roux, in hac Urbe Judicis, ubi habet Rmus D. Episcopus Senecensis. Ibique, ipsimet loquentes Rmo
d D. Episcopo Senecensi, post consueta urbanitatis verba personaliter dictum Rmum D. Episcopum citavere, ut hac ipsa hora ad Synodum se conferret, proprio ore articulatim responsurus ad ea, quae ab ipso quaerentur super triplici capite querimoniae a Promotore datae die 18. Augusti anni 1727., itemque super altera consequenti querimonia, ab eodem Promotore data die 20. dicti mensis Augusti de ipsamet dicti Rmi D. Episcopi Senecensis persona, atque super aliis causae ejusdem circumstantiis et accessionibus: quod si dicto Rmo D. Episcopo Senecensi non libeat protinus accedere, ut crastina die, idem subiturus interrogatorium, Congregationi se sistat habendae hora 10. ante meridiem in Palatii Archiepiscopalis Sacello, loco Congregationibus habendis de more destinato. Qui Rmus D. Episcopus Senecensis respondit, perpensurum se, quid sibi facto opus. Interrogatus a Rmo D. Episcopo Vinciensi, num vellet huic suo responso nomen subscribere: dixit Rmus D. Episcopus Senecensis, nolle se in praesenti subscribere, ne juribus officeret suis, sequenti vero die daturum plenius Chirographo munitum responsum. Quae prius a se prolata verba ipsemet dictavit, prout hic

relata sunt in Acto, quod postulatu Rm̄rum D. D. Episcoporum a
Vinciensis et Sistaricensis per me, Concilii Secretarium, praesentibus binis Concilii Notariis, confectum est. Cui Acto subscripsere dicti Rm̄i D. D. Episcopi Vinciensis et Sistaricensis una mecum binisque Concilii Notariis.

† *Flodoardus* Ep. Vinciensis subscripsit.

† *Petrus-Franciscus* Episc. Sistaricensis subscripsit.

De Michel, Concilii Secretarius, *Vial,* Concilii Notarius, *Leydon,* Concilii Notarius, subscripsere.

Rm̄i D. D. Episcopi Vinciensis et Sistaricensis, in Concilium reversi, suam frustra in hortando ac suadendo Rm̄o D. Episcopo Senecensi insumptam operam narravere. Ad haec dixit Rm̄us D. Archiepiscopus, se quoque, etsi nihil hactenus apud ipsum egisset, habitis licet frequentibus cum ipso privatis colloquiis, cum sive Domi invisendo, sive in Domum propriam admittendo, non destiturum tamen atque tum Officio tum animo indulgentem suo, quos semel induerat lenitatis et pacis spiritus, non depositurum, cum nihil ardentius exoptaret, quam ut in viam rediens Rm̄us D. Episcopus Senecensis paratum Concilii Judicium averteret. Subdidit Rm̄us D. Archiepiscopus: caeterum b
minime dubitare se, quin idem quoque constanter pertentarent Rm̄i D. D. Episcopi omnes, quos probe sciebat et cum jam adiisse frequentius et vehementioribus efficacioribusque cum hortatos fuisse sermonibus.

Rm̄i D. D. Episcopi, his permoti Rm̄i D. Archiepiscopi verbis, nihil se non acturos spoponderunt omnique ope usque enixuros, ut Collegam videlicet suum ab errore ad saniorem, si possent, viam tandem aliquando revocarent.

XIX. CONGREGATIO GENERALIS.

Anno 1727. die 11. Septembris ante meridiem in Palatii Archiepiscopalis Sacello habita est a Rm̄o D. Archiepiscopo decimanona Congregatio generalis; cui interfuere iidem omnes Rm̄i D. D. Episcopi, qui pridie; R. D. de Puget, R. D. Abbas Boscodonensis, Deputati, Theologi et Canonistae Concilii.

Cum Rm̄us D. Episcopus Senecensis citationi hesternae, per Rm̄os D. D. Episcopos Vinciensem et Sistaricensem sibi factae, non paruisset neque in Concilio se stitisset: deliberatum est, ut c
hac die secundo citaretur. Atque in hunc finem sequentibus verbis Decretum tulit Synodus, cujus autographum extat inter instrumenta Concilii.

Decretum.

Quandoquidem Rm̄us D. Episcopus Senecensis hesterna die per Rm̄os Episcopos Vinciensem et Sistaricensem ad Synodum citatus non comparuit, edixit Synodus, hac ipsa die secundo esse citandum; atque in hunc finem nominavit delegavitque Rm̄os D. D. Episcopos Bellicensem et Gratianopolitanum, qui dicto Rm̄o D. Episcopo Senecensi praesens Concilii Edictum notificent absque mora ulla, interpellantes eum, ut hac ipsa hora praesenti Concilii Congregationi se sistat, aut si commodius ei fuerit, Congregationi hora 3. pomeridiana habendae, proprio sui ipsius dicti Rm̄i D. Episcopi Senecensis ore responsurus ad ea, quae ab ipso quaerentur super querimoniis de Instructione sua Pastorali et de propria ipsius persona, quatenus dictae Instructionis Pastoralis auctoris, datis a Promotore die 18. et die 20. d
mensis Augusti praesentis anni, et super aliis causae ejusdem circumstantiis et accessionibus.

Datum in Concilio, in Congregatione generali decima-nona, habita die 11. Septembris anno 1727. Subscripsit † *Petrus* Arch. P. Ebredunensis.

Eo ipso tempore Rm̄i D. D. Episcopi Bellicensis et Gratianopolitanus Rm̄um D. Episcopum Senecensem adiere atque personaliter eum secundo citavere; prout legitur in sequenti Acto, cujus autographum caeteris Concilii instrumentis est adjunctum.

Citatio Altera.

Anno 1727. die 11. Septembris, hora undecima ante meridiem. De Concilii Decreto hac ipsa die dato Rm̄i D. D. Bellicensis et Gratianopolitanus Episcopi Domum se contulere D. Roux, in hac urbe Judicis, ubi habet Rm̄us D. Episcopus Senecensis. Ibique ipsimet loquentes dicto Rm̄o D. Episcopo Senecensi, post consueta urbanitatis verba personaliter secundo citavere dictum Rm̄um D. Episcopum Senecensem, ut ipso temporis articulo ad Synodum sese conferat, proprio ore articulatim responsurus ad ea, quae ab ipso quaerentur super triplici capite querimoniae a Promotore datae die 18. Augusti anno 1727., itemque super altera consequenti querimonia, ab eodem Promotore data die 20. dicti mensis Augusti de ipsamet dicti Rm̄i D. Episcopi Senecensis persona, atque super aliis causae circumstantiis et accessionibus; quod si non libeat Rm̄o D. Episcopo Senecensi eo ipso tempore accedere, ut hac ipsa die, idem subiturus interrogatorium, compareat in Congregatione habenda hora de meridie tertia in Palatii Archiepiscopalis Sacello, loco Congregationibus habendis de more destinato. Qui Rm̄us D. Episcopus Senecensis dixit, se responsurum. Rogatus autem a praedictis Rm̄is D. D. Episcopis Bellicensi et Gratianopolitano, ut huic vellet responso suo nomen subscribere, rursum dixit se responsurum. Atque praesenti Acto, per me, Concilii Secretarium, postulatu Rm̄rum D. D. Episcoporum Bellicensis et Gratianopolitani confecto, subscribere interpellatus recusavit dictus Rm̄us D. Episcopus Senecensis. Cui Acto subscripsere mecum et binis supradictis Concilii Notariis dicti Rm̄i D. D. Bellicensis et Gratianopolitanus Episcopi.

† *Joannes* Episcopus Bellicensis subscripsit.

† *Joannes* Episcopus P. Gratianopolitanus subscripsit.

De Michel, Concilii Secretarius, *Vial,* Concilii Notarius, *Leydon,* Concilii Notarius, subscripsere.

Rm̄i D. D. Episcopi Bellicensis et Gratianopolitanus, in Concilium reversi, retulere, se frustra conatos suadere Rm̄um D. Episcopum Senecensem, surdis auribus cecinisse.

XX. CONGREGATIO GENERALIS.

Anno 1727. die 11. Septembris post meridiem in Palatii Archiepiscopalis Sacello habita est a Rm̄o D. Archiepiscopo 20. Congregatio generalis; cui interfuere iidem, qui matutinae interfuerant, omnes Rm̄i D. D. Episcopi, R. D. de Puget, R. D. de Savine; Deputati, Theologi et Canonistae Concilii.

Cum citatus hac die hora 11. ante meridiem a Rm̄is D. D. Bellicensi et Gratianopolitano Episcopis, rursum non comparuisset in Concilio Rm̄us D. Episcopus Senecensis: deliberatum est a Synodo, ut hac ipsa die tertio et ultimo citaretur; datumque est subsequens Citationis Decretum, cujus archetypum exemplar extat inter instrumenta Concilii.

Decretum.

Quandoquidem per Rm̄os D. D. Episcopos Bellicensem et Gratianopolitanum citatus hodie hora undecima ante meridiem Rm̄us D. Episcopus Senecensis, ut Concilio se sisteret, vel ipsomet tempore vel hora post meridiem tertia, non comparuit: edixit Synodus, eum tertio et ultimo hac ipsa die esse citandum. Atque in hunc finem nominavit delegavitque Rm̄os D. D. Episcopos Augustodunensem et Vivariensem, qui dicto Rm̄o D. Episcopo Senecensi praesens Concilii edictum sine mora notificent, interpellantes eum, ut illico praesenti Congregationi se sistat, vel si commodius ei fuerit, Congregationi sequenti die hora 10. matutina habendae, proprio sui ipsius ore responsurus ad ea, quae ab ipso quaerentur super querimoniis de ejus Instructione Pastorali propriaque ipsius persona, quatenus dictae Instructionis Pastoralis auctoris, a Promotore datis die 18. et die 20. Augusti praesentis anni, et super aliis causae ejusdem circumstantiis et accessionibus.

Datum in Concilio, in Congregatione generali vigesima, habita die undecima Septembris post meridiem anno 1727. Subscripsit *Petrus* Arch. P. Ebredunensis.

Confestim, ubi editum fuit Concilii Decretum, ad Rm̄um D. Episcopum Senecensem adiere Rm̄i D. D. Episcopi Augustodunensis et Vivariensis eumque personaliter citavere, prout legitur in sequenti Acto, cujus autographum exemplar extat inter instrumenta Concilii.

III. et Ultima Citatio.

Anno 1727. die 11. Septembris hora de meridie quarta. De Concilii Decreto hac ipsa die post meridiem dato Rm̄i D. D. Episcopi Augustodunensis et Vivariensis Domum se contulere D. Roux, in hac Urbe Judicis, ubi habet Rm̄us D. Episcopus

Senecensis; ibique ipsimet loquentes dicto Rmo Episcopo Senecensi, post consueta humanitatis verba personaliter tertio et ultimo citavere dictum Rmum D. Episcopum Senecensem, ut eo ipso tempore ad Synodum sese conferat, proprio ore responsurus articulatim ad ea, quae ab ipso quaerentur super triplici querimoniae capite a Promotore datae die 18. Augusti anno 1727. itemque super altera consequenti querimonia, a Promotore data die 20. dicti mensis Augusti de ipsamet dicti Rmi D. Episcopi Senecensis Persona, quatenus auctoris Instructionis, de qua agitur, Pastoralis, atque super aliis causae circumstantiis et accessionibus; quodsi non libeat dicto Rmo D. Episcopo Senecensi eo ipso tempore accedere, ut crastina die, idem subiturus interrogatorium, compareat in Congregatione habenda hora 10. matutina in Palatii Archiepiscopalis Sacello, loco Congregationibus habendis de more destinato. Qui Rmus D. Episcopus Senecensis dixit, persistere se in prioribus Actis variis, quibus incompetentiam objecerat Tribunalis, specialiter in Acto hodierna die suo nomine denuntiato; quo et idipsum rursus objicit et inter alia causas affert recusationis, e Canonibus petitas adversus plurimos ex iis, qui Concilio supervenerant, Episcopis. Subscripsitque quantum ad hoc suum tantummodo responsum et nihil juribus suis praejudicando.

† *Joannes* Episcopus Senecensis subscripsit.

Quae omnia, praesentibus binis Concilii Notariis, in Actum relata sunt; cui nomen suum subscripsere dicti Rmi D. D. Episcopi Augustodunensis et Vivariensis, Concilii Secretarius binique Concilii Notarii.

† *Antonius-Franciscus* Episcopus Augustodunensis subscripsit.

† *Franciscus* Episcopus Vivariensis subscripsit.

De Michel, Concilii Secretarius, *Vial*, Concilii Notarius, *Leydon*, Concilii Notarius, subscripsere.

Cum reversi ad Concilium fuissent Rmi D. D. Episcopi Augustodunensis et Vivariensis: accessit ad Palatii Archiepiscopalis anteriorem aulam Rmus D. Episcopus Senecensis, nigra veste indutus pallioque talari; petiitque, in Concilium ut admitteretur. Quod ei confestim concessum est. Admissus petiit, ut admitterentur item bini, quos secum adduxerat testes, Apparitor uterque. Talia petens, rogatus est a Rmo D. Archiepiscopo, tantisper vellet a Concilio recedere, dum hac super petitione sua deliberaretur. Eoque absente, cum minime hujusmodi postulationi concedendum esse judicasset Synodus: rursum ingresso ac in honorata Episcoporum Sella, vulgo *Fauteuil*, sedere jusso, ultimo tamen loco, quod Rocheto et Mozetta non esset indutus, dixit Rmus D. Archiepiscopus, Synodum quidem libentissime ei, quod petierat, concessuram fuisse, si id concedi deberet aut potuisset; at vero primum id minime decere, imo injuriosum fore, in tam venerando Concilii Coetu ut adhibeantur testes; iterum autem contra Leges Fori omnis esse, ut, qui semel reus factus sit, contestato accedat ac sistat se Judicibus, testes adhibendo; quare ipsi, reo facto, a Concilio Judice suo minime concedi posse, quod postulaverat. Quibus cum consensisset Rmus D. Episcopus Senecensis: Ut video, inquit Rmus D. Archiepiscopus, ad Concilium accessisti, Rme Domine, ejus Citationi tertio tibi denuntiatae obediens atque articulatim responsurus ad ea, de quibus te fore interrogandum, trina tibi denuntiata Citatione, accepisti. A te igitur jam requiro: *primo,* num perstes in iis, quae adversus puram et simplicem formulae Alexandri VII. subscriptionem protulisti? *secundo,* num perstes item in iis, quae a te injuriose in Constitutionem *Unigenitus* prolata sunt, dum eam Dogma, mores et disciplinam evertere asseruisti? *tertio,* num in ea etiam sententia perstes, qua Dioecesanis tuis suadendam Quesnelliani Libri lectionem existimasti? Ad quae respondens Rmus D. Episcopus Senecensis dixit: Minime huc accessi Citationibus mihi denuntiatis obediens, utpote qui hujus Concilii Judicium detrectem, de incompetentia Tribunalis obtestans. Idcirco autem accessi, ut hocce, quod mihi in manibus est, scriptum palam recitarem. Rursus vero interrogatus a Rmo D. Archiepiscopo de iisdem, de quibus ante, dixit Rmus D. Episcopus Senecensis: Respondebo, ubi prius recitavero, quod ad vos attuli scriptum. Dixit Rmus D. Archiepiscopus: Audiemus. Tunc enimvero Rmus D. Episcopus Senecensis sedens et operto capite recitavit, quae prae manibus habebat scripta. Auditis iis, rursum ad interrogata rediit Rmus D. Archiepiscopus super tribus questionum memoratis capitibus. Ad quae respondens Rmus D. Episcopus Senecensis dixit, hoc, quod modo recitaverat, et
a quod proprio chirographo munitum in Consessu deponeret, scripto plenissime contineri, quae ipse sentiret, nec esse ultra, quod adderet. Cui reponens Rmus D. Archiepiscopus ab eo quaesivit: *Primum,* an vellet, Actum sibi a Concilio concedi istiusmet, quod dixerat, videlicet scripto, quod mox recitaverat, totum contineri responsum suum? *Alterum,* an, quod praedicto asserebatur scripto, ipse assereret, ex quinque damnatis Jansenii propositionibus nullam reipsa in Janseniano libro reperiri, an vero non fateretur, ex iis primam disertis verbis in hocce libro relegi perscriptam? *Tertium,* an, quod eodem scripto indicari videbatur, praeter Montis-pessulani Episcopum esset alter Episcopus sibi provocationis hoc scripto interpositae societate conjunctus. Super his dixit quoad primum: non esse mentis suae, ad interrogata respondere, cum ab objectis a se prius, incompetentia recusationibusque, non discederet; quin potius hac ipsa die Acto, ut aiebat, jussu suo denuntiato, tum eadem iterasset objecta, tum nova etiam recusationum in Rmos D. D. Episcopos, recens Concilio adjunctos, attulisset argumenta. Quoad secundum confessus est, ex quinque damnatis propositionibus primam
b ipsis verbis descriptam legi in Jansenii libro. Quoad tertium dixit, non habere se, quod affirmaret de hoc facto, quidquam, atque agere se tantum nomine suo ac Rmi D. Episcopi Montispessulani, cujus penes se haberet propria manu subscriptum nomen. Rursum ab ipso petiit Rmus D. Archiepiscopus, an vellet, quae respondisset, subscriptione firmare, interpellans, ut faceret. Renuit Rmus D. Episcopus Senecensis, dicens, se Concilii auctoritatem rejicere ac detrectare. Atque his dictis a Concilio recessit.

XXI. CONGREGATIO GENERALIS.

Anno 1727. die 12. Septembris ante meridiem in Palatii Archiepiscopalis Sacello habita est a Rmo D. Archiepiscopo vigesima prima Congregatio generalis. Adfuere Rmi D. D. Episcopi, qui praecedenti interfuerant, R. D. Puget, R. D. Abbas Boscodonensis, Deputati, Theologi et Canonistae Concilii, solo absente de more Rmo D. Episcopo Senecensi.

Promotor Concilio exhibuit Acta duo, hesterna die sub
c vesperam sibi denuntiata nomine Rmi D. Episcopi Senecensis, itemque tertium ejusdem dicti Rmi D. Episcopi nomine sibi denuntiatum matutinis praesentis diei horis. Dixitque:

Reverendissimi Domini. Triplex ad vos affero Actum a Rmo D. Episcopo Senecensi mihi denuntiatum: duo scilicet post Congregationem habitam hesterna die sub vesperam; tertium matutino hujusce diei tempore.

Ex una horum lectione Actorum plane compertum habetur, quaecunque hactenus a Rmo D. Episcopo Senecensi in defensionem suam allata sunt, huc collimasse, ut firmis destitutus rationibus argumentisque vel levissimam veri speciem habentibus, Instructionis Pastoralis pro sua adoptatae examen, disceptationem judiciumque averteret, seque ipsum auctoritati hujus Concilii Provincialis subtraheret, quam idcirco omni ope, quod ad se attinet, disturbare ac pervertere annititur.

Nam primum ab ipso est objecta Tribunalis incompetentia; dein adductae recusationes personales omnium singulatim Rmorum D. D. Comprovincialium Episcoporum, eaeque prorsus frivolae in se, vitiosae quoad formam; atque quod tales essent, Concilii
d Decreto ipsi Rmo D. Episcopo Senecensi notificato illusoriae, frustratoriae, vanae atque irritae declaratae. Sub haec interpellatus, ut, si qui essent suspecti sibi Episcopi, in Provinciis Aquensi, Arelatensi, Viennensi, Lugdunensi et Bisuntina, declararet, tacuit responsumque denegavit omne. Cum vero consequenter eosdem Rmos D. D. Episcopos ad Synodum invitatos advenisse numero decem, Dioecesi sua relicta, atque ad priores facta accessione, paratos esse Judicium ferre, notificatum ei fuerit ex Decreto die 9. mensis hujus dato: tacuit tunc etiam prorsus, silentio suo Judices eos agnoscens. Nihilominus, posteaquam ab iis in Concilio causa cognita est, lis ordinata et instructa, ipsaeque adeo fuerunt Citationes decretae ac sibi denuntiatae: jam memoratos Rmos D. D. Episcopos recusare pertentat, hisce postremis Actis die 11. mensis hujus datis, tum generatim omnes, tanquam non legitime convocatos et invitatos, tum specialibus argumentis plures ex illis nominatim; annectendo sic prioribus Comprovincialium Episcoporum recusationibus, tam generalibus quam specialibus, posteriores recentiorum, atque cumulando cum dictis recusationibus omnibus ipsam ab initio a se praetensam

Tribunalis incompetentiam, ut de Persona sua scriptisque suis judicet. Indicet ergo nobis ac significet Rm̃us D. Episcopus Senecensis, apud quos Regni nunc Judices velit scripta sua, si noxia sint, ut certo sunt, causamque suam disceptari ac dijudicari.

Duobus vero potissimum argumentis haec illius effugia penitus dissipantur atque evanescunt. Primum, quod ex Legibus omnibus, tam Ecclesiasticis quam civilibus, post dictas notificationes interpellationesque, sive antequam advenirent Rm̃i D. D. Episcopi, sive ab adventu eorumdem, rite ipsi factas, jam non ei liberum sit recusationes afferre, seu generales seu speciales, neque horum praetextu incoeptam morari litem. Idque iisdem Legibus vetitum est, etsi recens ab illo tempore supervenisset causa recusandi, quod certe in praesenti manifesto non contigit, cum ex allatis ab ipso causis recusationis nulla sit, quam non probe multo ante perspectam et cognitam haberet Rm̃us D. Episcopus Senecensis. Nam quod spectat ad facinus objectum occasione Hymni *Te Deum laudamus,* abunde ei satisfactum videri debet ex declaratione ipsi notificata Rm̃i D. Archiepiscopi, qua nullus objectioni locus est relictus.

Alterum, quo prorsus diluuntur vana illa recusationum figmenta, in eo positum est, quod non vitiose minus istae ac priores sunt propositae: nimirum quod minime scripto traditae afferantur probationes eorum, quae objiciuntur factorum; vel quod recriminando eadem objiciantur; vel quod ex iis pleraque, ut sunt res, nata sint dissolvi nuda eorum, quibus objiciuntur, inficiatione; denique quod ejus generis sint, quae, ut maxime probarentur, legitimum recusationis fundamentum in re praesenti non praeberent.

Nullius ergo momenti ac ponderis apud vos Judices esse debent hujusmodi contortae de industria ambages incompetentiae recusationumque generalium atque specialium; quarum scopus unus est moras nectere Judiciumque diffugere ac impedire, et quae insuper forma omni carent debita firmoque fundamento.

Quod ad appellationes attinet, sive simplices, ut dicunt, sive ab abusu, quas iterum atque iterum his postremis Actis interpositas a se obtrudit Rm̃us D. Episcopus Senecensis, eodem, ut videre est, effugiendi animo impediendique remedii, quo uno tamen occurri efficaciter potest tum praesentibus, quibus Dioecesis sua ex hac Instructione Pastorali divexatur malis, tum iisdem, quae in posterum latius etiam meditatur dispergere ac disseminare: iis, inquam, appellationibus perpendendis singulatim minime insistam; hoc unum observabo, appellationes praedictas, etsi validae essent atque admittendae, vim tamen nullam habere, quam dicunt suspensivam seu impediendi Judicis, ne Judicium pronuntiet.

Actum hodierna die denunciatum nullius aperte est momenti. Idem vero ferri debet Judicium de Acto altero seu scripto, quod ipsemet Rm̃us D. Episcopus Senecensis hesterna die in hoc Consessu pomeridianis horis recitaturus accessit. Quod quidem scriptum ex tota rei gestae serie manifestam habet responsi speciem ad interrogata sibi ex praeviis Citationibus facta super trino delatae Instructionis Pastoralis conquesto capite.

Neque singula persequar, quae hoc scripto continentur; cum satis perspiciatis, meram illud prae se ferre perstantis animi significationem atque obstinate perseverantis in defendendis delatae Instructionis Pastoralis articulis, atque iterata in illo appellatione ad futurum universale Concilium, non jam suo tantum, sed et Asseclarum suorum nomine, confirmari atque innovari adhibita prius a se effugiorum remedia. Ex quo evidentius etiam apparet promptioris a vobis adhibendi remedii necessitas, ne, paratis hisce praetextibus, latius serpat atque disseminetur error. Atque haec hactenus commemorans, haud approbem propterea, quae eodem scripto enuntiantur ad praesentis expostulationis capita non pertinentia.

Ex his vero omnibus aliisque e re praesenti natis considerationibus jam expresse requiro ac postulo, ut, nulla habita ratione objectarum praedictis hisce Actis die 11. hujus mensis incompetentiae recusationumque, tam generalium quam specialium, quae omnes vanae, illusoriae, frustratoriae et nullatenus admittendae declarabuntur, pariterque non obstantibus appellationibus omnibus a Rm̃o D. Episcopo Senecensi, quas ipse summo cum abusu interponit, ultra procedatur ad litis ejus Instructionem causaeque Judicium ex datis prius a me vel in posterum dandis requisitionibus. Requiro, ut Actum die 12. de-

a nuntiatum litis instrumentis adjungatur. Requiro praeterea, ut, quod interveniet Judicium, ipsi Rm̃o D. Episcopo Senecensi forma consueta notificetur.

Deliberatum Ebreduni die 12. Septembris anno 1727. Subscripsit *Gaspar d'Hugues* Promotor.

Cum, deposita in Consessu hac requisitione sua, depositisque item denuntiatis sibi Actis nomine Rm̃i D. Episcopi Senecensis, recessisset Promotor: edixit Concilium, recitari praedicta Acta, quae sequuntur.

ACTE

De Monseigneur l'Evêque de Senez, le 11. Septembre.

L'an 1727. et le 11. Août avant midi, devant nous Jacques Fantin Notaire Royal du Mandement de Savine et présents les Témoins bas nommés, fut présent en Personne Messire Jean Soanen Evêque de Senez en Provence, lequel nous a requis d'insérer dans nos Ecritures l'Acte etc. Comme cy-devant pag. 646 et suivantes.

b *Au Nom du Seigneur.* Amen.

Les Bruits publics répandus de toute part que le Concile de cette Province n'étoit convoqué que pour juger nôtre Personne et nos Ecrits, nous oblige etc. comme cy-devant page 650 et suivantes.

Observandum occurrit: in Acto isto, quod duo complectitur consequentia Acta, uno eodemque codice conjunctim denuntiata die 11. Septembris, sub finem posterioris, quod de recusationibus agit Comprovincialium Episcoporum, haec legi verba: *Et infra † Joannes Episcopus Senecensis;* inferiusque adjecta esse verba sequentia: *Actum supra descriptum a nobis generali in Congregatione recitatum est atque in Concilii Consessu depositum dicta die 18. Augusti anno 1727. † Joannes Episcopus Senecensis subscripsit;* item sub finem dicti posterioris Acti, quod conjunctim iterum cum praecedenti denuntiatum fuit Secretario Concilii die 26. Augusti, haec etiam adscripta inferius legi verba: *Actum supra descriptum a nobis frequenti Synodo est recitatum et postmodum in Consessu depositum die supra dicta 18. Augusti anno 1727. Quae attestantes subscripsimus in hunc modum: Subscripsit*
c *Joannes Episcopus Senecensis;* cum tamen in ipso Acto autographo, a Rm̃o D. Episcopo Senecensi in Consessu deposito die 18. Augusti, nulla omnino reperiatur ex Subscriptionibus memoratis, duplici praedicti Acti denuntiatione jussu ejus facta diebus 26. dicti mensis Augusti et 11. Septembris.

ACTE

de Monseigneur l'Evêque de Senez, signifié le 11. Septembre.

Au Nom du Seigneur. Amen.

Comme par l'arrivée d'un grand nombre d'Evêques en cette Ville d'Embrun, Révérendissime Père en Dieu Jean Soanen Evêque de Senez a lieu de croire, que Messeigneurs les Suffragans ont dessein de poursuivre les Procédures irréguliéres qu'ils ont commencées contre sa Personne et contre ses Ecrits; et qu'ils n'ont aucun égard ni à l'Acte d'incompétence, ni à l'Acte de Récusations Personnelles à eux ci-devant signifiés et intimés par plusieurs fois, ni aux Appels par lui interjettés et deux fois signifiés de tout ce qui a
d *été fait ou pourroit dans la suite être fait au préjudice des dits Actes, ensemble des griefs, nullités et abus ensuivis; il déclare et signifie de nouveau, etc.*

Déclare de plus ledit Seigneur Evêque à Messeigneurs les Evêques des Provinces voisines, que n'ayant aucun droit de le juger, sinon dans un Concile Général ou National selon la teneur des Canons, et n'ayant aucune Vocation Canonique pour le juger dans le Concile de la Province, qui par les Actes précédens est dépouillé de tout droit de juger ledit Seigneur Evêque, ni d'appeller personne pour le juger; il les supplie et interpelle avec tout le respect qui leur est dû, de s'abstenir de tout Jugement; qu'il proteste par avance d'abus et de nullité, et de se pourvoir contre tout ce qu'ils pourroient entreprendre contre sa Personne et ses Ecrits, leur déclarant que n'ayant aucune Vocation Canonique de la Province, ils ne peuvent être ici assemblés que par Ordre du Roy, auquel cas il ne peut les regarder que comme des Juges Royaux qui n'ont droit de connoître et de juger que des Délicts contre l'Ordre Civil, et non d'un prétendu Délict Ecclésiastique qui regarde le fonds du Dogme et de la liberté Ecclésiastique. Déclare en outre ledit Seigneur

Evêque, qu'adhérant de nouveau aux Actes d'incompétence et de récusations personnelles cy-dessus marquées, et outre la récusation générale de Messeigneurs les Evêques des Provinces voisines, tant à cause de leur nombre extraordinaire et contraire aux Canons qu'à cause du défaut de Vocation de la part du Concile de la Province, il récuse personnellement et nommément Monseigneur l'Archevêque d'Embrun, Monseigneur l'Evêque de Gap, Monseigneur l'Evêque de Marseille, Monseigneur l'Evêque de Glandéves, Monseigneur l'Evêque de Grasse, Monseigneur l'Evêque de Belley et Monseigneur l'Evêque de Grenoble pour ses Juges, à cause de l'injure publique qu'ils lui ont faite le Dimanche septiéme de ce mois, et de l'Acte Schismatique par lequel ils l'ont privé du droit d'assister avec eux aux Priéres Publiques pour le Roy, ainsi qu'il est énoncé dans l'Acte à eux intimé le 9. du présent mois à 8. heures du matin.

Déclare de plus ledit Seigneur Evêque de Senez, qu'il récuse personnellement Monseigneur l'Evêque de Marseille à cause des Mandemens Schismatiques qu'il a fait paroître dans le Public, et à cause de la déclaration et condamnation ouverte qu'il a fait dudit Seigneur Evêque de Senez dans son Mandement contre le Père Courayer, et à cause des Accusations calomnieuses qu'il a avancées dans ses Ecrits contre les Prêtres de l'Oratoire dans le tems de la Peste, qui ont été démenties par des témoignages authentiques, et à cause de celles qu'il a intenté dans un de ses derniers Mandemens faits contre le Père Courayer, contre des personnes qu'il appelle Jansenistes, contre lesquelles il dit positivement qu'il est sûr qu'ils ne croyent pas la Présence Réelle; et à cause des Erreurs grossiéres contraires au Dogme public de l'Eglise, qu'il a enseignées dans son Mandement contre les 12. Articles.

Déclare ledit Seigneur Evêque de plus qu'il récuse personnellement Monseigneur l'Evêque de Gap, pour la Profession qu'il a faite dans son Mandement d'une Doctrine corrumpue et depuis long-tems condamnée dans l'Eglise, ledit Mandement fait en 1711.

Déclare ledit Seigneur Evêque qu'il récuse Monseigneur l'Evêque de Viviers à cause de l'inimitié personnelle dont il lui a donné des marques depuis deux ans, en faisant défense aux Réligieuses de la Visitation du premier Monastére d'Aix de recevoir chez elles ledit Seigneur Evêque; par les termes injurieux dont il s'est servi il y a long-tems contre ledit Seigneur Evêque, en le traitant de Schismatique, et par les Lettres qu'il a écrites depuis peu à un Ecclésiastique dans lesquelles il lui donne avis de n'être pas député au Concile d'Embrun et de ne pas prendre le parti dudit Seigneur Evêque, s'il ne vouloit y être brisé avec lui.

Déclare ledit Seigneur Evêque qu'il récuse personnellement Monseigneur l'Evêque d'Apt, à cause du Mandement Schismatique donné contre tous les Appellans immédiatement après son Sacre.

Déclare ledit Seigneur Evêque qu'il récuse nommément Monseigneur l'Evêque d'Autun, parce que par une exclusion affectée des Evêques voisins qui selon les Canons devoient être appellés à ce prétendu Jugement, il a été appellé d'une distance de près de soixante et dix lieues.

Déclare enfin ledit Seigneur Evêque que réitérant ses Actes d'incompétence, de récusation personnelle, Appels, Protestations et réserves cy-devant faites, il est Appellant et appelle de nouveau comme d'abus de tous les Jugemens, griefs, abus, nullités susdites et autres à déduire en tems et lieu au Parlement de Paris où la présente Cause est déja liée par requête cy-devant présentée, reçüe et réponduë autant que besoin est, pour la conservation de ses droits. Signé † Jean Evêque de Senez.

Hisce recitatis Actis, Decretum edidit Synodus sequentibus expressum verbis, cujus autographum exemplar una cum praedictis Actis ac requisitione Promotoris extat inter instrumenta Concilii.

Decretum.

Concilium in Congregatione 21. generali habita die duodecima Septembris ante meridiem, auditis prius recitatis Actis duobus, a Rmo D. Episcopo Senecensi denuntiatis heri sub vesperam, audito insuper a Rmo D. Episcopo Senecensi heri recitato ac deposito in Consessu scripti exemplo, cui subscripsit, atque Promotoris deliberatione audita, ex Promotoris requisitione jus dicens, statuit ac decrevit: ut, non obstantibus praedictis Actis Rmi D. Episcopi Senecensis heri sub vesperam denuntiatis, incompetentiam objicientibus Tribunalis et recusationes, sive generales sive speciales, quibus eum expulit Synodus, utpote vanis, illusoriis, frustratoriis ac minime admittendis; non obstantibus

a item variis appellationibus, tam praedictis Actis quam scripto eadem die in Congregatione adducto, a Rmo D. Episcopo Senecensi enuntiatis, ultra procedatur ad instructionem judiciumque litis intentae ex datis a Promotore querimoniis de Instructione Pastorali Rmi D. Episcopi Senecensis ejusque persona; ut litis instrumentis adjungatur Actum ab ipso die 12. denuntiatum; et ut praesens Decretum ex consueta forma notificetur dicto Rmo D. Episcopo Senecensi.

Subscripsit *Petrus* Arch. P. Ebredunensis.

Dein deliberatum est a Synodo, ut, antequam praesens notificetur Decretum, iteratae adhibeantur ad Rmum D. Ep. Senecensem hortationes a duobus Rmis D. D. Episcopis; rogatique sunt Rmi D. D. Episcopi Vapincensis et Grassensis, ut in hunc finem Domum illius se conferant una cum Secretario binisque Concilii Notariis. Quod et confestim peractum est, simulque notificatum fuit dicto Rmo D. Episcopo Senecensi prius datum Decretum notificationis Acto hic descripto.

Notificatio Decreti.

b Anno 1727. die 12. Septembris meridiano tempore, praesentibus Rmis D. D. Episcopis Vapincensi et Grassensi, per me, Concilii Secretarium, binis comitatum Concilii Notariis, recitatum ac notificatum fuit suprapositum Decretum, ipsi personaliter loquendo Rmo D. Episcopo Senecensi in ejus Domicilio a se electo apud D. Roux, in hac Urbe Judicem. Qui Rmus D. Episcopus Senecensis respondit, se nullatenus Concilium Ebredunense agnoscere Judicem sive sui sive Scriptorum suorum; ex quo varias adduxit recusationes personales variasque interposuit Provocationes ab abusu ad Senatum Parisiensem, praecipue vero ex interjecta heri sub vesperam ad futurum Generale Concilium appellatione, nomine tam sui, Episcopi Senecensis, quam Rmi D. Episcopi Montispessulani, sociata expostulatione conquerentium de violata Pace a Clemente IX. data Ecclesiae violatisque Curiae Majoris Consilii Edictis, dictam Pacem confirmantibus, et de aliis querimoniarum nominibus.

Subscripsitque † *Joannes* Episcopus Senecensis absque Jurium suorum praejudicio.

c Subscripsere † *Franciscus* Episcopus Vapincensis,
† *Carolus Oct.* Episcopus Grassensis.
De Michel, Concilii Secretarius, *Vial*, Concilii Notarius, *Leydon*, Concilii Notarius, subscripsere.

XXII. CONGREGATIO GENERALIS.

Anno 1727. die 13. Septembris ante meridiem in Palatii Archiepiscopalis Sacello habita est a Rmo D. Archiepiscopo vigesima-secunda Congregatio generalis. Adfuere Rmi D. D. Episcopi, qui praecedenti interfuerant, R. D. de Puget, R. D. Abbas Boscodonensis, Deputati, Theologi et Canonistae Concilii, solo absente de more Rmo D. Episcopo Senecensi.

A Synodo deliberatum ac constitutum est, ut matutinis horis sequentis diei sub Solemnis Missae finem, venerationi prius exhibito Sanctissimo Sacramento, solemni deinde ritu idem Sanctissimum Sacramentum circumferatur in supplicatione generali, quae habebitur omnium Ordinum procedentium una cum Rmis D. D. Episcopis ac universa Synodo.

d Visum est, quartam Sessionem, quae indicta fuerat ad Dominicam diem 14. Septembris, transferendam esse in diem 21. ejusdem mensis, quae item erit dies Dominica, sequenti Decreto:

Decrevit Sancta Synodus, quod quarta Sessio, quae indicta fuit ad diem decimam-quartam praesentis mensis Septembris, transferatur seu prorogetur in diem vigesimam primam ejusdem mensis, et programma affigatur ad Valvas Ecclesiae et Palatii Archiepiscopalis.

Actum praeterea fuit variis de rebus.

Die Dominica, decima-quarta die Septembris, affixa est ad valvas Ecclesiae et Palatii Archiepiscopalis Tabella admonens de Translatione Sessionis quartae, consimilis ei, quae affixa legitur pagina 662. admonens de translatione 2. Sessionis.

Rmi D. D. Episcopi Missae Solemni a Capitulo celebratae interfuere, sub finem cujus habita est generalis omnium Ordinum per Urbem procedentium supplicatio; cui, excepto Rmo D. Episcopo Senecensi, interfuere omnes Rmi D. D. Episcopi, Rocheto induti et Mozetta, caeterique, ex quibus Concilium constat, iisdem induti vestibus eodemque ordine procedentes, quae le-

guntur in 2. Sessione, ipso Rm̃o D. Archiepiscopo gestante ac circumferente Sanctissimum Corporis Christi Sacramentum.

Fundendis precibus reliqua dies insumpta est.

XXIII. CONGREGATIO GENERALIS.

Anno 1727. die 15. Septembris hora de meridie 3. in Palatii Archiepiscopalis Sacello habita est a Rm̃o D. Archiepiscopo vigesima-tertia Congregatio generalis; cui interfuere iidem Rm̃i D. D. Episcopi, qui praecedenti interfuerant, R. D. de Puget, R. D. Abbas Boscodonensis, Deputati, Theologi et Canonistae Concilii.

Promotor Concilium ingressus dixit:

Reverendissimi Domini. Cum a Synodo acceperim, quaecunque hactenus in Rm̃um D. Episcopum Senecensem lite ac judiciis acta sunt ex datis a me Requisitionibus; priusquam ultima ac definitiva requiram, expresse postulo: ut trina Monitione Canonica moneatur dictus Rm̃us D. Episcopus Senecensis, ut condemnet ac revocet Instructionem Pastoralem, cujus se ipse Auctorem confessus est: in iis potissimum, quae in illa edocuit adversantia purae et simplici Alexandri VII. Formulae Subscriptioni, injuriosa ac contraria Constitutioni *Unigenitus* ejusque factae acceptationi; et in iis, quae ad Libri Moralium Quesnelli considerationum commendandam lectionem in ea protulit; insuperque ei declaretur, quod, nisi monitis obtemperet, futurum erit, ut ex Sacris Decretis ac Canonibus Censuris poenisque Ecclesiasticis procedatur tam in dictam Instructionem Pastoralem quam in ipsius Rm̃i D. Episcopi Senecensis, quatenus dictae Instructionis Auctoris, personam; demum ut praedictarum Declarationis ac Monitionum testes adhibeantur bini Concilii Notarii. Deliberatum Ebreduni die 15. Septembris anno 1727. hora de meridie sesqui-tertia. Subscripsit *Gaspar d'Hugues* Promotor Concilii.

Deposita in Consessu requisitione, cum discessisset Promotor, Rm̃us D. Episcopus Glandavensis, Relator a Concilio nominatus, eorum, quae hactenus lite acta fuerant in Rm̃um D. Episcopum Senecensem, tum ea ipsa retulit tum ea, quae a dicto Rm̃o D. Episcopo Senecensi jus suum defendente allata fuerant. Quibus auditis, Synodus subsequens tulit Decretum, cujus autographum una cum Promotoris deliberatione instrumentis Concilii est insertum.

Decretum.

Concilium ex Promotoris requisitorio jus dicens statuit, trinam Rm̃o D. Episcopo Senecensi faciendam esse Monitionem, interjecto inter singulas Monitiones unius diei spatio, de retractanda ac damnanda delata Instructione Pastorali, data die 28. Augusti anno 1726., cujus se Auctorem confessus est: in iis praecipue, quae in ea edocet adversantia purae et simplici Formulae Alexandri VII. subscriptioni; in iis, quae in ea asserit opposita atque injuriosa Constitutioni *Unigenitus* ejusque factae acceptationi; in iis, quae profert in illa ad commendandam Libri Moralium Quesnelli Considerationum lectionem; eique esse declarandum, si, post elapsa dicta temporum intervalla, monita non perfecerit, processum iri ad Judicium de dicta Instructione Pastorali et de ipsamet persona illius per censuras poenasque Ecclesiasticas ex Sacris Decretis et Canonibus. A Synodo autem rogati ac delegati sunt Rm̃i D. D. Episcopi Augustodunensis et Valentinus, ut ipsi per se primam Monitionem faciant, adstantibus Secretario binisque Concilii Notariis, a quibus rei gestae Actum scripto conficietur ex consueta formula. Datum in Concilio, in Congregatione generali vigesima tertia, habita post meridiem die 15. Septembris praesentis anni 1727. Subscripsit † *Petrus* Arch. P. Ebredunensis.

Confestim post editum Decretum a Rm̃is D. D. Episcopis Augustodunensi et Valentino facta est Rm̃o D. Episcopo Senecensi prima Monitio. Cujus Monitionis Actum autographum hic descriptum infra Decretum ipsum in instrumento authentico est appositum.

Prima Monitio.

Ipso temporis articulo, hora de meridie quarta dictae diei decimae-quintae mensis Septembris anni 1727., datum hac ipsa die Concilii Decretum exequentes Rm̃i D. D. Episcopi Augustodunensis et Valentinus una cum Secretario binisque Concilii

a Notariis, apud Rm̃um D. Episcopum Senecensem se contulere domum D. Roux, in hac Urbe Judicis, ubi habet Domicilium dictus Rm̃us D. Ep. Senecensis, ibique, ipsi personaliter loquendo, recitatum atque notificatum per dictum Concilii Secretarium fuit supradictum Decretum. Tum Rm̃i D. D. Episcopi Augustodunensis et Valentinus perscriptas in Decreto Monitiones ac Declarationes ipsimet intimarunt dicto Rm̃o D. Ep. Senecensi. Quod ei pro prima Monitione fuit. Qui Rm̃us D. Episcopus Senecensis respondit, se jura sua non deserentem neque provocationibus Canonicis desistentem a se juridice denuntiatis, animo autem palam faciendi toti Ecclesiae, quam falso variis de se sparsis rumoribus insimularetur de rejicienda Subscriptione quacunque formulae Alexandri VII. omnique repudianda Pace, declarare ac profiteri coram Deo, haec duo se firmiter credere: Alterum, Ecclesiae Dogma esse, Ecclesiam ipsam falli non posse, dum Errores damnat, aut etiam dum de factis revelatione fundatis Judicium pronuntiat, Fidelemque omnem teneri ejus in his Judicio stare sincero maxime Fidei assensu: Alterum contra, minime Ecclesiam docere, in ipsam errorem non cadere, certis dum Libris
b seu Scriptis errores attribuit, neque tunc Fidelibus quoad haec facta ad Doctrinam spectantia internum ab illa praecipi Fidei assensum: tum scilicet, cum in dubium vocatur ac controversiam, quisnam sit Scriptorum sensus. Quibus declaratis, promptum se D. Episcopum esse ac paratum memoratae subscribere Formulae, non alia facta additione, modo idem a D. D. Concilii Ebredunensis Episcopis declaretur super praedictis duobus articulis, tradita sibi in testimonium ac monimentum authenticum scripta declaratione, cui ipse infra nomen suum sit appositurus, quin et ipsis, si velint, tabulis suis publicis dicta declaratione prius ibi inserta. Quod superest, perstare se in interpositis ad futurum Generale Concilium provocationibus.

Subscripsit † *Joannes* Episcopus Senecensis.

Praedicta omnia in Actum redacta sunt, cui subscripsere Rm̃i D. D. Episcopi Augustodunensis et Valentinus, Secretarius Concilii binique ejusdem Concilii Notarii.

Subscripsere † *Ant. Fr.* Episcopus Augustodunensis,
† *Alexander* Episcopus Valentinus.
De Michel, Concilii Secretarius; *Vial,* Concilii Notarius; *Leydon,* Concilii Notarius.
c

XX. CONGREGATIO PRIVATA.

Anno 1727. die 16. Septembris ante meridiem in Palatii Archiepiscopalis Sacello habita est a Rm̃o D. Archiepiscopo vigesima Congregatio privata. Adfuere iidem Rm̃i D. D. Episcopi, qui praecedenti interfuerant, ac R. D. de Puget.

Actum est de Materiis ad Fidem et Disciplinam pertinentibus.

XXIV. CONGREGATIO GENERALIS.

Anno 1727. die 17. Septembris ante meridiem consueto in loco habita est a Rm̃o D. Archiepiscopo vigesima-quarta Congregatio generalis, cui interfuere Rm̃i D. D. Episcopi omnes, qui praecedenti interfuerant, R. D. de Puget, R. D. Abbas Boscodonensis, Deputati, Theologi et Canonistae Concilii.

Admissus in Concilium fuit Rm̃us D. Raymondus Recroscius
d Nicensis electus Episcopus praesentique Congregationi interfuit.

Dein recitatum est Breve Summi Pontificis ad Rm̃um D. Archiepiscopum directum, verbis sequentibus conceptum.

Venerabili Fratri Petro Archiepiscopo Ebredunensi

Benedictus PP. XIII.

Venerabilis Frater, salutem etc. Vix unquam a Fraternitate tua gestarum rerum documenta vel Litterarum significationes accipimus, quin peculiare nobis afferant paternae laetitiae argumentum et pastoralis sollicitudinis solatium. Nihil tamen jucundius esse poterat, quam ut indictum a te Provinciale Concilium resciremus, ac dignum vigilantiae Pastoralis officium non tibi modo tuaeque Provinciae, sed Galliae quoque universae gratularemur. Est enimvero non minus Fraternitati tuae decorum quam Ecclesiasticis Causis necessarium votisque nostris optatum eo tempore, cum Sacrae Doctrinae Disciplinaeque rationes maxime postulant, celebrari Episcopales Conventus, Sacrorum Canonum et Sanctorum Patrum exemplis et Institutis praescriptos

et commendatos, in quibus colendis et frequentandis Gallicanorum Antistitum zelus sese insignitum probavit. Facit autem eximia ista erga Sacras Regulas Observantia et Reverentia, ut studiis tuis gratam inprimis et opportunam esse non dubitemus Ministerii nostri operam, quam pro instauranda veteri observatione de Suffraganeis consecrandis impendimus. Propterea dilectum Filium Raymondum Recroscium, ex Clericis Regularibus Sancti Pauli decollati, electum Nicensem, ad Fraternitatem tuam dimittimus, ut in Synodo ipsa solemni more munus Episcopalis Consecrationis accipiat. Fructum interea curarum tuarum ac Venerabilium Fratrum Coepiscoporum tuorum ad Sacrosanctae Religionis tutelam et Animarum salutem expectamus uberrimum ac Fraternitati tuae cunctoque Synodali Conventui Apostolicam Benedictionem, quam Coelestis Luminis praesidiique pignus esse cupimus, peramanter impertimur. Datum Romae die 31. Julii 1727.

Rmus D. Archiepiscopus dixit, solemni se ritu die Dominica sequenti, si Concilio placuerit, consecraturum Episcopum Rmum D. Nicensem electum. Quod et Concilio placitum est.

Promotor Synodum ingressus in Consessu deposuit Actum sibi a Rmo D. Episcopo Senecensi denunciatum die 15. Septem- b bris sub vesperam, quod caeteris requisivit Litis instrumentis adjungi. Synodus post recitatum Actum edixit Litis instrumentis adjungendum, prout a Promotore requisitum fuerat.

Post haec deliberatum est a Synodo de secunda Monitione facienda Rmo D. Episcopo Senecensi ex Promotoris requisitorio; editumque est hac de re Decretum infra positum, cujus autographum extat inter instrumenta Concilii authentica.

Decretum.

Ex Promotoris Requisitorio edixit Concilium, ut quamprimum intimetur Rmo D. Episcopo Senecensi secunda Monitio de iis exequendis, quae continentur Decreto dato die 15. hujus mensis; et in hunc finem delegavit Rmos D. D. Episcopos Sistaricensem et Glandavensem, quibus aderunt Secretarius binique Concilii Notarii, dictae monitionis perscriptum Actum ad consuetam Formulam concepturi.

Datum in Concilio, vigesima-quarta in Congregatione generali, habita ante meridiem die 17. Septembris anni 1727. Sub- c scripsit † *Petrus* Arch. P. Ebredunensis.

Confestim post editum Decretum Rmo D. Episcopo Senecensi denuntiata fuit secunda Monitio, Acto sequentibus verbis concepto infra Decretum ipsum autographum adscripto.

Secunda Monitio.

Ipso temporis articulo, hora scilicet undecima matutina dictae diei decimae-septimae praesentis mensis Septembris, suprapositum exequentes Decretum Rmi D. D. Episcopi Sistaricensis et Glandavensis una se contulere cum Secretario binisque Concilii Notariis apud Rmum D. Episcopum Senecensem Domum D. Roux, in hac Urbe Judicis, ubi habet Domicilium dictus Rmus D. Episcopus Senecensis. Ibique, ipsi personaliter loquendo, recitatum atque notificatum fuit per Secretarium Concilii suprapositum Decretum. Tum Rmi D. D. Episcopi Sistaricensis et Glandavensis Monitiones Declarationesque Decreto, die 15. Septembris dato et ipsi pariter recitato, contentas ipsimet intimarunt dicto Rmo D. Episcopo Senecensi. Quod ei pro secunda Monitione fuit. Qui respondit, insistere se Actis suis prioribus provocationibusque a se interpositis ad generale Concilium aliisque. Et subscripsit, declarando, minime se Judicem sui competentem admittere Concilium Provinciale Ebredunense.

Subscripsit † *Joannes* Episcopus Senecensis.

Quae omnia in Actum redacta sunt, cui subscripsere dicti Rmi D. D. Episcopi Sistaricensis et Glandavensis, Concilii Secretarius binique Concilii Notarii.

Subscripsere † *Petrus Franciscus* Episcopus Sistaricensis, † *Dominicus* Episcopus Glandavensis.

De Michel, Concilii Secretarius, *Vial*, Concilii Notarius, *Leydon*, Concilii Notarius.

XXI. CONGREGATIO PRIVATA.

Anno 1727. die 18. Septembris ante meridiem in Palatii Archiepiscopalis Sacello habita est a Rmo D. Archiepiscopo vigesima-prima Congregatio privata, cui interfuere omnes, qui a praecedenti interfuerant Rmi D. D. Episcopi, Rmus D. Recroscio Nicensis electus et R. D. de Puget.

Quae in praecedenti Congregatione privata agitatae fuerant Materiae, earundem tractatio Materiarum resumpta est in praesenti.

XXV. CONGREGATIO GENERALIS.

Anno 1727. die 18. Septembris hora de meridie 3. in Palatii Archiepiscopalis Sacello habita est a Rmo D. Archiepiscopo vigesima-quinta Congregatio generalis, cui interfuere iidem, qui praecedenti interfuerant Rmi D. D. Episcopi, Rmus D. de Recroscio Nicensis electus, R. D. de Puget, R. D. Abbas Boscodonensis, Deputati, Theologi et Canonistae Concilii.

Deliberatum est a Synodo de tertia Monitione facienda Rmo D. Episcopo Senecensi ex Promotoris Requisitione; atque in hunc finem editum est Decretum, sequentibus conceptum verbis, cujus Autographum extat inter instrumenta Concilii.

Decretum.

Ex Requisitorio Promotoris Synodus jus dicens statuit, ut juxta Concilii Decretum die 15. praesentis mensis datum, quo trina edicitur facienda Monitio Rmo D. Episcopo Senecensi, interjecto inter singulas Monitiones diei unius spatio, absque mora hac ipsa die procedatur ad tertiam et ultimam Monitionem faciendam per Rmos D. D. Episcopos Bellicensem et Grassensem, quibus aderunt Secretarius binique Concilii Notarii, praedictae Monitionis perscriptum Actum ad consuetam Formulam concepturi.

Datum in Concilio in vigesima-quinta Congregatione generali, habita post meridiem die 18. praesentis mensis Septembris anno 1727. Subscripsit † *Petrus* Arch. P. Ebredunensis.

Confestim post editum dictum Decretum Rmo D. Episcopo Senecensi intimata est tertia et ultima Monitio sequenti Acto, cujus autographum infra Decretum ipsum extat adscriptum.

Tertia et ultima Monitio.

Ipso temporis articulo, hora scilicet de meridie quarta dictae diei decimae-octavae praesentis mensis Septembris, suprapositum Concilii Decretum exequentes Rmi D. D. Episcopi Bellicensis et Grassensis una se contulere cum Secretario binisque Concilii Notariis apud Rmum D. Episcopum Senecensem Domum D. Roux, in hac Urbe Judicis, ubi habet Domicilium dictus Rmus D. Episcopus Senecensis. Ibique, ipsi personaliter loquendo, recitatum ac notificatum fuit per Concilii Secretarium praefatum Decretum. Tum Rmi D. D. Episcopi Bellicensis et Grassensis Monitiones Declarationesque Decreto contentas dato die 15. hujus mensis, quod et ipso simul tempore recitatum est, ipsimet intimarunt dicto Rmo D. Episcopo Senecensi. Quod ei pro tertia et ultima Monitione fuit. Qui Rmus D. Episcopus Senecensis dixit, se Concilii non admittentem Tribunal, quatenus incompetens et a se recusatum, insistere Actis suis provocationibusque praecedentibus, subscribens absque jurium suorum praejudicio.

Subscripsit † *Joannes* Episcopus Senecensis.

Quae omnia in Actum redacta sunt; cui subscripsere praefati Rmi D. D. Episcopi Bellicensis et Grassensis, Secretarius
d binique Concilii Notarii.

Subscripsere † *J.* Episcopus Bellicensis, † *Carolus Octavianus* Episcopus Grassensis.

De Michel, Secretarius Concilii; *Vial*, Concilii Notarius; *Leydon,* Concilii Notarius.

Ingressus Promotor dixit:

Reverendissimi Domini. Hanc iterum Officii mei partem aliquam esse arbitratus sum, ut ad Sacrum vestri Concilii Tribunal deferrem geminos Gallico sermone editos Libros, quibus Titulus, alteri: *Dissertatio de Anglorum Ordinationum Validitate;* alteri: *Defensio Dissertationis praedictae.* Sunt enimvero gemina haec iniquitatis opera, in quibus non jam obscure, sed palam sese profert venenata Haeresis. Neque in iis errores, quibus scatent, verborum aut occultantur arte aut mitigatione temperantur. Ex ipso Ecclesiae sinu moesti conspicimus Scripta prodire, radicitus Ecclesiae Dogma pervertere nata principiisque fundata, a Calvini ipsius principiis nullatenus abhorrentia. In his nempe, quos in praesenti defero, Sacrae Eucharistiae oppugnatur Fides augustique Altarium nostrorum sacrificii veritas; ac praetextu utrius-

que conciliandae et Anglorum et Catholicae nostrae Fidei, Documenta a primis Ecclesiae saeculis ad haec usque nostra tempora constanti ac perpetua traditione pervulgata, ipsaemet adeo Conciliorum Generalium Decisiones disturbantur ac dejiciuntur. Neque deterreri potuit horum Librorum Auctor multiplici Anathematis jaculato fulmine a Sacra Synodo Tridentina, cujus summam ille impune despicit auctoritatem: dum scilicet pro levi tantum ac mero sermonis minus accurati vitio deputat eisdem verbis assertas defendere Propositiones, quas illa damnavit. At enim, Rmi D. D., cum ex Augustini sententia Ecclesia Catholica minime possit approbare vel etiam dissimulare, quae Fidei bonisve moribus adversantur: an et vestrae in Ecclesia Judicum Dignitatis esse non existimabitis, hujusmodi Libris specialem notam inurere? et meas non esse crederem partes ad vestrum Judicium censuramque deducere perniciosas, quibus referti sunt Libri illi, a vero rectoque tramite aberrationes, plurima cum Fidelium offensione conjunctas? Unde requiro ac postulo, ut ab hac sancta Synodo damnentur praedicti Libri, tanquam approbantes edocentesque de Eucharistia Missaeque Sacrificio Propositiones a Concilio Tridentino damnatas; atque insuper, tanquam injuriosi auctoritati tum dictae generalis Synodi tum sanctae Sedis Apostolicae.

Deliberatum Ebreduni die 18. Septembris anno 1727. Subscripsit *Gaspar d'Hugues* Concilii Promotor.

Cum recessisset Promotor, querimoniam ejus recepit Concilium ac subinde delatorum Librorum Examinatorem Relatoremque nominavit Rmum D. Episcopum Massiliensem.

Resumpta est instituta Concilii Actorum recitatio, quae deducta est ad Congregationem usque privatam duodecimam.

XXII. CONGREGATIO PRIVATA.

Anno 1727. die 19. Septembris ante meridiem consueto in loco habita est a Rmo D. Archiepiscopo vigesima-secunda Congregatio privata, cui interfuere omnes, qui praecedenti interfuerant, Rmi D. D. Episcopi, Rmus D. de Recroscio Nicensis electus ac R. D. de Puget.

Rursum de Materiis ad Fidem et Disciplinam spectantibus continuata disputatione tractatum est.

XXVI. CONGREGATIO GENERALIS.

Anno 1727. die 19. Septembris ante meridiem post privatam Congregationem habitam habita est ibidem a Rmo D. Archiepiscopo vigesima-sexta Congregatio generalis, cui interfuere Rmi D. D. Episcopi Vapincensis, Massiliensis, Bellicensis, Venciensis, Forojuliensis, Sistaricensis, Glandavensis, Augustodunensis, Vivariensis, Aptensis, Valentinus, Gratianopolitanus et Grassensis, Rmus D. de Recroscio Nicensis electus, R. D. de Puget, R. D. Abbas Boscodonensis, Deputati, Theologi et Canonistae Concilii.

Ingressus Promotor requisitionem definitivam Litis intentae in Instructionem Pastoralem Personamque Rmi D. Episcopi Senecensis, dictae Instructionis Auctoris, a se allatam, deposuit in Consessu, quo digresso, Rmus D. Episcopus Grassensis ea, quae jam ante de praedicta Instructione Pastorali Rmi D. Episcopi Senecensis referens in Synodo exposuerat, iteravit; ipsaque postmodum denuo recitata est Instructio Pastoralis. Tum Rmi D. D. Episcopi Glandavensis et Vivariensis, Litis Relatores a Concilio nominati, totam Litis seriem explicuere, ipso verba faciente Rmo D. Episcopo Glandavensi.

Finita Relatione, cum prius rogati sententiam auditique Deputati ac Theologi recessissent: Rmus D. Episcopus Massiliensis Patribus exposuit declaravitque: quandoquidem, ex quo in hanc Urbem advenerat, animadvertisset, se a Rmo D. Episcopo Senecensi passim et qualibet occasione praedicari ut specialiter ipsi infensum[1] hoc uno nomine, quod in edito a se Massiliae Pastorali Documento adversus P. Courayer Auctorem Dissertationis de Anglorum Ordinationum Validitate simul certis quibusdam verbis impetiisset praesentis judicandae Instructionis Pastoralis Auctorem; propterea humillime supplicare se Patribus, gratum habere vellent, ut a judicando cum ipsis Rmo D. Episcopo Senecensi abstineret, quod ei vel levissima conquerendi aut expostulandi probabilis ansa tolleretur. Quod ei quidem primo confestim denegatum est a Concilio ea ratione, quod prius ab ipsa Synodo judicata fuissent Recusationum argumenta tam in ipsum Rmum Episcopum Massiliensem, quam in caeteros Episcopos, allata a Rmo D. Episcopo Senecensi, frivola minimeque admittenda. Cum vero eadem saepius supplicans poposcisset Rmus D. Episcopus Massiliensis, adeptus est tandem, quod petierat.

Post haec a Concilio lata fuit descripta inferius sententia, Promotoris Deliberationi adjuncta, quarum autographa caeteris Concilii instrumentis authenticis sunt inserta.

Definitiva Promotoris Requisitio.

Reverendissimi Domini. Quid hactenus intentatum reliquistis, ut Rmi D. Episcopi Senecensis animum, a communi discrepantem Ecclesiae sensu, ad unitatem, si fieri posset, reduceretis? Nihil hac in parte providae vestrae excidit charitati. Omnia, consulente Apostolo, advocastis: privata colloquia atque in iis adducta Sacrarum monimenta Litterarum, Patrum testimonia, rationum argumenta suasionum efficacia, sinceri singularisque amoris ac studii significationes. Quid communi Ecclesiae Matri, ab Episcopo praesertim, debeatur, commonstrastis; quantum in vobis fuit, Filii affectum permovistis, excitastis. Vosmet in ipsum charitate Fratres, consiliis Patres, sollicitudine Pastores exhibuistis. Felices vos, si vestris hortationibus ac obsecrationibus emollita tandem aliquando heu nimium aperte significata ejus Praesulis pervicacia, et vobis licuisset non esse Judicibus, et mihi, sacrarum Fidei disciplinaeque Legum violatarum Vindicis officio minime perfungi! Nunc vero cum eo res jam deducta sit, ut facinus admissum nulla ratione celari possit vel attenuari; cum non accusatus modo, sed propria confessione convictus, Rmus D. Episcopus Senecensis se ipse Auctorem delatae a me Instructionis Pastoralis palam declaraverit, omnia illius documenta pro suis adoptaverit, nullaque ratione habita tum Concilii hujus tum Ecclesiae universae, toti contradicat Episcoporum ordini conspirante consensu judicanti ac decidenti: si tam atrox datum scandalum silentio praeteream, si poenas Judicio persequi desistam: et meo pariter muneri desim, et ad Ecclesiae vocem, jam dudum spretae auctoritatis suae poenas continuo exposcentis, sponte obsurdescam. Huic nimirum, Reverendissimi Domini, sacrae, ut par est, postulationi concedens, requiro a vobis ac postulo, quae sequuntur, leviora certe ad admissorum a Praesule gravitatem atque atrocitatem.

Nos Gaspar d'Hugues, Concilii Provincialis Ebredunensis Promotor, visis omnibus litis Instrumentis: videlicet, delatione ac querimonia a nobis habita etc. *[recensentur deinceps litis instrumenta eadem ratione, qua in sententia paulo post referenda continentur]:* his omnibus rite perpensis, concludimus ac postulamus:

Ut damnetur Pastoralis Instructio Rmi D. Episcopi Senecensis, data die 28. Augusti anno 1726., tanquam contraria omnino Constitutionibus Alexandri VII. de praecipienda Formulae Subscriptione, quae Constitutiones, Regiis Declarationibus obfirmatae atque in Curiarum tabulas relatae, jam inde a 60 annis constanti usu in toto Regno observatae sunt; tanquam in frivolum ac illusorium sensum detorquens Bullam, quae incipit, *Vineam Domini Sabaoth;* ut seditiosa insuper, scandalosa, errores ab Ecclesia damnatos fovere nata atque ad Schisma inducens, injuriosa Constitutioni *Unigenitus,* Apostolicae Sedi, a qua manavit dicta Constitutio, Episcoporum Ordini, qui acceptavit, Regiis Declarationibus, quae ejus in toto Regno observationem edixere, utrique proinde potestati, quae conspiranti consensu eam fecere pariter Ecclesiae Regnique Legem; demum ut approbans, suadens et commendans Libri Haeretici Lectionem, erroribus referti seditiosisque Sententiis, a summis Pontificibus toto-

[1] * Notissima est Massiliensis Episcopi charitas vere heroica, quam tempore horrendae pestis annis 1720. et 1721. erga aegrotos lue infectos ostendit, ejusque tenerrima devotio erga SS. Cor Jesu, cui cum summa civium consensione et mira fidelium utilitate civitatem et dioecesim consecravit, cujusque venerationem cum ingenti animarum fructu maximopere promovit. (Videatur eximius liber P. Ch. Daniel S. J. „Histoire de la bienheureuse Marguerite-Marie, Religieuse de la visitation de Ste-Marie, et des origines de la dévotion au Cœur de Jésus", pag. 424. et seqq.). Neque tamen mirandum est, neminem Jansenistarum factioni, quam Senecensis obcaecato animo sequebatur, magis fuisse exosum; nam cum illa caritate erga homines et devotione erga misericordiae fontem conjungebat praeclarus Antistes ejus haeresis odium, quae praecipue misericordiae divinae erga homines detrahit.

que Episcoporum Ordine Anathemate damnati atque vel iis solis, quos in Ecclesia concitavit, motibus pro scandalo publico habendi ab iis ipsis, qui maxime ei favent: caetera vero, quae dicta Instructione Pastorali continentur, minime approbando, in quibus alia multa reperire est justa reprehensione maxime digna;

Ut praedicta supprimatur Instructio Pastoralis, edicaturque sub poena Excommunicationis ipso facto incurrendae, ne quis hujus Provinciae Ecclesiasticae Fidelis, cujuscunque sit status, conditionis aut sexus, exemptus vel non exemptus, eam legat, apud se retineat aut disseminet; et ut teneantur sub eadem poena, quicunque apud se habent dictae Instructionis Exempla, eadem in tabulas Officialitatis Dioecesis suae referre per se vel per alium;

Ut dictus Rmus D. Joannes Soanen, Episcopus Senecensis, sit et maneat suspensus et interdictus ab omni Episcopali functione exercitioque sanctorum Ordinum, simul et ab omni Jurisdictione et inspectione in dicta Senecensi Dioecesi, donec Acto authentico dictam Instructionem Pastoralem Scriptaque omnia in ejus defensionem a se edita retractaverit et damnaverit, in iis praesertim, quae super tribus memoratis capitibus reprehendenda docuit in praedicta Instructione Pastorali; quod Actum sit repositurus in manibus Rmi D. Archiepiscopi Ebredunensis vel, sede vacante, antiquioris Provinciae Episcopi, quibus a Concilio potestas fiet, eum, dicta contingente retractatione et resipiscentia, et non alias, a praedicta suspensione et interdicto absolvendi eumque in pristinas restituendi functiones Episcopales et sanctorum Ordinum Jurisdictionemque et inspectionem in sua Dioecesi;

Ut cuicunque Vicario Generali, Officiali, Vicesgerenti, Promotori, Substituto, Vicario Foraneo et quibuscunque aliis designatis vel potestate utentibus accepta ex approbatione dicti Rmi D. Episcopi Senecensis interdicatur et vetetur expresse, ne exerceant ullam dictorum Officiorum ac Commissionum ex approbatione praedicta functionem, durante praedicta Rmi D. Episcopi Senecensis suspensione et interdicto;

Ut a Concilio ipso nominetur Vicarius Generalis Officialis in Dioecesi praedicta Senecensi, cui Litterae ad id necessariae tradantur a Rmo D. Archiepiscopo Ebredunensi Concilii nomine; poterit item Rmus D. Archiepiscopus Ebredunensis, prout sibi videbitur, alios in locum praecedentium substituere, si contingat, nominatos Vicarium Generalem et Officialem vel vita cedere vel morbo teneri, aut alia quacunque ex causa sibi probata;

Ut fiat item Rmo D. Archiepiscopo Ebredunensi potestas diversos a praecedentibus nominandi Officiarios, qui Jurisdictionem exerceant, sive voluntariam sive contentiosam in praedicta Dioecesi, quibus Officiariis Litterae concedantur a Rmo D. Archiepiscopo Ebredunensi ad arbitrium revocabiles;

Ut Vicario Generali a Synodo nominato praecipiatur, publicari curet et executioni mandari tum Senetii tum in tota Dioecesi Senecensi Constitutionem *Unigenitus* a Clemente XI. datam;

Ut ipsi iterum injungatur, tolli curet, si id fieri possit, e Registro seu Actorum Codice Episcopatus Senecensis, vel si non possit, deleri saltem et expungi e dicto Codice Instructionem Pastoralem datam die 28. Augusti anno 1726., facta ad marginem mentione Decreti Concilii id praecipientis;

Item ex eodem Codice Episcopatus Senecensis expungi mandetur Acta quaecunque impugnantia Subscriptionem puram et simplicem Formulae Alexandri VII. vel injuriosa et contraria Constitutioni *Unigenitus* ejusque factae acceptationi;

Ut gestionis suae rationem reddere teneantur supra memorati Officiarii singulis trimestribus Rmo D. Archiepiscopo Ebredunensi aut saepius etiam, si opus sit;

Ut ex fructibus Episcopatus Senecensis certa pars, a Rmo D. Archiepiscopo assignanda, sumatur impendenda sive ad vitae cultum Officiariorum, qui fuerint a Synodo, ut dictum est, nominati, sive ad sumptus administrandae per ipsos Dioecesis Senecensis necessarios, cujus fructuum partis a se insumptae rationem item teneantur reddere dicti Officiarii Rmo D. Archiepiscopo Ebredunensi.

Ut praefato Vicario Generali onus imponatur cogendae quamprimum Senecensis Synodi Dioecesanae, in qua ad Subscriptionem puram et simplicem Formulae Alexandri VII. adiget, quotquot de jure interesse debent huic Synodo, certamque ab iisdem recipiet verae ac sincerae Constitutioni *Unigenitus* obedientiae significationem;

Demum, ut praedictae pariter subscribere Formulae Alexan-
a dri VII. pure et simpliciter, necnon et veram ac sinceram Constitutioni *Unigenitus* obedientiam certo testificari teneantur, quotquot in posterum ex Dioecesi Senecensi accedent: sive ad Sacros Ordines promovendi, aut minoribus Ordinibus ipsique etiam Tonsurae initiandi, sive potestatem accepturi concionandi aut Confessiones in Praedicta Dioecesi Senecensi audiendi, sive impetraturi vel Litteras *Visa* dictas super Provisiones in Romana Curia obtentas vel Beneficiorum Collationes super Patronorum Ecclesiasticorum aut Laicorum praesentationes aut alio quovis modo.

Deliberatum Ebreduni die vigesima Septembris anno 1727. Subscripsit *Gaspar d'Hugues* Promotor.

SENTENTIA.

Visis a Concilio, cui aderant Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Archiepiscopus Ebredunensis, Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Episcopi Vapincensis, Belliconsis, Vinciensis, Forojuliensis, Sistaricensis, Glandavensis, Aeduensis, Vivariensis,
b Aptensis, Valentinensis, Gratianopolitanus et Grassensis, querimonia Promotoris facta in secunda Congregatione generali, habita die decima octava Augusti anni 1727. adversus Mandatum Pastorale, cui Titulus *Instruction Pastorale de Monseigneur l'Evêque de Senez, etc.* datum Castellani die 28. Augusti anni 1726.; Processu verbali ejusdem Congregationis, quo constat ex propria Rmi D. Sanitiensis seu Senecensis Episcopi confessione, praefatum mandatum a se adoptatum et promulgatum fuisse, in cujus confessionis fidem dicti Mandati exemplar, ei in Concilio exhibitum, proprio nomine munivit et subscriptioni peculiarem notam addidit in prima et ultima pagina; Exemplo Instrumenti a parte dicti Rmi D. Episcopi Sanitiensis, per Apparitorem publicum denuntiati die 11. Augusti dicti anni 1727. Rmo D. Archiepiscopo Ebredunensi ante inchoationem Concilii Provincialis Ebredunensis, ad diem 16. ejusdem mensis indicti, quo Instrumento dictus Rmus D. Episcopus Sanitiensis opponit, Concilium Provinciale Ebredunense legitimam non habere potestatem ad judicium ferendum de Scriptis et Persona ipsius, attenta gravitate rerum, de quibus agitur; in quo Instrumento
c idem Rmus D. reassumit praetensam appellationem ad futurum Concilium generale, a se interpositam anno 1717. et innovatam annis 1719. et 1720., necnon appellationem tamquam ab abusu ad supremam Parisiensem Curiam, declarando insuper, se novam interponere appellationem, tam simplicem ad futurum Concilium generale, quam ab abusu ad dictam supremam Parisiensem Curiam, si contingat, Concilium provinciale Ebredunense litem intendere velle adversus Scripta et Personam ipsius, praefato instrumento in eadem Congregatione generali a Rmo D. Archiepiscopo Ebredunensi palam exhibito; Requisitorio Promotoris et Concilii decreto in dicta Congregatione generali die decima octava Augusti pronuntiato, quo dictum est, posthabenda esse praetensae incompetentiae Concilii allata argumenta, atque inceptam litem adversus praefatam Instructionem Pastoralem prosequendam esse, prout expediet, quod Decretum lectum et publicatum fuit in ipso Concilii consessu dicto Rmo D. Episcopo Sanitiensi; Exemplo alterius instrumenti, a dicto Rmo D. Episcopo Sanitiensi subsignati et ab ipsomet recitati in eadem Congregatione Generali die 18. Augusti et in consessu Concilii de-
d posito, quo Instrumento Rmus D. Episcopus Sanitiensis proponit recusationes adversus omnes et singulos Concilii Patres; Processu verbali eorum, quae dicta sunt hac de causa; Requisitorio Promotoris in tertia Congregatione generali, habita die 19. Augusti, et Decreto Concilii, quo declaratum est, propositas recusationes generales et particulares frustratorias, informes et nullas esse, ac proinde iis non immorando ulterius pergendum esse ad examen praefatae Instructionis Pastoralis; quod Decretum intimatum fuit die 20. Augusti per Secretarium et ambos Notarios Concilii dicto Rmo D. Sanitiensi Episcopo; audita relatione contentorum in praefato Mandato Pastorali, facta per Rmum D. Episcopum Grassensem, ad id a Concilio deputatum, et habita lectione publica ejusdem Mandati: visis etiam Requisitorio Promotoris in quarta Congregatione generali diei 20. Augusti tam adversus Instructionem Pastoralem quam adversus Personam dicti Rmi D. Sanitiensis Episcopi, tamquam ejusdem Auctoris; et Decreto Concilii ejusdem diei de vocandis Episcopis e vicinioribus Provinciis, Viennensi, Aquensi, Arelatensi, Lugdunensi et Bisuntina; quod Decretum intimatum est per Secretarium

et ambos Notarios Concilii Rmo D. Sanitiensi Episcopo cum interpellatione declarandi, an aliquem ex Episcopis vocandis suspectum haberet, cui interpellationi nihil respondere voluit; Exemplo instrumenti Promotori denunciato die 21. Augusti a parte dicti Rmi D. Sanitiensis, quo se perstare dicit in prioribus suis protestationibus incompetentiae Concilii et recusationum; Requisitorio Promotoris ex Decreto Concilii in quinta Congregatione generali, habita dicto die 21. Augusti, quo Decreto dictum est, praefatum Exemplum Actis Concilii esse inserendum, et intimatione ejusdem Decreti facta per Secretarium et ambos Concilii Notarios dicto Rmo D. Episcopo Sanitiensi; Exemplo alterius Instrumenti sub data diei 26. Augusti, quo dictus Rmus D. Episcopus Sanitiensis declarat, se appellare tanquam ab abusu a dictis Judiciis, super praedictas incompetentiam et recusationes pronuntiatis; Requisitorio Promotoris et Decreto Concilii in decima Congregatione generali die 28. Augusti prolato, quo dicitur praefatum exemplum Actis Concilii insertum iri; quod Decretum intimatum fuit die 29. Augusti Rmo D. Episcopo Sanitiensi per Secretarium et ambos Concilii Notarios; Requisitorio Promotoris in 15. Congregatione Generali habita die 9. Septembris hora matutina; Processu verbali in eadem Congregatione facto eorum, quae gesta sunt occasione Convocationis Rmorum D. D. Episcoporum e vicinioribus Provinciis; et Decreto Concilii, quo dicitur, intimandum esse Rmo D. Episcopo Sanitiensi adventum Rmorum D. D. Episcoporum Vapincensis, Massiliensis, Bellicensis, Forojuliensis, Sistaricensis, Aeduensis, Vivariensis, Aptensis, Valentinensis et Gratianopolitani, ut una cum Episcopis Provinciae procedatur juxta Canonicas Sanctiones adversus dictam Instructionem Pastoralem dicti Rmi D. Episcopi Sanitiensis et ejus personam, tanquam dictae Instructionis Auctorem confessum; praehabita missione Rmorum D. D. Episcoporum Glandavensis et Aptensis a Concilio Deputatorum, ut dictum Rmum D. Episcopum Sanitiensem hortarentur, quatenus in se reversus exitum judicii averteret; Intimatione praefati Decreti per Secretarium et ambos Notarios Concilii, facta die nona Septembris Rmo D. Episcopo Sanitiensi, qui respondit, se persistere in prioribus suis Dictis et Protestationibus; Exemplo alterius Instrumenti, ab ipso Rmo D. Episcopo Sanitiensi denuntiato dicta die nona Septembris, quo obtendit, ipsi denegatam fuisse facultatem adstandi cum aliis Rmis D. D. Episcopis decantationi solemni Hymni *Te Deum*, factae in Ecclesia Metropolitana pro felici partu Serenissimae Reginae nostrae; Declaratione Rmi D. Archiepiscopi Ebredunensis in Congregatione generali habita dicta die nona Septembris hora pomeridiana, qua Declaratione veritatem rei gestae testatur circa praetensam Rmi D. Episcopi Sanitiensis conquestionem; Requisitorio Promotoris et Decreto Concilii, quo statuitur, Declarationem Rmi D. Archiepiscopi Actis Concilii esse inserendam et simul Rmo D. Episcopo Sanitiensi intimandam; Intimatione dicti Decreti, dicto Rmo D. Episcopo Sanitiensi facta die nona Septembris per Secretarium et ambos Notarios Concilii; Exemplo alterius Instrumenti, eadem de causa ab ipso Rmo D. Episcopo Sanitiensi die decima Septembris oblato et per Decretum a Concilio eadem die prolatum Actis Concilii inserendo; Requisitorio Promotoris et Decreto Concilii eorundem diei et mensis in Congregatione generali, quo decernitur citatio facienda per duos ex Rmis D. D. Episcopis Concilii Rmo D. Episcopo Sanitiensi, ut ad Concilium accedens respondeat ore proprio super interrogatis, ipsi a Concilio faciendis occasione querimoniarum Promotoris tam adversus praefatam Instructionem Pastoralem quam adversus ipsum, ut Auctorem ejusdem Mandati, circumstantiarum et accessionum; Processu verbali citationum dicti Rmi D. Episcopi Sanitiensis, quae factae fuerunt a Rmis D. D. Episcopis Vinciensi et Sistaricensi dicta die 10. Septembris; et a Rmis D. D. Episcopis Bellicensi et Gratianopolitano die undecima ejusdem mensis hora matutina; et a Rmis D. D. Episcopis Aeduensi et Vivariensi eadem die horis pomeridianis, dictis citationibus factis in praesentia Secretarii et amborum Concilii Notariorum; Processu verbali comparitionis Rmi D. Episcopi Sanitiensis in Congregatione generali dicta die undecima Septembris horis pomeridianis, in qua Congregatione post iteratas de incompetentia Tribunalis protestationes palam ipsemet recitavit quoddam scriptum in forma Litterarum omnibus visuris patentium, factum tam suo nomine quam sibi adhaerentium et datum in Pago Castellanensi die 15. Junii et Monspelii mense Julio anni millesimi septingentesimi vigesimi septimi, in quo scripto praesertim enuntiatur, se Episcopum Sanitiensem Appellationem emittere a prae-

a tensa pace Clementis Papae IX., quam violatam esse conqueritur, ad Summum Pontificem et Concilium generale, quod cogi rogat, ob idque petit Litteras *Apostolos* dictas, ad cujus scripti calcem extat Decretum Officialis Sanitiensis datum die prima Septembris anni millesimi septingentesimi vigesimi septimi, quo dictus Officialis concedit, quantum in se est, Litteras *Apostolos* dictas, quod denique scriptum a se subsignatum in publico Concilii consessu reliquit: visis etiam interrogatis, ipsi Rmo D. Episcopo Sanitiensi factis a Rmo D. Archiepiscopo Ebredunensi, et responsionibus dicti Rmi D. Episcopi Sanitiensis, conducentibus ad confirmationem tam praefatae Pastoralis Instructionis suae quam scripti mox ab ipso relicti et priorum, quas fecit, Protestationum; Exemplo Actorum duorum pro parte Rmi D. Episcopi Sanitiensis Promotori denuntiatorum dicta die undecima Septembris serotinis horis: quorum uno novum dat exemplum dictorum Instrumentorum, jam denuntiatorum diebus undecima et decima octava mensis Augusti praeteriti, quibus continentur ipsius praetensae rationes incompetentiae et recusationum tam generalium quam particularium adversus Rmos D. D. Archiepisco-
b pum et Episcopos Comprovinciales: altero autem non solum praedicta argumenta incompetentiae et recusationum iterum inculcat, verum etiam novas recusationes generales proponit adversus Rmos D. D. Episcopos ex vicinioribus Provinciis vocatos occasione gestorum circa decantationem solemnem Hymni *Te Deum*, de quo supra, et recusationes particulares adversus maximam partem ex praefatis Rmis D. D. Episcopis; Exemplo alterius instrumenti, denuntiati Promotori die duodecima Septembris ante meridiem, quo Rmus D. Episcopus Sanitiensis protestatur, se non agnovisse Concilium, et postulat sibi acta concedi, quibus innotescat, se relegisse Scriptum supradictum et litteras *Apostolos* dictas; Requisitorio Promotoris et judicio Concilii in Congregatione generali die duodecima Septembris pronuntiato, quo dictum est, ipsum Rmum D. Episcopum Sanitiensem cecidisse a praetensis omnibus argumentis incompetentiae et recusationum, tam generalium quam particularium, ab eo propositis et contentis in dictis argumentis diei 11. Septembris, utpote vanis, illusoriis, frustratoriis et inadmissibilibus, statuiturque, iis non immorando, et non obstantibus diversis appellationibus in iisdem instrumentis
c a Rmo D. Sanitiensi enuntiatis, persequendam esse litem inceptam super querimoniis Promotoris adversus dictam Instructionem Pastoralem dicti Rmi D. Episcopi Sanitiensis et personam ipsius; Intimatione praefati Judicii, facta die 12. Septembris in praesentia Rmorum D. D. Episcoporum Vapincensis et Grassensis, ad id deputatorum, per Secretarium Concilii, ipsi Secretario adstantibus ambobus Concilii Notariis, dicto Rmo D. Episcopo Sanitiensi, qui respondit, se persistere in suis protestationibus et appellationibus; Requisitorio Promotoris in 23. Congregatione generali, habita die 15. Septembris horis pomeridianis, et Concilii decreto in dicta Congregatione prolato, quo statuitur ad requisitionem Promotoris, ut ab una die ad alteram tres fiant Monitiones Rmo D. Episcopo Sanitiensi ad hoc, ut retractet et damnet Mandatum suum Pastorale diei 28. Augusti anni 1726., per Promotorem denuntiatum et ab ipso Episcopo Sanitiensi recognitum tanquam opus suum, praesertim in his, quae docet ibidem contra subscriptionem puram et simplicem Formularii Sanctissimi Papae Alexandri VII., in his, quae contumeliose asserit adversus Constitutionem *Unigenitus* et ipsius factam ac-
d ceptationem, demum in his, quae affert ad commendandam lectionem libri, cui titulus *Réflexions Morales*, a Quesnello compositi: sin autem retractare et damnare recuset, ipsi Episcopo Sanitiensi declaretur, quod, dictis dilationibus transactis, lis suscepta peragetur in dictum Pastorale Mandatum ipsiusve Rmi D. Episcopi Sanitiensis Personam, tanquam dicti Mandati auctorem, per censuras et poenas Ecclesiasticas secundum sanctissima Decreta et Canones Ecclesiae; Processu verbali primae monitionis, factae statim post dictum decretum hora quarta vespertina dictae diei 15. Septembris a Rmis D. D. Episcopis Aeduensi et Valentinensi, ad hoc deputatis, adstantibus Secretario et ambobus Notariis Concilii, dicto Rmo D. Episcopo Sanitiensi, cum ejusdem responsione in dicto Processu inserta et ab eo subsignata: in qua responsione continetur ejusdem Episcopi restrictio seu explicatio circa subscriptionem Formularii et perseverantia in suis appellationibus et protestationibus; Exemplo instrumenti dicti Rmi D. Episcopi Sanitiensis, Promotori denuntiati dicta die 15. Septembris hora pomeridiana, in quo jam allata in prioribus instrumentis reassumit et conatur appellationes suas et suam

agendi rationem probare sub suis iteratis protestationibus; Pro- (a) cessu verbali secundae monitionis die 17. Septembris hora 11. matutina a Rmis D. D. Episcopis Sistaricensi et Glandavensi, ad hoc deputatis per Decretum Concilii ejusdem diei in 24. Congregatione generali, adstantibus Secretario et ambobus Notariis Concilii, dicto Rmo D. Episcopo Sanitiensi; cujus responsum fuit, quod retinet perseverantiam contentorum in Instrumentis ab eo productis et suis appellationibus ad Concilium generale et aliis, et subsignavit declarando, se non agnoscere Tribunal Concilii; Processu verbali tertiae et ultimae monitionis, factae die 18. Septembris hora quarta pomeridiana a Rmis D. D. Episcopis Bellicensi et Grassensi, ad hoc deputatis in 25. Congregatione generali ejusdem diei, adstantibus Secretario et ambobus Notariis Concilii, dicto Rmo D. Episcopo Sanitiensi, cujus responsum fuit, se absque agnitione Tribunalis perstare in suis appellationibus et protestationibus, et subsignavit: audita iterata relatione facta a Rmo D. Episcopo Grassensi eorum, quae in dicto Mandato Pastorali continentur; et insuper audita relatione facta totius praesentis Processus a Rmis D. D. Episcopis Glandavensi et Vivariensi Commissariis ad hoc deputatis; visis de- (b) nique definitivis conclusionibus Promotoris; omnibus diligenter perpensis, Sanctissimoque Dei nomine invocato:

Concilium, non obstantibus supradictis appellationibus, damnavit et damnat praedictam Instructionem Pastoralem, cui Titulus: *Instruction Pastorale de Monseigneur l'Evêque de Senez, dans laquelle à l'occasion des bruits, qui se sont répandus de sa mort, il rend son Clergé et son Peuple dépositaires de ses derniers sentimens sur les Contestations qui agitent l'Eglise, en date du vingt-huit Août mil sept cens vingt-six;* tamquam temerariam, scandalosam, seditiosam, Ecclesiae, Episcopis et Auctoritati Regiae injuriosam, Schismaticam, haeretico spiritu plenam, erroribus refertam et haereses foventem: in his praecipue, quibus adversatur purae et simplici Summi Pontificis Alexandri VII. Formularii signaturae, cui vexationis nomen adscribit; in his, quae falso et injuriose profert in Constitutionem *Unigenitus* et in ejus factam acceptationem, affirmando, dictam Constitutionem Ecclesiae Dogma, mores, disciplinam et Hierarchiam evertere; in his, quae ad damnati Libri, Moralium Quesnelli considerationum, commendationem affert, cujus Libri Lectionem permittit et suadet, tan- (c) quam alendae pietati maxime idonei; in his etiam, quibus Rmus D. Episcopus Senecensis eos ex suis, qui occasione supradictorum post mortem suam possent inquietari, hortatur, ut a principiis dictae suae Instructionis Pastoralis non discedant: quos omnes errores denuo affirmavit dictus Rmus D. Episcopus Senecensis, tum in scripto per modum litterarum omnibus visuris directo tam suo quam sibi adhaerentium nomine, dato mensibus Junio et Julio praesentis anni, quod scriptum ipsemet recitavit in pleno Consessu, ejusque exemplar sua manu subscriptum deposuit, tum in actis suis omnibus, adversus Promotoris expostulationem allatis: minime tamen intendente Concilio, his singularibus designationibus caetera, quae in dicta Instructione Pastorali enuntiantur, approbare, in quibus alia multa notavit, justa reprehensione maxime digna. Vetat ac prohibet Sancta Synodus, ne quis Fidelis utriusque sexus, sive exemptus sive non exemptus, tam Dioecesis Senecensis quam hujus Ecclesiasticae Provinciae, doceat aut sectetur pravam dictae Instructionis Pastoralis Doctrinam aut cujuscunque alterius Libri in favorem dictae Instructionis conscripti; ne quis etiam hujusmodi Libros legat, imprimat, vendat aut spargat in vulgus; (d) praecipiens omnibus aliquod horum Exemplar apud se habentibus, ut continuo reponant illud apud Tabularium suae Dioecesis: supra dicta omnia sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae, Ordinario reservatae.

Statuit Sancta Synodus, ut dictus Rmus Joannes de Soanen Episcopus Senecensis, qui dictam Instructionem Pastoralem subscripto proprio nomine suam declaravit et adoptavit, et qui, non obstantibus Monitionibus Canonicis eidem factis, ut dictos excessus suos retractaret, pervicaciter in eis perseveravit, sit et maneat suspensus ab omni Officio et Jurisdictione Episcopali et ab omni exercitio Ordinis tum Episcopalis tum Sacerdotalis, donec satisfecerit, debite retractando et rite condemnando tam dictam Instructionem Pastoralem quam quaecunque alia ab eo ad eam defendendam conscripta: quo casu retractationis Concilium potestatem facit Rmo D. Archiepiscopo Ebredunensi Metropolitano et, vacante Sede Metropolitana, antiquiori Provinciae Suffraganeo, ad hoc requisitam absolutionem dicto Rmo D. Joanni de Soanen Episcopo Senecensi concedendi et impertiendi.

Vetat et prohibet Concilium, ne quis interim sive Vicarius Generalis, sive Officialis, Vicesgerens, Promotor, Decanus Ruralis, Vicarius Foraneus et quivis alter Officiarius Ecclesiasticus, a dicto Rmo D. Episcopo Senecensi constitutus aut delegatus, durante praedicta suspensione, ullam exerceat muneris sui praedicti functionem; Conciliumque eligit ac constituit in tota Dioecesi Senecensi Vicarium Generalem simul et Officialem, quamdiu durabit praedicta Censura, Rmum D. Joannem d'Yze de Saleon Presbyterum, capacem, idoneum, pietate, zelo doctrinaque conspicuum, cui in hunc effectum tradentur nomine Concilii Litterae Vicarii Generalis et Officialis a Rmo D. Archiepiscopo Ebredunensi: qui quidem Vicarius Generalis, simul ut Senetium advenerit, Synodum convocabit Dioecesanam inibique signaturam exiget puram et simplicem Formularii Alexandri VII. ab iis omnibus, qui nondum illam praestiterint; exiget etiam in posterum ab iis omnibus, qui sive erunt promovendi ad Ordines sive per *Visa* aut alia quavis ratione Canonica ad Beneficia erunt instituendi. Praeterea dictus Vicarius Generalis jubebit, e Codice Actorum Episcopatus auferri, si possit, Instructionem Pastoralem supradictam, discindendam, simulque alia, quaecunque Acta potuissent ibi inseri, eandem dictae Instructionis Pastoralis Doctrinam continentia, pariter discindenda; si vero extrahi non possint, ex dicto Codice expungenda et delenda curabit, adhibita ad marginem praesentis Judicii mentione. Et insuper prospiciet iis, quae ad sanae Doctrinae Disciplinaeque Ecclesiasticae sive restitutionem sive firmamentum conducere aut necessaria fore judicabit. Quoniam vero praefata Constitutio *Unigenitus* nondum in dicta Dioecesi Senecensi fuit promulgata, curabit sine mora juxta formam solitam promulgari.

Concilium item toto supradictae Censurae tempore Promotorem constituit ac delegat in dicta Dioecesi Senecensi Rdum D. Joannem Allard Presbyterum, capacem, idoneum et tali munere dignum; isque in hunc finem nomine Concilii Litteras a Rmo D. Archiepiscopo Ebredunensi traditas recipiet. Qui quidem, sive Vicarius Generalis et Officialis sive Promotor, erunt revocabiles a Rmo D. Archiepiscopo Ebredunensi aut, vacante Sede Archiepiscopali, ab antiquiori Provinciae Suffraganeo, qui alium vel alios in praecedentium locum sufficient, prout e re Ecclesiae fore judicabunt.

Et ex fructibus Episcopatus Senecensis assumetur tertia pars, necessariis administrandae Dioecesis Senecensis sumptibus impendenda ac propterea reponenda in manibus praefati Vicarii Generalis et Officialis, qui supradictae partis fructuum, simul et totius administrationis suae, quemadmodum et ipse Promotor muneris sui, Rmo D. Archiepiscopo Ebredunensi aut, vacante Sede Archiepiscopali, antiquiori Provinciae Suffraganeo singulis Trimestribus aut saepius etiam, si ab iis requisitum fuerit, rationem reddent.

Insuper Christianissimo Regi humillime supplicabitur, ut praesens Judicium auctoritate sua firmare ejusque executionem promovere velit. Statuit ac decrevit Concilium, praesens suum Judicium hac in Urbe notificandum ac denuntiandum dicto Rmo D. Joanni de Soanen, Episcopo Senecensi, exemplumque illius illi relinquendum ac insuper in Urbe Senecensi legendum ac promulgandum et ubivis jus postulat, ne quis ignorantiam ejus possit praetendere.

Datum in Concilio Provinciali Ebredunensi die vigesima Septembris anni millesimi septingentesimi vigesimi-septimi. Sic subsignatum in Autographo:

† Ego *Petrus* Archiepiscopus P. Ebredunensis definiens subscripsi.
† Ego *Franciscus* Episcopus et Comes Vapincensis definiens subscripsi.
† Ego *Joannes* Ep. et D. Bellicensis definiens subscripsi.
† Ego *Petrus-Josephus de Castellane* Ep. Forojuliensis definiens subscripsi.
† Ego *Flodoardus* Ep. Venciensis definiens subscripsi.
† Ego *Petrus-Franciscus* Ep. Sistaricensis definiens subscripsi.
† Ego *Dominicus* Ep. Glandavensis definiens subscripsi.
† Ego *Antonius-Franciscus* Episcopus Aeduensis definiens subscripsi.
† Ego *Franciscus-Reginaldus* Ep. Vivariensis definiens subscripsi.
† Ego *Joannes-Baptista* Ep. Aptensis definiens subscripsi.
† Ego *Alexander* Ep. et Comes Valentinensis definiens subscripsi.

† Ego *Joannes* Ep. et Princeps Gratianopolitanus definiens subscripsi. a

† Ego *Carolus-Octavian.* Ep. Grassensis definiens subscripsi. [1]

QUARTA SESSIO.

Anno Domini 1727. SS. D. N. Benedicti Papae XIII. Pontificatus quarto, Christianissimi Regis Ludovici XV. Regni duodecimo, die vigesima-prima Septembris, quae erat dies Dominica, habita est in Ecclesia Metropolitana quarta Sessio ea quae sequitur forma.

Hora 8. matutina adfuere in Palatio Archiepiscopali Rmi D. D. Episcopi iique omnes, ex quibus Concilium constat. Hinc processum est ad Ecclesiam Metropolitanam eodem ordine ac modo, qui in praecedentibus Sessionibus descripti sunt. Rmus D. Archiepiscopus in Throno suo vestes induit Sacrificantis; tum pontificaliter Missam celebrans, consecravit in Episcopum Rmum D. Nicensem electum, cum ipsi consecranti adessent Rmi D. D. Episcopi Glandavensis et Grassensis.

Peracto Sacrificio, eaedem adhibitae sunt preces, quae in b Sessione secunda, iisdemque ritibus. Dein Secretarius e Pulpito promulgavit Decreta *de Constitutionibus Apostolicis*, quae more solito excepta et approbata fuere a Patribus omnibus. Postmodum idem Secretarius ex eodem suggestu publicavit Sententiam pridie a Concilio latam in Instructionem Pastoralem Rmi D. Episcopi Senecensis et in Personam ipsius, quatenus Auctoris dictae Instructionis. Publicata Sententia, cum exquisita fuissent vota a Patribus omnibus, excepto Rmo D. Episcopo Massiliensi, et relata fuissent Rmo D. Archiepiscopo ritu descripto in prima Sessione: Rmus D. Archiepiscopus dixit: *Sententia placuit Patribus.* Tum a Secretario promulgatum fuit Decretum de indicenda Sessione quinta ad diem Dominicam sequentem, praesentis mensis diem 28., Rmus D. Archiepiscopus adstantibus solemniter benedixit; publicatisque a Secretario centum dierum Indulgentiis, de more a Synodo concessis iis, qui Caerimoniae interfuere, Concilium recessit ad Palatium Archiepiscopale eodem, quo ad Ecclesiam accesserat, ordine.

Infra promulgatae Sententiae Autographum Latine conscriptum extat Actum Promulgationis ejusdem Sententiae his verbis c conceptum:

Die vigesima prima mensis Septembris anni millesimi septingentesimi vigesimi septimi in quarta Sessione Concilii Ebredunensis post promulgationem Decretorum: *de Constitutionibus Apostolicis*, praedicta Sententia promulgata fuit. Quo facto, a Patribus Concilii requisita sunt vota; et iis relatis Rmo Archiepiscopo, ipse Rmus Archiepiscopus pronuntiavit: *Sententia placuit Patribus.*

† *Petrus* Arch. P. Ebredunensis.

Die vero 22. Septembris anno 1727. supraposita Sententia rite denuntiata fuit Rmo D. Episcopo Senecensi; duplexque illius Exemplum ipsi in manus repositum est, Latino scilicet et Gallico sermone descriptum: prout habetur ex Acto ipso perscripto Denunciationis, apposito infra singula dictae Sententiae Autographa, latine et gallice conscripta sequentibus verbis.

Denuntiatio Sententiae.

Anno 1727. die 22. Septembris ante meridiem per Secreta- d rium, cui aderant bini Concilii Provincialis Ebredunensis Notarii, rite denuntiata fuit supraposita Sententia gallice conscripta; atque tum illius ad verbum descriptae simul cum enarratione visorum Litis instrumentorum tum praesentis denuntiationis Acti exemplum, decem scriptis paginis unoque codice descriptum, in manus traditum ac relictum est Rmo D. Joanni de Soanen Episcopo Senecensi, ipsi personaliter loquendo in dicta Urbe Ebredunensi ipsoque ejus in Domicilio, quod habet apud D. Roux; praedictique Secretarius et Notarii subscripsere tum praesenti Autographo tum praefato Acti denuntiationis exemplo. Praeterea in manus dicti Rmi D. Episcopi Senecensis traditum ac relictum est alterum exemplum Latino Sermone descriptum tam Judicati Sententiae praedictae, ipsissimis quibus in quarta Sessione Latinis verbis est promulgatum, quam Acti promulgationis ejusdem. Praedicta omnia, ne ignorantiam possit praetendere.

Subscripsere *de Michel*, Concilii Secretarius; *Vial*, Concilii Notarius; *Leydon*, Concilii Notarius.

EXSCRIPTA DENUNTIATIO SENTENTIAE

apposita infra dictae Sententiae Autographum Latine conscriptum.

Anno 1727. die 22. Septembris ante meridiem per Secretarium, cui aderant bini Concilii Provincialis Ebredunensis Notarii, rite denuntiata fuere tum judicatum Sententiae suprapositae, ipsis Latinis verbis conscriptum, quibus promulgatum fuit, tum facta illius promulgatio in quarta Sessione; praedictorumque tam Judicati quam Acti promulgationis, simul et praesentis denuntiationis Acti Exemplum, septem paginis descriptum, in manus traditum ac relictum est Rmo D. Joanni de Soanen Episcopo Senecensi, ipsi personaliter loquendo in dicta Urbe Ebredunensi ipsoque ejus in Domicilio, quod habet apud D. Roux: atque subscripsere praedicti Secretarius et Notarii tum praesenti Autographo tum praefato Acti praesentis denuntiationis exemplo; cum praeterea in manus dicti Rmi D. Episcopi Senecensis traditum ac relictum fuisset Exemplum alterum praedictae Sententiae plene descriptae simul cum enarratione visorum Litis instrumentorum, Gallico Sermone. Praedicta omnia, ne ignorantiam possit obtendere.

Subscripsere *de Michel*, Concilii Secretarius; *Vial*, Concilii Notarius; *Leydon*, Concilii Notarius.

XXIII. CONGREGATIO PRIVATA.

Anno 1727. die 22. Septembris ante meridiem in Palatii Archiepiscopalis Sacello habita est a Rmo D. Archiepiscopo vigesima-tertia Congregatio privata, cui interfuere Rmi D. D. Episcopi Vapincensis, Massiliensis, Bellicensis, Forojuliensis, Venciensis, Sistaricensis, Glandavensis, Augustodunensis, Vivariensis, Aptensis, Valentinus, Gratianopolitanus, Grassensis et Nicensis ac R. D. de Puget.

Rmus D. Episcopus Massiliensis palam declaravit, nulla re prorsus se animo discrepare a Synodi Judicio de Doctrina Instructionis Pastoralis Rmi D. Episcopi Senecensis, quin potius toto pectore ac mente adhaerere se justae illius pronuntiatae damnationi notisque Censoriis seu qualificationibus, quae illi Doctrinae merito a Synodo inustae sunt, simul et Judicio, quod ab eadem Synodo pronuntiatum est in Personam Rmi D. Episcopi Senecensis.

Idem declaratum fuit a Rmo D. Episcopo Nicensi.

Tum Rmus D. Episcopus Massiliensis supplex rogavit Patres, vellent recordari eorum, quae frequenti Synodo dixit tunc, cum a Rmo D. Episcopo Senecensi Judex fuit recusatus: nimirum, acerbissimo cum animi dolore audiisse, se ab Episcopo insimulari de traditis erroribus in Mandato Pastorali, a se edito die 14. Januarii anno 1726.; quamvis autem probe intelligeret, satis per se ipsam detegi ac confutari calumniam, tum ex circumstantiis, in quibus positus eum accusasset Rmus D. Episcopus Senecensis, tum ex vaga ipsius accusandi ratione, qua nullum singillatim appellaret errorem nullumque etiam generatim, seu erroris materiam proferret, nihilominus tanto acerbius ferre se, vel minimam sibi labem suspicionis injici de adulterata aut etiam debilitata veritate Fidei, quanto sibi conscius esset flagrantiori se studio accendi purae illius atque illibatae servandae; caeterum multum inde mitigatum fuisse conceptum animo dolorem, quod iis coram paratis Judicibus fuisset accusatus eoque in Consessu Episcoporum, quos et plurima Religionis cognitione

[1] * Sistaricensis congregationem hanc generalem, cui interfuit, in constitutione *Unigenitus* historia hisce verbis describit:

Ce fut le 20 Septembre que, faisant droit sur les conclusions définitives du Promoteur, les Pères du Concile s'assemblèrent pour porter leur sentence contre Mr. de Senez. Je ne sais s'il s'est jamais passé une action où la présence de Dieu se soit rendue plus sensible que dans celle-ci. J'avoue que tout ce que j'avais lu dans nos Histoires, dans nos Annales, dans les Fastes sacrés de l'Eglise, et que tout ce que j'y avais appris de la Majesté qui règne dans les conciles, ne m'en avait pas donné une idée aussi auguste que le fit la seule Séance dont je parle. L'Esprit-Saint rendu visible au milieu de nous, ne nous aurait peut-être pas imposé un silence plus absolu, ni imprimé un respect plus profond. La Séance dura cinq heures. Pendant tout ce temps-là, pas un seul Evêque qui fît le moindre mouvement ni qui parlât hors de son rang. Ils me parurent immobiles, touchés de la plus vive douleur, pénétrés du jugement qu'ils allaient prononcer, absorbés en Dieu, remplis de l'Esprit-Saint qui les animait.

instructos et pari tuendae veritatis zelo incensos esse pernosceret; quibus proinde totius Sententiae suae ac Doctrinae rationem reddere nunquam non summo honori duceret; quare humillime se supplicare ipsis, censoria aggrederentur ratione opus recognoscere impetitumque examinare mandatum; quod si aliquatenus reprehendendum esse judicarent, eatenus et ipse idem retractare ac damnare Judicioque Synodi proprio, si opus esset, Sanguine subscribere promptus esset ac paratus. a

Ad quae respondit Synodus, supervacaneum esse prorsus, institui, quod postulaverat Rmus D. Episcopus Massiliensis, Mandati a se editi examen, cum illustriora essent jam inde ab initio Episcopatus sui integritatis Fidei monimenta ardentisque studii in sana Doctrina defendenda adversus eam impugnantium impetus, quam ut tantillum infirmari possent vagis hujusmodi Rmi D. Episcopi Senecensis accusationibus, quae et nihil certi designarent et iis temporis circumstantiis adducerentur, quibus non tam Accusato labem inferre, quam Accusanti causae detrimentum afferre valerent; cum praeterea id jure asseverare quisque posse videretur, erroris accusari ab iis, quos constet errori esse deditos, honori potius quam dedecori facile esse ab omnibus b tribuendum.

De integro recitata fuere Decreta: *de Episcopis, de Canonicis, de Celebratione Missae*, quae fuerant in secunda Sessione promulgata. Eaque omnia rata habita sunt atque approbata a Rmis D. D. vicinarum Provinciarum invitatis Episcopis.

XXIV. CONGREGATIO PRIVATA.

Anno 1727. die 23. Septembris ante meridiem in Palatii Archiepiscopalis Sacello habita est a Rmo D. Archiepiscopo vigesima-quarta Congregatio privata, cui interfuere in praecedenti Congregatione nominati Rmi D. D. Episcopi ac R. D. de Puget.

Quae in tertia Sessione promulgata fuerant Decreta: *de Curatis et Administratione Sacramentorum*, fuere item recitata in praesenti Consessu, atque item ut priora rata sunt habita atque approbata a Rmis D. D. vicinarum Provinciarum invitatis Episcopis.

XXV. CONGREGATIO PRIVATA.

c Anno 1727. die 24. Septembris ante meridiem consueto in loco habita est a Rmo D. Archiepiscopo vigesima - quinta Congregatio privata, cui interfuere iidem Rmi D. D. Episcopi, qui praecedenti interfuerant, ac R. D. de Puget.

Pensata sunt diligenter atque constituta Decreta in proxime futura Sessione promulganda.

XXVII. CONGREGATIO GENERALIS.

Anno 1727. die 24. Septembris hora 3. pomeridiana in Palatii Archiepiscopalis Sacello habita est a Rmo D. Archiepiscopo vigesima - septima Congregatio generalis, cui interfuere omnes Rmi D. D. Episcopi, qui praecedenti interfuerant, R. D. de Puget, R. D. Abbas Boscodonensis, Deputati, Theologi et Canonistae Concilii.

Rmus D. Episcopus Massiliensis retulit ad Synodum de Libellis a Promotore delatis die 18. mensis hujus in Congregatione generali: qui Libri in praesenti Consessu palam revoluti d sunt, atque instituta fuit eorum accurata recognitio Examenque Censorium.

XXVI. CONGREGATIO PRIVATA.

Anno 1727. die 25. Septembris ante meridiem consueto in loco habita est a Rmo D. Archiepiscopo vigesima-sexta Congregatio privata, cui interfuere Rmi D. D. Episcopi omnes, qui praecedenti interfuerant, ac R. D. de Puget.

Actorum Concilii incepta recitatio ad vigesimam - primam usque Congregationem generalem deducta est.

Rmus D. Episcopus Gratianopolitanus tutamen a Concilio petiit in Lite, quam habet pro Seminario suo, in Patres Oratorii Jesu.

Postulationi concedens Synodus rogavit Rmum D. Archiepiscopum, ut in Epistola, quam ad Regem Christianissimum de rebus in Concilio gestis est conscripturus, hanc etiam Episcopi Causam Regi commendandam curet.

XXVII. CONGREGATIO PRIVATA.

Anno 1727. die 26. Septembris ante meridiem consueto in loco habita est a Rmo D. Archiepiscopo vigesima-septima Congregatio privata, cui iidem interfuere Rmi D. D. Episcopi, qui praecedenti interfuerant, et R. D. de Puget.

Deliberavere Patres de ea, quam adhibituri essent, ratione in promulgandis Decretis Judicioque Concilii in sua quisque Dioecesi; visumque est ac constitutum, esse in hunc finem edendum Mandatum Pastorale unum atque consimile, quod esset cunctorum suffragiis approbandum, et quo uterentur ad praedicta promulganda singuli Rmi D. D. Episcopi tam Comprovinciales, quam qui Synodo interfuere invitati.

Perscripta Concilii Acta recitata fuere usque ad quartae Sessionis narrationem.

XXVIII. ET ULTIMA CONGREGATIO GENERALIS.

Anno 1727. die 26. Septembris hora de meridie tertia in Palatii Archiepiscopalis Sacello habita est a Rmo D. Archiepiscopo vigesima-octava et ultima Congregatio generalis, cui interfuere Rmi D. D. Episcopi omnes, qui praecedenti interfuerant, R. D. de Puget, R. D. Abbas Boscodonensis, Deputati, Theologi et Canonistae Concilii.

Institutum Examen Librorum a Promotore delatorum die 18. praesentis mensis exegit Synodus tulitque in delatos Libros Censuram infra descriptam, cujus autographum extat inter instrumenta Concilii authentica.

CENSURA

adversus quosdam Libros gallice impressos.

Facta a Concilii Promotore denuntiatione Librorum, quibus titulus est: *Dissertation sur la Validité des Ordinations des Anglois, à Bruxelles chez Simon Herstevens Libraire 1723.* et: *Défense de la Dissertation: sur la Validité des Ordinations des Anglois, contre les différentes réponses, qui y ont été faites avec les preuves justificatives etc. Par l'Autheur de la Dissertation, à Bruxelles chez Simon Herstevens 1726.* Audito hac super re Rmo D. Episcopo Massiliensi, cui cura demandata fuerat referendi, quae Censuris Ecclesiasticis digna viderentur in praedictis Scriptis: eosdem, coram propositos ac diligenter examinatos, justo Anathemate dignos facile agnovit haec sancta Synodus.

Ex illo siquidem Examine evidenter colligitur, praefatos Libros sub falso et inani futurae cum Ecclesia Romana Anglorum Conciliationis obtentu Haeretica Dogmata exsuscitare; neque enim audacissimo huic Erroris Magistro fuit satis Primatui Petri detrahere, Auctoritatem Episcoporum aperte impugnare, Catholicam circa Sacerdotium et in anima impressum per Sacramenta Characterem Doctrinam adulterare, Venerandas, quae in celebrandis Sacris Mysteriis adhibentur, Caerimonias despectui et ludibrio objicere, ea demum circa Sacramentorum formam edocere principia, quibus vel ipsa destrueretur Sacramentorum substantia; quod stupendum et horrendum magis, ut sacrilegas de Eucharistia Anglorum opiniones, in Sacrosancta Tridentini Concilii Synodo profligatas [1], a Censuris vindicaret, nullam praesentem in Sacrificio Altaris immolari Victimam, et Missae Sacrificium esse duntaxat repraesentativum et commemorativum, ac proinde *nudam Sacrificii in Cruce peracti commemorationem in Missa fieri*, asserere non erubuit, suamque de Transsubstantiatione et reali praesentia Christi Corporis et Sanguinis in Sacramento Eucharistiae necnon circa alia Ecclesiae Dogmata fidem innumeris in locis suspectam demonstrat.

Quapropter Concilium in Spiritu sancto congregatum, invocato Christi nomine, auditis Theologorum votis, ipsaque pro rei gravitate causa mature perpensa, praefatam dictorum Librorum Doctrinam: falsam, temerariam, scandalosam, Sedi Apostolicae et Episcopis injuriosam, Schismati et Haeresi faventem, erroneam, jam a sancta Tridentina Synodo damnatam et haereticam declarat et ut talem damnat et anathematizat. Praeterea praedictos libros retinere, legere, commodare, describere aut typis edere universis utriusque sexus Christi Fidelibus sub poenis a Jure praescriptis prohibet, eosque apud Tabularium Dioecesis reponi mandat.

[1] Conc. Trid. Sess. 22. Can. 3.

Datum in Concilio Provinciali Ebredunensi in vigesima-octava et ultima Congregatione generali, habita die vigesima-sexta mensis Septembris anni millesimi septingentesimi vigesimi-septimi. *(Ainsi Signés à l'Original:)*

† Ego *Petrus* Arch. P. Ebredun. definiens subscripsi.
† Ego *Franciscus* Episcopus Vapincensis definiens subscripsi.
† Ego *Henricus* Episcopus Massiliensis definiens subscripsi.
† Ego *Joannes* Episcopus et Dominus Bellicensis, Sacri Romani Imperii Princeps, definiens subscripsi.
† Ego *Flodoardus* Episcopus et Dominus Vinciensis definiens subscripsi.
† Ego *Petrus-Josephus de Castellane* Episcopus Forojuliensis definiens subscripsi.
† Ego *Petrus-Franciscus* Episcopus Sistaricensis definiens subscripsi.
† Ego *Dominicus* Episcopus Glandavensis definiens subscripsi.
† Ego *Antonius-Franciscus* Episcopus Aeduensis definiens subscripsi.
† Ego *Franciscus-Reginaldus* Vivariensis Episcopus definiens subscripsi.
† Ego *Joannes-Baptista* Episcopus Aptensis definiens subscripsi.
† Ego *Alexander* Episcopus et Comes Valentinensis definiens subscripsi.
† Ego *Joan.* Episc. et Princeps Gratianopolitanus definiens subscripsi.
† Ego *Carolus-Octavianus* Episc. Grassensis definiens subscripsi.
† Ego *Raymundus* Episcopus Niciensis definiens subscripsi.

XXVIII. ET ULTIMA CONGREGATIO PRIVATA.

Anno 1727. die 27. Septembris ante meridiem consueto in loco habita est a Rm̃o D. Archiepiscopo vigesima-octava et ultima Congregatio privata, cui iidem interfuere Rm̃i D. D. Episcopi, qui praecedenti interfuerant, ac R. D. de Puget.

Deliberatum fuit, ut sequenti die post meridiem Synodus Solemni ritu procedens interesset generali omnium Ordinum supplicationi habendae pro celebranda Festivitate Translationis Sacrarum Reliquiarum Beatae Victoriae; quae solemnis procedendi ac supplicandi Caerimonia eam referret, quae pro dimittenda ac solvenda Synodo fuisset de more indicenda.

Peracta atque absoluta est Actorum Concilii recitatio.

Tum demum constitutum fuit a Synodo, ut nomine suo conscriberentur Litterae ad Summum Pontificem, ad Regem Christianissimum, ad Galliae Episcopos, ad Eminentissimum Cardinalem de Fleury, publicae rei Administratorem, et ad ipsos Senecensis Dioecesis Fideles; curaque commissa perscribendi ad Summum Pontificem Rm̃o D. Episcopo Grassensi; ad Regem Christianissimum Rm̃o D. Episcopo Gratianopolitano; ad Galliae Episcopos Rm̃o D. Episcopo Sistaricensi; ad Eminentissimum Cardinalem de Fleury Rm̃o D. Episcopo Augustodunensi, et ad Fideles Dioecesis Senecensis Rm̃o D. Episcopo Vivariensi.

V. ET ULTIMA SESSIO.

Die Dominica, quae fuit dies vigesima-octava Septembris, anno millesimo septingentesimo vigesimo-septimo, SS. D. N. Benedicti Papae XIII. Pontificatus anno quarto, Regni Christianissimi Regis Ludovici XV. duodecimo, habita est in Ecclesia Metropolitana quinta et ultima Sessio eo, qui sequitur, modo.

Hora octava matutina Rm̃i Domini Episcopi caeterique omnes, quibus constat Concilium, in Palatium Archiepiscopale convenere, unde processionaliter itum est ad Ecclesiam Metropolitanam eo vestium ornatu eoque procedendi ordine, qui designatus fuit ac praescriptus in prima Congregatione generali.

Illustrissimus ac Rm̃us D. Archiepiscopus, cum in Throno suo sese Sacrificantis vestibus induisset, Missam pontificaliter celebravit de Communi Virginum, cum hac die ex praecepto dicti Rm̃i D. Archiepiscopi Officium fieret de Translatione Reliquiarum sanctae Victoriae.

Peracta Missa, eaedem sunt recitatae preces, eaedem adhibitae Caerimoniae, ac in tertia Sessione. Tum Secretarius e manibus Rm̃i D. Archiepiscopi excepit more solito Decreta, quae promulgavit ordine sequenti: *1. De Baptismo; 2. de Confirmatione; 3. de Eucharistia; 4. de Poenitentia; 5. de Extrema-Unctione; 6. de Ordine; 7. de Matrimonio; 8. de Indulgentiis; 9. de Reliquiis; 10. de Sepulturis;* et denique Censuram supra transscriptam adversus quosdam Libros gallice impressos, quibus titulus est: *Dissertation sur la Validité des Ordinations des Anglois etc.* et: *Défense de la Dissertation sur la Validité des Ordinations des Anglois contre les différentes Réponses, qui y ont été faites etc.* Quae cum Decreta recepta et approbata fuissent a Patribus more in praecedentibus Sessionibus usurpato, Illustrissimus et Rm̃us D. Archiepiscopus Orationem habuit.

Cum perorasset Rm̃us D. Archiepiscopus, Secretarius e Pulpito recitavit Decretum de subscribendo Decretis Concilii.

Decretum de Subscribendo.

Illustrissimus et Rm̃us D. Petrus de Guerin de Tencin, Archiepiscopus Princeps Ebredunensis, sancti Romani Imperii Princeps et Tricamerarius, Throno Pontificio assistens, admonet Reverendissimos Patres omnes, qui huic Synodo jure intersunt et interfuerunt, ut post se, singuli loco et ordine suo, ad Altare majus accedant et iis, quae in hac Synodo decreta sunt, subscribant.

Recepto et approbato dicto Decreto a Patribus more solito, Rm̃us D. Archiepiscopus, cum sese inclinasset ad Rm̃os D. D. Episcopos, convertit se ad Altare atque, paululum inflexo ad Crucem capite, subscripsit modo sequenti.

Nos Petrus de Guerin de Tencin, Archiepiscopus Princeps Ebredunensis, sancti Romani Imperii Princeps et Tricamerarius, Throno Pontificio assistens, Regi ab omnibus Consiliis, haec Decreta a nobis definita subscripsimus. *† Petrus* Arch. P. Ebred.

Cumque in solita sede sua reversus Rm̃us D. Archiepiscopus consedisset, Rm̃i D. D. Episcopi, singuli per vicem ad Altare accedentes, inclinato capite ad Rm̃um D. Archiepiscopum, deinde ad Altare, subscripsere pariter eo, qui sequitur, ordine et modo.

† Ego *Franciscus* Ep. et Comes Vapincensis, Princeps sancti Imperii, subscripsi.
† Ego *Henricus* Episcopus Massiliensis subscripsi.
† Ego *Joannes* Episcopus et Dominus Bellicensis, Sacri Romani Imperii Princeps, subscripsi.
† Ego *Flodoardus* Episcopus et Dominus Vinciensis subscripsi.
† Ego *Petrus-Josephus de Castellane* Episcopus Forojuliensis subscripsi.
† Ego *Petrus-Franciscus* Episcopus Sistaricensis subscripsi.
† Ego *Dominicus* Episcopus Glandavensis subscripsi.
† Ego *Antonius-Franciscus* Episcopus Aeduensis subscripsi.
† Ego *Franciscus-Reginaldus* Episcopus Vivariensis subscripsi.
† Ego *Joannes-Baptista* Episcopus Aptensis subscripsi.
† Ego *Alexander* Episcopus et Comes Valentinensis subscripsi.
† Ego *Joannes* Episc. et Princeps Gratianopolitanus subscripsi.
† Ego *Carolus-Octavianus* Episc. Grassensis subscripsi.
† Ego *Raymundus* Episcopus Niciensis subscripsi.

Ego Franciscus de Puget, Vicarius Generalis atque Procurator generaliter ad omnia deputatus Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Episcopi Diniensis, ejus nomine interfui et subscripsi; et omnia et singula in hac sancta Synodo Ebredunensi Acta, Decreta, Edita et Promulgata ejus et Ecclesiae suae nomine recipio.

Quibus omnibus ad propriam sedem reversis et sedentibus, Secretarius e dicto Pulpito interrogavit:

Illustrissime Domine, Reverendissimi Patres! Placetne vobis, ad Dei Omnipotentis laudem, hujus Concilii Provincialis finem jam fieri?

Reverendissimi Episcopi responderunt *Placet.* Atque Secretarius Decretum de fine Concilii promulgavit.

Decretum de fine Concilii.

Cum absoluta sint, quae pro temporis ratione agi gerique posse videbantur, cumque Pastoralis cura Rm̃os D. Episcopos, qui huic sanctae Synodo interfuerunt et intersunt, ad Ecclesiarum suarum Pastorales Vigilias revocet, propterea huic sancto Concilio finem imponi censuimus.

Tum vero sic acclamatum est a Patribus.

ACCLAMATIONES.

Secretarius. Benedictio Dei Omnipotentis super Sanctissimum Papam, multi anni Benedicto XIII. ad exaltationem Ecclesiae.

Resp. Benedictio super illum, multi anni.

Secret. Ludovico XV. Regi nostro, qui Concilium hoc Provinciale promovit et protexit, dies super dies adjiciat Dominus et annos ejus usque in diem generationis et generationis. Benedicat illum Deus in aeternum.

Resp. Dies super dies adjiciat Dominus. Amen. Benedicat illum in saecula. Amen.

Secret. Victorem Amedeum, Sardiniae Regem pium et pacificum, conservet Deus et custodiat.

Resp. Conservet illum Deus et custodiat.

Secret. Reverendissimum Dominum Metropolitanum hujus Provinciae et in hoc Concilio Praesidentem rore gratiae suae perfundat Deus et ad aeternam Gloriam reservet.

Resp. Rore gratiae suae perfundat eum Deus, ad aeternam Gloriam reservet.

Secret. Reverendissimos Episcopos, quos Spiritus Sanctus in hoc Concilio congregavit ad gloriam et utilitatem Provinciae nostrae, ad Ecclesias suas feliciter reducat incolumes et ad multos annos conservet.

Resp. Incolumes reducat et conservet.

Secret. Omnibus Orthodoxis in hoc Concilio congregatis Pax super illos et Benedictio.

Resp. Pax et Benedictio.

Secret. Fidem, quam haec sancta Synodus professa est, integram illibatamque servemus, sanctas Leges in perpetuum amplectamur.

Resp. Amplectamur, credamus corde et hanc Fidem ore profiteamur.

Secret. Qui a Fide illa pertinaciter recesserint, inter Ethnicos habeantur.

Resp. Haereticis illis Anathema, Anathema.

Secret. Novatores, qui Romanam Ecclesiam Sanctam, Catholicam et Apostolicam vel corde vel ore blasphemant, detestamur.

Resp. Eos anathematizamus. Anathema cunctis Haereticis.

Secret. Confessionem illam in ore nostro conservet Dominus ad gloriam et utilitatem Ecclesiae salutemque nostram.

Resp. Conservet in aeternum, fiat, fiat, Pax super nos et Misericordia.

Acclamationes excepit solemnis cantus *Te Deum laudamus.* Hunc vero secuta est *Oratio Gratiarum Actionis,* recitata a Reverendissimo Domino Archiepiscopo.

Hinc mitrati Reverendissimi Domini Episcopi, ordine antiquitatis procedentes, ad R̃mum D. Archiepiscopum accessere, inclinatoque ad eum capite, Pacis osculum accepere et dedere; indeque ad locum quisque suum reversi, sese invicem dicto Pacis osculo sunt deosculati.

Deinde solemniter R̃mus D. Archiepiscopus toti Coetui ac populo benedixit: cui consequenter Indulgentias centum dierum, a Concilio concessas, promulgavit e suggestu Secretarius, dimittens eos et canens *Recedamus in Pace.* Respondit Chorus occinendo *In nomine Domini.*

His peractis, R̃mus D. Archiepiscopus et R̃mi D. D. Episcopi, depositis ornamentis, recessere.

Post meridiem R̃mi D. D. Archiepiscopus et Episcopi solemni omnium Ordinum supplicationi, habitae pro celebranda Festivitate Translationis Reliquiarum B. Victoriae, interfuere, Sacram Reliquiarum Thecam gerentibus quatuor Presbyteris Dalmatica indutis, ad quatuor vero Thecae angulos praeligatas vittas longiores manu gestantibus quatuor antiquioribus Episcopis, videlicet R̃mis D. D. Vapincensi, Massiliensi, Bellicensi et Vinciensi Episcopis. Cum autem in Ecclesiam cuncti longo ordine procedentes reversi fuissent, R̃mus D. Archiepiscopus, sumpto in manus SS. Sacramento, solemni ritu ac more toti Coetui benedixit. Tum, postulantibus R̃mis D. D. Episcopis, singulis impertivit R̃mus D. Archiepiscopus, non sine authentico traditionis perscripto testimonio, partem aliquam Reliquiarum B. Victoriae, solemne ac perpetuum ipsis futurum tam augustae Caerimoniae monimentum.

a † *Petrus* Arch. P. Ebredunensis.
† *Franciscus* Episcopus Vapincensis.
† *Henricus* Episcopus Massiliensis.
† *Joannes* Episcopus Bellicensis.
† *Flodoardus* Episcopus Vinciensis.
† *Petrus-Josephus* Episcopus Forojuliensis.
† *Petrus-Franciscus* Episcopus Sistaricensis.
† *Dominicus* Episcopus Glandavensis.
† *Antonius Franciscus* Episcopus Aeduensis.
† *Franciscus-Reginaldus* Episcopus Vivariensis.
† *Joannes-Baptista* Episcopus Aptensis.
† *Alexander* Episcopus et Comes Valentinensis.
† *Joannes* Episcopus Princeps Gratianopolitanus.
† *Carolus-Octavianus* Episc. Grassensis.
† *Raymundus* Episcopus Niciensis.
De Michel Concilii Secret.

---

b

Epistolae Synodicae Concilii Ebredunensis.

EPISTOLA SYNODICA

ad Sanctissimum DD. P. Benedictum XIII.

Beatissime Pater,

Antiquae Traditionis exempla servantes et Ecclesiasticae memores Disciplinae [1], Concilii nostri Ebredunensis gesta ad Ecclesiarum Matrem et Magistram referenda esse censuimus, ut Statutis nostris etiam Sedis Apostolicae adhibeatur auctoritas.

Officium vero illud nostrae erga Petri Cathedram reverentiae eo propensius exequimur, quo Sanctitatis Vestrae pro Synodalibus Episcoporum Coetibus sive restituendis sive confirmandis studium novimus ac sollicitudinem.

Horum, quibus olim, Beatissime Pater, praecipue florebat, celebrationem Conventuum instaurari, jam dudum efflagitabat Ecclesia Gallicana. Nostrorum tandem, Illustrissimo promovente
c Ebredunensi Archiepiscopo, et Rege annuente Christianissimo, compotes facti Votorum, in nomine Domini convenimus summa omnium Provinciae Ordinum frequentia.

Cum autem Episcoporum, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, primum munus sit, Fidei depositum custodire intemeratum, prima quoque nobis cura fuit, ut Apostolicas Constitutiones ad profligandas recentes Haereses, toto plaudente Orbe Christiano, promulgatas ea, qua par est, animi sinceritate atque demissione servandas esse declararemus.

Delatum exinde tartareum quoddam opus, quo sub obtentu ineundae Anglos inter et Catholicam Ecclesiam concordiae a Sacrosancta Tridentina Synodo execratae Haereses, circa adorandum praesertim Missae Sacrificium, aperte retractantur, damnavimus et reprobavimus. Mores demum restaurare aggressi, ea statuimus, quae in Ecclesiarum nostrarum utilitatem cessura in Domino judicavimus.

Quot ex illo nostro Concilio in hanc Provinciam, quot in Ecclesiam Gallicanam fructus atque emolumenta redundatura essent, Boni omnes laeto animo prospiciebant. Sane abundabat
d per Christum consolatio nostra; sed heu quam cito ex laetitia ad luctum reciderunt omnia, cum Reverendissimi Episcopi Senecensis Pastorale documentum permultis audivimus, insimulante Concilii Promotore, scatere erroribus! In Judicium deductum Opusculum, prout rei gravitas postulabat, diligenter expendimus; plurima autem in eo deprehendimus Ecclesiae, Summis Pontificibus et Gallicanis Episcopis injuriosa, plurima scandalosa, schismatica et spiritu Haeretico plena; uno verbo, nihil in eo documento comperimus, quod, ut aiebat Innocentius I. [2], *placeret, et nihil pene, quod non penitus displiceret, a quovis damnandum atque culpandum, cujus similia, nisi qui ea scripserat, nemo alter in mentem reciperet atque sentiret.*

Exitialis quippe libellus iste Formulae, ab Alexandro VII. ad excidendam radicitus Jansenianam Haeresim sapienter praescriptae, futilibus vim omnem distinctionibus conatur adimere; Clementis XI. irretractabilem Constitutionem, quae incipit *Uni-*

[1] Innoc. I. ad Conc. Carthag. [Coustant Ep. Rom. Pont. 888. C.]
[2] Ad Episc. Afric. [Coustant 903. B.]

genitus Dei Filius, palam et aperte proscindit. Perniciosum denique Quesnelli Considerationum Moralium Librum, totius Ecclesiae Judicio damnatum, summis, verius dixerimus, horrendis encomiis extollit ac veluti nutriendae Fidelium pietati idoneum praedicat atque commendat.

Solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo Pacis, inexpertum nihil reliquimus, Beatissime Pater, ut Fratrem devium ad debitam sanctae Matri Ecclesiae obedientiam revocaremus. Sed *hominum mente corruptorum et qui veritate privati sunt, deditus* consiliis et deceptus, omnium Nostrum plenissimis amoris et officii monitis corde restitit obfirmato.

Quocirca, ne, ut scribebat Synodus Carthaginensis [1], diu inultus multa occupans insanabilis error accresceret, neve, aberrante Pastore, oves commissi Gregis abducerentur in praeceps, advocatis e vicinioribus Provinciis plurimis Episcopis, ut causae plenior cognitio haberetur, Judiciumque ageretur splendidius, praefatum Reverendissimum Episcopum Senecensem, uti damnatos saepius errores foventem et Ecclesiae rebellem, omni Jurisdictione Episcopali et exercitio Potestatis, tum Episcopalis tum Sacerdotalis, suspendendum esse decrevimus et suspensum ore unanimi pronuntiavimus.

Quid superest, Beatissime Pater, nisi ut Concilio nostro S. V. major accedat auctoritas, qua Decreta robore firmentur Apostolico, et qua plenissime constet, Reverendissimi Episcopi Senecensis causam rite et legitime dijudicatam fuisse.

Nostras hac super re demississimas preces B. V. audituram benigne, spem non dubiam faciunt vigor ille Sacerdotalis et Pastoralis illa vigilantia, qua Dominicum Gregem verbo pascis et exemplo; hancce fiduciam multum juvant Vestrae ad Ducem nobis et Auctorem operis, Illustrissimum Ebredunensem Metropolitanum, Litterae ipsum erga et Synodum officiosissimae.

Deum interea precamur enixe, ut Ecclesiae suae B. V., renovata ut aquilae juventute, diu praestet salvam et incolumem.

Ita vovent, paternam Vestram Benedictionem enixe postulantes,

Beatissime Pater,

Sanctitatis Vestrae

Obsequentissimi ac devotissimi Filii Archiepiscopus et Episcopi in Concilio Ebredunensi congregati.

† *Petrus* Arch. P. Ebredunensis.

Datum in Concilio Ebredunensi die 27. mensis Septembris Anno 1727.

De Mandato Concilii
De Michel, a Secretis.

LETTRE SYNODIQUE

au Roy.

Sire

Nous avons regardé comme un effet singulier de la protection que Vôtre Majesté ne cesse d'accorder aux Evêques de son Royaume, la permission qu'elle a donné d'assembler le Concile de la Province d'Embrun.

Le rétablissement de ces saintes Assemblées a fait depuis plus d'un siécle l'objet des desirs de nos Prédécesseurs. La plûpart d'entre nous ont eu l'honneur d'être les témoins des favorables dispositions de Vôtre Majesté à satisfaire sur ce point les Vœux empressés que le Clergé formoit depuis si long-temps.

L'expérience du passé, la connoissance des maux présens de l'Eglise, l'efficacité du reméde étoient de puissants motifs pour nous faire désirer de voir revivre un usage consacré par la pratique des temps Apostoliques.

Les lumiéres supérieures de Vôtre Majesté, la sagesse qui préside à ses Conseils, son attachement à l'intégrité de la Foi l'ont renduë sensible au bien général et aux besoins particuliers. C'est dans des vûës aussi respectables, qu'elle a authorisé la Métropole d'Embrun à s'assembler en Concile Provincial, et les Evêques des Provinces voisines à s'y joindre pour discuter et traiter de concert les affaires qui nous paroîtroient interesser davantage la Réligion et le Dogme Catholique.

Nous pouvons, Sire, nous rendre à nous-mêmes la justice que nôtre unique but a été de remplir un devoir aussi important. Nous nous sommes attachez à déclarer nos sentimens sur les points de Doctrine qui nous ont paru exiger une attention
a plus particuliére, pour nous opposer au cours des nouvelles erreurs. Nous avons choisi dans les divers Canons de Discipline, reçûs déja dans nos Eglises, ceux dont nous avons jugé que l'exacte observance contribueroit davantage à l'édification des peuples soûmis à nos soins.

De tels objets n'offroient que des idées consolantes, si nos soins n'eussent été partagés par la douleur que nous ont causé les plaintes qui ont été déférées à nôtre Tribunal contre un de nos Confréres, et cette premiére douleur n'eut été encore que passagére, si l'examen que nous avons dû faire de ces plaintes, ne nous avoit convaincu qu'elles n'étoient que trop bien fondées.

Des doutes scandaleux renouvellez hautement sur une question solemnellement décidée, un livre proscrit par la réünion de tous les Evêques au Souverain Pontife, remis avec éloge au grand jour, une Constitution Dogmatique adoptée par le Corps entier des pasteurs, traitée outrageusement, sont en peu de mots les divers excez que nous avons remarqués avec d'autant plus de douleur dans les écrits de ce Confrére, que nous nous sommes trouvez dans la dure, mais indispensable necessité de les ré-
b primer.

C'est la fâcheuse extrémité où nous a réduit son insensibilité aux réprésentations qu'un zèle tendre et compatissant à son malheur, dictoit successivement à chacun de nous. Bien persuadez que la gloire la plus pure que nous pussions acquerir eût consisté à ramener à la vérité celui de nos Fréres qui s'en éloignoit, nous n'avons rien omis pour vaincre son obstination; mais elle a rendu vains et inutiles tous nos efforts, et c'est cette obstination seule à qui on doit attribuer un Jugement dont la rigueur s'est fait d'abord sentir à nous-mêmes dans le temps que nous n'avons pû la refuser aux Droits Sacrez du Ministére dont nous sommes revêtus.

Etabli, Sire, comme vous l'êtes, Protecteur des saints Canons, Titre auguste dont vôtre piété vous rend si digne, nous ne craindrons point d'employer auprès de Vôtre Majesté les mêmes expressions dont se servit autrefois le Pape S. Léon en écrivant à un Empereur du même nom, et de vous exhorter dans cette conjoncture, de faire une sérieuse attention que la Puissance Royale ne vous est point seulement confiée pour le Gou-
c vernement Temporel de vôtre Royaume, mais qu'elle est principalement déposée dans vos mains pour protéger l'Eglise, afin qu'en arrêtant les entreprises téméraires, vous soûteniez les choses qui ont été prudemment réglées, et vous assûriez la joüissance d'une Paix solide dans les lieux où l'on a vû le trouble et l'agitation.

C'est en tenant une route aussi sûre que vous mériterez, Sire, que nos Annales vous mettent au rang des Constantins, des Théodoses, des Marciens, des Justiniens, et que vous vous montrerez fidèle Imitateur de la Réligion de S. Louis et de Louis le Grand.

Pour nous, Sire, après avoir répandu en commun devant le Thrône du Dieu vivant, des priéres ferventes pour la conservation de Vôtre Majesté, nous nous hâtons de retourner dans nos Diocéses, soûtenus par la confiance de ne nous être pas montrés indignes de la préférence qu'elle a bien voulu nous accorder. Le même esprit a dirigé toutes nos délibérations: Elles ont été formées par le seul desir de défendre la vérité attaquée, et de procurer à des Peuples menacés de la séduction, un se-
d cours que nous ne pouvions leur refuser sans prévarication.

Nos Decrets munis du Sceau de vôtre Authorité serviront d'un frein propre à arrêter le progrez de l'erreur, de même que nôtre convocation faite par vos Ordres, est un témoignage éclatant de la réligieuse déférence que vous avez pour la voix des Ministres de l'Eglise.

La Justice que Vôtre Majesté rendra sans doute à la droiture de nos démarches, nous fait esperer qu'elle trouvera un nouveau motif de rendre commun à l'avenir l'usage de ces saintes Assemblées dans l'attention avec laquelle nous avons tâché de remplir en même temps dans celle-cy nos différens devoirs.

Nous sommes avec un Respect très-profond,

Sire,

De Vôtre Majesté

Les très-humbles et très-obéissans Serviteurs et Sujets les Archevêque et Evêques composant le Concile d'Embrun.

A Embrun le 27. Septembre 1727.

Par le Concile,
De Michel Secretaire.

[1] Ad Innoc. I.

EPISTOLA SYNODICA

ad Dilectos Fratres, Capitulum, Clerum et Populum Ecclesiae Senecensis.

Vobis omnibus scribendum duximus, Fratres dilectissimi, de eo, quod spectat ad omnes. Urimur graviter, nimis Ecclesiam vestram procellis errorum jactari; et quod magis exacerbat dolorem, inde ortam esse tribulationem, unde consolatio sperari debuerat.

Indixit Antistes vester bellum Veritati, Auctoritati, Judiciis, et Sponsae Christi praelium movit; Filiis inobedientiae non solum manus dedit, sed etiam Ducem et Antesignanum se praebuit.

Ad Synodum nostram delatum est Documentum Pastorale, datum Castellanae die 28. Augusti anni proxime elapsi, quod Reverendissimus Senecensis Episcopus suum agnovit et in Paroeciis vestris suo jussu fuisse promulgatum ultro confessus est.

Legimus Documentum illud et exhorruimus. Quis enim talia non exhorreat, nisi attendens spiritibus erroris jam a Fide discesserit? Auctor illius Subscriptioni purae et simplici Formulae, ab Alexandro VII. praescriptae ad ejurandas quinque Jansenii Propositiones in sensu ab Auctore intento, aperta fronte refragatur; Constitutionem *Unigenitus*, quam universalis Ecclesia amplexata est, non solum audacter respuit, sed pravae etiam Doctrinae per insignem calumniam insimulare non veretur et, dicens malum bonum et bonum malum, Quesnelli Librum, per praefatam Constitutionem damnatum cum centum et una Propositionibus inde excerptis, Gregi suo tanquam ab omni erroris labe immunem et ad fovendam pietatem saluberrimum commendat: ac si ipse solus cum paucissimis sequacibus, aliis Christi Fidelibus ubique gentium desipientibus, saperet, ipse solus, reliquis caecutientibus, lumen veritatis aspiceret.

In lacrymis luctuque jacentes, diu obtestati sumus eum, qui aperit oculos caecorum et aures surdorum patere facit, ut Fratri nostro, in tam gravi delicto praeoccupato, daret poenitentiam ad cognoscendam veritatem, simulque nihil intentatum reliquimus, ut juxta Apostoli praeceptum in spiritu lenitatis illum instrueremus et a Doctrinis variis et peregrinis abductum, quod unice in votis erat, lucraremur.

Credebamus, hortando, suadendo, obsecrando, in quo toti fuimus per dies plurimos in omni patientia et Doctrina, credebamus, inquam, factum iri, ut, qui hactenus sibi quodammodo derelictus in suo sensu abundare falso praesumpserat, sanctae Synodi in Spiritu Sancto congregatae sanis Sermonibus et ejus, quae secundum pietatem est, Doctrinae tandem aliquando, ut par erat, acquiesceret. Sed pro dolor! inani spe jactati sumus, imo vero dolori nostro novam dolendi materiam suppeditans, tanquam aeger multa febre laborans, contra Medicos insanivit et priores excessus gravioribus excessibus in ipsa Synodo cumulavit, ita ut cum Propheta dicere possimus: *Expectavimus pacem, et non est bonum: tempus curationis, et ecce turbatio.*

Cum igitur, nec charitatis officiis victus, nec etiam monitionibus Ecclesiasticis permotus, pertinaciter renuerit intelligere, ut bene ageret: ulterius dissimulare nobis non tutum est, Christiano autem populo et vobis praesertim perniciosum; atque adeo censuimus cohibendum, ne diutius noceret ovibus, et sanguis earum de manu nostra requireretur. Itaque ad lugubrem Sententiam contra vestrum R*m*um Episcopum et illius Instructionem Pastoralem coacti venimus; Doctrinam istius praesertim tanquam seditiosam, scandalosam, schismaticam, spiritu haeretico plenam, erroribus refertam et haereses foventem damnavimus; illum ab officio et jurisdictione Episcopali et ab omni officio Ordinis tum Episcopalis tum Sacerdotalis suspendimus, donec, profana vocum novitate relicta, quae recta ac decentia sunt, sapiat; simulque saluti vestrae consulentes, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, Dioecesi vestrae regendae praeposuimus virum enutritum verbis Fidei et bonae Doctrinae et jam dudum pietate, scientia, zelo et Ecclesiasticarum rerum usu de Ecclesia bene meritum.

Mirum non sit, Dilectissimi Fratres, Episcopum, cum tanta contumacia Ecclesiae judicia et auctoritatem aversantem et ab iis Gregem sibi commissum avertere conantem, non eas dedisse poenas, quas postulare videbantur Regulae Canonum et ipsum etiam Judicium Divino ore prolatum contra Prophetas, qui locuti sunt vana et vident mendacia, de quibus dixit Dominus: *in Concilio populi mei non erunt, in Scriptura Domus Israel non*

a *scribentur, nec in Terram Israel ingredientur, eo quod deceperint populum meum.*

Decebatne, dum Fratri nostro zelo veritatis et justitiae irasci cogebamur, misericordiae non recordari, docente Apostolo, Servos Dei mansuetos esse ad omnes, cum modestia corripientes eos, qui resistunt veritati?

Quapropter sic in Errantem animadvertimus, ut medicinam potius adhibuisse videamur quam poenam; sin autem mitiori manu tractatus ad cor non redeat, in amaritudine animae nostrae consolabimur invicem in verbis istis: Quid debuimus facere Praesuli indurato et rebelli, et non fecimus, ut converteretur et viveret?

Quod ad vos spectat, Fratres Dilectissimi, rogamus et obsecramus vos in Domino Jesu, ut, quemadmodum per praedictam sententiam accepistis a nobis, quomodo vos oporteat sentire et placere Deo, sic et sentiatis; si Fidem vestram a tramite veritatis insinuatio male docentis Pastoris averterit, hodie vocem Matris Ecclesiae benignissime revocantis audite: Doctrinam ab illa in Jansenii et Quesnelli Libris damnatam religiosa detesta-
b tione damnate; illi repugnare, vel ipso trahente proprio Episcopo, quasi peccatum ariolandi est, et quasi scelus idololatriae nolle acquiescere.

Sit igitur vestri erga sanctam Synodum obsequii debiti indicium a venenatis pascuis Pastoris vobis subducti recedere. Sit vestri in ipsum amoris officium errantem deflere et supplicibus a Deo precibus quotidie postulare, ut illuminans sedentem in tenebris et umbra mortis, in viam obedientiae, unitatis et pacis pedes ejus quam citissime dirigat.

Charitas nostra, Dilectissimi Fratres, cum omnibus vobis in Christo Jesu.

Datum Ebreduni die 23. mensis Septembris 1727.

EPISTOLA SYNODICA

ad Reverendissimos Galliae Episcopos.

Reverendissime Domine,

Quod olim tantopere commendabant Oecumenica Concilia,
c quod tot abhinc annis expetebant Cleri Gallicani Comitia, quod demum exigebant vel ipsa Ecclesiae discrimina undique ingruentia, hoc a summa nec satis laudanda Regis pietate consecuti sumus et studuimus religiose exequi.

Obtenta igitur celebrandi Concilii licentia, Reverendissimos Provinciae nostrae Episcopos Ebredunum convocavimus; ibique sacra Fidei dogmata acerrime propugnari, expurgari mores sanctioresque universalis disciplinae Leges in integrum restitui curavimus.

Unum nos summo moerore perculit: Fratrem amantissimum, arctissimis huic nostrae Provinciae obstrictum vinculis et vel ipsa sua provectiori aetate venerandum, Reverendissimum Episcopum Senecensem doluimus graviter accusatum.

Ejus nomine inscripta prodierat anno proxime elapso *Instructio Pastoralis* sub die vigesima-octava Augusti, typis impressa. Hoc idem documentum ad nos detulere Concilii Promotores, prout scatens erroribus, refertum conviciis et schismatis ignibus accensum. Tria praecipue eaque gravissimi ponderis hoc in scripto mature perpendenda ob oculos posuere, Auctoris
d videlicet audaciam in damnanda pura et simplici Formularii subscriptione, temeritatem tum in lacessenda Constitutione *Unigenitus* tum in impugnanda illius acceptatione ubique Terrarum ab Episcopis facta, obstinatissimam denique animi pervicaciam in tuendo *Reflexionum Moralium Libro.* Praedicto et coram adstanti Episcopo Senecensi ex Juris praescripto injunximus, ut gravibus adeo querelis in ipsum contortis responderet, dilueret impositum crimen et gravissimam suspicionem a se amoveret. Respondit quidem ille interroganti, sed pro dolor! detestandum illud opus suum esse agnovit, manu propria suo nomine obsignavit asseruitque, promptum se esse, qui illud acriter propugnaret.

Quis tunc fuerit omnium sensus, quis spiritus, quantoque fuerimus pressi dolore, vix conjici posset. Quos labores non suscepimus, quas non impendimus curas, quo Eum errantem ad saniorem sensum revocaremus? Sed frustra.

Accire ergo e vicinioribus Provinciis Episcopos numero plures operae pretium duximus, in Domino confisi futurum, ut dictum Antistitem, aut suis precibus et colloquiis devictum, aut

solemnioris Judicii apparatu perculsum, Ecclesiae Matri restituerent. a Incredibile dictu, quantis eum humanitatis et Religionis Officiis prosecuti sint. Nihil intentatum, inexpertum nihil omisere, ut illius animum pravis exasperatum consiliis, falsis opinionibus imbutum et in suis erroribus pertinaciter obfirmatum e mendacii tenebris eruerent.

Verum quid prosunt obdurato cordi rationum momenta vel adhortationum pondera? Haereticorum more Judicibus recusationem, rationibus cavillationem, citationibus et interrogationibus appellationem, monitionibus contemptum, dilationibus tandem contumaciam opposuit.

Pessimo eo in rerum statu quid facto opus? Nec crimen omnino inultum relinquere ferebat Religio, nec etiam meritas ab eo poenas summo Jure expetere commiseratio suadebat. In illud igitur Propheticum plene intenti: *Cum iratus fueris, misericordiae recordaberis*, satius duximus, si in Reum nec severius nec segnius vindicaretur. Ulti praeterita, futura prospeximus et absolutioni locum, si forte resipiscat, in Domino concedendum judicavimus; sicque Fidei deposito, saluti Praesulis, Gregis utilitati ac denique totius Ecclesiae expectationi consultum fuisse b confidimus.

Faxit Deus, ut, quae unanimi Patrum consensu gesta sunt, Amplitudinis vestrae Suffragio comprobentur. Faxit etiam, ut, quem in exemplum aegre dedimus, in se tandem reversus, caeteris sit exemplo redeundi.

Ea sumus, qua par est observantia,
Reverendissime Domine,
Amplitudinis Vestrae

Humillimi et Obsequentissimi in Christo Servi
† *Petrus* Arch. P. Ebr.

Datum in Concilio Ebredunensi die 27 mensis Septembris 1727.

De Mandato Concilii
De Michel Secretarius.

P. S. Post exaratas praesentes Litteras et jam in pleno consessu perlectas ad nos pervenit typis impressa, quae Reverendissimi Episcopi Senecensis nomine inscripta et ad cunctos Galliae Episcopos data fuit Epistola encyclica. Commentis, calumniis et factis supposititiis eam esse plenam, luculenter demonstrabunt vel ipsa Acta Concilii, quantocius, ut speramus, c in lucem edenda. Ratum interim illud et fixum est, salvam omnino, penitus illaesam et integerrimam esse et semper fuisse hujus sanctae Synodi libertatem. Imo notorium est, omnes et singulos hujus Concilii nostri Episcopos et nominatim praefatum Reverendissimum Episcopum Senecensem eandem prorsus libertatem habuisse, et ad ipsum saepius in qualibet hebdomada nuntios et cursores pervenisse.

PRECIS DU RAPPORT

de M. l'Evêque de Grasse.

M. L'Evêque de Grasse ayant pris le Bureau a dit que l'Instruction Pastorale de M. l'Evêque de Senez répanduë dans le public depuis près d'une année avoit excité le zéle et l'attention de tous les Evêques, et particuliérement de ceux de cette Province; que d'ailleurs les excez dont cette Piéce étoit remplie frappoient tellement à la premiére lecture, qu'il ne lui avoit pas fallu un long travail pour se mettre en état d'exécuter les ordres d de l'Assemblée, et après avoir donné une idée générale de cette Instruction, et avoir représenté toute l'importance du Jugement que le Concile avoit à prononcer, il a divisé son Rapport en trois Parties; la premiére regardoit la Signature du Formulaire d'Alexandre VII., la seconde la Constitution *Unigenitus*, et la troisiéme le Livre des Réflexions Morales.

M. de Grasse a exposé dans la premiére Partie, que M. de Senez soûtenoit [1] que l'Eglise n'a droit d'exiger la Signature, que des Décisions qu'elle fait sur les Dogmes révélés, et non pas des Jugemens qu'elle prononce sur les faits Dogmatiques, que par conséquent la Signature du Formulaire d'Alexandre VII. doit être expliquée selon la distinction du fait et du droit authorisée par Clement IX. et que quoi qu'il eût signé le Formulaire purement et simplement, c'est conformément à cette distinction que doit être entenduë sa Signature; Que le Pape Clement XI. dans sa Bulle *Vineam Domini* ne prononce rien sur le silence respectueux qui ne regarde que le fait de Jansenius; qu'il eût été à soûhaiter que l'Assemblée du Clergé de 1705. eût mis hors de toute atteinte la distinction du fait et du droit pour ôter aux ennemis de la Paix et de la Doctrine de l'Eglise, les funestes atteintes qu'ils portent à l'une et à l'autre; Que la Signature du Formulaire est l'occasion et la source de beaucoup de maux, qu'on a raison de soûhaiter qu'elle soit abolie, et que jusqu'à ce que ces Voeux soient accomplis, il n'épargnera rien pour maintenir la liberté des Signatures expliquées selon la distinction du fait et du droit.

[1] Instruction Pastorale de M. de Senez du 28. Août 1726. page 24. 25.

M. de Grasse a combattu ces principes en disant que l'Eglise étoit en droit d'exiger une soûmission intérieure aux Jugemens qu'elle prononce sur les faits qui ont rapport avec les Dogmes; Il a montré par plusieurs Actes tirés des Conciles, qu'elle avoit dans tous les tems exercé ce droit; il a dévelopé ces points de l'Histoire Ecclésiastique avec autant de solidité que d'érudition, et il a répondu à tous les subterfuges dont les Partisans de Jansenius ont coûtume de se servir pour éluder la force de ces authorités: Il est entré dans le détail de ce qui s'étoit passé au tems de la Paix de Clement IX. et il a fait voir que ce Pape n'avoit jamais approuvé qu'on signât le Formulaire en ne se soûmettant intérieurement qu'à la décision du droit, et en gardant seulement un silence de respect et de discipline à l'égard du Fait: Il l'a prouvé par les paroles mêmes des deux Brefs que Clement IX. écrivit à cette occasion; l'un aux quatre Evêques et l'autre au Roy; Dans le premier [1], le Pape dit qu'inviolablement attaché aux Constitutions de ses Prédécesseurs il n'eût jamais admis sur la Signature du Formulaire aucune exception ni restriction; Dans le second [2] le même Pape assûre le Roy qu'il a reconnu avec joye la soûmission et l'obéissance des quatre Evêques dans la Signature pure et simple qu'ils ont faite du Formulaire, et qu'il lui est bien plus agréable d'être porté à user de clémence envers eux, que d'être obligé à user de rigueur à cause de leur opiniâtreté.

Des Brefs de Clement IX. M. de Grasse a passé à la Bulle *Vineam Domini* de Clement XI. dont il a fait l'analyse. Il a remarqué, 1° Qu'elle déclaroit précisément, que pour satisfaire aux Constitutions Apostoliques [3], tous les Fidéles doivent rejetter et condamner non seulement de bouche mais encore de coeur, le sens du Livre de Jansenius comme le sens Hérétique qui a été condamné dans les cinq Propositions. 2° Qu'elle condamnoit expressément la Doctrine qui enseigne que pour rendre aux Constitutions Apostoliques l'obéissance qui leur est dûë, il n'est pas nécessaire de condamner intérieurement comme hérétique le sens du Livre de Jansenius condamné dans les cinq Propositions, mais qu'il suffisoit de garder sur cela un silence respectueux. 3° Que [4] cette Bulle condamnoit l'abus qu'on avoit voulu faire des Brefs de Clement IX. puisqu'elle taxoit de témérité ceux qui vouloient faire servir ces Brefs à la défense de leurs erreurs, comme si Clement IX. eût admis quelque sorte d'exception et de restriction dans une affaire si importante, lui qui avoit protesté qu'il n'en auroit jamais admis aucune. M. de Grasse a fait sentir combien ces décisions étoient contraires aux principes de M. de Senez sur la Signature du Formulaire; il a remarqué ensuite qu'on ne pouvoit signer le Formulaire purement et simplement, et cependant ne pas condamner intérieurement le sens

[1] Nam dictorum Praedecessorum nostrorum Constitutionibus firmissime adhaerentes, nullam circa illud (Formularium) exceptionem aut restrictionem admissuri unquam fuissemus.

[2] Tanta sane cum laetitia cognovimus in simplici ac pura Subscriptione Formularii quatuor Episcoporum obedientiam et obsequium, a quo profecto magis nos juvat ad clementiam invitari, quam ad severitatem rigoris a contumacia compelli.

[3] Obedientiae, quae praeinsertis Constitutionibus debetur, obsequioso illo silentio minime satisfieri, sed damnatum in quinque praefatis Propositionibus Janseniani Libri sensum, quem illarum verba prae se ferunt, ut praefertur, ab omnibus Christi Fidelibus ut Haereticum, non ore solum, sed et corde rejici ac damnari debere, nec alia mente, animo aut credulitate supradictae Formulae subscribi licite posse . . . . Auctoritate Apostolica decernimus, declaramus, statuimus ac ordinamus.

[4] Quasdam piae memoriae Clementis Papae IX. Litteras in erroris sui Patrocinium advocare, temerario plane ausu non erubescunt, perinde ac si memoratus Clemens Praedecessor . . . . aliquam in tam gravi negotio exceptionem seu restrictionem, quam nullam prorsus se unquam admissurum fuisse protestatus fuit, reipsa admisisset.

du Livre de Jansenius sans pécher non seulement contre la sincérité Chrétienne, mais encore contre l'honnêteté publique, sans être parjure et sans tromper l'Eglise: que M. de Senez s'avoüoit coupable de tous ces excès lorsqu'il disoit qu'en signant le Formulaire purement et simplement, il n'avoit point eu dessein de condamner intérieurement le sens du Livre de Jansenius. a

Sur ce que M. de Senez ne s'étoit pas seulement contenté d'attaquer la Signature pure et simple du Formulaire, mais qu'il vouloit la détruire entiérement, en déclarant qu'il la regardoit comme une occasion, une source et une cause de beaucoup de maux, et qu'il approuvoit ceux qui en demandoient l'abolition: M. de Grasse a dit qu'il sembloit que M. de Senez eut pris à tâche de contredire tout le monde, les Evêques de France, le Roy, le Pape, toute l'Eglise: les Evêques de France qui protestent en écrivant à Alexandre VII. qu'il n'y avoit pas de meilleure voye que cette Signature pour établir l'authorité de la Constitution d'Innocent X., le Roy qui remontra à Alexandre VII. que le moyen le plus propre pour extirper les restes du Jansenisme étoit de faire signer un Formulaire: le Pape qui assûre (c'est Clement XI.), qu'Alexandre VII. dressa le Formulaire pour ôter tout prétexte d'éluder les définitions du saint b Siége: toute l'Eglise enfin qui a toûjours regardé les Formulaires par lesquels on souscrivoit la condamnation non seulement des erreurs, mais encore des Ecrits et de leurs Autheurs, comme un moyen très-convenable et souvent très-nécessaire pour s'assûrer de la Foi des Fidéles.

M. de Grasse a fini cette premiére partie de son Rapport en disant, que M. de Senez voyant bien qu'il ne pouvoit se flatter qu'on abolît la Signature du Formulaire, vouloit au moins la rendre tout à la fois inutile et criminelle: Inutile, en n'exigeant pas que ceux qui signent le Formulaire condamnent intérieurement le sens du Livre de Jansenius, que l'Eglise condamne dans les cinq Propositions: Criminelle, en authorisant le mensonge et le parjure dont on se rend toûjours coupable quand on jure et proteste condamner sincérement un sens qu'on croit Orthodoxe et véritable; De là M. de Grasse est entré dans la seconde Partie de son Rapport.

Selon M. de Senez, a-t'il dit[1], la Constitution *Unigenitus* a été donnée pour favoriser et authoriser des opinions dangereuses c sur le Dogme, des maximes de reláchement sur la Morale, des abus sur la Discipline et de faux principes sur la Hiérarchie...... La Constitution proscrit et renverse dans son vrai sens les Dogmes Orthodoxes, les Régles sûres des Moeurs, l'Administration légitime des Sacremens, les Points les plus importans de nos saintes Libertez, nos Loix et nos Usages les plus Sacrés...... Les Défenseurs de la Bulle en veulent à la Doctrine, et aux Régles de l'Eglise; ils attaquent ouvertement les vérités Catholiques, persuadés qu'en cela ils ne font que se conformer à la Constitution trop favorable à leurs desseins[2]....... La Bulle a mis le trouble[3] et la division dans tous les Ordres du Royaume au moment qu'elle a paru, elle sera la semence d'une Guerre éternelle, jusqu'à ce que tout le monde s'accorde enfin à la rejetter, on ne peut l'accepter avec quelque correctif qu'elle puisse être proposée, sans faire un tort très-préjudiciable à la vérité[4].

Après cet exposé, M. de Grasse a dit que pour combattre tout ce qu'avançoit M. de Senez contre la Constitution *Unigenitus*, il y avoit deux voyes à prendre: La premiére, de montrer que toutes les Propositions que la Constitution proscrit méritent d'être d condamnées: La seconde, de prouver que cette Bulle est un Jugement définitif de l'Eglise universelle qui ne peut authoriser des Decrets qui auroient les défauts que M. de Senez reproche à celui-ci, il a dit qu'il ne s'arrêtoit point au premier moyen qui avoit été si exactement discuté par les Prélats de l'Assemblée du Clergé de 1714. et par plusieurs autres personnes distinguées par leur science et par leurs dignités; il a seulement remarqué que le Livre des Réflexions Morales contenoit le principe fondamental des erreurs de Baïus et de Jansenius, et pour le prouver il a parcouru quelques-unes des Propositions condamnées par la Bulle. Quant au second moyen, il a dit qu'il ne paroissoit pas nécessaire de prouver que la Bulle étoit une décision de l'Eglise universelle, que trois Grands Papes, Clement

[1] Instr. past. pag. 15.
[2] Page 8.
[3] Page 56.
[4] Page 13. et 57.

XI. Innocent XIII. et Benoît XIII. à la tête d'un Concile nombreux l'ont déclaré, que dès 1717. cinquante deux Cardinaux, Archevêques et Evêques de France s'expliquérent de même, que deux Assemblées du Clergé de France, celles de 1723. et de 1725. l'ont reconnu, qu'un grand nombre d'Evêques étrangers en ont rendu témoignage, et que la seule notoriété du Fait doit en convaincre tous les Gens de bonne foi, qu'il est évident que cette Bulle a été donnée par le Pape, et qu'elle a été reçûë solemnellement ou tacitement par tous les Evêques du monde hors un très-petit nombre, que les Novateurs avoient beau crier que cette acceptation n'a été ni uniforme ni Canonique, que ce sont des chicanes qui ont été mille fois détruites, que les Papes et les Evêques ont tous décidé que les 101 Propositions condamnées par la Bulle renferment quelque erreur ou du moins quelque excès qui les rend répréhensibles, qu'après cela on ne doit plus demander ce que l'Eglise a dit, parce que sa décision n'est pas moins nette et précise qu'elle est ferme et constante[1].

Or, a ajoûté M. de Grasse, puisque la Constitution est un jugement de l'Eglise universelle, les outrages que M. de Senez fait dans son Instruction à cette Bulle, retombent sur l'Eglise même. Si le Jugement qu'elle a rendu contre les 101 Propositions renverse les vérités Chrétiennes, comme le prétend M. de Senez, les promesses lui ont manqué; elle n'est plus la Colomne et l'Appui de la vérité; les portes de l'Enfer ont prévalu; elle a perdu son unité qui consiste dans la profession d'une même Foi, puisqu'en même tems qu'un petit nombre d'Evêques défend, dit-on, la vérité, le Pape et le Corps Episcopal ont authorisé l'erreur; elle a perdu sa Sainteté, puisque son Chef visible et la très-grande multitude de ses premiers Pasteurs renversent les véritables maximes de Morale et les seules Régles légitimes pour l'administration des Sacremens; elle a cessé d'être Apostolique, puisque le plus grand nombre de ses Pasteurs et de ses Fidèles ne professent plus la Foi que les Apôtres ont enseignée et embrassent des Décisions erronées; elle a enfin cessé d'être visible puisque la vérité a cessé d'y prévaloir et d'y dominer.

M. de Grasse a parlé ensuite du trouble que M. de Senez prétend avoir été causé par la Constitution, et il a fait voir que ce n'étoit pas la Bulle qui avoit causé le trouble, mais ceux dont les erreurs étoient proscrites par ce sage Decret, et qui inondent la France d'une foule de libelles séditieux et schismatiques, il leur a appliqué ce qu'on répondoit aux Ariens qui faisoient la même reproche, *hae voces*, disoient les Ariens, *ex Substantia et Consubstantialitate nobis minime placent, quibusdam enim offendiculo fuere, plurimos conturbarunt.* Mais, leur répondoit S. Athanase, si ces paroles causoient par elles-mêmes du scandale, j'en serois moi-même scandalisé aussi bien que tous les Fidèles, marquez moi, je vous prie, continuë-t'il de leur dire, qui sont ceux que vous prétendez être scandalisés et troublés de ces expressions; certainement ce n'est aucun de ceux qui pensent avec piété de J. C. car ils les défendent et ils les employent; que si ceux qui sont choqués de ces expressions sont Ariens, faut-il s'étonner s'ils se révoltent contre ceux qui détruisent leur Hérésie? Le Rapport de cette seconde Partie a été terminé par ce beau passage de saint Augustin qui disoit aux Pélagiens: Vôtre cause a été jugée par le Tribunal compétent des Evêques, il ne faut plus agir avec vous que pour vous faire obéir en paix au Jugement qui a été rendu, et si vous refusez de le faire, on ne doit plus agir que pour détruire vos artifices et pour réprimer vôtre inquiétude.

M. de Grasse a commencé la troisiéme Partie de son Rapport par exposer les éloges que M. de Senez donne au Livre des Réflexions Morales dans son Instruction: C'est un Livre, selon M. de Senez[2], qui bien loin de mériter aucune Censure est très-digne au contraire d'être lû, comme renfermant le langage des divines Ecritures et des Saints Péres, comme rempli de lumiére et d'onction, comme très-propre à nourrir la piété des Fidèles, en les faisant entrer dans les Mystéres de J. C., en leur en donnant l'intelligence; Ce Livre ne mérite pas plus d'être proscrit que les 101 Propositions qui en ont été extraites; C'est par une lâche complaisance, dit M. de Senez, pour le Chef de l'Eglise, que je l'ai condamné; et pour réparer le tort qu'il lui a fait en le condamnant, il le remet entre les mains de ses Diocésains comme un precieux gage de son zéle pour leur salut.

[1] M. Bossuet liv. 15. des Var. n. 155.
[2] Instruct. page 12.

M. de Grasse a fait voir la fausseté du Jugement que porte a
M. de Senez du Livre des Réflexions Morales, il a rappellé plusieurs des erreurs condamnées dans les Propositions qui sont extraites de ce Livre; il a fait sentir l'infidélité de la traduction dont l'Autheur s'est servi, l'abus que ce même Autheur fait de l'Ecriture et des Péres; Il a ajoûté ensuite que M. de Senez n'avoit pû sans témérité, sans scandale et sans révolte contre l'Eglise approuver ce Livre, en authoriser et en recommander la Lecture, que tous les Evêques avoient concouru avec le Souverain Pontife pour l'ôter des mains des Fidéles, que les Prélats mêmes qui n'avoient pas accepté la Bulle *Unigenitus* s'étoient crus obligés d'en interdire la lecture à leurs Diocésains; que la raison aussi bien que la Réligion nous apprenoient que le sentiment particulier d'une seule personne qui combat et qui contredit ce que tous les autres soûtiennent, n'étoit suivant l'expression de Cassien qu'orguëil et présomption, et par conséquent nuisible et dangereux; que pour justifier le procédé de M. de Senez dans la conduite qu'il tient par rapport au Livre des Réflexions Morales, il falloit dire que Dieu avoit découvert à lui seul la vérité, et qu'il l'avoit cachée aux autres, ce que b
le Concile d'Afrique de l'an 417. traitoit de paradoxe insoûtenable, comme si l'on pouvoit croire, dit ce Concile, que nôtre Dieu fasse discerner à un seul Evêque la justice d'une cause qu'il laissera ignorer à une infinité d'Evêques assemblés en Concile.

M. de Grasse a aussi remarqué l'excez auquel M. de Senez s'étoit porté en exhortant ses Diocésains de persister dans leur adhésion à son Appel, et en leur adressant ces paroles[1]; *Nous vous conjurons, M. T. C. F. vous tous à qui appartient cette Gloire,* (L'Adhésion à son Appel), *et qui l'avez jusqu'ici conservée sans tâche, de ne vous la point laisser enlever, lorsque nous ne serons plus parmi vous. Soyez en garde contre tous ceux qui voudroient vous en dépoüiller, sous quelque nom qu'ils viennent, et de quelque Caractére qu'ils soyent revêtus. Reconnoissez l'authorité légitime qu'ils auront sur vous, conservez pour eux tout le respect qui leur sera dû, obéissez leur en tout ce qui sera conforme à la Loi de Dieu, mais non pas jusqu'à leur sacrifier les lumiéres de vôtre Conscience, et les intérêts inaliénables de la vérité.*

M. de Grasse a résumé tout ce qu'il avoit rapporté de l'In- c
struction de M. de Senez, il a fait sentir le venin répandu dans cet ouvrage, et a dit qu'il croyoit avoir démontré que la Doctrine de ce Prélat étoit entiérement opposée à celle de l'Eglise, qu'il ne lui restoit plus qu'à remercier le Concile de la bonté avec laquelle il avoit bien voulu l'entendre, et en finissant il a adressé ses Voeux au Ciel pour demander à Dieu d'éclairer M. de Senez, de toucher son coeur, et de le ramener au chemin de la vérité.

PRECIS DU RAPPORT

de M. l'Evêque de Glandéves.

M. l'Evêque de Glandéves a pris le Bureau pour faire le Rapport de l'affaire de M. l'Evêque de Senez.

Il a représenté d'abord l'importance de l'affaire que le Concile avoit à juger, et ce que l'Eglise attendoit d'un Tribunal aussi auguste; il est entré ensuite dans le détail de toute la Procédure depuis la dénonciation que le Promoteur du Concile a faite de l'Instruction Pastorale de M. l'Evêque de Senez, d
dans la Congrégation du dix-huit Août jusqu'à la comparution de ce Prélat dans la Congrégation du onze Septembre. Il a rendu compte de tous les Actes qui ont été produits par M. l'Evêque de Senez ou signifiés à sa requête, la dénonciation du Promoteur et ses differens réquisitoires, les Jugemens rendus par le Concile sur chacun de ces Actes en particulier, et les significations qui ont été faites de ces Jugemens à M. de Senez, généralement tout ce qui est contenu dans les Actes du Concile sur cette affaire. Il a fait sur chacune de ces Piéces differentes réflexions, et a relevé les fausses allégations qui sont insérées dans les Actes de ce Prélat touchant ce qui s'est passé dans le Concile.

M. l'Evêque de Glandéves après avoir rendu compte de la Procédure, est entré dans le fonds et a dit, que pour en donner une connoissance exacte il lui paroissoit nécessaire d'examiner quatre points.

[1] Page 59.

1° Si les chefs de plainte contenus dans la dénonciation du Promoteur, étoient conformes à la Doctrine et aux expressions renfermées dans l'Instruction Pastorale de M. l'Evêque de Senez.

2° Si cette Doctrine et ces expressions conformes aux chefs de plainte du Promoteur ont dû exciter son ministére, et si elles méritent la Censure du Concile.

3° Supposé que l'Instruction Pastorale mérite d'être censurée, si M. de Senez, qui s'en est avoüé l'Autheur et qui a remis au Concile un Ecrit qui en renouvelle et qui en confirme la Doctrine, doit être condamné à quelque peine Canonique.

4° Quelle peine Canonique le Concile devroit dans ce cas imposer à ce Prélat.

Sur le premier Article M. l'Evêque de Glandéves a rappellé au Concile que le Promoteur dans sa dénonciation se plaignoit de trois choses: de la maniére dont M. de Senez dans son Instruction Pastorale avoit parlé du Formulaire d'Alexandre VII. et de la Signature pure et simple de ce Formulaire: du portrait affreux que ce Prélat y faisoit de la Bulle *Unigenitus*, et de ce que dans cette même Instruction il recommandoit à ses Diocésains la lecture du Livre des Réflexions Morales. M. de Glandéves a dit qu'il eût été à soûhaiter que le Concile en examinant par lui-même l'Instruction Pastorale eût pû reconnoître que les idées que le Promoteur lui avoit données de cet ouvrage étoient outrées, mais que depuis que cette Instruction avoit été lûë en plein Concile, et depuis le Rapport que M. l'Evêque de Grasse en avoit fait avec autant d'exactitude que d'érudition, on voyoit avec douleur que les plaintes du Promoteur n'étoient que trop fondées; il a cependant encore fait la lecture des endroits de l'Instruction qui avoient donné lieu aux plaintes du Promoteur, d'où il a conclu que les chefs de la dénonciation étoient pleinement vérifiés.

Sur le second article, il a dit que pour faire sentir combien la Doctrine de l'Instruction Pastorale de M. de Senez est condamnable, il suffisoit de la remettre devant les yeux du Concile; Il y a 70 ans, a-t'il dit, que les Papes, les Evêques de France et nos Rois agissent de concert pour affermir la condamnation des cinq Propositions de Jansenius, en exigeant la Signature pure et simple du Formulaire; Pourra-t'on impunément contredire cette Signature, y substituer cette fameuse distinction du fait et du droit que le Parti n'a défendu jusqu'aujourd'hui avec tant d'opiniâtreté, que parce qu'il l'a regardée comme un moyen sûr pour éluder la condamnation des erreurs auxquelles il demeure toûjours attaché malgré les Anathémes de l'Eglise? Sera-t'il permis d'attaquer la Bulle d'Alexandre VII. si constamment exécutée dans l'Eglise de France, et de vouloir l'anéantir sous prétexte d'une Paix que Clement IX. n'accorda que parce qu'on lui fit entendre que ceux qui y furent compris, étoient parfaitement soûmis à cette Bulle? De quel front peut-on dire que la Bulle *Vineam Domini Sabaoth*, ne condamne pas le sistéme du silence respectueux sur le fait de Jansenius, et n'oblige pas ceux qui signent le Formulaire à la Créance intérieure de ce fait? Les termes de la Bulle sont clairs, et d'ailleurs quel en a été l'objet? la condamnation du fameux cas de Conscience où le sistéme du Silence respectueux, tel que le propose l'Instruction Pastorale de M. de Senez, étoit approuvé. Quant à la Constitution *Unigenitus*, Vous sçavez, Messeigneurs, que cette Bulle acceptée par le Corps des premiers Pasteurs, munie du Sceau de l'Authorité Royale, est devenuë une Loi de l'Eglise et de l'Etat, contre laquelle il n'est pas plus permis à un Evêque qu'à un simple Fidèle de s'élever aujourd'hui; Vous la regardez sans doute tous comme un Jugement Dogmatique et irréformable de l'Eglise universelle; C'est donc sur l'Eglise même, cette Epouse de J. C. pure et sans tâche, cette Colomne de la Verité, que retombent les Blasphêmes impies et scandaleux qu'on vomit contre cette décision. C'est l'Eglise même qu'on attaque lorsqu'on dit que la Bulle authorise des opinions dangereuses sur le Dogme, des maximes de relâchement sur la Morale, des abus sur la Discipline, de faux principes sur la Hiérarchie, qu'elle renverse, qu'elle proscrit non par des conséquences obscures et éloignées, mais dans son véritable sens, les Dogmes Orthodoxes, les régles sûres des Moeurs, l'administration légitime des Sacremens, les points importans de nos Libertés, nos Loix et nos Usages les plus Sacrés. Quant au Livre des Réflexions Morales, sans entrer même dans le détail de tout ce qu'il contient de mauvais, peut-on sans une témérité scandaleuse se déclarer hautement le défenseur d'un Livre proscrit si solemnellement? Quel aveugle-

ment de vouloir se croire seul plus capable de juger de l'Orthodoxie d'un Livre, que le Pape, que tous les Evêques du monde Chrêtien, et Ceux même qui n'ont pas reçû la Constitution, qui l'ont condamnée? Une singularité si outrée ne mérite-t'elle pas que l'ouvrage où on la trouve, quand il n'auroit pas d'autre vice, soit flétri par le Concile? M. de Glandéves a ajoûté plusieurs autres réflexions sur ces différentes matiéres, et il est ensuite entré dans la discussion du troisiéme point: Sçavoir si M. de Senez qui s'étoit avoüé Autheur de l'ouvrage où il se trouvoit une Doctrine si condamnable, méritoit quelque peine Canonique; il a remarqué que la condamnation d'un Ouvrage entraînoit avec soi celle de l'Autheur qui ne vouloit pas le desavoüer, lorsque l'Autheur étoit soûmis à la jurisdiction de l'authorité qui censuroit l'Ouvrage; il a exposé les moyens dont M. l'Evêque de Senez se servoit pour décliner le Jugement du Concile, l'Appel qu'il avoit interjetté en 1717. de la Constitution *Unigenitus* au futur Concile Général, et qu'il avoit renouvellé en plusieurs autres occasions, l'inséparabilité de sa cause d'avec celle des personnes qui comme lui, avoient appellé de la même Constitution au futur Concile Général, l'Appel comme d'abus dont il avoit saisi le Parlement de Paris en 1720. le nouvel Acte d'Appel au Pape et au Concile du violement de la Paix de Clement IX. qu'il venoit de faire signifier. M. de Glandéves a dit qu'il seroit à soûhaiter que ce que les Evêques devoient à la conservation du dépôt de la Foi pût permettre au Concile d'admettre les moyens proposés par M. de Senez; que c'est toûjours avec une véritable douleur et avec une grande répugnance qu'on se détermine à employer son authorité contre un Confrére qu'on ne peut s'empêcher d'aimer, lors même que par son obstination il semble vouloir mettre dans la dure nécessité de le punir; mais que rien ne pouvoit soustraire M. de Senez au Jugement du Concile, qu'une rétractation pure et simple de son Instruction; que l'Eglise n'auroit pas de ressource pour arrêter le progrès des erreurs, si à la faveur d'un Appel au futur Concile Général, Tribunal qui ne subsistera peut-être pas de plusieurs siécles, il n'y avoit pas d'authorité capable d'imposer aux Novateurs; qu'un Evêque étoit justiciable du Concile de sa Province, et que ce qui étoit allégué par M. de Senez, ne pouvoit empêcher que ce Prélat ne fût soûmis à celui qui étoit assemblé, ce qui a donné occasion à M. de Glandéves de discuter encore les raisons d'incompétence objectées par M. de Senez.

Enfin M. de Glandéves après avoir prouvé que M. de Senez ne pouvoit échaper au Jugement du Concile, a proposé les différentes peines ausquelles les Canons condamnoient les Evêques qui se trouvent dans le cas où étoit ce Prélat, il a rapporté un grand nombre d'exemples des Jugemens que les Conciles avoient rendus contre des Evêques accusés dans leur Doctrine, il s'est arrêté principalement à ceux où l'esprit de douceur et de charité avoit prévalu sur la rigeur prescrite par les saints Canons contre les Evêques rebelles aux décisions de l'Eglise, à ces Jugemens où on s'étoit contenté de punir le coupable par de simples suspenses dans l'espérance de pouvoir par ce ménagement le faire rentrer en lui-même, et où on lui avoit laissé entre les mains le moyen de pouvoir par une humble soûmission se faire délier des Censures prononcées. M. de Glandéves ayant fini son Rapport ajoûta qu'il ne pouvoit donner un Avis définitif sur cette affaire, qu'on n'eût fait de nouveaux efforts auprès de M. de Senez, et qu'on n'eût épuisé tout ce que la charité pouvoit encore avoir de ressource; que Dieu avoit peut-être attaché aux démarches qu'on feroit dans cet instant auprès de ce Prélat, la grace de sa soûmission et de son retour, et qu'ainsi il croyoit qu'on devoit lui faire trois Monitions d'un jour à l'autre, en le sommant de rétracter l'Instruction Pastorale par lui avoüée, et de la condamner en ce qu'il y enseigne d'opposé à la Signature pure et simple du Formulaire, en ce qu'il y dit d'injurieux et d'opposé à la Constitution *Unigenitus* et à l'acceptation qui en a été faite, en ce qu'il y avance pour authoriser la lecture du Livre des Réflexions Morales, et lui déclarer en même tems que faute de ce faire et lesdits délais passés, il sera procédé au Jugement de sadite Instruction et de sa personne par Censures et peines Ecclésiastiques conformément aux saints Decrets et aux Canons.

M. l'Evêque de Glandéves ayant pris le Bureau pour continuër son Rapport sur l'affaire de M. de Senez, a rappellé au Concile tout ce qu'il avoit dit le lundi précédent, il a rendu compte des Actes contenans les trois Monitions et Sommations

a faites à ce Prélat, les 15. 17. et 18. Septembre, et de l'Acte que ce même Prélat a fait signifier le onze Septembre, et après qu'ils ont été lûs, ensemble tout le Procès, il a dit: Vous aviez lieu de vous flatter que vos derniéres démarches si pleines de charité pourroient enfin ramener cet Evêque à l'unité de sentimens, et le porter à renoncer à la mauvaise Doctrine qu'il a avancé dans son Instruction Pastorale, mais ses Réponses aux trois Monitions qui lui ont été faites de la part du Concile et l'Acte qu'il vous a fait signifier, ne laissent plus aucune espérance sur son retour, ce qui m'oblige de déclarer avec la douleur la plus amére que mon sentiment est:

1° Quant aux Ecrits de M. l'Evêque de Senez, que sans avoir égard aux divers Actes que cet Evêque a fait signifier, tant au sujet de l'incompétence et des récusations générales et particuliéres, qu'aux Appels par lui interjettés au futur Concile Général et au Pape, et aux Appels comme d'abus au Parlement de Paris et autres, le Concile condamne son Instruction Pastorale du 28. Août 1726. comme contraire aux Loix de l'Eglise et de l'Etat, pernicieuse, tendante à fomenter des erreurs déja con-
b damnées, à révolter les Fidéles contre les Supérieurs légitimes et sur-tout à introduire le Schisme en ce qui regarde la Signature pure et simple du Formulaire d'Alexandre VII. en ce qui y est faussement avancé contre la Constitution *Unigenitus* et l'acceptation qui y en a été faite, et en ce qui concerne la lecture du Livre des Réflexions Morales, sans vouloir approuver par ces désignations particuliéres le surplus de ladite Instruction.

2° Qu'en proscrivant les erreurs que M. l'Evêque de Senez a renouvellées dans l'Ecrit en forme de Lettre en date du 15. Juin de la présente année tant en son nom qu'en celui de ses Adhérans, qu'il a lui-même lû en plein Concile, signé et laissé sur le Bureau, le Concile condamne cet Ecrit comme téméraire, scandaleux, séditieux, tendant à favoriser des erreurs condamnées par l'Eglise, injurieux au saint Siége et au Clergé de France, principalement en ce qui regarde la Bulle *Vineam Domini Sabaoth* acceptée et exécutée sans aucune contradiction dans le Royaume.

3° Qu'inhibitions et défenses soyent faites par le Concile à tous les Fidéles de l'un et de l'autre sexe, exempts et non exempts, du Diocése de Senez et de cette Province Ecclésiastique,
c de soûtenir et d'enseigner la mauvaise Doctrine contenuë dans ladite Instruction Pastorale et dans les autres Ecrits qui la favorisent, d'imprimer, vendre et débiter ladite Instruction et lesdits Ecrits, de les lire et retenir chez soi, le tout sous peine d'Excommunication encouruë par le seul fait, et avec injonction de remettre les Exemplaires de ladite Instruction et desdits Ecrits aux Greffes des Officialités des Diocéses.

4° Quant à la Personne de M. de Senez, que ce Prélat soit interdit et suspens de toute Jurisdiction et des fonctions Episcopales et Sacerdotales dans son Diocése et par tout ailleurs, jusqu'à ce que par une rétractation authentique de son Instruction Pastorale et des autres Ecrits qu'il a faits pour la défense de ladite Instruction, il vienne à résipiscence, et que le cas avenant, le Concile donne pouvoir à Monseigneur l'Archevêque d'Embrun son Métropolitain, et en cas de vacance du Siége Métropolitain, au plus ancien Suffragant de la Province, de lui donner l'Absolution à ce requise.

5° Que le Concile nomme à Senez un Grand Vicaire, un Official, un Promoteur et tous Officiers nécessaires pour le Gou-
d vernement du Diocése, autres néanmoins que ceux qui ont été établis par M. de Senez, ausquels Grand Vicaire, Official et Officiers seront délivrées des Lettres par Monseigneur l'Archevêque, ou en cas de vacance du Siége Métropolitain, par le plus ancien Suffragant de la Province, suivant qu'il sera jugé convenable pour le bien du Diocése de Senez.

6° Qu'il sera pris sur les revenus de l'Evêché de Senez un tiers pour fournir aux frais de l'administration du Diocése, lequel tiers sera remis entre les mains du Grand Vicaire nommé qui en rendra compte, ensemble de toute son Administration de trois en trois mois, ou plus souvent s'il en est requis, à Monseigneur l'Archevêque, et en cas de vacance du Siége Métropolitain, au plus ancien Suffragant de la Province.

7° Que le Concile enjoigne au Grand Vicaire qui sera nommé, de faire biffer des Régistres de l'Officialité, ladite Instruction Pastorale, de faire signer purement et simplement le Formulaire à ceux du Diocése de Senez, qui ne l'ont pas signé, ou qui l'ont signé avec des restrictions, et à ceux qui se présenteront pour les saints Ordres ou pour des *Visa* et institutions

de Bénéfices, de faire publier la Constitution *Unigenitus* dans a tout le Diocése et de pourvoir généralement à tout ce qui sera nécessaire pour le bien du Diocése et pour le rétablissement et le maintien de la bonne Doctrine.

Qu'enfin le Jugement du Concile soit signifié à Monseigneur l'Evêque de Senez, que Copie lui en soit donnée, et qu'il soit publié dans le Diocése de Senez et partout où besoin sera.

PRECIS DU RAPPORT

fait par M. l'Evêque de Marseille.

M. L'Evêque de Marseille a fait son Rapport et a dit.

Jamais Ouvrages ne furent si dignes de l'attention des Evêques assemblés, surtout dans un Concile pour arrêter les progrès de la nouveauté et de l'erreur, que ceux qui vous ont été dénoncés, et dont je suis chargé de vous rendre compte.

Je le ferai, Messeigneurs, avec l'exactitude et la fidélité que vous avez droit d'attendre de moi, et autant qu'il me sera possible, avec la briéveté qui paroît convenir à une Matiére aussi b claire que l'est par elle-même, celle dont je dois vous entretenir.

Le F. Pierre-François le Courayer Chanoine Régulier de l'Abbaye de sainte Geneviéve de Paris donna au public en 1723. un Livre intitulé, *Dissertation sur la Validité des Ordinations des Anglois, et sur la Succession des Evêques de l'Eglise Anglicane, avec les preuves justificatives des Faits avancés dans cet Ouvrage, à Bruxelles 1723.*

Il n'y mit point son nom; il craignit sans doute et avec raison les réfutations et les Censures, mais se rassûrant ensuite et ne pouvant se refuser à lui-même l'honneur qu'il s'imagina que devoit lui faire son Livre parmi ce qu'il appelle *les Catholiques éclairés*, il s'en déclara l'Autheur en 1724.

Cette Dissertation dans laquelle l'Autheur entreprend de justifier la Doctrine et la Réligion des Anglicans aux dépens de la Foi de l'Eglise Romaine ouvertement combattuë sur plusieurs points, scandalisa les véritables Fidéles; elle allarma plusieurs célébres Théologiens, ils la regardérent comme une suite dangereuse de ce malheureux projet d'union de Réligion avec c les Anglois, qui selon le bruit qui en avoit déja couru, avoit été formé par quelques Docteurs, ils s'élevérent donc contre elle et démontrérent la fausseté et les erreurs dont elle est remplie.

Le nouveau Défenseur de la Secte Anglicane pour répondre à ces Théologiens et pour soûtenir ce qu'il avoit avancé fit paroître en 1726. un nouvel Ecrit qui porte ce titre, *Défense de la Dissertation sur la Validité des Ordinations des Anglois, contre les différentes Réponses qui ont été faites etc. par l'Autheur de la Dissertation etc.* Ce second Livre mille fois plus pernicieux et plus digne de vôtre indignation que le premier, attaque sans ménagement et à découvert l'Eglise Catholique, dans son Auguste Sacrifice, dans son Sacerdoce, dans la forme de ses Ordinations, dans ses saintes Cérémonies, dans l'Authorité et la Primauté de son Chef.

Il n'est point ici question de quelques expressions équivoques ou hardies, échapées sans desein; c'est un Sistéme formé et soûtenu dans tout cet Ouvrage de ténébres, non pour engager les Anglois à rentrer dans le sein de l'Eglise de Rome dont ils sont malheureusement sortis; mais au contraire pour d porter les Catholiques Romains à se réünir eux-mêmes avec l'Eglise de Londres, les Opinions des Protestans mille fois condamnées, y sont renouvellées et enseignées comme des vérités incontestables, reconnuës pour telles dans l'Eglise, la Doctrine constante de cette même Eglise sur le Sacrifice de la Messe, et sur la présence réelle de Jésus-Christ dans l'Eucharistie y est combattuë avec audace, les Théologiens Scholastiques y sont traités avec un souverain mépris, le saint Concile de Trente n'y est guéres plus respecté, ce que l'Eglise proscrit y est approuvé, ce qu'elle enseigne et ce qu'elle pratique y est blâmé, et cela avec un air décisif et triomphant, capable d'imposer à la multitude qui se laisseroit aisément séduire, si on ne lui donnoit les précautions nécessaires contre de pareils artifices.

Le F. le Courayer paroît dans tout son Ecrit attaché aux erreurs qui affligérent ce Royaume dans les derniers siécles et qui causérent tant de maux dans cette Province en particulier que l'Hérétique et l'Impie desolérent par le fer et par le feu, et qu'ils couvrirent de Profanations et de Sacriléges dont les tristes marques se font encore voir aujourd'hui jusques sur la Porte de l'Auguste Temple de cette Métropole.

Il semble en effet, Messeigneurs, que cet Ecrivain téméraire cachant son véritable dessein sous les fausses et trompeuses apparences d'une réunion imaginaire, n'aye eu en vûë en composant l'indigne défense de sa condamnable Dissertation, que de rappeller au milieu de nous le Calvinisme que le zéle et la piété du plus Grand de nos Rois en a heureusement banni; mais il s'est vainement flatté de pouvoir nous surprendre dans le sommeil, et mêler l'yvraye avec le bon grain dans le Champ du Pére de Famille; il est des Surveillans que le souverain Pasteur a établi dans son Eglise. Sans doute, Messeigneurs, vous jugerez dignes de condamnation ces deux Livres déja frappés de plusieurs Anathémes; mais avant que vous vous déterminiez à porter une juste Censure contre ces Ecrits qui avec raison vous ont été dénoncés, il est convenable d'entrer dans quelque détail et d'exposer à vos yeux quelques-unes des Propositions que j'en ai extraites, et qui présentent des erreurs grossiéres et palpables, manifestement opposées aux Sacrées Décisions du saint Concile de Trente, et à la Doctrine de l'Eglise Catholique; leur seule exposition suffira pour vous en convaincre. Afin d'agir avec quelque ordre je les distinguerai par des Articles séparés, et pour vous faciliter la vérification des Propositions, je marquerai exactement l'endroit et les pages dont je les ai tirées.

ARTICLE PREMIER.

Sur la Suprématie des Rois d'Angleterre.

Ce ne fut jamais aux Puissances Temporelles, ni aux Rois de la Terre, que Jésus-Christ en établissant son Eglise en donna le Gouvernement, mais à ses Apôtres, dont saint Pierre étoit le Chef, et en leurs personnes au Pape et aux Evêques leurs Successeurs. Ce ne fut point aux Princes des Nations que le Sauveur dit [1]: *Vous êtes Pierre et sur cette Pierre, j'établirai mon Eglise, et enfin je vous donnerai les Clefs du Royaume des Cieux.* Ce n'est pas non plus à eux selon l'explication du saint Concile de Trente [2], qu'il a été dit par l'Esprit-Saint: *Attendite vobis et universo Gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* [3].

Mais ces saintes authorités ne sont pas capables d'arrêter le F. le Courayer et de l'empêcher d'enseigner que la puissance Spirituelle que le Roi d'Angleterre exerce dans ses Etats n'est pas condamnable, mais qu'elle est même Canonique. Voici comment il ose s'en expliquer dans les Propositions suivantes.

I.

En Matiére Ecclésiastique comme en toute autre, le pouvoir Coactif ne réside que dans la personne du Prince. [4]

II.

La Suprématie réclamée par les Rois (d'Angleterre) *ou accordée par les Loix ne consiste point dans aucune portion du Sacerdoce, mais dans une extension de Jurisdiction qui dépoüille le Pape et toute autre personne étrangére, d'une authorité qu'une longue prescription, l'exemple des autres Eglises d'Occident, et le fruit de son Apostolat lui avoient acquises.* [5]

III.

Si les raisons d'un refus de quelque dispense Ecclésiastique sont trouvées injustes, le Roi (d'Angleterre) *ordonne à l'Archevêque d'accorder la dispense, et à son refus il commet par une commission du grand Sceau deux autres Prélats pour accorder la dispense refusée; se peut-il rien de plus mesuré, de plus Canonique et de plus subordonné à l'authorité de l'Eglise?* [6]

IV.

En parlant des Rois de France, il dit: c'étoient eux en effet qui ratifioient ou annulloient les Ordinations des Evêques . . . qui faisoient des Loix sur toute sorte de Matiéres Ecclésiastiques. [7]

[1] Matth. 16, 18.
[2] Sess. 23. C. 4.
[3] Act. 20, 28.
[4] Défense de la Dissert. tom. 2. part. 2. pag. 28.
[5] Ibid. pag. 63.
[6] Ibid. pag. 76.
[7] Ibid. p. 86.

V.

Il est visible qu'à cet égard (il parle de la consécration des Evêques) *les Rois d'Angleterre ne joüissent présentement d'aucun autre droit que de ceux dont joüissoient alors nos Rois.* [1]

VI.

C'est ainsi que les Princes non contens de prêter aux Evêques leur authorité pour les soûtenir dans le maintien de la Discipline, prenoient sur eux le soin d'y veiller eux-mêmes comme une portion de leur devoir, parce que Jésus-Christ a partagé entre eux et les Evêques, le soin de gouverner son Eglise. [2]

ARTICLE SECOND.

Sur les Cérémonies.

Nos Saintes et Augustes Cérémonies établies par l'Eglise, pour inspirer aux peuples le Respect dû à nos redoutables Mystéres, pour réveiller leur attention, pour exciter et entretenir leur piété paroissent au F. le Courayer comme aux Anglois, incommodes et propres à nourrir la superstition; en vain le saint Concile de Trente a-t-il prononcé des Anathémes contre ceux qui diront *que les Cérémonies, les Ornemens, et les signes extérieurs, dont se sert l'Eglise Catholique dans la Célébration de la Messe, sont plus propres à porter à la superstition et à l'impiété, qu'à entretenir la piété.* Cet Autheur peu intimidé par le bruit des foudres de l'Eglise, excuse les Anglois dans la suppression *des Cérémonies dont l'augmentation leur a paru onéreuse et propre à nourrir la superstition,* il trouve leur conduite exempte de crime et de blâme. Voici quelques Propositions, qui serviront à faire connoître, combien sa Doctrine est sur cet article, opposée à celle du saint Concile.

I.

Parlant de ceux qui furent chargés de composer la Liturgie Anglicane, il dit:

Ils ne donnoient pas aveuglément dans les vûës de Calvin, et étoient presque autant éloignés d'un Culte aussi nud, et aussi dépoüillé que celui qu'il vouloit établir, que de la multitude des Cérémonies qui semblent accabler la nôtre. [3]

II.

L'Angleterre dans la substitution du Rituel d'Edoüard au Pontifical Romain, n'a fait autre chose que de revenir à la simplicité du Rit ancien. [4]

III.

Il ne doit pas par conséquent paroître extraordinaire, que les Papes eussent fait des offres de confirmer la Liturgie (des Anglois) *sans rien retrancher de la simplicité à laquelle avoit voulu la réduire le goût des Anglois par la suppression de ce grand nombre de Cérémonies sur lequel ils croyoient qu'on avoit accablé le Culte extérieur, plûtôt qu'on ne l'avoit relevé.* [5]

IV.

L'ancien Missel Gallican n'a rien qui convienne mieux au Sacrifice que la Liturgie d'Edoüard. [6]

V.

Nous nous assujettissons tous les jours à des Cérémonies Ecclésiastiques que nous ne jugeons ni nécessaires, ni criminelles: telle est la conduite des hommes sages; ils s'asservissent aux usages qui n'ont rien de criminel, ils n'y mettent pas leur confiance, ce seroit superstition, mais ils obéissent à l'authorité pour ne pas se rendre coupables de présomption, ou suspects d'indépendance. [7]

VI.

Ils ont voulu simplement réformer un langage, dont ils ont crû qu'on pouvoit abuser, et supprimer des Cérémonies dont l'augmentation leur a paru onéreuse, et propre à nourrir la superstition; voila proprement tout leur crime. [1]

[1] Ibid. pag. 91.
[2] Ibid. pag. 94.
[3] Ibid. part. 1. pag. 313.
[4] Ibid. part. 2. pag. 1.
[5] Ibid. tom. 2. part. 2. pag. 136.
[6] Ibid. pag. 149.
[7] Ibid. tom. 1. part. 2. pag. 332.

a

ARTICLE TROISIÉME.

Sur la Forme des Sacremens.

Le F. le Courayer ne se contente pas de prétendre que la forme des Sacremens ne consiste que dans la priére, et qu'il n'est pas nécessaire que cette priére exprime, ni l'effet ni la fin du Sacrement pour lequel elle est employée: Il va jusqu'à laisser à chaque Eglise la liberté entiére d'établir à son gré telle priére qu'elle juge à propos pour la forme essentielle des Sacremens. Une pareille liberté seroit visiblement un abus par lequel on anéantiroit les Sacremens. Le Concile de Trente a prononcé des Malédictions contre ceux qui oseront dire que les Pasteurs peuvent changer les Rits approuvez et usitez dans l'Eglise. Ces Anathémes tombent à plus forte raison sur ceux qui osent avancer, comme le fait cet Autheur, que chaque Eglise peut changer les paroles de la forme des Sacremens.

b Ce même Concile reconnoît et enseigne que quoi que l'Eglise aye le pouvoir d'ordonner ce qu'elle croit convenable sur l'administration des Sacremens; elle ne peut cependant rien changer à ce qui est de leur Substance. *Salva tamen eorum Substantia* [2]; ce sont ses propres termes; d'où il suit évidemment qu'il est faux que chaque Eglise ait le pouvoir de changer les paroles de la forme des Sacremens; puisqu'il est certain que les paroles de la forme appartiennent à la Substance. Il n'est donc pas douteux que les faux principes du F. le Courayer tendent à détruire les Sacremens.

I.

On décide de la Validité ou de l'invalidité des Formes par l'accomplissement exact du Rit de son Eglise. [3]

II.

La variété qui se remarque dans les pratiques des Eglises particuliéres à l'égard des Sacremens, ne peut être le fruit que de la liberté qu'elles ont eu de donner telle Forme qui paroîtroit convenable à leur Rit. [4]

c

III.

La variété est si grande en ces Matiéres, qu'il est impossible d'avoir rien de fixe, si on ne laisse aux Eglises le droit de choisir leurs Rits et de former leurs priéres. [5]

Il ne faut pas oublier que par *priéres* il entend la Forme essentielle des Sacremens.

IV.

Chaque Eglise particuliére est Maîtresse de ses Rits ordinaires, et d'y faire les changemens qu'elle juge nécessaires. [6]

V.

Je sçais bien que l'usage des Réordinations a prévalu à Rome .... c'est contre cet usage que je réclame ... il n'est fondé que sur l'ignorance des Faits, et non sur une décision faite avec connoissance de cause. [7]

VI.

d *Ces Rits ajoûtez à l'Ordination demeurent donc toûjours variables, puisque telle est leur nature, et s'ils sont variables, la même Eglise qui s'y est soûmise peut donc les changer.* [8]

Il parle de la Forme de l'Ordination.

ARTICLE QUATRIÉME.

Sur le Sacerdoce et sur le Caractére.

L'essence du Sacerdoce consiste dans le pouvoir d'offrir le Sacrifice. C'est l'idée que nous en donnent communément tous les Docteurs Catholiques, et le Concile de Trente semble l'avoir

[1] Ibid. tom. 2. part. 1. pag. 49.
[2] Sess. 21. ch. 2.
[3] Défense tom. 2. Ibid. p. 56. part. 1.
[4] Ibid. pag. 64.
[5] Ibid. pag. 65.
[6] Déf. etc. part. 1. pag. 24.
[7] Ibid. pag. 60.
[8] Ibid. tom. 2. part. 1. pag. 107.

positivement défini dans le second Canon de la vingt-deuxiéme a
Session: *Si quis dixerit, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliique Sacerdotes offerrent Corpus et Sanguinem suum, Anathema sit.*

Le même Concile définit[1] encore que le Caractére attaché aux Sacremens de Baptême, de la Confirmation et de l'Ordre, est un signe Spirituel et ineffaçable, imprimé dans l'ame de ceux qui les reçoivent; et que ce Caractére ou ce signe Spirituel est la cause pour laquelle ces Sacremens ne peuvent être réitérés. *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis: Baptismo, Confirmatione et Ordine, non imprimi Characterem in anima, hoc est signum Spirituale et indelebile, unde et iterari non possunt, Anathema sit.* L'initérabilité de ces trois Sacremens n'est donc pas le Caractére, mais ce Caractére est un signe imprimé dans l'ame dont l'initérabilité n'est que la suite et l'effet; cependant le F. le Courayer aprés avoir donné une idée de l'essence du Sacerdoce absolument différente de celle qu'en donne le Concile de Trente, affecte de confondre le Caractére qu'impriment quelques Sacremens avec l'initérabilité de ces mêmes Sacremens, et semble
par ces expressions vouloir effacer autant qu'il est en lui, le b
Signe intérieur imprimé dans l'ame qui fait l'essence du Caractére. C'est ainsi que cet Autheur contredit partout le saint Concile de Trente et la Doctrine de l'Eglise pour se réünir aux Anglois.

PROPOSITIONS.

I.

Ce n'est point parler exactement que de dire . . . que le Sacerdoce des Chrétiens se tire de ce que Jésus-Christ est immolé dans l'Eucharistie . . . ce n'est pas plus sur le Sacrifice que sur toute autre Fonction qu'est fondé le Sacerdoce.[2]

II.

*Comme de toutes les Fonctions qui concernent le Culte extérieur, il n'y en a point de plus Solemnelle et de plus Sainte que celle de l'Oblation de l'Eucharistie, on la regarde communément comme celle qui constituë proprement le Sacerdoce: mais c'est une Erreur. Toutes les autres lui sont également propres, et je ne vois
point comment, à parler exactement, on peut dire que le Sacerdoce c
des Chrétiens est fondé sur ce pouvoir plûtôt que sur les autres.*[3]

III.

Mais que le Sacerdoce de l'Eglise se tire de ce que Jésus-Christ est immolé dans l'Eucharistie, c'est une expression fausse et une imagination bizarre qui ne vient que d'un faux rafinement des Scholastiques.[4]

IV.

Faire des Prêtres pour dire la Messe n'est pas un usage de la première Institution.[5]

V.

Il a donc crû comme nous, les Sacremens non réitérables quand ils ont été bien conférés, et qu'entendons-nous autre chose par le Caractére?[6]

VI.

*Mais en reconnoissant avec nous que les Sacremens ne se réïtèrent point, parce que ce qui a été consacré à Dieu ne peut plus d
perdre la Consécration qu'il a reçû, quelque idée Philosophique qu'il se soit formé d'ailleurs de ce Caractére, on peut le lui passer, et l'Eglise n'a pas jugé à propos d'interdire aux hommes l'usage de leur Philosophie en cette Matiére, dussent-ils en faire un usage aussi bizarre qu'en font sur ce Point la plûpart de nos Scholastiques.*[7]

VII.

De l'initérabilité au Caractére il n'y a pas autre distance que celle d'une idée qui se conçoit avec une expression sans idée.[8]

---

[1] Sess. 7. Can. 9.
[2] Défense, tom. 2. part. 1. pag. 149.
[3] Ibid.
[4] Ibid. pag. 151.
[5] Tom. 2. part. 1. pag. 68.
[6] Tom. 2. part. 2. pag. 183.
[7] Ibid.
[8] Ibid. tom. 2. part. 1. pag. 68.

ARTICLE V.

Sur la présence réelle de Jésus-Christ dans l'Eucharistie, et la vérité du Sacrifice.

L'essence du Sacrifice de la Messe et la présence réelle de Jésus-Christ dans le Très-Saint Sacrement sur laquelle est fondée la vérité de cet Auguste Sacrifice, ayant une liaison si essentielle et si intime que l'on ne peut combattre et détruire l'une sans attaquer et anéantir l'autre. Je n'ai pas crû devoir les séparer dans cet article, d'autant plus que le F. Courayer les attaque à la fois.

L'Eglise fondée sur la Parole infaillible du Sauveur enseigne à ses Enfans, que Jésus-Christ n'est pas seulement spirituellement par la Foi et en Figure dans l'Eucharistie, comme le croyent les Anglois, mais qu'il y est véritablement, réellement et substantiellement[1]. Penser autrement et l'insinuer, est sans doute une impiété et un Blasphême. Nous verrons dans un moment, si l'Autheur des Livres dénoncés s'explique en Catholique Romain sur ce point fondamental de nôtre sainte Réligion.

L'Eglise dans le Concile de Trente nous apprend et nous ordonne de croire que le Sacrifice de la Messe est un Sacrifice propre, véritable et propitiatoire, qu'une véritable Victime y est offerte et véritablement immolée sur nos Autels, que cette Victime est le même Jésus-Christ qui s'est offert sur la Croix, qu'il est en même temps et la Victime du Sacrifice et le Souverain Sacrificateur qui offre par le Ministére des Prêtres cette même Victime qu'il offrit autrefois sur la Croix, que ce Sacrifice représente, renouvelle et continuë celui de la Croix, qu'il est le même Sacrifice que celui de la Croix, mais qu'il en est distinct par la maniére dont il est offert, l'un étant sanglant, et l'autre non sanglant, l'un pouvant être réïtéré et l'étant en effet chaque jour en mille endroits à la fois, et l'autre n'ayant pû être offert qu'une seul fois et en un seul endroit. Voici comment s'explique sur cela le saint Concile de Trente[2]: *In divino hoc Sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur et incruente immolatur, qui in Ara Crucis semel seipsum cruente obtulit, docet sancta Synodus Sacrificium istud vere propitiatorium esse etc. . . . Una enim eademque est Hostia, idemque offerens Sacerdotum Ministerio, qui seipsum tunc obtulit sola offerendi ratione diversa.* et dans la même Session Canon 3. il dit encore: *Si quis dixerit Missae Sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in Cruce peracti . . . Anathema sit.* Le Concile enfin déclare[3] dans la même Session que la Messe est un Sacrifice propre et véritable.

Tout cela n'est pas capable de contenir le Protecteur de la Secte Anglicane. Il soûtient que le Sacrifice de la Messe est seulement un Sacrifice représenté, qu'il est purement Spirituel, sans Victime si ce n'est en Figure, et sans immolation réelle; il ne reconnoît que le Sacrifice de la Croix, dont la Messe est une simple représentation, et qui n'en différe en aucune maniére; Enfin il n'y trouve que des Figures et des Images; Ce n'est selon lui qu'une idée de Sacrifice, qui n'exige qu'une présence Spirituelle de la Victime, et il n'a point de pudeur d'avancer que *l'Eucharistie est chez les Anglois tout ce qu'elle est dans l'Eglise.*

Il est cependant certain que la Doctrine des Anglois comme celle de Calvin leur Maître est directement opposée à celle de l'Eglise Catholique sur l'Eucharistie; leur Confession de Foi imprimée à Londres par Jean Bill Imprimeur de Sa Majesté en 1661. en fait la preuve. Ce que j'en vai rapporter vous fera voir en même temps combien les sentimens du F. le Courayer sont conformes à ceux des Anglois, et combien ils sont contraires à ceux de l'Eglise.

Il y est dit en effet que *le Corps de Christ est pris et mangé en la Cêne, seulement d'une manière Céleste et Spirituelle, et que le moyen par lequel le Corps de Christ est reçû et mangé en la Cêne, c'est la Foi. Et encore c'est pourquoi les Sacrifices de la Messe, auxquels on disoit communément que le Prêtre offroit Christ pour les Vivans et pour les Morts . . . étoient des fables Blasphématoires et des Séductions dangereuses.*

Je ne rapporterai point ici toutes les monstrueuses Propositions du F. le Courayer qui contiennent et renouvellent les Erreurs des Anglois, qu'il répete mille fois et en mille maniéres.

---

[1] Sess. 13. Can. 1.
[2] Sess. 22. ch. 2.
[3] Can. 1.

Il faudroit copier des Volumes entiers de la défense de la Dissertation. Je me contenterai d'en mettre ici quelques-unes. a

PROPOSITIONS.

I.

Il me paroît démontré que le Sacrifice de l'Eucharistie tout propre que l'appelle le Concile de Trente, n'est fondé que sur la réprésentation et le souvenir de la Mort de Jésus-Christ. [1]

II.

Voila donc précisément en quoi consiste le Sacrifice de l'Eglise Chrétienne, dans l'Offrande de la Mort de Jésus-Christ. Or cette Mort ne se renouvelle point, on ne fait qu'en rappeller le souvenir et la réprésenter devant Dieu. [2]

III.

Il s'ensuit que nous avons un Sacrifice, mais que ce Sacrifice n'est que figuratif et commémoratif, quoi que propre, parce que la Mort et l'Immolation ne sont que figurées et réprésentées. [3] b

IV.

Nos Théologiens qui soûtiennent que dans la Célébration des saints Mystéres, il s'y fait une Immolation réelle, et que c'est moins la Mémoire de la Mort de Jésus-Christ que sa Mort même qui s'y renouvelle... Opinion qui n'est fondée que sur des idées peu exactes et peu authorisées. [4].

V.

Tel est le langage et la Doctrine des Théologiens Anglois qui renferme une réconnoissance Authentique du Sacrifice de Jésus-Christ rappellé et réprésenté dans la Célébration des saints Mystéres, et rien n'est plus conforme au langage et à la Doctrine des Péres, de nos anciens Théologiens et de nos meilleurs Controversistes.... Eusèbe de Cesarée s'exprime d'une maniére encore plus forte pour marquer que le Sacrifice que nous offrons, n'est qu'un Sacrifice réprésentatif et commémoratif. [5]

L'Autheur de ces Propositions a ici comme en mille autres endroits la mauvaise foi d'ajoûter aux Textes qu'il cite des particules exclusives pour tromper plus facilement les Lecteurs. c

VI.

Je sçais qu'à d'autres égards on appelle le Sacrifice des Autels un Sacrifice réel, mais ce sont de ces questions de nom sur lesquelles se partagent les Théologiens, et qui ne peuvent point authoriser une division dans la Foi. [6]

VII.

La Question qui est entre nous et les Anglois sur le Sacrifice et le Sacerdoce se réduit à une pure question de nom. [7]

VIII.

Le Concile (de Trente) *ne s'est jamais servi du mot de Sacrifice réel, mais simplement de celui de Sacrifice propre et véritable, de peur apparemment que le terme de Sacrifice réel ne nous induisît faussement à croire qu'il y a dans ce Sacrifice une Immolation réelle, comme semble le faire entendre l'expression peu exacte du Pére le Quien qui dit que Jésus-Christ est tous les jours immolé et offert véritablement et réellement, quoique mystiquement sur nos Autels.* [8] d

IX.

On trouve dans l'Eucharistie un vrai Sacrifice en ce sens, qu'on y fait à Dieu l'Oblation d'une Mort toûjours présente... mais comme cette Mort ne se rêitère point, ce Sacrifice n'est que la réprésentation d'un autre. [9]

Pour prouver ce qu'il avance, il abuse de ces Paroles de Jésus-Christ: *Hoc facite in meam Commemorationem.*

[1] Défense de la Dissert. tom. 2. part. 1. pag. 222.
[2] Ibid. pag. 168.
[3] Ibid. pag. 193.
[4] Dissert. tom. 2. pag. 38.
[5] Ibid. pag. 40.
[6] Ibid. pag. 44.
[7] Déf. de la Dissert. tom. 2. p. 1. pag. 44.
[8] Ibid. pag. 147.
[9] Ibid. pag. 158.

X.

Les Anglois ne rejettent point toute présence et celle qu'ils admettent suffiroit pour le Sacrifice de l'Eglise Chrétienne, quand bien même la nature du Sacrifice exigeroit que Jésus-Christ fût réellement présent... la Controverse que nous avons avec les Anglois sur le Sacrifice n'est qu'une dispute de nom, qui ne peut avec justice authoriser aucune division dans la Foi. [1]

XI.

En supposant même cette présence nécessaire, celle que les Anglois admettent suffiroit pour un Sacrifice Spirituel, tel qu'est celui de l'Eglise. [2]

XII.

Je soûtiens 1° que Jésus-Christ se rend présent à la Consécration des Anglois comme à celle des Catholiques. 2° Que quand ils ne croiroient pas cette présence... celle qu'ils reconnoissent suffiroit pour l'oblation d'un Sacrifice Spirituel tel qu'est celui des Chrétiens. [3]

XIII.

On a vû d'ailleurs, que l'Erreur prétenduë (des Anglois) *sur le Sacrifice n'étoit qu'un mal-entendu, et se réduisoit à une pure question de nom.* [4]

XIV.

Que les uns l'appellent Sacrifice propre, que les autres l'appellent Sacrifice commémoratif; cela peut bien intéresser le respect dû à l'authorité d'un Concile, mais la vérité ne peut en souffrir, pourvu qu'en s'expliquant, on convienne des mêmes idées, quoique sous différens noms. [5]

XV.

Qu'ils prouvent après cela que le Pain et le Vin demeurent ou disparoissent après la Consécration, qu'ils croyent que le Corps de Jésus-Christ soit présent spirituellement ou corporellement, c'est à-dire qu'il soit ou ne soit pas revêtu de ses propriétés physiques et naturelles dans l'Eucharistie, ce peut être l'objet d'une contestation particuliére. [6]

XVI.

L'exposition de cette Doctrine nous présente plusieurs choses à croire dans ce Mystére. 1° Le changement véritable mais spirituel et invisible du Pain et du Vin au Corps et au Sang de Jésus-Christ, ce que l'Eglise appelle Transubstantiation. 2° La présence véritable ou réelle de Jésus-Christ que la Foi reconnoît sous les Symboles qui ne lui présentent comme auparavant rien que de sensible. 3° Le Sacrifice du même Jésus-Christ qui consiste dans l'offrande de sa Mort, qui y est seulement réprésentée, et qu'on annonce quand on célébre ce Mystére. [7]

XVII.

Aussi enseignent-ils comme nous, que Jésus-Christ est véritablement présent dans l'Eucharistie, et qu'il y est présent par sa Nature et par sa Substance, mais que c'est une Nature et une Substance Spirituelle et Sacramentelle. [8]

XVIII.

Le Sacrifice de l'Eucharistie n'exige donc point par lui-même une présence Physique, et pourvu qu'on en reconnoisse une véritable, quelle qu'elle puisse être, invisible, Spirituelle, séparée ou jointe à la Substance du Pain et du Vin, le Sacrifice est toûjours le même, parce que Jésus-Christ y est également offert, et qu'on représente également sa Mort. [9]

XIX.

La nature même du Sacrifice de l'Eglise, ne semble exiger qu'une présence Spirituelle, parce que le Sacrifice lui-même est tout

[1] Ibid. pag. 162.
[2] Ibid. pag. 165.
[3] Ibid. pag. 208. et 209.
[4] Déf. tom. 2. part. 2. pag. 224.
[5] Ibid. tom. 2. part. 1. pag. 263.
[6] Ibid. pag. 46.
[7] Ibid. pag. 160.
[8] Ibid. pag. 214.
[9] Ibid. pag. 219.

Spirituel .... une présence Spirituelle suffit donc pour le fondement d'un tel Sacrifice. [1]

En voila bien plus qu'il n'en faut, Messeigneurs, pour vous faire connoître combien les deux Livres qui vous ont été dénoncés sont pernicieux, et dignes de toutes les Censures de l'Eglise.

Sages dépositaires de la Doctrine et de la Foi de l'Eglise, fidéles interprêtes de ses décisions et de ses Loix, Pontifes du Dieu vivant, c'est à vous à confondre les Ministres de l'irréligion et du mensonge, qui dans ce temps de séduction mettent tout en usage pour s'accrediter parmi les peuples qu'ils veulent séduire par un nombre prodigieux de Livres remplis d'erreurs; habiles à profiter des moindres circonstances, ils se font même du silence que la prudence fait garder quelquefois, un puissant moyen pour authoriser leurs entreprises et pour triompher de la simplicité et de la Foi des Fidéles dont le Salut vous est confié. La Réligion est attaquée dans ses points fondamentaux, la Foi est en péril; il est donc nécessaire de venir à son secours et d'arrêter les progrez de ses ennemis, d'autant plus dangereux qu'ils sont du nombre des Ministres des Autels. Flétrissez par une condamnation solemnelle ces deux Livres dont j'ai tâché de vous manifester une partie du venin.

La décision d'un Concile aussi nombreux et aussi respectable que l'est celui-ci, sera sans doute d'un grand poids pour

[1] Ibid. tom. 2. part. 1. pag. 220.

a maintenir les peuples dans la Foi et dans la Réligion de leurs Péres; ce dernier coup reçû de vôtre main fera rentrer ces Ouvrages dans les ténebres dont l'Enfer les avoit fait sortir; peut-être même qu'il touchera le coeur de leur Autheur, et l'engagera à se rétracter, et à se rendre à l'Eglise en se séparant à jamais du nombre infortuné de ces esprits superbes dont parle l'Esprit saint [1], qui se sont laissez séduire à leurs fausses opinions, et que l'illusion de leur esprit retient dans la vanité et dans le mensonge.

Et ensuite M. de Marseille a conclu à ce que sans entrer dans le détail des Propositions, lesdits Livres intitulés: *Dissertation sur la Validité des Ordinations des Anglois, et sur la Succession des Evêques de l'Eglise Anglicane etc. et Défense de la* b *Dissertation sur la Validité des Ordinations des Anglois contre les différentes Réponses qui y ont été faites etc.* soyent condamnés en général comme contenans des Propositions respectivement fausses, téméraires, captieuses, malsonnantes, scandaleuses, injurieuses à l'Eglise et au saint Siége, favorisant le Schisme et l'Hérésie, erronées, déja condamnées par le saint Concile de Trente, impies, Blasphématoires et Hérétiques; Qu'il soit défendu à tous les Fidéles de l'un et de l'autre sexe, sous les peines de droit, de garder, de lire les susdits Livres, et qu'il leur soit ordonné d'en rapporter tous les Exemplaires au Greffe des Evêchés des Diocéses où ils demeurent.

[1] Ecclesiast. 3, 26.

---

c

MANDEMENT UNIFORME

pour la Publication des Decrets du Concile.

Benissez le Seigneur, M. T. C. F. La promesse (Nous croïons pouvoir le dire avec confiance) la promesse qu'il a faite à ceux qui seroient assemblez en son Nom, vient d'être accomplie dans le Concile d'Embrun; L'Unanimité qui y a regné, et qui ne peut être contredite, la charité avec laquelle on s'y est toûjours comporté, l'Esprit de Réligion, qui animoit les discours et les actions de tous les Péres, semblent authoriser cette confiance. Réünis dans cette Sainte Assemblée pour vôtre sanctification, les premiers Pasteurs ont imploré les lumiéres d'en haut, ils ont demandé au Saint Esprit de leur suggérer ce qu'ils devoient faire, ce qu'ils devoient enseigner pour la procurer, ils ont vû les maux dont leurs Eglises étoient affligées, ils ont cherché le reméde, et ils ont appliqué celui qui leur a parû le plus efficace. L'erreur qui gagne comme la gangréne, s'étoit glissée au milieu de Nous; Ils ont tâché de la réprimer par l'authorité de leur Ministére. La vigueur de la Discipline Ecclésiastique s'étoit rallentie; Ils ont fait leurs efforts pour la ranimer par leurs Réglemens. La Foy étoit attaquée jusques dans son principe; Chargés de veiller à la garde de ce sacré Dépôt, ils ont travaillé à le conserver par leurs Decrets. Vous apprendrez dans ces Decrets l'obéïssance que vous devez rendre aux Constitutions émanées de la Chaire de Saint Pierre contre le Jansenisme et ses Fauteurs. Le scandale avoit pénétré jusqu'aux Oints du Seigneur; Et, ce que Nous ne pouvons rappeller sans la plus vive douleur, un de nos Confréres s'étoit écarté des voyes de la vérité. Les Evêques n'ont pû se dissimuler que l'étenduë de leur Ministére les rendoit responsables du salut de leurs Fréres, que leur silence et leur inaction deviendroient un scandale encore plus grand. Après toutes les voyes de douceur et de charité inutilement tentées pour ramener le Pasteur égaré, ils se sont armés du Glaive que Jésus-Christ leur a confié; Ils ont porté contre l'Autheur du scandale ces coups salutaires qui dans l'Esprit de l'Eglise doivent moins servir à punir le Rebelle, qu'à le corriger. Il Nous reste encore un devoir à remplir: C'est de ne pas démentir le zéle qui Nous a fait agir dans le Concile, et de l'employer à maintenir l'observation des Decrets que Nous avons souscrits.

A ces causes, adhérant de nouveau à tout ce qui a été statué et ordonné dans le Concile d'Embrun, Voulons et Ordonnons que les Decrets cy-joints, faits dans ledit Concile, sur l'obéïssance dûë aux Constitutions Apostoliques qui y sont énoncées, de même que les Réglemens qui y ont été dressés pour la Discipline, soient publiés dans toute l'étenduë de nôtre Diocése,

*MANDATUM PASTORALE

ad decreta Concilii promulganda. [1]

Benedicite Dominum, Carissimi Fratres! Etenim, quae aliquando illis, qui in ejus nomine essent congregati, facta est a Domino promissio, eam in hoc Ebredunensi Concilio modo esse impletam, certa animi fiducia asserere nos posse arbitramur. Tanta enim ibi erat animorum unio atque sensorum, tanta omnium ibi charitas atque religionis ipsius studium, quod omnes omnium Patrum sermones actionesque veluti spirabant, ut merito hanc fiduciam habere nobis videamur. Collecti igitur in hunc sacrum conventum quum essent vestrae sanctitatis gratia summi Pastores, lumen coelitus sibi implorantes, a Spiritu sancto petivere, ut sibi suggereret, quae facere deberent; quae docere vos ad vestram salutem; mala vero, quibus suam quisque Ecclesiam laborare cernebat, quomodo tollerent, inquirentes id, quod optimum et efficacissimum sibi visum fuit, adhibuerunt. Errorem enim, qui *ut cancer serpit*, quum etiam inter nos se insinuasset, sui muneris vi et auctoritate reprimere: ecclesiasticae vero disciplinae vigorem, qui jam defecisset, praeceptis et suscitare et confirmare: fidei denique, cujus conservandae cura eis demandata esset, fundamenta ipsa quum jam impugnarentur, decretis et defendere et confirmare studuerunt. Ex his igitur d decretis, quam obedientiam praestare debeatis Constitutionibus a Sede S. Petri contra Jansenismum ejusque fautores editis, facile discetis. Scandalum penetraverat usque ad ipsos Unctos Domini, ita ut unus ex ipsis Fratribus nostris, cujus memoria summo nos dolore afficit, a recta via veritatis aberraverit. Neque Episcopos fugere potuit, et sibi aliquando rationem salutis fratrum reddendam fore, et suo silentio atque negligentia serpere latius et crescere malum. Quare quum nulla neque mansuetudine neque charitate quidquam valerent ad Pastorem illum ab errore reducendum: gladio tandem a Christo ipsis concesso usi sunt, quo salutaria vulnera malorum auctori infligerent ea, quae ad mentem Ecclesiae non tam poena essent quam viri contumacis correctio. Unum porro adhuc restat, ut, quo studio in ipso Concilio agebamur, eodem prorsus etiam decreta, quibus subscripsimus, exsequamur.

Quae quum ita sint, omnibus, quae in illo Concilio statuta sunt atque mandata, denuo confirmatis, volumus atque mandamus, ut tam decreta, de obedientia Constitutionibus Apostolicis praestanda in illo Concilio lata, quam ipsa praecepta in rebus disciplinae edita, qua late patent dioeceses nostrae, promulgen-

[1] * V. XXVII. Congreg. privatam.

pour y être observés sous les mêmes peines contenuës dans lesdits Decrets et Réglemens; comme aussi les Censures portées par la condamnation de l'Instruction Pastorale de Révérendissime Seigneur Jean de Soanen Evêque de Senez du 28. Août 1726: et contre les Livres de F. le Courayer sur la validité des Ordinations des Anglois. Déclarons qu'en conséquence de la Sentence renduë contre ledit Révérendissime Evêque de Senez, vous devez le regarder et réputer comme suspens de tout Pouvoir et Jurisdiction Episcopale, et de tout Exercice de l'Ordre tant Episcopal que Sacerdotal, jusqu'à ce qu'il ait fait une satisfaction telle que l'exige le Concile. Voulons que lesdits Decrets et Réglemens soient enregistrés dans le Greffe de nôtre Officialité, pour s'y conformer dans tous les Jugemens Ecclesiastiques.

a tur, utque tam ipsorum observatio iisdem poenis, quae illis decretis et praeceptis statuuntur, urgeatur, quam censurarum, quae et in condemnanda Instructione pastorali Reverendissimi Domini Joannis de Soanen, Episcopi Senecensis, d. d. 28. Augusti a. 1726., et contra libros F. le Courayer de validitate Ordinationum Anglorum latae sunt. Hinc declaramus, quod ex ista sententia contra Reverendissimum Episcopum Senecensem lata sequitur, vos eundem ab omni potestate et jurisdictione episcopali et ab omni Ordinis et episcopalis et sacerdotalis exercitio ut suspensum considerare debere, dum Concilii decreto satisfecerit.

Volumus, ut haec decreta et statuta in tabularium Nostrae Officialitatis referantur judiciorumque omnium ecclesiasticorum sint norma.

---

b

CATALOGUS

Eorum omnium, qui interfuerunt Concilio Ebredunensi.

Illustrissimi et Reverendissimi D. D.

Petrus de Guerin de Tencin Archiepiscopus Princeps Ebredunensis.
Joannes Soanen Episcopus Senecensis.
Franciscus Berger de Mallissoles Episcopus et Comes Vapincensis.
Henricus-Franciscus Xaverius de Belsunce de Castelmoron Episcopus Massiliensis.
Joannes du Dousset Episcopus et Dominus Bellicensis.
Flodoardus Moret de Bourchenu Episcopus et Dominus Vinciensis.
Petrus-Josephus de Castellane Episcopus et Dominus Forojuliensis.
Petrus-Franciscus Laffiteau Episcopus Sistaricensis.
Laurentius-Dominicus des Bertons de Crillon Episcopus Glandavensis.
Antonius-Franciscus de Bliterwich de Moncley Episcopus Aeduensis.
Franciscus-Reginaldus de Villeneuve Episcopus Vivariensis.
Joannes-Baptista de Vaccon Episcopus Aptensis.
Alexander Milon Episcopus et Comes Valentinensis.
Joannes de Caulet Episcopus et Princeps Gratianopolitanus.
Carolus-Octavianus d'Antelmy Episcopus Grassensis.
Raymundus Recroscio Episcopus Niciensis.
D. *Franciscus de Puget* Vicarius Generalis et Procurator Illustrissimi et Reverendissimi D. *Henrici de Puget* Episcopi Diniensis.

Abbates.

D. *Victor Amedeus de la Font de Savine* Abbas Monasterii Beatae Mariae de Boscodono.
Domnus *Benedictus de Benoit* Decanus Monasterii Lirinensis, ejusdem Monasterii Procurator.

Deputati Capitulorum.

D. Guillelmus d'Hugues Praepositus Ecclesiae Metropolitanae Ebredunensis.
D. Ludovicus Paschalis ejusdem Ecclesiae Canonicus.
D. Joannes du Pasquier Canonicus Ecclesiae Cathedralis Senecensis, Deputatus a Capitulo Ecclesiae Senecensis.
D. Joannes-Baptista de Boulogne Canonicus Theologus Ecclesiae Diniensis, a Capitulo ejusdem Ecclesiae Deputatus.
D. Arnaldus Rostan Ecclesiae Vinciensis Beneficiatus, a Capitulo ejusdem Ecclesiae Deputatus.
D. Josephus Belin Canonicus Ecclesiae Cathedralis Glandavensis, a Capitulo Glandavensi Deputatus.
D. Josephus Ravel Canonicus ejusdem Ecclesiae, ab eodem Capitulo Deputatus.
D. Stephanus Maria Canonicus Ecclesiae Cathedralis Grassensis, a Capitulo ejusdem Ecclesiae Deputatus.

Deputati a Clero.

D. Andreas Remusat Parochus sancti Vincentii Ebredunensis, a Clero Dioecesis Ebredunensis Deputatus.
D. Joannes Berthelot Parochus sancti Clementis ejusdem Dioecesis, ab eodem Clero Deputatus.
D. Franciscus de Puget Deputatus a Clero Dioecesis Diniensis.
D. Arnaldus Rostan Ecclesiae Cathedralis Vinciensis Beneficiatus, a Clero Dioecesis Vinciensis Deputatus.
D. Josephus Ravel Canonicus Ecclesiae Cathedralis Glandavensis, Deputatus a Clero Dioecesis Glandavensis.
D. Josephus Payan a Clero Dioecesis Grassensis Deputatus.

Officiarii Concilii.

D. Gaspar d'Hugues Canonicus Ecclesiae Metropolitanae Ebredunensis, Promotor.
D. Joannes-Baptista Jouve Canonicus ejusdem Ecclesiae, Vice-Promotor.
D. Antonius de Michel Canonicus ejusdem Ecclesiae, Secretarius.
D. Nicolaus Amiel Canonicus ejusdem Ecclesiae, Vice-Secretarius.
D. Guillelmus Salva Canonicus ejusdem Ecclesiae, Magister Caerimoniarum.
D. Franciscus-Ignatius Jouvene ejusdem Ecclesiae Beneficiatus, Magister Caerimoniarum.
M. Jacobus Vial Advocatus . . . . } Notarii.
M. Franciscus Leydon Procurator }

Theologi et Canonistae Saeculares.

D. Joannes Faure Doctor Theologus, Canonicus Archidiaconus Ecclesiae Ebredunensis.
D. Joannes Payan Presbyter Dioecesis Aquensis, Doctor Sorbonicus, Illustrissimi et Reverendissimi D. Archiepiscopi Aquensis Vicarius Generalis. c
D. Stephanus Guerin Doctor Theologus, Decanus Ecclesiae Collegiatae nostrae Dominae des Acoules Civitatis Massiliensis, Illustrissimi et Reverendissimi D. Episcopi Massiliensis Vicarius Generalis.
D. Nicolaus Reynaud Doctor Theologus Facultatis Parisiensis, Illustrissimi et Reverendissimi D. Archiepiscopi Aquensis Vicarius Generalis et Officialis.
D. Josephus-Franciscus Salvador Juris Canonici Doctor, Superior Seminarii Avenionensis.
D. Ludovicus-Franciscus-Gabriel d'Orleans de la Mothe, Doctor Theologus, Vicarius Generalis Illustrissimi et Reverendissimi Archiepiscopi Arelatensis.

Theologi et Canonistae Regulares.

Domnus Jacobus Silvestre Ordinis sancti Benedicti, Magnus Prior Monasterii de Boscodono.
P. Antoninus Arnaud Ordinis FF. Praedicatorum Conventus Barcillonensis, Doctor Theologus.
d P. Ludovicus Clarion Prior FF. Praedicatorum Conventus Brianconii, Theologiae Baccalaureus.
P. Josephus Roux FF. Minorum sancti Francisci, Guardianus Conventus Ebredunensis, Theologiae Doctor.
P. Franciscus Roulx Ordinis et Conventus eorundem, Theologiae Doctor.
P. Stephanus Maniquet Provincialis Minimorum Provinciae Lugdunensis, Doctor Theologus.
P. Benedictus de la Roche Guardianus Capucinorum Conventus Ebredunensis.
P. Laurentius de la Roche, Ordinis et Conventus eorundem.
P. Polycarpus Rambos Guardianus Recollectorum Conventus Brianconii.
P. Pontianus du Tremble Guardianus Recollectorum Conventus Gratianopolitani, Theologiae Lector.
P. Nicolaus Boudret Rector Collegii Ebredunensis Societatis Jesu.
P. Franciscus Mollie Societatis Jesu, Director Seminarii Ebredunensis, Theologiae Professor.

CONFIRMATIO CONCILII.

Venerabilibus Fratribus Nostris, Archiepiscopo Metropolitano et Coepiscopis in Provinciali Concilio Ebredunensi

Congregatis et Subscriptis.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Venerabiles Fratres Nostri, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Bonam sobolem [Sacrae] Institutionis et antiquae Traditionis memorem ad sinum Matris Ecclesiae recurrere, gavisi sumus, cum a vobis conditas in Concilio Provinciali Constitutiones et Litteras Synodalis conventus accepimus, per quas nostri Apostolatus Officium implorastis, ut vestris pro Ecclesiastica unitate disciplinaque statutis inde principalis Auctoritatis robur accederet, unde unitas Sacerdotalis exorta est, unde Episcopatus in Christo coepit exordium, et unde in Galliarum Regionibus Fides Sancta prodivit. Fructum sane uberrimum cepimus diuturnae sollicitudinis, qua pristinam Synodorum Provincialium consuetudinem hujus etiam Sanctae Sedis exemplo Decretisque nostris, nuper in Romano Concilio editis, restituere ac promovere contendimus, quam nimirum erroribus et corruptelis avertendis aptissimam Tridentina Synodus commendavit ac tertio quoque anno celebrandam praecepit, tum ipsa salutarem imprimis Christiana sensit ac praedicavit antiquitas.

In hac vero temporum gravitate, qua florentissimi Galliarum Regni laborant Ecclesiae propter paucos Episcopos, Officii sui immemores et Apostolicis Constitutionibus detestabili pertinacia refragantes, cum nihil esse ad removenda scandala conducibilius reputaremus, omnem dedimus operam, ut habendis pro colenda firmandaque Disciplina et contra Episcopos obedientiam detrectantes Provincialibus Conciliis nulla objicerentur impedimenta: propterea venerabili Fratri Bartholomaeo, Archiepiscopo Atheniensi, nostro atque hujus sanctae Sedis Nuncio, diligenter injunximus, ut apud Majestatem Christianissimi Regis ageret et instaret, ut, si quae occurrerent, difficultates amoverentur, et celebritas illa Synodorum Gallicanarum, quae dudum per omnes Christi Ecclesias inclaruit, jam diu intermissa reflorescerct; eidem praeterea venerabili Fratri in mandatis dedimus, sedulo curaret ac niteretur, ut per Episcopales Conventus ab Ordine et Jurisdictione temere exercenda pervicaces Episcopi abstinerentur; verebamur enim, ne, dum Canonica a nobis pararentur remedia, ad alendam interea impunitatem mora proficeret, et oves Christi veris Pastoribus destitutae caecisque Pastoribus obsequentes fierent in dispersionem. Opportunum igitur rati sumus, ut earum saluti per Episcopalem zelum charitatemque, opera, mandatis curisque nostris instructam, pro tempore prospiceretur et, qui Superiora Apostolica Judicia parvi pendentes creditum sibi gregem corrumpere potius pergerent quam servare, per Coepiscoporum vigilantiam cogerentur pravitatem suam a seducendis ovibus continere. Nostrae autem voluntati cum sapienter ante caeteros obsecundaverint Fraternitates vestrae, satis explicare non possumus, quanta consolatione repleti simus ex Synodali providentia, qua Episcopum Sanitiensem exercendo Ordine Pontificali et Sacerdotali atque ordinaria Jurisdictione abstinere coegistis, donec ad saniora consilia rediret, eaque resipiscentia salutari uberiores ac meritas declinaret hujus Sanctae Sedis animadversiones: irrita, scandalosa, schismatica ejusdem appellatione rejecta, atque intercluso inani illo ad fovenda schismata comparato dissensionis perfugio. Non solum igitur precibus vestris annuentes, sed, Constitutionum etiam gravitate et sapientia postulante, quae ad Nos misistis, Concilii Decreta mature a Nobis expensa, praesertim vero de contumaci Episcopo providum Consilium, libenti animo collaudamus et comprobamus nostraeque Auctoritatis subsidium ac robur adjicientes plenissime confirmamus. Deus autem, qui pacem posuit fines Ecclesiae, studia nostra et vestrae vigilantiae exempla secundet et provehat ad Fraternitatis incitamentum, ut animabus Christi Sanguine redemptis nulla desint Episcopalis sedulitatis praesidia ac, stultis Pastoribus detracta seducendi licentia, novus quaerendae veritatis et pacis stimulus admoveatur: ut et ipsi aliquando intelligant, in Cathedra unitatis positam esse Doctrinam veritatis. Ac vobis, Venerabiles Fratres Nostri, Apostolicam Benedictionem intimae charitatis susceptaeque laetitiae testem peramanter impertimur.

a Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die XVII. Decembris MDCCXXVII. Pontificatus nostri anno IV.

Carolus Archiepiscopus Emissenus.

EPISTOLA R. D. ARCHIEPISCOPI EBREDUNENSIS

ad SS. D. D. Benedictum XIII.

Beatissime Pater,

Litteras, quas die XVII. Decembris proxime elapsi ad me mittere dignata est Sanctitas Vestra, incredibili laetitia parique observantia accepi. Eodem animo lectae sunt ab Episcopis, qui mecum Concilio Ebredunensi adfuere, rogaveruntque Reverendissimi Praesules, ut communes gratae voluntatis sensus Beatitudini vestrae exponerem. Felices nos, quorum Judicia, ad tuendam Fidem servandamque Unitatem Catholicam synodaliter lata, muniuntur auctoritate sanctissimi illius Pontificis, cujus est confirmare Fratres suos, et quem in diebus misericordiae Deus Ecclesiae concessit, non minus operibus quam eminenti Vicarii
b Christi et Principis Apostolorum Successoris Dignitate conspicuum. Si nobis ipsis gratulamur, quod omnia Synodi Ebredunensis Decreta suo Suffragio corroboraverit Sanctitas Vestra, speciatimque Sententiam, quam tulimus aegre licet adversus Episcopum Sanitiensem, cujus heu! infaustas animi praejudicantis opiniones dolere vix unquam satis possumus; si probe intelligimus, quanta ex Apostolica Confirmatione in nos gloria redundet, quantusque in rei Catholicae bonum fructus excrescat: non minus gratum tibi, Beatissime Pater, accidere debet, quod magnam hujusce Operis partem non uno, sed multiplici titulo possit sibi vindicare Sanctitas Vestra. Enim vero cum te vigilantissima Ecclesiae Beneventanae administratione ad capessendum universalis Ecclesiae regimen efformaret et institueret Deus: pristinam Conciliorum Provincialium consuetudinem ferme obsoletam, pluribus habitis Beneventi Synodis, Canonum vindex et assertor revocasti, quod Romae etiam vix inauguratus Summus Pontifex ad Episcoporum omnium aemulationem et gaudium solemniori pompa religiose praestitisti; Apostolicae postmodum adhortationis officiis Regis pietas excitata nostris flagitationibus studiis-
c que ardentibus cessit permisitque, ut Ebredunum synodaliter conveniremus; Vestris denique precibus annuens, Deus misit de Sancto auxilium, quo tantopere indiguimus pro sustinendis molestiis et aerumnis, inter quas nostra sollicitudo Pastoralis versata et agitata fuit. Dolendum sane, quod Synodale Concilium, tot abhinc annis in Gallia primo habitum, inflicta adversus unum de nostris Fratribus poena ac Censura memorandum sit; hoc procul dubio ad majorem sui Nominis gloriam et ad amplius Ecclesiae ac Religionis incrementum permisit Deus, ut non glorietur omnis caro in Conspectu ejus, quoniam in Angelis suis reperit pravitatem. Illud saltem testimonium nobis ipsis perhibere possumus, quod cum Episcopo Sanitiensi egerimus in omni patientia, mansuetudine et longanimitate, quas amor vere fraternus suadere poterat; speramus semper futurum, ut sibi ipsi redditus saniora consilia amplectatur, sicque agnita veritate, dignum se praebeat, cui Ordinum et Jurisdictionis exercitium Episcopalis Charitas juxta Synodale Judicium restituat. Visus fuerat ejus animus nostris precibus et conatibus tantisper commoveri; reservatum certe Beatitudini Vestrae credimus, ut cor ejus peni-
d tus emolliatur, ipseque demum ad unitatem, unde recedit, feliciori exitu revocetur. Obstrepant Ecclesiae Hostes; lacessant nos indigne convitiis; Librum Considerationum Moralium, Judiciis Solemnibus damnatum licet, magnificis tamen efferant laudibus; voce et Scriptis in Constitutionem *Unigenitus* et in puram ac simplicem Formularii Subscriptionem Alexandri VII. Bulla praescriptam invehantur; detrahant de Auctoritate Concilii Ebredunensis, in quo nihil prius habuimus quam Ecclesiae Judicium adversus 101 Propositiones et Librum, unde sunt excerptae, sartum tectumque tueri ac Decretorum Apostolicorum circa Formularii Subscriptionem executioni allaborare: illud utique singulis atque omnibus aperte constabit, Pontificem inter eos, qui Petri Cathedram Virtutibus suis adornarunt, praestantissimum, Pontificem Catholicae Doctrinae ac praesertim Doctrinae Sancti Thomae, in cujus Schola educatus et nutritus fuit, studiosissimum assertorem, Pontificem purioribus et sanctioribus morum ac Disciplinae Ecclesiasticae Regulis maxime addictum, censuisse ex Praedecessorum suorum Sancitis et Actis, ex veritatis justitiaeque Legibus ac ipso Re-

ligionis jure Judicium nostrum Sigillo Apostolicae Auctoritatis obsignandum. Opponant etiamnum adversus Constitutionem *Unigenitus* provocationes istas, quibus in Causa finita Orbem Catholicum, quem, Domino iis resistente, pervertere nequeunt, saltem commovere conantur, quibusque Ecclesiam cum Ecclesia veluti committentes, illam ignorant aut contemnunt, cui tamen Christus promisit se adfuturum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi: notum erit ac perspectum, Sanctitatem Vestram nostrum hac de re Decretum approbasse sicque nobiscum interclusisse Bullae *Unigenitus* Adversariis illam recursus viam, qua tam indigne utuntur: rati, hac ratione pervicaci suae contumaciae et Schismati, quod inde nascitur, posse asseri impunitatem. Ita, Beatissime Pater, vincit Ecclesia, et confunduntur, qui insurgunt in eam.

Apostolorum Successores, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, respicis nos ut Fratres, Pater Sancte; Sanctitatem Vestram, in qua veneramur Primatum, Beato Petro a Christo concessum, agnoscimus ut Patrem, et ab hacce Capitis cum Membris unione pendere existimamus rectam Ecclesiae ordinationem praecipuamque ad sustinendam veritatem et coercendos errores Christi Sacerdotii virtutem. Accipe igitur, Sanctissime Pater, pro tua in nos bonitate observantiae nostrae et grati animi significationes cum sinceris votis conjunctas: Beatitudinem Vestram reveremur ut Filii obsequentissimi: assiduas ad Deum fundimus preces, ut Supremam illam Sedem, in qua ad vestram gloriam et salutem, ad nostram vero felicitatem nostrumque praesidium positus es, diutissime teneas; coram Deo et hominibus profitemur, quae Concilium Ebredunense Paternae pietatis sentit officia, nos ea nunquam oblituros. Ad me, quod attinet, e memoria non excident tot accepta a Sanctissimo Patre beneficia; speciali nomine audio Filius tuus, in Episcopum a Beatitudine Vestra sum consecratus; testis fui et admirator praeclarissimarum illarum virtutum, quibus forma factus Gregis exemplum es Fidelium in verbo, in conversatione, in charitate et in Fide. Itaque tam animi mei propensione, quam debito Religionis officio ac veneratione profiteor me

Beatitudinis Vestrae, etc.

LETTRE DU ROY

à M. l'Archevêque d'Embrun.

Mons. l'Archevêque d'Embrun, après la lecture qui a été faite par mes Ordres, et le compte qui m'a été rendu des Actes du Concile d'Embrun, auquel vous avez présidé, je n'ai pas voulu différer de vous marquer la satisfaction que j'ai de la conduite de cette Assemblée, et du zéle qu'elle a témoigné pour la défense de la saine Doctrine et le maintien de la discipline Ecclésiastique. Je suis bien aise de vous dire en même tems, que dans toutes les occasions qui le requerront, j'emploïerai volontiers mon authorité, pour soûtenir les Décisions et les Decrets de ce Concile. De quoi je desire que vous assûriez de ma part les Evêques qui y ont assisté avec vous, et la présente n'étant pour autre fin, Je prie Dieu qu'il vous aye, Mons. l'Archevêque d'Embrun, en sa sainte garde. Ecrit à Versailles le 28. jour de Decembre 1727. Signé *Louis.* Et plus bas *Le Blanc.*

Et au Dos est écrit, à Mons. l'Archevêque d'Embrun, Conseiller en mon Conseil d'Etat.

APPENDIX AD CONCILIUM EBREDUNENSE.

LETTRE DE M. L'ARCHEVÊQUE D'EMBRUN

au Roy.

Sire,

J'approche avec confiance du Thrône de V. M. J'y suis conduit par l'intérêt de la Réligion dont le maintien et la défense forment déja, Sire, l'un des plus glorieux Caractéres de vôtre Regne.

Parmi les maux dont V. M. a la douleur de voir l'Eglise affligée, Elle est informée que les plus grands et les plus dangereux se font ressentir dans la Province Ecclésiastique d'Embrun. Je serois indigne, Sire, de la Place à laquelle vos bontez m'ont élevé, si je ne faisois tous mes efforts pour apporter à ces maux les remédes que les saints Canons m'indiquent, et qui même ont été prescrits par les Ordonnances de vos plus illustres Prédécesseurs.

Je supplie donc très-humblement V. M. de vouloir bien me permettre d'assembler et de tenir le Concile de la Province d'Embrun, pour traiter des affaires pressantes de la Réligion, et qui appartiennent au Dogme et à la Foi.

Je ne fais que renouveller les vives instances que plusieurs Assemblées du Clergé ont portées aux pieds de V. M. et la Province d'Embrun a le malheur de se trouver précisément dans le cas, où V. M. a fait espérer qu'elle accorderoit la grace que j'ose lui demander.

Je suis avec le plus profond Respect et la Soûmission la plus parfaite, etc.

A Embrun le 5. Avril 1727.

LETTRE DU ROY

à M. l'Archevêque d'Embrun.

Mons. l'Archevêque d'Embrun, J'ai vû par la Lettre que vous m'avez écrite, l'importance dont il est d'assembler incessamment vôtre Concile Provincial pour y traiter et discuter des affaires qui intéressent essentiellement le Dogme et la Réligion. L'attention que j'ai toûjours eu comme Fils aîné de l'Eglise à contribuer de mon Authorité à tout ce qui pouvoit maintenir la Foi dans sa pureté, m'a engagé sans peine à approuver le reméde que vous proposez; Je vous écris cette Lettre pour vous en donner avis et pour vous adresser celles que j'écris aux cinq Evêques vos Suffragans, pour leur enjoindre de se trouver en la Ville d'Embrun au jour que vous leur indiquerez pour s'y assembler en Concile Provincial au nombre prescrit par les saints Canons, et y traiter suivant les Formes et les Loix Canoniques, des affaires qui y seront proposées sur les Matiéres de Dogme et de Réligion; et ne doutant pas que vous ne vous conduisiez en cette occasion avec vôtre zéle ordinaire pour tout ce qui intéresse le Bien de l'Eglise et celui de mon Service, Je ne vous ferai la présente plus longue, que pour prier Dieu qu'il vous aye, Mons. l'Archevêque d'Embrun, en sa sainte garde. Ecrit à Versailles le 24. Mai 1727. Signé, *Louis.* Et plus bas, *Le Blanc.*

LETTRE DU ROY

à Mrs. les Evêques.

Mons. l'Evêque de ...... ayant permis au Sr Archevêque d'Embrun d'assembler incessamment son Concile Provincial pour
a y traiter et discuter des affaires qui intéressent essentiellement la Réligion et les Dogmes de la Foi, Je vous écris cette Lettre pour vous dire que mon intention est que vous vous rendiez en ladite Ville d'Embrun et au jour qui vous sera indiqué par ledit Sr Archevêque pour vous y assembler en Concile Provincial au nombre prescrit par les saints Canons et y traiter desdites affaires suivant les Formes et les Loix Canoniques, vous enjoignant au surplus de ne pas sortir de ladite Ville avant la fin dudit Concile et sans son consentement, et ne doutant pas que vous ne vous conformiez à ce qui est en cela de mes intentions avec vôtre zéle ordinaire pour tout ce qui intéresse le Bien de l'Eglise et de mon Service, Je prie Dieu qu'il vous aye, Mons. l'Evêque de ...... en sa sainte garde. Ecrit à Versailles le 24. Mai 1727. Signé, *Louis.* Et plus bas, *Le Blanc.*

LETTRE DE M. L'ARCHEVÊQUE D'EMBRUN

au Roy de Sardaigne.

Sire,

b En convoquant le Concile de la Province Ecclésiastique d'Embrun, je regarde comme un de mes premiers et de mes principaux devoirs, celui d'avoir l'honneur d'en donner part à V. M. et de la supplier très-humblement de vouloir bien honorer cette sainte Assemblée de sa Royale Protection en tout ce qui pourra intéresser l'Eglise de Nice et les autres de cette même Province soûmises à sa domination. J'espére qu'elle voudra bien permettre à tous ceux de ce Diocése, qui ont droit ou coûtume d'intervenir aux Conciles Provinciaux de se rendre à Embrun au tems marqué, et je me flatte qu'elle a la bonté de compter assez sur mon zéle et sur mon dévoûement pour être persuadé qu'il ne s'y passera rien dont le bien de son Service et l'avantage de ses Sujets puisse souffrir en aucune maniére.

Je suis avec le plus profond Respect et la plus vive Réconnoissance.

Sire etc.

A Grenoble le 20. Juin 1727.

LETTRE DU ROY DE SARDAIGNE

c *à M. l'Archevêque d'Embrun.*

Mons. l'Archevêque d'Embrun, Nous aurions soûhaité, que l'Evêque que nous avons nommé pour le Diocése de Nice, et qui est parti ces jours passez pour Rome, eût pris possession de son Evêché, et été instruit de son état, pour assister au Concile Provincial que vous avez convoqué, d'autant plus que c'est un Ecclésiastique d'une capacité et d'une piété reconnuës; mais comme vous nous avez assûrés que vous aurez soin des Intérêts de l'Eglise de Nice, nous sommes persuadez que vous ne les séparerez point de ceux de vôtre Province, et que vous ne permettrez pas, que l'on y fasse pour icelui des Régles particuliéres. Nous permettons bien volontiers à ceux de nos Sujets qui sont de ce Diocése, et qui ont droit, ou coûtume d'intervenir aux Conciles Provinciaux, d'aller à Embrun pour assister au Vôtre; Nous écrivons en cette conformité au Président du Sénat de Nice; et sans autre, Nous prions Dieu, qu'il vous ait en sa sainte et digne garde. Donné à la Venerie le 9. Juillet 1727. Signé, *V. Amedée.* Et plus bas *Mellarede.*

MANDEMENT

de M. l'Archevêque Prince d'Embrun.

Pour ordonner des Priéres à l'occasion du Concile Provincial.

Pierre de Guerin de Tencin, Par la Miséricorde de Dieu, Archevêque Prince d'Embrun, etc. Salut et Benediction.

En vous annonçant nôtre Concile Provincial, Nous avons la consolation de voir renaître dans l'Eglise de France, l'usage de ces saintes Assemblées que les Saints Péres ont toûjours regardé comme le lien de la Foi et le nerf de la Discipline. Ce que nôtre attachement aux anciennes Régles de l'Eglise, ce que la sainte émulation de marcher sur les traces du Souverain Pontife, modéle parfait de tout le Troupeau, enfin ce que le zéle du Salut des Ames commises à nos soins, Nous avoient fait desirer avec tant d'ardeur, la Providence vient de Nous l'accorder. Reconnoissez ici, M. T. C. F. les gages de la Divine Miséricorde toûjours attentive à nos voeux et à nos besoins. Autrefois le Seigneur irrité contre son Peuple, lui déclaroit que les Prêtres n'interprêteroient plus la Loy, et que les Anciens ne donneroient plus de Conseils salutaires: *Lex peribit a Sacerdote, et Consilium a Senioribus.* Aujourd'hui rappellant ses anciennes Miséricordes, il permet que l'usage de la parole soit rendu aux Chefs des Prêtres, qui sembloit leur avoir été interdit depuis plus d'un Siécle: *Tunc aperta erit lingua mutorum.*

Vous allez voir, M. T. C. F. les Pontifes de la nouvelle Alliance, former sous vos yeux leur Assemblée au Nom de Jésus-Christ, et mériter par la pureté de leurs intentions, que le Saint Esprit préside au milieu d'eux. Quel sujet plus intéressant pour vous, et plus capable de ranimer vôtre dévotion? Nous attendons de la ferveur de vos Priéres, que celui qui a commencé par son inspiration, la bonne oeuvre que Nous entreprenons, daignera par une surabondance de graces lui donner tout l'accroissement et toute la perfection dont elle a besoin.

A ces Causes, Nous voulons et ordonnons, que dans toutes les Eglises de nôtre Diocése, on chante tous les jours de Dimanches et de Fêtes, les Litanies des Saints avec les Oraisons ordinaires qui y sont jointes, à commencer depuis le 20. de ce mois jusqu'à la fin du Concile. Enjoignons à tous les Prêtres de dire tous les jours à la Sainte Messe, la Collecte *de Spiritu Sancto*, pour demander à Dieu qu'il daigne répandre sur tous ceux qui composeront le Concile, les dons de Sagesse et d'Intelligence. Nous exhortons tous les Fidéles de nôtre Diocése, à jeûner dans la même vûë tous les Vendredis durant le Concile, à assister chaque jour au Saint Sacrifice de la Messe, et enfin à mériter par la sainteté de leurs moeurs, et la ferveur de leurs Priéres, que le Seigneur daigne perfectionner l'Ouvrage que Nous avons entrepris pour sa gloire.

Voulons que nôtre présent Mandement soit lû et publié aux Prônes et Prédications, et dans toutes les Eglises de nôtre Diocése, et affiché par tout où besoin sera. Donné le premier de Juillet mil sept cens vingt-sept.

LETTRE DE M. LE BLANC SECRETAIRE D'ESTAT

à M. l'Archevêque d'Embrun.

Le Roy ayant bien voulu, Monsieur, ordonner des Honneurs Militaires au Corps de Mrs. les Evêques qui doivent tenir le Concile Provincial à Embrun, J'écris à M. Ménard qui y commande que l'intention de sa Majesté est que lors de la premiére Cérémonie qui se fera pour l'ouverture du Concile, il fasse tirer douze volées de Canon, que les Corps de Garde devant lesquels les Evêques en Corps passeront se mettent sous les Armes, et fassent battre aux Champs, et qu'il soit envoyé une Sentinelle du plus prochain Corps de Garde devant le Logis de chacun desdits Evêques; Comme ce grand nombre de Sentinelles seroit par la suite très-onéreux à la Garnison, Je crois qu'ils voudront bien se contenter de cette marque de distinction, et qu'ils se porteront aisément à demander que ces Sentinelles ne soient pas continuées. Je suis avec un respectueux Attachement etc.

A Versailles le 26. Juillet 1727.

a

ARREST DU CONSEIL D'ESTAT DU ROY,

Portant très-expresses inhibitions et défenses à tous Juges d'empêcher ou troubler directement ou indirectement la Célébration du Concile Provincial d'Embrun.

Du vingt-trois Août mil sept cens vingt-sept.

Extrait des Registres du Conseil d'Etat.

Le Roy s'étant fait représenter en son Conseil le premier Article de l'Edit donné à Melun au mois de Février 1580. et la Déclaration du feu Roy son Bis-Ayeul du 16. Avril 1646. par lesquels à l'occasion des Conciles Provinciaux que les Archevêques et Métropolitains du Royaume devoient tenir de trois en trois ans, pour pourvoir à la Discipline, correction des Moeurs et direction de la Police Ecclésiastique selon la Forme des saints Decrets, il auroit été défendu à tous Juges d'empêcher directement ni indirectement la célébration desdits Conciles, avec injonction de tenir la main à l'exécution des Decrets et Ordon-
b nances d'iceux, sans que les Appellations comme d'abus de ce qui seroit ordonné ès dits Conciles pour la correction et Discipline Ecclésiastique eussent aucun effet suspensif; et attendu qu'il y a très-long-tems qu'il n'a été tenu aucuns Conciles Provinciaux, et qu'il est important que sa Majesté régle Elle-même en conformité desdits Edit et Déclaration, les difficultés qui pourroient survenir tant à l'occasion de la célébration du Concile Provincial qui vient d'être convoqué à Embrun, qu'à l'exécution des Decrets et Ordonnances qui pourront en émaner concernant la correction et Discipline Ecclésiastique. Oüi le Rapport, et tout considéré; Sa Majesté étant en son Conseil a ordonné et ordonne que le premier article dudit Edit de Melun, et ladite Déclaration du seize Avril 1646. seront exécutez selon leur forme et teneur, et en conformité d'iceux fait sa Majesté très-expresses inhibitions et défenses à tous Juges d'empêcher ou troubler directement ou indirectement la célébration dudit Concile Provincial d'Embrun, leur enjoignant sa Majesté de tenir la main à l'exécution des Decrets et Ordonnances qui pourront y être rendus, sans que les Appellations comme d'abus
c de ce qui pourra y être ordonné concernant la Discipline, la correction des moeurs et la direction de la Police Ecclésiastique, puissent avoir aucun effet suspensif, sa Majesté ayant retenu et réservé à sa Personne et à son Conseil la connoissance tant desd. Appellations comme d'abus, si aucunes étoient interjettées, que des autres contestations qui pourroient être mûës à l'occasion dudit Concile, et icelle interdite à toutes ses Cours et autres Juges. Fait au Conseil d'Etat du Roy, Sa Majesté y étant, tenu à Versailles le 23. d'Août 1727. Signé, *Le Blanc.*

LITTERAE EM. CARDINALIS LERCARI,

Secretarii Status,

ad Archiepiscopum Ebredunensem.

(* *Versio Latina ex Italico.*)

Illustrissime et Reverendissime Domine. Pro ea, qua Dominatio Vestra Illustrissima semper erat orga Dominum Nostrum
d Sanctamque Sedem, pietate convenit quam plurimum, quod, convocatione Concilii totius Provinciae statuta, priusquam celebrari coeptum sit, idipsum cum Sanctitate Sua epistola ex officio scripta communicarit. Ipsa hisce literis, sibi gratioribus, quam dicere possim, respondebit, idque, finito Concilio, eo majore cum gaudio, quo amplior inde in Dominationem Vestram laus et consolatio redundabit.

Interea autem, me interprete, Eidem de illo Concilio ejusque indictione jam facta gratulatur laudatque Deum, quod post varias rerum vicissitudines Gallia morem restituat Conciliorum celebrandorum, quae, quemadmodum Toletana in medio aevo tanta laude pervulgabantur tantique aestimabantur, post Concilium Tridentinum habitum in Ecclesia reliquorum omnium fuerunt norma. Nec dubitat Sanctitas Sua, quin Synodus a Te, Illustrissime Domine, celebranda, quae procul dubio aliis quoque exemplo erit, pristinas et fructu aequatura sit et gloria, quum probe sciat, Te reliquosque Episcopos Provinciae Ebredunensis doctrina, zelo, eruditione ecclesiastica antiquis istius regni Antistitibus haud esse inferiores. Unde quum faustissimum

quemque successum ad majorem Dei gloriam et Ecclesiae religionisque utilitatem speret, divinam implorat Majestatem, ut divino cum auxilio operi tam sancto sit propitia; quod ut consequamini, Tibi totique sacro coetui Apostolicam impertit benedictionem. Haec igitur sensa Sanctitatis Suae postquam a Tibi scripsi, reliquum est, ut, quanta ipse Te Tuaque merita observantia prosequar, Tibi significem manusque Tuas deosculer.

Dominationis Illustrissimae etc.

Romae d. d. 23. Julii a. 1727.

N. M. Cardinalis Lercari.

LITTERAE SS. DOMINI BENEDICTI XIII.

ad Archiepiscopum Ebredunensem manu propria scriptae.

BENEDICTUS PP. XIII.

Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem. b Per due altre mie, ho espresso a V. S. la nostra cordiale consolazione, per aver il suo zelo risorta la memoria de' Concilii Provinciali in cotesto Religiosissimo Regno. Ora in risposta alla sua Lettera delli 26 del caduto aggiugniamo la Testificazione della nostra stima verso il suo merito, per si santa e necessaria opera. Dalla nostra banda ella si accerti di tutt' il nostro impegno, e può crederci: per che sà con quale vigore promossi e terminai due Concilii in qualità di semplice Arcivescovo. *Unam Sanctam Ecclesiam,* venerava in Benevento, *et unam* anche hoggi e fino alla morte. Onde V. S. operi senza rispetto, e Dio sarà nel suo cuore e nella sua gran' mente. Monsignore Eletto di Nizza suo Suffraganeo le averà attestato questa verità, e quanto lo esortai et pregai, che si congiugnesse colla Dottrina, zelo, e fortezza di V. S. e spero che sarà ben servita da miei Religiosi honorati da lei nel Sinodo, per resistere alla procacità di alcuno, che non avesse ò non habbia nutrito i di lei Catolici sentimenti. Prego il Signore di assisterle con ispeziale benignità, mentre col mio obligatissimo affetto, al nome del medemo le compartiamo l'Apostolica Benedizione.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem die 26. Augusti 1727. Pontificatûs nostri anno 4.

* Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Quanto solatio Nobis fuerit, quod Tua opera studioque Concilia provincialia in memoriam revocata sunt, jam duabus epistolis Tibi manifestavimus. Ut igitur literis Tuis, die 26. superioris mensis datis, respondeamus, accipe jam, qua observantia, quaecumque in opere tam necessario tamque sancto bene merueris, prosequamur. De Nostro vero studio Nostraque ope, velimus, Tibi persuadeas, quum haud ignores, quanta constantia, quum ipse Archiepiscopus essem, Concilia duo convocaverim, provexerim atque ad finem perduxerim. *Unam sanctam Ecclesiam* Beneventi venerabar, eamque *Unam* hodie veneror et ad mortem usque venerabor. Quapropter ut intrepide agas, Te hortor, et Deus erit in corde Tuo et magna mente Tua. Episcopus electus Niciensis, suffraganeus Tuus, credo, hac de re certiorem Te fecit simulque Tibi significavit, quantopere eum cohortati simus et exoraverimus, ut Tuae doctrinae, zelo, fortitudini sese adjutorem conjungeret. Spero quoque, fore, ut Mei Religiosi, quos in Synodo tantopere honorasti, suam operam Tibi conferant ad vincendam procacitatem hominis cujusdam, qui sensus Tuos catholicos vel non nutriverit vel non habuerit penitus. Dominum obsecro, ut singulari benignitate Tibi praesto sit, simulque ejusdem nomine Apostolicam benedictionem maximo cum amore Tibi impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem die 26. Augusti 1727. Pontificatus Nostri anno quarto.

ALIAE LITTERAE SS. DOMINI,

manu propria ad Archiepiscopum Ebredunensem scriptae.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Venerabilis Frater Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem. c Rispondendo alle due giocondissime Lettere di V. S. e 1° a quella di 27 di Agosto, ovi mi avvisa del principio e proseccuzione del suo Concilio Provinciale, diretto con somma prudenza e spezialissimo zelo. 2° Alla seconda sua Lettera delli 26 di Septembre, in cui leggo il compimento felice di esso Sinodo. Il Signore, che le ha assistito, e condotto i suoi Comprovinciali, *ad idem sentiendum et decidendum,* assista anch'agli altri Metropolitani di cotesto fioridissimo Regno, ad imitarla ed a resuscitare l'antica osservanza: Dando a vedere a tutta la Chiesa non solo lo utile, che si ricava da si necessarie Adunanze per la Disciplina; mà ancor la facilità di conchiuderle, e che i Sinodi Provinciali non cagionano disturbi a' *Principi quando i medesimi non si lascino soprafare da perversi Consigli degl'inimici del Regolamento Ecclesiastico. Il Signore medemo ha permesso, che in cotesto suo Concilio, vi sia chi non ha voluto persuadersi d della verità insinuatagli con tanta carità e discretezza, acciochè risplenda il provedimento Canonico preso da PP. e si desinganni, chi persuade la non convocazione de' Concilii Provinciali per non intrigarsi con questa Santa Sede, che sempre gli promoverà, e nel nostro ultimo Romano inerendo allo Ecumenico di Trento, troppo apertamente ha dichiarato i veri suoi sentimenti; stampato che sarà il medemo suo Concilio, nella risposta che le faremo sarà più manifesta si fatta verità. E con pregare lo Altissimo che rimuneri le sue fatiche, il suo studio, e la generosa Ospitalità; lo accertiamo della nostra riconoscenza per si degne e sante operazioni; mentre a V. S. affettuosamente compartiamo l'Apostolica Benedizione.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die 25. Octobris 1727. Pontificatûs nostri Anno quarto.

* Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Gratissimis epistolis duabus respondeo, alteri 27. die Augusti datae, qua me de inchoato atque continuato Concilio Provinciali admones, quod tanta prudentia zeloque tam singulari regebas et moderabaris, alteri 26. diei Septembris, ex qua faustum ejusdem Synodi comperi finem. Dominus, qui Tibi adjutor fuit sociosque Tuos *ad idem sentiendum et decidendum* induxit, alios quoque istius florentissimi regni Metropolitanos juvet, ut te imitentur et morem antiquum restituant. Ostendit enim ipse universae Ecclesiae, coetus hosce ad disciplinam tuendam tam necessarios non solum prodesse multum, sed facile etiam institui, nec molestias litesque parere principibus, modo ne ipsi perversis cedant eorum, qui Ecclesiae ordini adversantur, consiliis.

Ipse Dominus permisit, ut in isto Concilio esset, qui veritatem, etsi tanta caritate atque modestia sibi insinuatam, minime intelligere vellet. Quod ideo evenisse videtur, ut, quae ex canonum norma a Patribus contra eundem sancita essent, majore splenderent luce, errorque tolleretur eorum, qui Conciliorum celebrationem dissuaderent, ut molesta cum S. Sede negotia evitarentur; licet haec semper illa provehat et in ultimo Nostro Concilio Romano disertissime sensus suos veros, Synodo oecumenicae Tridentinae conformes, declaraverit. Quam primum decreta Concilii Tui typis fuerint mandata, ex illis, quae responsuri erimus, idipsum magis patebit. Fusis denique ad Deum precibus, ut Tuos labores, studia, generosam denique hospitalitatem remuneretur, certiorem Te facimus, Nos tam sanctorum dignorumque operum memores fore. Interea Apostolicam Tibi benedictionem animo lubenti impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem die 25. Oct. 1727., Pontificatus nostri anno quarto.

LETTRE DE M. L'EVÊQUE DE SENEZ

à M. l'Archevêque d'Embrun.

Monseigneur,

Rien ne peut égaler la reconnoissance que j'ai de vos bontés, si ce n'est ma Vénération pour vôtre Personne. Le voyage a été fort heureux, et l'excellente voiture que vous avez eu la charité de me fournir, m'a conduit sûrement au travers des précipices. Je suis arrivé si tard qu'il m'a été impossible d'aller saluër Monsieur le Président vôtre Illustre Frére dès ce soir: mais ce sera demain un de mes premiers et plus doux devoirs avant mon départ. Recevez, je vous prie, mes sincéres remercimens, et faites moi la grace d'être convaincu du parfait Respect avec lequel j'ai l'honneur d'être etc.

A Grenoble ce 15. Octobre 1727.

ARREST DU CONSEIL D'ESTAT DU ROY,

Portant que le tiers des revenus de l'Evêché de Senez sera remis entre les mains du Grand Vicaire et Official commis par le Jugement du Concile d'Embrun.

Du 10. Janvier 1728.

Extrait des Registres du Conseil d'Etat.

Le Roy s'étant fait représenter en son Conseil, le Jugement rendu contre le Sieur Evêque de Senez par le Concile de la Province d'Embrun, tenu en ladite Ville par la permission de Sa Majesté, Elle auroit reconnu que ce Prélat y ayant été suspendu de l'exercice de ses fonctions jusqu'à ce qu'il ait satisfait audit Jugement, le Concile auroit ordonné en même tems que le tiers du revenu de l'Evéché de Senez seroit remis entre les mains du Grand Vicaire et Official commis par ledit Concile, à la charge d'en rendre compte à l'Archevêque d'Embrun Métropolitain, et en cas de vacance, au plus ancien Suffragant de la même Province: Et comme il est important de prévenir toutes les difficultés qui pourroient naitre dans les suites de ce Jugement dont ledit Concile a très-humblement supplié le Roy de vouloir authoriser et procurer l'exécution; Sa Majesté, qui met au nombre de ses principales obligations la protection qu'elle doit aux Decrets des Conciles Provinciaux, a crû devoir suivre en cette occasion l'Exemple des Rois ses Prédécesseurs, qui par plusieurs de leurs Ordonnances, et notamment par le premier article de l'Edit de Melun, par le sixiéme article de l'Edit de 1610. et par la Déclaration du 26. Avril 1646. ont enjoint aux Juges de leur Royaume, de tenir la main à l'exécution des Decrets des Conciles Provinciaux, sans que les appellations comme d'abus de ce qui auroit été ordonné ausdits Conciles pour correction et discipline, pussent avoir aucun effet suspensif; à quoi étant nécessaire de pourvoir, en joignant le secours de la Puissance temporelle à l'Authorité Ecclésiastique: Sa Majesté étant en son Conseil, a ordonné et ordonne, que conformément audit Jugement rendu au Concile d'Embrun le 20. Septembre 1727. le tiers des revenus de l'Evêché de Senez sera remis audit Grand Vicaire et Official commis par ledit Jugement lequel sera exécuté selon sa forme et teneur: Fait défenses à toutes personnes de quelque état et condition qu'elles soient, d'apporter aucun trouble ou empêchement à la remise et délivrance dudit tiers réservé pour l'administration et les besoins du Diocése de Senez, et sous quelque prétexte que ce puisse être, même d'appellation comme d'abus, dont Sa Majesté s'est réservé la connoissance, et icelle interdit à toutes ses Cours et autres Tribunaux; Voulant que s'il survient d'autres contestations sur ce sujet de la part des Fermiers ou Receveurs desdits revenus, Créanciers ou autres qui peuvent y prendre droit, elles soient portées pardevant le Sieur Lebret, Intendant et Commissaire départi en Provence, pour l'exécution des Ordres du Roy, auquel Sa Majesté a attribué pour raison de ce, circonstances et dépendances, toute Cour, Jurisdiction et connoissance, privativement à tous autres Juges, le tout à la charge de l'Appel en son Conseil, des Ordonnances et Jugemens qui pourront être par lui rendus. Enjoint audit Sieur Lebret de tenir la main à l'exécution du présent Arrêt, qui sera lû, publié et affiché par tout où besoin sera. Fait au Conseil d'Etat du Roy, Sa Majesté y étant, tenu à Marly le 10. Janvier 1728. Signé, *Le Blanc.*

a *Louis* par la grace de Dieu, Roy de France et de Navarre, Dauphin de Viennois, Comte de Valentinois et Dyois, Provence, Forcalquier et Terres Adjacentes: A nôtre Amé et féal Conseiller en nôtre Conseil d'Etat, premier Président en nôtre Cour de Parlement de Provence, Intendant et Commissaire départi pour l'exécution de nos ordres audit Pays, le Sieur Lebret, Salut. Nous voulons et vous mandons par ces présentes signées de nôtre main, que suivant l'Arrêt cy-attaché sous le Contrescel de nôtre Chancellerie, cejourd'hui donné en nôtre Conseil d'Etat, Nous y étant, vous ayez à vous employer et tenir la main à son exécution selon sa forme et teneur, vous attribuant pour raison de ce, circonstances et dépendances, toute Cour, Jurisdiction et connoissances, privativement à tous autres, le tout à la charge de l'Appel en nôtre Conseil, des Ordonnances et Jugemens qui pourront être par vous rendus: Commandons à nôtre Huissier ou Sergent premier requis, de faire pour l'exécution dudit Arrêt et de ce que vous pourrez ordonner en conséquence, tous Explois, Significations, et autres Actes requis nécessaires, sans pour ce, demander autre congé ni permission: b Car tel est nôtre plaisir. Donné à Marly le 10. de Janvier, l'an de grace 1728. Et de nôtre Regne le treiziéme. Signé *Louis:* Et plus bas; Par le Roy Dauphin: Comte de Provence. Signé, *Le Blanc.* Et scellé du grand Sceau de cire jaune.

LETTRE D. M. L'ARCHEVÊQUE D'EMBRUN

à M. l'Evêque de Senez.

Monseigneur,

J'ai peine à en croire mes yeux, sur[1] l'Acte que je viens de lire. Non, cette piéce si pleine d'aigreur, et où la vérité est si fort altérée, n'est point sortie de vos mains; Vous n'auriez point démenti si promptement les témoignages d'estime et d'affection, que vous m'avez donnés pendant vôtre séjour à Embrun: témoignages que vous m'avez réïtérés en tant d'occasions, et à tant de personnes, et que vous avez confirmés par écrit de la maniére la plus précise. Il n'y a pas d'apparence que vous me croyiez tel, que me dépeint l'Acte dont il est ici question, dans c le même tems que vous m'assûrez par Lettre, *que vous avez pour moy toute la vénération possible.* Je sçai par vôtre propre aveu, que la plûpart des Actes qui ont parû sous vôtre nom, Monseigneur, n'étoient pas de vous, et que le plus souvent vous n'y aviez d'autre part, que la complaisance de les avoir signés, ou de les avoir adoptés.

On vous fait dire dans celui-cy, que je n'ai pas voulu vous entendre. Tout le monde sçait, que vous avez été entendu toutes les fois, et aussi long-tems que vous l'avez voulu, et que depuis le jour de vôtre arrivée à Embrun jusqu'à celui de vôtre départ, il ne s'en est presque pas passé un seul, où je n'aye eu l'honneur de vous voir.

On vous fait dire, que *vous aviez en main l'Arrest rendu contre moy, et qu'il étoit tout pour vous.* Est-il vrai-semblable que vous l'eussiez, puisque vous ne le produisiez pas, ou que ne le produisant pas, vous fussiez persuadé qu'il fût tout pour vous? Vous ne sçauriez avoir oublié, et plus de quarante personnes en ont été les Témoins, qu'aussi-tôt après que vous eûtes récité vous-même les récusations personnelles dans la seconde Congrégation générale, je vous demandai par deux fois, si vous d vouliez vous soûmettre à la preuve de tout ce que vous veniez d'avancer contre mes Confréres et moi; vous répondites constamment, Non; et qu'après vous avoir tenu le discours, qui est très-exactement rapporté dans la Rélation du Concile, au lieu de produire l'Arrest, vous vous retirâtes malgré les instances qui vous furent faites de rester; si-tôt que vous me vites produire moi-même cet Arrest, vous ne jugeâtes pas à propos d'en entendre la lecture; Elle vous auroit démontré évidemment, qu'il n'y avoit jamais eu d'accusation de confidence ou de simonie, et que ce n'étoit point sur une pareille accusation que l'Arrest étoit intervenu.

Vous n'auriez point oublié ce que vous me dites le lendemain, et que vous confirmâtes depuis à plusieurs personnes

---

[1] Acte de M. de Senez contre les faussetez et calomnies répanduës contre lui dans plusieurs Libelles, et les Observations par un Evêque du Concile d'Embrun, envoyez à Rome, et dans les Provinces de France, par M. l'Archevêque d'Embrun.

dignes de foy, *que vous aviez été surpris, et que vous ne sçaviez pas le fait tel qu'il étoit.*

Faut-il encore vous rappeller, Monseigneur, ce fait, que l'on affecte de déguiser si étrangement? Le voicy. Il vaque un Prieuré dépendant de l'Abbaye de Vezelay de laquelle je suis Titulaire; Aussi-tôt je le confére à un de mes Neveux qui dans ce tems-là étoit éloigné de moi de 500 lieües. Ensuite le Chapitre de Vezelay me requiert de faire l'union de ce même Bénéfice à l'Abbaye, conformément à une Bulle qui en sécularisant l'Abbaye dans le Chef et dans les Membres, avoit prononcé l'union de plusieurs Prieurés dont celui-là étoit du nombre. Alors oubliant les intérêts de ma Famille, et ne voulant pas qu'il fût dit que je les eusse préférés à ceux de mon Eglise, je consommai l'union autant qu'il pouvoit dépendre de moi, je dépoüillai mon Neveu du Revenu, et conformément à ladite Bulle, le partage des biens dudit Prieuré fut fait entre le Chapitre de Vezelay et la Manse Abbatiale. Si j'avois été capable de simonie ou de confidence, n'eût-il pas été plus simple de joüir du Bénéfice sous le nom de mon Neveu à qui je l'avois conféré, au lieu de sacrifier, comme je le faisois, la meilleure partie du Revenu, par le partage des biens que je ne pouvois me dispenser de faire en conséquence de l'union? et aurois-je privé mon Neveu de l'espérance de joüir dudit Prieuré, du moins après moi? Espérance qui auroit dû être le prix de la confidence.

Pouvois-je m'empêcher de conférer ce Bénéfice? Le droit n'en étoit point douteux, et je ne devois pas le négliger; pouvois-je m'empêcher de faire l'union prescrite par la Bulle de Sécularisation? N'auroit-ce pas été manquer à ce que je devois à mon Abbaye, et m'exposer à un Procès indécent avec mon Chapitre?

Un an et demi s'étant écoulé, un Ecclésiastique prend en Cour de Rome des Provisions de ce Prieuré comme vaquant par mort, et forme une instance dans laquelle il prétend que l'Arrest d'enregistrement de la Bulle de Sécularisation excluoit l'union. Mon Neveu intervient dans le Procès, en soûtenant que si l'union étoit déclarée nulle, le Bénéfice lui appartenoit, comme premier Titulaire. La cause est plaidée, et par Sentence confirmée par Arrest, le Bénéfice est adjugé au Pourvû en Cour de Rome. Si son Avocat s'émancipa dans les Plaidoyers ou dans les Factums, comme il n'est que trop ordinaire, les piéces du Procès font foy que jamais dans aucune de ses conclusions, il n'osa avancer ni la simonie, ni la confidence; il s'en tint à ses Provisions *per Obitum*, dans lesquelles il n'y avoit aucune clause de dévolut.

Que résulte-t-il de tout cela, Monseigneur? qu'il y a eu des Factums dans lesquels on a tenté de prévenir les Juges contre moi, en hazardant les termes de simonie et de confidence; cela est vrai: qu'il y a eu un Arrest qui m'a fait perdre mon Procès; cela est encore vrai: donc il y a un Jugement qui me condamne comme confidentiaire, ou qui authorise cette accusation; Voudriez-vous tirer une pareille conséquence, tandis que, nonseulement l'Arrest n'en dit rien, mais encore que pareille accusation n'a jamais été formée? Et n'y a-t-il pas de la malignité et de la mauvaise foy à donner à entendre au public, comme l'a fait celui qui a rédigé l'Acte de vos récusations, que l'amende à laquelle m'a condamné l'Arrest, étoit pour cause de simonie, quoiqu'elle ne soit que la peine à laquelle est toûjours condamné celui qui succombe dans l'Appel qu'il a interjetté?

C'est en conséquence de ce Récit, que vous répétâtes à la personne qui vous le fit, que *vous voudriez effacer de vôtre sang, ce que vous aviez dit contre moi dans vos récusations, et que vous étiez prêt de déclarer en plein Concile que vous aviez été surpris, et que vous regardiez comme une calomnie, ce que l'on vous avoit engagé de dire contre moy.* Il est vrai que vous exigiez cette condition: *Que le Promoteur du Concile retirât la plainte qu'il avoit formé contre vous.*

Avec quelle vrai-semblance l'Auteur de vôtre Acte, ose-t-il vous faire dire, que ce discours qu'il avoüe que vous avez tenu: *Je voudrois effacer de mon sang la récusation, etc.* tombe, non pas sur le regret de m'avoir injustement accusé, mais sur la prétenduë faute que j'avois commise, et sur la confusion qui en réjaillissoit sur l'Episcopat, dont alors je n'étois pas honoré? Et dans quelle contradiction vous fait-il tomber, en vous faisant paroître transporté d'amour et de charité pour moi, jusqu'à vouloir répandre vôtre sang, dans le tems qu'il vous fait faire une

a récusation odieuse qui ne pouvoit que scandaliser vos Fréres, sans aucun fruit pour vôtre cause?

Ne seroit-ce point l'Auteur de cet Ecrit, qui dans un autre Libelle, pour prouver que je me sentois coupable, fait entendre au public non instruit, que j'avois pris soin de faire insérer dans mes Bulles, la clause *Absolventes?* comme si cette clause m'étoit particuliére, et ne fût pas de stile dans toutes les Bulles.

Mais je n'ai garde de vous attribuer ces contradictions, Monseigneur, ni de vous croire capable de ces malignitez, et je ne vous en sçai point mauvais gré. On a beau faire, on ne m'aigrira point contre vous, on ne parviendra point à répandre dans mon coeur le fiel et l'amertume; je ne cesserai point d'avoir pour vous les mêmes attentions dont vous avez bien voulu quelquefois paroître touché; Je n'authoriserai jamais les injures dont vous vous plaignez, et en particulier la Note que l'on a ajoûtée aux Observations sur vôtre Lettre aux Evêques de France; je suis disposé à les souffrir les injures, et par la grace de Dieu, très-éloigné d'en jamais faire à personne, autant qu'il dépendra de moi; je ne répondrai point même à toutes celles
b qui pourroient m'être dites, tant qu'elles ne m'attaqueront point dans l'exercice de mon Ministére. Je sçai que nous sommes faits pour les croix et les humiliations; peu nous importe, que l'on dise du mal de nos Personnes, pourvû que le Ministére soit à couvert, et que la cause de Dieu triomphe. Je sçai encore que ce n'est pas principalement à la Personne de l'Evêque, que les Graces spéciales sont promises, mais au Ministére; et c'est ce qui m'a rempli de confiance dans la tenuë du Concile de ma Province, et qui me rassûre contre la fureur de vôtre Parti.

Ce n'est donc pas pour vous faire des reproches, Monseigneur, que j'ai l'honneur de vous écrire; mais pour vous solliciter de nouveau à rentrer dans vous-même, et à refléchir sur l'état déplorable dans lequel vous êtes plongé. Car enfin, il ne vous reste plus de ressource que dans le repentir, quelque confiance que vous eussiez dans vos moyens d'incompétence et de récusations; vous avez été jugé par un Tribunal que vous n'avez pû vous empêcher de reconnoître comme légitime, quand il n'étoit pas question de vous; nôtre Jugement a été approuvé et confirmé par le S. Pére qui est l'unique Supérieur à qui les
c Canons renvoyent la connoissance d'un Jugement rendu dans un Concile Provincial. Vous verrez de quelle façon s'explique S. S. dans le Bref, dont j'ai l'honneur de vous remettre une copie; et vous voila réduit à mourir dans l'interdit, sans espérance d'en être jamais relevé, à moins que vous ne vous déterminiez enfin à une satisfaction convenable.

Vos Appels comme d'abus, et les consultations de tous les Avocats du monde (dignes d'égard et d'attention en matiére civile, mais de nulle valeur, et de nulle considération en matiére de Réligion) peuvent-ils tranquilliser vôtre conscience?

Eh quoy! peut-il y avoir abus dans le Jugement unanime d'un Concile rendu contre un Evêque notoirement et obstinément Réfractaire à des Constitutions Apostoliques et dogmatiques, reçûës de toute l'Eglise, munies de l'authorité du Souverain qui les a plusieurs fois déclarées Régles de l'Etat, comme elles le sont de l'Eglise? Où en seroit la Réligion, si l'Appel comme d'abus avoit lieu en pareil cas? A quel Tribunal, la connoissance du Procès seroit-elle renvoyée? Je ne dis pas pour cela, qu'il ne puisse y avoir abus dans la Procédure d'un Concile, et que le
d Roy, comme Protecteur des Canons, et de ses Sujets, ne puisse en prendre connoissance; mais ce n'est que dans le cas, où les Droits de sa Couronne seroient attaquez, la tranquillité de l'Etat troublée; ou enfin, qu'il seroit fait violence manifeste à un de ses Sujets; Or le cas présent est bien différent: Nous ne nous sommes assemblés que par la permission du Roy, Nous n'avons travaillé qu'à maintenir l'Ordre dans son Etat, et à venger le mépris de ses Loix, et Nous n'avons agi contre vous, qu'en conséquence de l'aveu que vous avez fait de les avoir violées. Ceux qui par passion ou par attachement mal entendu à vôtre Personne, vous donnent des consultations, confondent le Jugement d'un Concile avec celui d'une Officialité adstreinte à de certaines Ordonnances; ils ne distinguent point entre le Procès fait à un Evêque convaincu de desobéissance à l'Eglise en matiére de Doctrine, et celui qui seroit fait à un Prêtre pour des crimes personnels. Ces Conseillers téméraires ne craignent-ils point de se rendre coupables eux-mêmes envers l'Eglise, et envers le Souverain, en s'unissant scandaleusement pour fournir des moyens de s'élever impunément contre les Loix de l'Eglise

et de l'Etat? Permettez-moi de vous dire que ce ne sont pas a là des conseils sur lesquels un Evêque doive régler sa conduite. Gardez-vous des *Ouvriers trompeurs*, dit l'Apôtre. Et dans un autre endroit: *Prenez garde que personne ne vous fasse illusion par la Philosophie*, et par de vains *Sophismes fondez sur la tradition des hommes, et sur les Elémens du monde, et non pas sur Jésus-Christ*. Vous avez été forcé de convenir avec moi, que l'on vous en avoit imposé sur un article capital [1]; Ne vous appercevez-vous pas, qu'on vous engage chaque jour dans de fausses démarches, jusqu'à vous faire oublier les Loix les plus inviolables de la charité? La vérité ne se défend point par les injures, et jamais un véritable Apôtre n'y eût recours pour la soûtenir.

Souffrez, Monseigneur, que je vous rappelle quelques-uns des Discours que je vous ai tenus dans nos conversations particuliéres qui de vôtre aveu firent alors impression sur vous, et qui peut-être agiront aujourd'hui plus efficacement.

Il est inutile de disputer, vous disois-je, les Hérétiques les b plus déclarez disputent, et il est rare qu'on les ramene par cette voye-là; Vous vous appuyez sur quelques faits ausquels on a cent fois répondu; Je vous en ai apporté d'autres sans nombre, et qui sont décisifs, mais ausquels vous vous flattez de trouver des réponses.

Nous sommes tous deux dans des préjugez différens et opposez. Je parlois ainsi, pour m'accommoder à vôtre façon de penser: J'ai pour moi trois Papes consécutifs avec tous les Evêques du monde, à la réserve d'un très-petit nombre; Si je me trompe, ne serai-je pas excusable devant Dieu, lors qu'à son dernier Jugement, je lui dirai: Seigneur, j'ai suivi la plus grande Authorité visible, que vous aviez établi sur la terre; ne devois-je pas soûmettre à cette Authorité, mes lumiéres particuliéres, et n'auroit-ce pas été un orgueil insupportable, que de vouloir les lui préférer? Pour vous, Monseigneur, continuois-je, vous suivez un Parti dans lequel vous êtes presque seul parmi tous les Evêques du monde; Vous préférez vôtre sentiment particulier à c celui du Chef de l'Eglise, et de tous vos Confréres; Si vous êtes dans l'erreur, n'est-il pas évident que vous serez sans excuse devant Dieu, comme vous l'êtes déja devant les hommes qui examinent sans prévention vôtre Etat?

Il n'est pas possible, ajoûtois-je, que cette grande Authorité visible ne forme quelque doute dans vôtre esprit. Dans ce doute, pouvez-vous exposer l'Episcopat à être flétri par la condamnation qui vous menace? Pouvez-vous vous exposer vous-même à être privé de l'exercice de vos saints Ordres? et ce qui est encore plus terrible, à mettre vôtre Salut éternel en péril? N'avez-vous pas assez fait pour vôtre Parti, et devez-vous risquer, pour lui être fidéle, de vous voir séparer de l'Eglise que la Providence vous a donnée pour épouse? Rendez-vous donc à vôtre troupeau, Monseigneur, par un retour sincére, par une véritable obéissance à l'Authorité que Dieu a établi sur vous. Nous vous recevrons à bras ouverts; Nous ne serons occupez par nos empressemens, par nos respects, qu'à vous faire oublier la peine, que nôtre devoir nous a forcé de vous causer malgré la répugnance de nos coeurs, malgré nôtre penchant et nôtre inclination pour vôtre Personne. Vous ferez à la vérité le desespoir de quelques-uns; mais vous ferez la joye et la consolation de l'Eglise entiére. Vous déconcerterez les projets d'un petit nombre de gens également révoltez contre l'authorité temporelle et spirituelle; mais vous aurez la gloire de contribuer à la paix de l'Eglise et au repos de l'Etat.

Au reste, Monseigneur, je ne vous dispute pas *la consolation de n'avoir jamais vû vôtre honneur attaqué par des Factums produits en pleine Audiance, ni authorisez par un Arrêt;* Je vous en soûhaite même encore une autre plus solide et plus vraye, celle d'effacer par vôtre repentir la tache du Jugement qu'un Concile a porté contre vous, et qui vient d'être confirmé par le Chef de l'Eglise.

Je suis avec respect, etc.

A Embrun le 4. Janvier 1728.

[1] Le Concile Romain.

LETTRE DE M. LE BLANC, SECRETAIRE D'ETAT,

à M. l'Archevêque d'Embrun du 29. Mars 1728.

Le Roy après avoir pris l'avis de quelques Cardinaux, Prélats et autres Personnes de son Conseil sur le Bref confirmatif des Decrets du Concile d'Embrun, m'ordonne de vous écrire, Monsieur, que Sa Majesté vous permet de la faire imprimer à la suite des Actes de ce Concile. On lui a rendu compte de la circonspection avec laquelle ce Bref étoit écrit, et on lui a fait sentir en même tems, que dans les affaires de cette nature, la forme ne devoit pas l'emporter de façon que le Fonds pût en souffrir. Sa Majesté s'est d'autant plus volontiers déterminée à cette permission, que par la Lettre que vous vous proposez d'écrire à Sa Sainteté, et qu'elle a fait examiner par les mêmes Personnes, vous prévenez avec beaucoup de prudence quelques mauvaises interprétations que l'on auroit pû donner à ce Bref. Sa Majesté n'a pas jugé à propos de faire expédier des Lettres Patentes dans cette occasion, ayant été informée que cela ne s'étoit pratiqué, ni par rapport aux Conciles qui ont été tenus dans le Royaume postérieurement au Concile de Trente, ni par rapport au Bref que Clement XI. écrivit à l'Assemblée du Clergé de 1714. et que même le feu Roy n'avoit donné sur ce dernier Bref, qu'une simple permission Verbale; Dans ces circonstances la Lettre que j'ai l'honneur de vous écrire de la part de Sa Majesté est plus que suffisante pour vous authoriser à faire paroître incessamment les Actes de vôtre Concile, le Bref qui les confirme et la Réponse que vous faites à Sa Sainteté.

Je suis etc. *Le Blanc.*

S. CONCILIUM PROVINCIALE TARRACONENSE

per Illustrissimum et Reverendissimum D. Fr. Josephum Sanchiz Archiepiscopum Tarraconensem a. 1685. celebratum.

* Tarraconensis provincia ea fuit, quae inter omnes Latinas maxima constantia morem Conciliorum provincialium videtur retinuisse. At ex Synodis ab a. 1685 — 1757. celebratis duarum tantum (a. 1685. et 1717.) decreta typis fuerant mandata; caeterarum constitutiones et acta in variis archivis sepulta jacuerant, donec nostra aetate clarissimus Joannes Tejada y Ramiro hujus thesauri reliquias summa diligentia conquisitas edidit et tomo VI. (p. 136. seqq.) collectionis Canonum Hispanicorum („Coleccion de Cánones de la Iglesia de España." Madrid 1859.) inseruit. Ex quo praeclaro opere, quod ut collectionem Conciliorum Hispaniarum locupletissimam plurimum commendamus, decreta illa rursus edimus, excepto Gerundensi Concilio, cujus constitutiones ex opere: „España sagrada." Madrid 1826. Vol. XLIV. (p. 345. seqq.) deprompsimus. Num vero acta et decreta omnium illarum Synodorum a S. Congregatione Romana recognita sint, non liquet.

D. Fr. Josephus Sanchiz

Archiepiscopus Tarraconensis, Hispaniarum Primas.

Ad futuram rei memoriam.

Cum tota vis legis ex illius promulgatione consurgat, parumque momenti sit statuta condere, nisi earundem communis sequatur notitia, idcirco Constitutiones in S. Concilio Provinciali,
a nuper per Nos, anno scilicet 1685., in hac nostra Civitate Tarraconae celebrato, quae ad commune bonum hujus nostrae Provinciae maxime conducunt, exemplo Praedecessorum nostrorum, praelo dare mandavimus, dum volumen integrum Constitutionum Tarraconensium, additis, quae currenti seculo emanarunt, recuditur. Quod etsi omnium sit in votis, tamen et temporum injuria et tanti operis mole in dies protrahitur.

CONSTITUTIONES S. CONCILII PROVINCIALIS TARRACONENSIS.

1. Cum Concilia Provincialia juxta antiquissimam Ecclesiae consuetudinem, in hac etiam nostra Provincia Tarraconensi perpetuo observatam, ac etiam juxta S. C. T. praescriptum celebranda sint pro moderandis moribus, corrigendis excessibus et controversiis componendis, operae pretium est Decreta aliqua in hunc finem pro temporum exigentia in hac aliisque sessionibus concinnare.

2. Igitur cum S. C. T. sess. 24. c. 4. et 7. sanctissime disposuerit, Parochos in suis parochiis per se vel per alios, eorum expensis ab Ordinariis deputandos, saltem Dominicis et aliis festivis diebus pueros in Fidei rudimentis erudire, atque in singulis diebus festivis vel solemnibus inter Divinorum celebrationem sacra eloquia et salutis monita lingua vernacula populo explanare: Sacro approbante Concilio, hortamur in visceribus Jesu Christi omnes Rectores et alios animarum curam habentes, ut haec S. C. T. Decreta ob oculos habeant et executioni mandent per se vel per alios, a suis Ordinariis in hoc ministerium approbandos. Sin autem aliqui (quod Deus avertat) negligen-
b tes fuerint, Sacro approbante Concilio, praecipimus et mandamus, ut, [qui] per quindecim dies, sive continuos sive interpolatos, in uno anno defecerint, poena quinquaginta vel centum regalium Barchinonensium (arbitrio Episcopi) pro ejusdem Ecclesiae reficiendis ornamentis puniantur. Si vero anno sequenti vel alio similiter eidem defuerint, majori poena arbitrio Episcopi puniantur. Super quo Ordinarii et eorum Visitatores in suis visitationibus diligenter inquirant; Parochi autem, qui praeter Ecclesiam principalem aliam
c habent suffraganeam, in unaquaque illarum alternis vicibus (prout eis melius videbitur expedire) praedicta munia adimplere poterunt et debebunt.

3. Item, Sacro approbante Concilio, praecipimus et mandamus, inviolabiliter observari in tota nostra Provincia Decretum seu dispositionem Sanctissimi Domini nostri Innocentii Papae Undecimi: quod nullus ad Sacrum aliquem Ordinem ascendat, nisi prius se praeparet et disponat per exercitia spiritualia; taliter quod per octo ad minus dies in Conventu aliquo aut Collegio aut alia pia domo ab Ordinario designanda

reclusus, in sanctis meditationibus aliisque piis operibus se exerceat ac per accuratam peccatorum suorum confessionem ad Sacrum ordinem suscipiendum (+ se) praeveniat. Nullus itaque in posterum Sacris ordinibus initietur, nisi fidele testimonium super praedictis Ordinario praesentaverit.

4. Item, Sacro approbante Concilio, praecipimus et mandamus sub poena suspensionis, quod nullus, qui ad Sacrum Presbyteratus Ordinem ascenderit, primam Missam celebrare audeat sine expressa licentia in scriptis a suo proprio Ordinario; quam quidem nullatenus ei concedat, nisi praevio rigoroso examine super Missae sacris caeremoniis, et nisi constito prius de ejus sufficientia ex relatione Examinatoris a proprio Ordinario designati.

5. Cum Decreto S. C. T. sess. 21. de ref. c. 2. cautum sit, ne Clericus Saecularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia et aetate, ad Sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere vel patrimonium (si Episcopus judicaverit aliquos assumendos pro necessitate vel commoditate suarum Ecclesiarum), perspecto tamen prius, patrimonium illud vere ab eis obtineri, sufficiensque esse ad eorum vitam sustentandam; cum autem multoties contigerit, aliquos ordinatos fuisse non interveniente necessitate vel commoditate Ecclesiarum, neque habentes patrimonium verum super rebus et redditibus certis, in forma legitima examinatum et probatum, sed per solam assecurationem victus cum cautione super alienis bonis, quod omnia ut plurimum fictitia et cautelosa fore experientia docuit, ex quo passim videmus, plures Clericos pauperrimos cum dedecore status quasi mendicantes vel sordida ministeria exercentes per Provinciam divagari: idcirco, Sacro approbante Concilio, praecipimus et mandamus sub poena in Sacris Canonibus constituta, quod deinceps similia patrimonia per solam fidejussionem alendi Clericum, tanquam insufficientia et contra mentem S. C. T., nullatenus admittantur, sed solum ea, quae super rebus fructiferis et redditibus certis, de quibus Clericus ipse per se disponere valeat, condita fuerint.

6. Item, cum ex eodem S. C. T. Canone 9. sess. 13. omnes Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneantur singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum juxta praeceptum Sanctae Matris Ecclesiae; quam quidem regulam et discretionis annos in aliquibus locis perperam interpretantes, pueris non ita celeriter, ut par erat (juxta cujusque capacitatem), Sacram praebent Communionem, sed scimus, multos in duodecimo aut etiam decimo quarto aetatis anno constitutos (qui procul dubio anni discretionis sunt) adhuc non communicare: Sacro approbante Concilio, praecipimus et mandamus, omnes utriusque sexus, qui duodecimum compleverint annum, (dum alias capaces fuerint) Sacram Communionem in Paschate accipere debere; praeci-
a pientes etiam omnibus Rectoribus sub poena quinquaginta regalium Barchinonensium, quod praedictos duodenarios in quaterno seu libro communicantium describant. Sin autem aliquis ex praedictis praeceptum annuae communionis adimplere recusaverit, illum Ordinario suo denuntient, ut de remedio opportuno provideat.

7. Item, Sacro approbante Concilio, praecipimus et mandamus, quod in nocte Nativitatis Domini aliisque festivis diebus vel in die Corporis Christi Domini vel in majori hebdomada neutiquam fiant in Ecclesiis more histrionum repraesentationes Nativitatis Christi Domini vel alterius Mysterii, nec processiones, in quibus Passio Domini ad vivum per personas repraesen-
b tetur; quamvis alioquin similes repraesentationes piae et laudabiles appareant, cum frequenter indecorae sint nec sine indecentia fiant. Rectores autem et alios curam animarum habentes, qui hujusmodi repraesentationes in suis Ecclesiis fieri permiserint, poena suspensionis per duos menses praesenti constitutione damnamus.

8. Ecclesiarum nitori ac Sacrorum Ministrorum munditiei et decori intendentes pravosque abusus a templo Domini relegare solliciti, Sacro approbante Concilio, praecipimus et mandamus, ut ii, qui Sacris aliquibus Ministeriis sive in choro sive in altari inserviunt, nullatenus (etiam secreto) tabachum in pulvere sumant, sub poena et mulcta quatuor regalium pro
c qualibet vice. Reliquos autem choro interessentes, dum recitantur horae aut divina celebrantur, monemus et hortamur in Domino, ut, quantum fieri possit, a sumptione tabachi abstineant; siquidem pravus iste abusus ratione irreverentiae in aliquibus particularibus Ecclesiis per Decreta Apostolica jam interdictus est. Cum autem putida illa et sordida consuetudo sumendi tabachum in fumo et in folio ita inoleverit, ut multi (praetextu sanitatis tuendae) etiam ante Missae celebrationem aut Sacram Communionem maxima cum irreverentia in fumo per os attrahant aut in folio dentibus conterant: Sacro approbante Concilio, pravum hunc et execrabilem abusum ante Missam et Sacram Communionem et hora integra post illam peractam,
d sub poena excommunicationis minoris, prohibemus et interdicimus.

9. Totius status Ecclesiastici utilitati prospicientes, cum compertum habeamus, redditus sive dotes beneficiorum in dies diminui incuria aut ignorantia ipsorum beneficiatorum, vel quia instrumenta et cappibrevia reddituum pereunt morte antecessoris et aliquando malitia illorum, qui emphyteusi aut censualibus solvendis astringuntur: Sacro approbante Concilio, districte praecipimus et mandamus, quod Ordinarii in suis visitationibus etiam beneficia quaecunque visitent, reponendo in processu visitationis cujuslibet Ecclesiae post memoriam invocationis beneficii et altaris, in quo fundatum est, et onerum ipsis annexorum, nomen etiam possidentis illud, et ad cujus vacationem et quo titulo

illud obtinuerit, et, quod praecipuum est, redditus omnes (solerti diligentia conquisitos) ad tale beneficium pertinentes notent, memorando et praekalendariando instrumenta et personas, a quibus tunc temporis redditus exiguntur. Quae omnia, etsi modo difficilia factu appareant, bene exequi poterunt, si in edicto praevio ad generalem visitationem denuntietur Rectoribus et Communitatibus Clericorum, quod convocent omnes beneficiatos suae Ecclesiae absentes, ut per se vel per procuratores bene instructos suorum beneficiorum rationem reddant. Secretario autem Visitationis pro majori labore designetur a Visitatore modicum aliquod stipendii, quod a beneficiato ipso ex redditibus sui beneficii solvatur, deducendo (si oportuerit) ex oneribus beneficii pro illa vice aliquid quantitati solvendae correspondens, cum hoc ipsum cedat in utilitatem ipsius beneficii. Similiter, Sacro approbante Concilio, praecipimus et mandamus sub poena carceris per tres menses et aliis arbitrio Ordinarii, omnibus beneficiatis praesentibus et futuris, quod nullus, cujuscumque qualitatis et conditionis fuerit, unquam audeat firmare luitiones seu quitamenta censualium ad propria beneficia pertinentium, nisi quantitas capitalis de facto deposita aut depositata fuerit in thecasio Ecclesiae Cathedralis vel in bancho publico, ad communia deposita auctoritate Regia designato, aut in aliis depositis ab Ordinariis secundum districta suarum dioecesum designandis; et sub eadem poena praecipimus, quod quantitates depositae non nisi cum licentia et decreto Ordinarii extrahantur ad effectum illas iterum imponendi, et quod in omnibus instrumentis incarricationum noviter conficiendis imponatur clausula: quod in casu luitionis et quitamenti sub nullitatis decreto debeat quantitas reponi in aliquo ex praedictis depositis vel tabulis.

10. Ea est hominum versutia, etiam in sacrarum legum intelligentia et usu, ut non satis sit optimas leges condere, sed oporteat illas decursu temporis innovare et ad verum sensum reducere atque authentice interpretari. Cum igitur in hoc aliisque Sacris Conciliis saepius tractatum fuerit de beneficiis personalibus (quae ab immemorabili in hac nostra Provincia Tarraconensi institui solent), ne in eorum fundatione, collatione aut permutatione dolus, fraus, illicita pactio aut aliqua simoniaca labes (quod semper veremur) contingat: Sacro approbante Concilio et praevio voto Dominorum Consultorum in Theologia ejusdem, firmiter decernimus, quod Constitutio Tarraconensis, quae est lib. 3. tit. 5. de institut. c. 5. incipiens: *Licet Personatus*, litteraliter et ad unguem observetur; injungentes, quod in posterum hujusmodi beneficia nullatenus fundari possint in pecunia numerata, etiam in theca seu bancho securo deposita, sed semper assignata dos sit in censualibus vel aliis redditibus perpetuis et rebus fructiferis; siquidem hic est et debet esse verus et genuinus sensus praedictae Constitutionis. Similiter, Sacro approbante Concilio, innovamus et confirmamus

a Constitutionem [1] Sacri Concilii Provincialis anno millesimo sexcentesimo septuagesimo celebrati, quod praedicta beneficia nullatenus permutentur, nisi elapso mense et dimidio a die fundationis et possessionis eorundem.

11. Cupientes modum ponere super abusu censurarum et excommunicationum, tum ut illae magis timeantur, tum etiam ut fideles propter leves causas excommunicationibus neutiquam graventur, adhaerentes dispositioni S. C. T. sess. 25. cap. 3. de reformat., praecipimus et mandamus, Sacro approbante Concilio, quod clandestinae seu revelatoriae ob vulgares causas minime concedantur, nec absque cognitione et examine causae, ob quam extrahuntur. Similiterque mandata
b cum censuris minime concedantur propter debita minoris quantitatis decem librarum Barchinonensium, nisi quantitas debiti oriatur ex pensionibus censuum vel censualium aut aliarum rerum, quae tractum habent successivum. Quoad censuras vero, quae expediri solent pro executione alicujus sententiae, praecipimus et mandamus, Sacro approbante Concilio, quod ad unguem et litteraliter observetur dispositio S. C. T. citati (ibi: *In causis vero judicialibus*, etc.), taliter quod nullus Judex Ecclesiasticus uti possit censuris, quin prius procedat vel processerit per realem aut personalem executionem; vel in casu quo haec foret impossibilis aut difficilis.

12. Pariformiter praecipimus et mandamus, Sacro
c approbante Concilio, quod litterae publicatoriae, antequam populo denuncientur, notae fiant extrajudicialiter per Rectores et curam gerentes seu Nuntios, scientibus

---

[1] Constitutio haec non jam exstat, immo ex omnibus quum aliarum post a. 1637. usque ad a. 1685. Tarracone habitarum, tum hujus ab Archiepiscopo Emman. de Espinosa celebratae Synodi actis et decretis J. Tejada y Ramiro unam tantummodo constitutionem reperire potuit, quam hic quoque dare volumus, ne ex illo tempore, quo rarissime Concilia cogebantur, *particula boni doni* lectorem *praetereat:*

Pravus et intolerabilis abusus multis in parochiis inolevit, ut corpora seu cadavera defunctorum non ad ecclesias parochiales, in quibus decesserunt et sacramenta susceperunt, et ubi sepeliri par et rationi consonum erat, sed ad alias ecclesias, insciis et inconsultis parochis, et absque eorum facultate per modum depositi (ut vulgo dicitur) sepelienda deferantur, et hoc praetextu pecuniae exactae ex bonis decedentium et expensae, ex quibus funeralia pro ipsis agenda fieri debebant, in usus et utilitatem aliarum ecclesiarum, ubi haec deposita fiunt,
d in maximum parochialium praejudicium et damnum convertantur et penes eas retineantur. Ex quo injusto abusu oritur, quod in libris parochorum, ubi nomina et cognomina horum defunctorum describenda erant, necnon eorum obitus annus, mensis et dies, ut notata inveniantur, [ea desunt] et ex iis litigia, contentiones, rixas et odia letalia suboriri experti sumus. Ut iis malis et scandalis, quae facile in dies evenire possent, salubriter obviemus, et hujusmodi fraudes penitus evellamus et eradicemus, hac constitutione S. A. C. sancimus, districte praecipimus et inhibemus omnibus manumissoribus, haeredibus et aliis quibuscumque, ad quos talium mortuorum cura spectavit, utpote ratione manumissoriae vel cujuslibet alterius piae causae, et praecipue ratione executionis et electionis sepulturae, vel eam eligendi, quando a defunctis electa non fuerit, ecclesiasticae jurisdictioni obnoxiis, ne in posterum temerario ausu hujusmodi injusta deposita directe vel per se vel per alios, publice et occulte, quovis quaesito colore vel praetextu fieri permittant, nec cadavera talium defunctorum († cum) in aliis ecclesiis inconsultis parochis humari vel per modum depositi asservari, nisi ex justa causa ab Ordinariis approbanda, ullatenus audeant vel praesumant. Qui hujusmodi nostrae constitutioni non paruerint, gravi poena, arbitrio Ordinariorum pro qualitate delicti injungenda, severissime plectantur.

Rectoribus, ipsis, contra quos feruntur; ut timore publicitatis et infamiae perculsi accedere possint ad Actores et cum illis convenire: sin autem, transacto uno mense a die notificationis litterarum, id non fecerint, nec cum Actoribus convenerint, Rector seu curam gerens ipso facto praedictas litteras populo denuntiet. Si vero Reus ante vel post denuntiationem dictarum litterarum cessionem bonorum fecerit in Tribunali more solito et prout de jure, allegans, se pauperem esse, et Actor contrarium minime probaverit, Reus a censuris absolvatur. Similiter si Reus dicto tempore coram judice oblationem et designationem realem fecerit certorum bonorum debito aequivalentium, et cum effectu, realiter numerando, sumptus exsolverit, a censuris absolvi debeat; si quidem in casibus praedictis Actor non censetur rationabiliter invitus.

13. Cum ad hoc sacrum Concilium delatum fuisset, aliquibus in locis hujus Provinciae adesse pravum abusum quorundam juramentorum, quae vulgo dicuntur, juraments de suspita, quibus deferentes fructus ex campis astringuntur per Populi Magistratus in ipso aditu villae ad jurandum, ex quanam haereditate seu fundo illos acceperint, ut, si furtivi sint, poenas luant contra raptores impositas; nec non in eisdem aut aliis Populis in more esse accipere juramentum per Magistratus ab omnibus incolis utriusque sexus, in annis discretionis constitutis, revelandi sive denuntiandi depraedatores agrorum vel fructuum, quos quoquomodo sciverint, nullo excepto; adeo quod etiam filius Patrem, Pater filium et uxor maritum suum denuntiare sub juramento promittant: attendentes igitur has pravas consuetudines atque praedicta juramenta multis ex causis illicita et temeraria esse, nec ad aliquid nisi ad illaqueandas fidelium conscientias prodesse, Sacro approbante Concilio, stricte praecipimus et mandamus, ne deinceps hujusmodi juramenta in hac nostra Provincia a fidelibus exigantur.

14. In gratiam et obsequium Domini nostri Caroli secundi Regis Catholici, cujus Regia Epistola in hoc Sacro Concilio omni cum reverentia perlecta fuit, praecipimus et mandamus, eodem Sacro Concilio approbante, quod in omnibus Ecclesiis Parochialibus hujus Provinciae (prout jam in Cathedralibus ad instantiam ejusdem Domini nostri Regis stabilitum fuit) perpetuo designetur anno quolibet specialis quaedam dies (quae Reverendissimis Dominis Episcopis vel animarum Rectoribus videbitur opportunior), in qua fiat generale quoddam suffragium solemne pro Animabus Purgatorii, promovendo fideles in tam pium opus, et ut dicta die in suffragium Animarum Purgatorii confiteantur et communicent; eosque praemonendo, Sacrum Concilium fidelibus sic confessis octuaginta dies verae Indulgentiae concessisse. Tantundem communibus votis totius Concilii electae sunt Patronae et Advocatae pro negotiis Concilii benedictae Animae Purgatorii, ut suis precibus feliciter succedant; et ne redditus Ecclesiarum in earundem suffragium derelicti tot

a temporum calamitatibus minuantur aut depereant, sed magis firmentur.

Nomina eorum, qui huic Sac. Concilio Provinciali interfuerunt:

Illustriss. ac Reverendiss. D. D. Fr. Josephus Sanchiz Archiepiscopus Tarraconen., Hispaniarum Primas.

Reverendissimus D. D. F. Josephus de Faxeda Episcopus Dertusen.

Reverendissimus D. D. Fr. Michael de Molina Episcopus Illerden.

Reverendissimus D. D. Fr. Severus Thomas Auther Episcopus Gerunden.

b *Reverendissimus D. D. Joannes Baptista de Bach Episcopus Urgellen.*

Rererendissimus D. D. Fr. Benedictus Ignatius de Zalazar Episcopus Barchinonen.

Reverendissimus D. D. Antonius Pascual Episcopus Vicen.

Admodum R. D. D. Fr. Jacobus Magarola Abbas Sancti Petri de Galligans.

Admodum R. D. D. Fr. Franciscus de Soler Abbas Sancti Petri de Roda.

Admodum R. D. D. Fr. Joannes Antonius Climent Abbas de Amer. et Rosas.

Admodum R. D. D. Fr. Antonius de Planella et Cruilles Abbas de Bañolas.

Admodum R. D. D. Fr. Joannes Baptista Montagut Abbas Sanctarum Crucum.

Admodum R. D. D. Fr. Josephus Tressanchez et Morell Abbas Beatae Mariae Populeti.

Admodum R. D. D. Fr. Augustinus Llorens Abbas de Benifessa.

c Admodum R. D. Nicolaus Barrera Praepositus Minorissae.

Admodum R. D. Bernardus Enveja Prior Sanctae Annae Barchinone.

Admodum R. D. Franciscus de Ciscar et Gravalosa Archipresbyter Ageren.

Reverendus D. Josephus Antonius Valls U. J. D. Canonicus Sanctae Metropolitanae Ecclesiae Tarraconen., Syndicus R. Capituli ejusdem Ecclesiae.

R. D. Thomas Pi S. T. D. Praecentor et Canonicus Sanctae Barchinonen. Ecclesiae, Syndicus R. Capituli ejusdem Ecclesiae.

R. D. Jacobus Andreu S. T. D. Canonicus Sanctae Urgellen. Ecclesiae, Syndicus R. Capituli ejusdem.

R. D. Joannes Paulus Molner et Ferran U. J. D. Canonicus Sanctae Illerden. Ecclesiae, Syndicus R. Capituli ejusdem.

R. D. Joannes Raphael Holiart S. T. D. Canonicus Sanctae Gerunden. Ecclesiae, Syndicus R. Capituli ejusdem.

R. D. Franciscus Torelles Canonicus Sanctae Ecclesiae Dertusen., Syndicus Reverendi Capituli ejusdem.

d R. D. Salvator Riera U. J. D. Canonicus S. Ecclesiae Vicen., Syndicus R. Capituli ejusdem.

R. D. Joannes Camps Canonicus Sanctae Ecclesiae Caelsonen., Syndicus R. Capituli ejusdem.

R. D. Joannes Macip S. T. D. Canonicus Sanctae Ecclesiae Tarraconen., procurator et Vicarius Gen. R. Capituli Caelsonen. Sede Episcopali vacante.

R. D. D. Joannes Torres et Coll Praecentor Sanctae Tarraconen. Ecclesiae, procurator A. R. D. D. Josephi Estornell de Soriano, Abbatis de Cardona.

R. D. Josephus Fita S. T. D. Canonicus Sanctae Tarraconen. Ecclesiae, procurator A. R. D. D. Josephi Bover Abbatis de Gerri.

R. D. Bernardus Miró U. J. D. Canonicus Poenitentiarius Sanctae Ecclesiae Tarraconen., procurator A. R. D. D. Francisci Bernardi de Pons Abbatis Sancti Cucuphatis Vallen.

R. D. Laurentius Palau S. T. D. Canonicus Sanctae Ecclesiae Tarraconen., procurator A. R. D. D. Fr. Gasparis Casamitjana et de Eril Abbatis de Ripoll.

R. D. Raymundus Ferrer et Moller U. J. D. Infirmarius et Canonicus Sanctae Ecclesiae Tarraconen., procurator A. R. D. D. Fr. Michaelis de Guanter Abbatis de Serrateix. a

R. Fr. Vincentius Prada Monachus Regalis Conventus Beatae Mariae Populeti, procurator A. R. D. D. Fr. Hieronymi Blanco Abbatis Beatae Mariae de la O.

R. Fr. Joannes Reguer Monachus Regii Monasterii Beatae Mariae Montis serrati, procurator A. R. D. D. Fr. Michaelis Pujol Abbatis dicti Monasterii.

R. Fr. Franciscus Brossa Prior Major et Vicarius Monasterii Villae Sancti Felicis Guixolen., procurator A. R. D. D. Fr. Benedicti Romaguera Abbatis dicti Monasterii.

R. Fr. Josephus Sagarra S. T. professor, Monachus Regalis Conventus Beatae Mariae de Benifessa, procurator A. R. D. D. Jos. Ferran Abbatis Monasterii Sancti Benedicti de Bagiis.

R. Fr. Josephus Amoros S. T. professor, Monachus Regalis Conventus Beatae Mariae Populeti, procurator A. R. D. Fr. Bernardi Llop Administratoris Regalis Conventus Beatae Mariae de Escarp.

R. D. Joannes Camps Monachus Regalis Conventus Scalae Dei, Syndicus ejusdem Conventus propter absentiam A. R. D. D. Gasparis Gil, Prioris dicti Conventus.

R. Fr. Paulus Miracle S. T. D. Monachus Regalis Conventus Sanctarum Crucum, procurator A. R. D. Michaelis Sylvestre de Setina, Prioris Ecclesiae Roten.

De dicti Illustriss. et Reverend. D. mei Tarraconen. Archiepiscopi mandato.

Gaspar de Cosals Not. et S. C. P. Tarrac. Secretarius.

CONCILIUM TARRACONENSE

per Illustrissimum et Reverendissimum D. Fr. Josephum Llinas, Archiep. Tarrac., anno 1699. celebratum.

De vita et honestate clericorum.

b

Clerici in sortem Domini ad ecclesiae decus et ornamentum vocati et in ejus altiori gradu constituti, quique censu ecclesiastico vivunt, singulari aliquo signo a reliquo populo distingui debent, ne cui eorum jure dici possit: Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? Vitam moresque suos componere ac reformare debent, ut habitu, gestu, incessu ceterisque aliis rebus et actionibus nihil nisi grave, moderatum ac religione plenum prae se ferant, fideliumque instructioni, exemplo et venerationi deserviant; et quo magis haec omnia in ecclesiae Dei ministris desiderantur, ita etiam diligentius sunt observanda. Quapropter Sacrosancti Concilii Tridentini decretis constitutionibusque apostolicis et provincialibus Praedecessorum nostrorum inhaerentes, S. A. C. statuimus et ordinamus, quod clerici omnes, non solum in sacris, sed etiam in minoribus ordinibus constituti et clericali tantum tonsura cum beneficio ecclesiastico insigniti, vestibus laicalibus aliisque rebus saecularia sive militaria redolentibus, necnon et capillis oblongis prorsus se abstineant; immo et aliis talaribus, sotana cum collari lineo, mantello sive cappa nigri coloris, longioribus vel brevioribus pro temporum, itineris et [. . . .] [1] opportunitate, et tonsura, ordinis tamen clericalis dignitati semper congruis, utantur; poenis etiam privationis dignitatum, canonicatuum, Beneficiorum, juxta Constitut. Sixti V. incip.: *Cum sacrosancta Dei ecclesia,* et a sacris canonibus, Conciliis generalibus et provincialibus apostolicisque constitutionibus contra inobedientes in habitu et tonsura statutis, vel aliis pro excessu minus notabili arbitrio Ordinarii imponendis.

[1] * Excidit verbum. Omnia haec Concilia Tarrac., prouti edita sunt, mendis scatent.

De eodem.

Cum clerici milites Christi dicantur, et horum arma sint dolor, fletus, orationes et lacrimae, simul Deo et saeculo militare nequeunt. Idcirco, ne candor disciplinae ecclesiasticae denigretur, et delictorum occasio tolerari videatur, immo potius penitus eradicetur, constitutionibus etiam Provincialibus adhaerentes, S. A. C. sancimus et ordinamus, quod clericus, fori ecclesiastici privilegio gaudens, cum armis jure prohibitis incedere [minime] audeat, poena decem librarum Barchinonensium et aliis pro casuum gravitate arbitrio Ordinarii injungendis. c

De Eucharistia.

Eximii amoris beneficium, quo D. N. J. C. ad infirmos deferri dignatur, ut hi sacro viatico alti, refecti ac confortati, ex hujus miserae peregrinationis itinere ad coelestem patriam pervenire valeant, licet a fidelibus istius Provinciae prae oculis habeatur, cultus et venerationes huic salutari hostiae Angelorum et viatorum pari [1] intus et extra Ecclesiam de more praestando; tamen ne injuria temporum tantae gratitudinis memoria decrescat, immo in dies augeatur, S. A. C. d in Domino hortamur omnes Christi fideles, ut tam piam ac religiosam devotionem erga SS. Eucharistiae sacramentum, nunquam satis veneratum, prosequantur; et ne inadvertentia, quando ad infirmos defertur, alicui excusationem praebeat, statuimus et ordinamus, quod in illis locis, oppidis, villis vel civitatibus, in quibus laudabilis consuetudo, campanulam pulsandi ante Corpus D. N. J. C. per vias et loca publica incedens, non viget, de novo statuatur et observetur, ut reli-

[1] * Videtur scribendum *pariter* vel, quod magis arridet, *pani.*

quus populus pro tanto sacramento adorando et associando iterum atque iterum moneatur. Et si super his omissio sive negligentia inveniatur, arbitrio Episcopi puniatur.

Cum inclyta Virgo et feminarum Protomartyr, Beatissima Thecla, patrona sit nostrae Tarraconensis ecclesiae totius Provinciae Metropolis, nosque propterea, aliis et etiam exigentibus causis, singularibus venerationis officiis illam prosequi debeamus, Praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes atque ab ipsis constitutiones antiquitus editas, quod [1] possumus, innovantes, denuo instituimus et strictissime mandamus S. A. C., ut dies 23. Septembris, tantae Christi Virgini et Protomartyri dicatus, omnino festus sit et de praecepto colendus ab omnibus nostrae Tarraconensis Provinciae
a Christi fidelibus utriusque sexus, tam saecularibus quam regularibus. Simul tamen cavere cupientes ingentia, quae ulteriore festorum indictione irreperent, damna, atque ut ea retineatur sobrietas, quam super hac re in Ordinariis desiderat SS. D. N. Urbanus fel. record. Papa VIII. sua de observatione festorum edita Constit. anno 1642., ne, ut ibidem dicitur, dies festos a locorum Ordinariis nimia aliquorum facilitate aut populorum importunitate deinceps iterum multiplicari contingat: eodem S. A. C. praeclusum penitus aditum volumus cujusvis alterius festi institutioni pro nostra Provincia, decernentes, ut deinceps supplices in oppositum rogationes, cujuscunque nominis fieri contingat, nullatenus admittantur aut ad S. C. deferantur; siquidem satis prorsus est hoc, quod modo statuimus, festum et S. Narcissi M. jam pridem constitutum pro nostra Provincia indixisse.

[1] * Forte *quoad*.

CONCILIUM PROVINCIAE TARRACONENSIS

a. 1712. Barcinone celebratum.

---

*Anno 1712. [1], quum tota fere Catalaunia Carolo III. Austriaco pareret, Dom. Franciscus Dorda, Caelsonensis Episcopus et S. Cruciatae Commissarius Generalis, omnium Suffraganeorum, qui Caroli partes sequebantur, antiquior, Barcinonem Concilium suo nomine convocavit et in d. 1. Aprilis indixit. Literae vero indictionis d. 3. Febr. datae sunt. In sermone, quem primum ad Patres convocatos habuit, significavit, Archiepiscopum Tarraconensem, dum viveret, bello civili impeditum fuisse, quominus Synodum haberet, eo vero mortuo, se a Superioribus impulsum eandem coegisse. Addiditque, nihil hac in re praeter morem legemque fieri; sed intercessit capitulum Tarraconense, quum sede vacante sibi Concilii convocandi jus competere affirmaret.

Secundae sessioni regius orator, Dominus Josephus del Puig adfuit.

In 8. sessione urbs, militum duces et Barcinonense capitulum petiverunt, ut, quum non obstaret VII. constitutio ultimi Concilii provincialis, quae postulationem numeri festorum augendi recipi vetuerat, Synodus permitteret, ut S. Theclae dies aliis festis in toto principatu celebrandis adjiceretur. Responsum in proximam sessionem d. 25. Apr. habendam dilatum est. Cui petitioni, quum ipsa regina faveret, Synodus quoque annuit. Praeterea in eadem sessione haec constitutio sancita fuit:

Catholica ecclesia, cui semper cordi fuit, res perverse constitutas in ordinem ad statum decorum restituere, in sacra Tridentina Synodo Ordinariis locorum injunxit, ea omnia prohibere et e medio tollere, quae in missarum celebratione sive temporum vitio sive hominum incuria et improbitate irrepserint a tanti
b sacrificii dignitate aliena. Nos igitur ejus Concilii decretum exsequentes, conscii irreverentiae, qua aliqui in celebranda missa uti pileolo capillis cooperto ausi sunt, ne prava adeo et irreligiosa consuetudo sensim serpat et invalescat, S. A. C. praecipimus et mandamus, quod deinceps nullus sacerdos capillitium adscititium deferens in ecclesiis saecularium aut regularium admittatur ad celebrandum, nisi, antequam vestes sacras induat, illud deponat; stricte injungentes sacristis omnibus saecularibus et regularibus (aut aliis quibuscunque, quorum interest), quod recusantibus capillitium praedictum deponere et coronam inter capillos naturales non ostendentibus sacra vasa et indumenta de-
c negent. Super quo Ordinarii sedulo invigilent et inobedientes arbitrio suo puniant pro data sibi a S. Tridentina Synodo potestate sess. XXII. decreto: De observandis et vitandis in celebratione missarum.

[1] * Quae hic de convocatione et celebratione hujus Concilii narrantur, ex Hispanico vertimus.

* Sequitur aliud decretum, quo 40 dies indulgentiarum iis conceduntur, qui eleemosynas dederint hospitali S. Crucis Barcinonensi, *in quo nedum totius principatus aegroti, sed etiam exteri curantur, infantes omnes expositi aluntur, peregrini hospitantur.*

Decimam sessionem Synodus usque in 5. diem Novembris distulit, quo Dom. Isidorus Bertran jam sedem metropolitanam obtinuerat; quem, etsi nondum erat consecratus neque pallium acceperat, tamen Synodus literis invitavit.

Undecima sessio 8. die Novembris habita est, quo tempore Metropolita electus Barcinone quidem fuit, Synodum vero diutius celebrari noluit. Quae nihilominus usque ad finem (XXI. sessionem) sibi pergendum esse existimavit.

CONCILIUM GERUNDAE [1]

celebratum, praeside Illmo. D. D. Michaele Joanne de Taverner et Rubi, Episcopo Gerundensi, Regio Consiliario.

NOS DON MICHAEL JOANNES DE TAVERNER ET RUBI,

Dei et Sanctae Sedis Apostolicae gratia Episcopus Gerundensis, Regius Consiliarius, Antiquior Episcopus et eo nomine Praeses Provinciae Tarraconensis, Illustrissimis ac Reverendissimis Fratribus Nostris hujus Provinciae Episcopis et omnibus aliis Personis Ecclesiasticis et laicis, quavis Dignitate et honore fulgentibus, salutem in Domino.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum pro reformandis moribus, corrigendis excessibus et litibus componendis juxta S. C. Tridentini praescriptum superiore anno in hac Gerundensi Civitate, antiquissimam ac laudabilem hujusce Provinciae Consuetudinem insequendo, Sacrum Provinciale celebraverimus Concilium, in ipsoque, vobis omnibus Illustrissimis ac Venerabilibus ibidem concurrentibus Patribus approbantibus et acclamantibus, Spiritu Sancto Duce, pro Ecclesiastica Disciplina restituenda corruptisque Populi componendis moribus varias Constitutiones ediderimus, quae ut legis vim obtinere et ab omnibus, quorum interest, observari valeant, necesse est, ut quantocius publicentur (parum enim profuisset salubriter leges pro omnium utilitate constituere, si ipsarum communis non sequeretur notitia simul ac observantia): ideo tributa Nobis Sess. 43. et ult. a S. Provinciali Concilio utendo facultate, Constitutiones omnes in ipso dispositas, quamprimum potuimus, in lucem emitti curavimus.

Damus igitur vobis, quae in Provinciali Concilio decreta sunt, quae et praesentium malorum remedia esse confidimus et futuri temporis cautionem fore speramus, rogantes vos omnes et per viscera misericordiae Jesu Christi Domini obsecrantes, ut has Constitutiones, quam maximo possitis amore et pietate, amplectamini, legatis et sequamini. Si enim eas, uti quo par est pietatis studio, suscipitis atque debito obedientiae Spiritu ita servatis, ut iis Pastorum vestrorum vocibus excitati, ad omne Christianae pietatis Officium in dies, adjutrice Dei gratia, progrediamini: bonorum omnium largitor Maximus Deus, qui regeneravit vos in spem vivam et incorruptibilem aeternae vitae gloriam, per Jesum Christum Dominum nostrum abundare faciet vos in omni gratia et pietate, quibus repleti [si estis,] et Disciplina Ecclesiastica his nostris miseris temporibus restituta florebit, et corrupti Populi mores ad veram et perfectam Christianae vitae rationem maximo cum cordis nostri gaudio reducentur.

Quod enim in sequentibus Decretis vobis proponitur observandum, totum id tum a Sanctis Canonibus et Pontificum Romanorum Constitutionibus, tum et praecipue a S. Tridentina Synodo et a S. Congregatione ipsius Concilii Interprete statutum jam antea invenietis. Ea etenim fuit Provincialis Concilii mens novis et particularibus Sanctionibus vos de novo non stringere; sed tantum quae vel corruptela vel dissuetudine aut alias temporum injuria inobservata reperiebantur, secundum Sanctorum Canonum praescriptum iterum restituere atque ad debitam observantiam revocare.

Quis itaque legibus ac statutis, tali auctoritate innixis ac tanto cum studio dispositis, ultro et sponte non se praebebit obediturus, quin pro eorum debita executione Juris remedia, quibus Provincialium Conciliorum stabilitur auctoritas, debeant adiri, praemaxime cum tanti habiti fuere a nostro Serenissimo et Potentissimo Principe Philippo Quinto, Hispaniarum Rege, nostri Canones, ut ipsos sub suo voluerit patrocinio recipere et regia protectione firmare?

Studeamus ergo, Illustrissimi ac Venerabiles Patres, Nos omnes, qui in tam sancto ac salubri opere, Dei gratia auxiliante, elaboravimus, ut Decreta ista in nostris Dioecesibus ea, quae debita est, religione observentur, ne tot vigiliae, curae et labores, in ipso perficiendo impensi, frustra et in vanum videantur suscepti. Quod quidem Nobis, quos Domus suae Praepositos ac Rectores constituit Deus, et probro et crimini daretur in die Domini, cui Laus, Potestas et Gloria. Amen.

Allocutio habita ab Illustrissimo Episcopo Gerundensi, S. C. Praeside, in Prima Concilii Sessione.

Provincialia Concilia, Reverendissimi Patres, pro moderandis moribus, corrigendis excessibus et controversiis componendis celebranda esse, nedum antiqua, verum et novissima docet Ecclesiae disciplina; hoc enim salubri remedio in ipsomet Ecclesiae nascentis exordio usum fuisse Apostolum, vocatis majoribus natu sive Presbyteris Ephesinae Provinciae, pro ipsis in bono Ecclesiae regimine in sua absentia hortandis, auctor est Sanctus Lucas. Oecumenica quoque et Generalia Concilia tanti has Provinciales fecere Synodos, ut bis ipsarum celebrationem annis singulis commendarent. Praedecessores quoque nostri doctissimi illi et Sanctissimi viri, summis elogiis a Sede Apostolica commendati, Tarraconenses Patres tanta religione Canonicam hanc servavere Sanctionem, ut nedum a primis Ecclesiae saeculis maxima cum laude absque ulla ferme intermissione haec Provincialia celebraverint Concilia, verum et novis specialibusque editis legibus antiquissimam consuetudinem firmare studuerint.

Si tantam in his celebrandis Conciliis Pradecessores nostri utilitatem agnovere, quantam et quam magnam necessitatem in hoc celebrando difficilibus hisce temporibus agnoscere nos oportet? Nostis enim, qua in perturbatione fuerit his superioribus annis Provinciae nostrae status, quam funestae bellorum faces accensae, quam turbulenti motus, quam multae strages, quot pugnae in ea editae. Quid? Quot Templa vel augustissima fere diruta, Delubra, religiosissimis imaginibus, signis et ornamentis referta, spoliata? Quanta demum tum disciplinae tum etiam morum corruptio ex tot Gentium exterarum consortio, quas absque dubio tanto cum impetu Dominus de longinquo deque extremis terrae finibus hanc in nostram immisit Provinciam, ut a pristino tandem erecti somno, memores, quam juste Populum istum in furore suo visitaverit Deus, continuo ad antiquam restituendam disciplinam, componendos mores ac extirpanda vitia accingeremur.

Aggrediamur ergo, Patres, opus magnum, ad quod perficiendum in unum, Spiritu Sancto Duce, convenimus; et ut opportuna tam magnis malis adhibere possimus remedia, judicium a Domo Dei incipiamus. Mementote ergo, Sacerdotalis status quam alta sit dignitas! Qualis necessaria perfectio in his, qui in sortem Domini ad tam Sacrum Ministerium sunt vocati! Hoc enim est genus illud electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, cum quo ipsemet Salvator alloquens ait: Sancti estote, quia ego Sanctus sum. Sed heu! Proh dolor! Et quantum ab hac sanctitate defecit sacrosancta haec et regalis dignitas! Ignorantia, avaritia, luxuria, stultiloquium, contentiones, aemulationes, comessationes et his similia Dei Domum ita deformiter invaserunt, ut jamjam his nostris miseris temporibus adimpletum videatur illud Prophetae dicentis: Sacerdotes Dei contaminant Sancta et reprobant legem.

Convertite nunc, quaeso, oculos ad corruptos saeculi mores. Ea est horum temporum conditio, ut homines, mundi potius quam Dei amatores, animum solum rebus illis adjiciant, quae ad divitiarum et carnis solicitudinem spectant, quos talibus illecebris ac fallaciis quasi vinculis quibusdam irretitos ita tenet perpetuus humani generis hostis, ut, si universam lustremus Provinciam, omnia ad carnis occasionem esse traducta cernamus, manente solum umbratili quadam et ficta, non solida et vera christianae pietatis specie.

Studeamus igitur, Reverendissimi Patres, Nos, qui in excelsa Episcopalis Dignitatis Sede collocati sumus, tantis occurrere malis et periculis. Dominus enim noster, qui Deus misericordiarum et Pater totius consolationis est, ipse et nobis tum fortitudinem tum etiam Charitatem praestabit, qua insurgentes in-

---

[1] * A die 21. Junii usque ad 7. Octobris a. 1717. habitum est.

que dies novas excrescentes vepres ab ipsius area eradicemus. Quae ergo a Sanctis Patribus, Oecumenicis Conciliis, nostris Provincialibus Sanctionibus, Sancta Tridentina Synodo ac Apostolicis Constitutionibus salubriter sunt constituta, taliter adimpleri curemus, ut non adumbratam tantum, sed solidam illam disciplinae Christianae formam, afflante Spiritu Sancto, Decretis nostris restituamus, quam vivus sermo Dei et efficax in ipso nascentis Ecclesiae instituerat exordio.

Exhibeamus propterea nos ipsos populo huic exemplum bo- a norum operum, ut videntes opera nostra bona, glorificent Deum, qui est benedictus in saecula. Quare agite Patres! Munus nostrum expleamus, et quam debemus solicitudinem in hoc opere perficiendo, quantum in Domino est, praestemus, ut Spiritus Dei habitet in nobis: is, inquam, Spiritus veritatis, quem se missurum esse promisit Dominus, qui mentibus nostris tale praeferat lumen, quo omnes muneris nostri pastoralis partes dirigamus in perfectionem et finem, quem spectamus, Christum Jesum, cui est gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen.

CONSTITUTIONES S. CONCILII PROVINCIALIS TARRACONENSIS,

a. 1717. Gerundae celebrati.

I.

Judices Ecclesiastici Clericos in carceribus saecularium non includant.

Indecorum nimis videtur, quod personae ecclesiasticae laicorum seu saecularium carceribus mancipentur. Quapropter statuimus et declaramus, non licere Judicibus Ordinariis ecclesiasticis clericos privilegio fori gaudentes in hujusmodi carceribus includere, nisi carcere satis tuto ad custodiam caruerint, vel delicta talia fuerint, ut poena mortis juxta juris communis dispositionem venerint punienda.

II.

Judices Saeculares propria auctoritate clericos, tam saeculares quam regulares, neque in suis detrudant carceribus, nec ad ipsorum punitionem pro quovis delicto audeant procedere.

Dissonum quidem a Sacris Canonibus agnoscitur, quod Judices Saeculares propria auctoritate clericos gaudentes privilegio fori, sive saeculares sint sive cujusvis Ordinis Regulares, in suis carceribus detrudant et contra eos ad punitionem procedant. Ideo praecipimus et ordinamus, quod Saeculares Judices omnino ab iis abstineant, sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda, nec aliqua consuetudine, etiam immemorabili, juvari valeant, cum per Bullam Coenae ac constitutionem bonae memoriae Urbani Octavi, incipientem: *Romanus Pontifex,* illi expresse derogetur.

III.

Nullus machinetur circa intrusionem illegitimi principis.

Cum pene nihil excogitari possit, quod iram Dei magis provocet moresque bonos in pessimos convertat, quam subditorum contra regem legitimum machinatio ac alieni principis acclamatio, ipso Christo Domino per Apostoli vocem nos edocente, quantum oporteat christianum hominem suo regi ac legitimo principi obedire: ideo Ecclesiae Hispaniae antiquissimae inhaerentes disciplinae statuimus atque stricte praecipimus, quod nullus clericus vel laicus, quacumque dignitate
b praefulgeat, audeat circa intrusionem illegitimi principis machinari, nec in publicis vel privatis colloquiis id suadere: declarantes insuper, supradictos omnes et praecipue parochos et confessarios teneri, quotiescumque opportunitas aut necessitas exegerit, subditos et poenitentes de fidelitate servanda Serenissimo et Potentissimo Domino Nostro Philippo Quinto, Hispaniarum Regi, suisque descendentibus in regno legitimis successoribus monere, ipsis, si opus fuerit, explicando juxta ejusdem Apostoli sententiam, quam grave et enorme sit peccatum in iis deficere, sub poena in contrafacientes excommunicationis majoris latae sententiae ipso facto incurrendae.

c

IV.

Ecclesiae et personae ecclesiasticae non emant censualia ab Universitatibus.

Ad obviandum calliditati vendentium censualia ecclesiis, beneficiis ac aliis piis locis, qui tradendo post venditionem illorum pretium universitatibus seu communitatibus saecularibus, intendunt, istas fieri debitrices eorundem censualium, ipsosque vendentes ab obligatione liberari, et hac via ecclesias, beneficia et alia pia loca, illa ementes et ementia ad firmandum concordias cum ipsis universitatibus fraudulenter inducunt: statuimus, quod ecclesiae, beneficia, et alia pia loca, quoties cen-
d sualia hujusmodi emere proponant, nullatenus has emptiones ad effectum perducant, nisi praevio Ordinarii decreto: et postquam venditores juraverint et promiserint, quod pro suis subveniendo necessitatibus, et non alienis, ipsa censualia vendant, quodque pretia eorum non in universitatum subventionem nec utilitatem convertent, et quod in casu contrafactionis tantundem, quantum pretium censualis et pensiones decursae et non solutae important, eisdem ecclesiis, beneficiis et aliis piis locis vendentibus [1] in poenam exsolvent; quod quidem pretium pro luitione talis censualis debeat applicari: Ecclesiarum vero praelati et

---

[1] * Scribendum videtur *ementibus* vel *vendentes.*

beneficiati necnon locorum piorum administratores, qui sine praefatis decreto et promissione censualia ement, tantundem statim in poenam ecclesiis, beneficiis ac aliis locis piis, quae pretium exbursarunt, solvere teneantur.

V.

Clerici vestes non induant nisi nigri coloris; nec celebrent absque veste talari.

Exteriori clericalis status honestati prospicientes, statuimus, quod clerici beneficia obtinentes tam in populis quam ad iter faciendum vestes, licet contractiores, induant nigri, non autem alterius coloris, quae cum propriae esse debeant clericalis ordinis, omnino a laicorum vanis ornatibus atque usibus abesse oportet; et quod Sacerdotes ad Missam celebrandam et alias ecclesiasticas functiones peragendas veste talari, *vulgo Sotana,* longa usque ad pedes, necnon pileo clericali a sacristia usque ad altare et ab eodem usque ad sacristiam juxta rubricas semper utantur; sicuti et quod clerici in sacris ordinati in civitatibus, villis et aliis similibus hujus provinciae populis continuo dictam talarem vestem gestare teneantur.

VI.

De Appellationibus.

Licet ad tollendas ambiguitates et controversias Jurisdictionales, quae inter appellationum et prioris instantiae judices, non sine partium dispendio cursusque justitiae impedimento, et saepe cum scandalo oriuntur, a Sacra Congregatione, causis Episcoporum praeposita, sanctae memoriae Urbano Papa Octavo annuente, et de ipsius mandato, vivae vocis oraculo desuper habito, canonica, apostolica et saluberrima decreta ab omnibus, ad quos spectat, imposterum observanda prodierint, et licet hujusmodi decreta apostolicae auctoritatis munimine per Breve ejusdem sanctae memoriae Urbani Papae Octavi, decima quarta Junii millesimo sexcentesimo trigesimo primo expeditum et Venerabili Episcopo Urgellensi directum in forma specifica, roborata et confirmata extiterint: nihilominus Ordinarii Dioecesani et alii Judices Ecclesiastici hujusce Tarraconensis Provinciae de appellationibus, in casibus et effectibus non admittendis admissis, de inhibitionibus poenalibus, in causis inhibitioni non subjectis sine delectu expeditis, et de aliis abusibus, in praejudicium Suffraganeorum a Metropolitana Curia ex recensitorum decretorum neglectu seu potius contraventione et inobservantia multoties emergentibus, conqueruntur. Quamobrem desiderantes, ut par est, hujusmodi ingravescenti morbo salubrem adhibere medelam, ne quis [de] caetero falcem in alienam messem mittere nec jus alterius vulnerare praesumat, Sacro approbante Concilio, praecalendatum Breve felicis recordationis Urbani Papae Octavi, ut omnibus, ad quos spectat, innotescat, ab ipsisque inviolabiliter observetur, sub nullitatis et

a refectionis damnorum, sumptuum et expensarum decreto, hoc loco ad litteram inserendum, transcribendum et incorporandum fore statuimus, praecipimus et sub inmediate sequenti tenore ordinamus: „*Urbanus Papa Octavus. Ad futuram rei memoriam:* Nuper pro parte Venerabilis Fratris Episcopi Urgellensis Nobis expositum fuit, quod a Venerabilibus Fratribus Nostris Sacrae Romanae Ecclesiae Cardinalibus negotiis Episcoporum praepositis emanarunt super diversis controversiis inter Metropolitanos et Suffraganeos infrascripta Decreta: Quod Venerabiles Metropolitani, Archiepiscopi, Primates etc. [v. Appendix Conc. Rom. p. 427.]

S. Congregatio Cardinalium negotiis Episcoporum
b et Regularium praeposita censuit, petitas litteras in forma Brevis, si Sanctissimus Dominus Noster annuat, expediendas. Romae die undecima Maii anni millesimi sexcentesimi trigesimi primi. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Episcopus decreta praeinserta, ut exactius observentur, Apostolicae Nostrae confirmationis robore communiri summopere desideret: Nos illum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium duntaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore
c censentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de eorundem Cardinalium Consilio Decreta praeinserta Apostolica auctoritate praesentium approbamus et confirmamus illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes et singulos tam juris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, decernentes, illa nec non praesentes litteras valida, firma et efficacia existere et fore ac ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque per quoscumque Judices, Ordinarios et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, et inane, si quid secus super iis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter conti-
d gerit attentari, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die decima quarta Junii anni millesimi sexcentesimi trigesimi primi, Pontificatus Nostri anno octavo“ [1].

---

[1] Praeinsertum in hac Constitutione Breve Apostolicum S. mem. Urbani Papae VIII., Urgellensi Episcopo directum, fuit a S. R. Reverendissimo Auditorio canonizatum in lite inter Illustrissimos Episcopos Suffraganeos Tarraconen. Provinciae cum Illustrissimo Metropolitano Archiepiscopo Tarraconensi tribus conformibus sententiis Rotalibus latis diebus 5. Julii 1673., 5. Maji 1674. et 28. Junii 1675., in quibus injunctum fuit Illustrissimo Metropolitano Tarraconensi, ne de caetero auderet inhibitiones concedere vel expedire, nisi servata forma dicti Brevis felicis recordationis Urbani Papae VIII., praeviis duabus Decisionibus latis 19. Junii 1672., coram Emerix; et 6. Aprilis 1674. coram Faya, quae sunt Decisiones 139. et 430. partis 18. recentiorum, tom. 1. et 2.

VII. a

Sententia Excommunicationis contra usurpantes bona ecclesiastica singulis annis publicetur.

Licet usurpantes bona, census, jura, jurisdictiones et alia emolumenta ecclesiarum, beneficiorum et aliorum piorum locorum per Sacrum Concilium Tridentinum sessione vigesima secunda de reformatione, capite undecimo, et per Bullam Coenae, capite decimo septimo, excommunicentur et, si clerici sint, beneficiis priventur ipso facto et ad alia inhabiles efficiantur; nihilominus cum scelera hujusmodi committantur frequenter: idcirco statuimus et ordinamus, quod praecitata jura diebus seu festis Ordinariis locorum bene visis singulis annis in Cathedralibus Ecclesiis inter b Missarum solemnia publicentur; et Ordinarii curent [in] delinquentes ad declarationem censurarum et poenarum exequutionem procedere.

VIII.

Circa erectiones Seminariorum.

Sacrum Concilium Tridentinum sessione vigesima tertia de reformatione, capite decimo octavo, erectionem Seminariorum in Ecclesiis Cathedralibus, Metropolitanis et aliis majoribus juxta formam ibidem praescriptam omnibus Praelatis provide injunxit; et quia in aliqua vel aliquibus hujus Provinciae Dioecesibus adhuc non est erectum, et in aliis forsan regulae per c idem Concilium praescriptae non observantur: ideo statuimus et ordinamus, quod Episcopi curent in suis Ecclesiis, ubi erecta non sint, statim erigi, et ubi jam constitutae sunt, easdem regulas ad unguem observari. Praecipit quoque Sacrum Concilium Tridentinum ibidem, quod, si in aliqua Provincia Ecclesiae tanta paupertate laborent, ut Seminarium in aliquibus erigi non possit, Synodus Provincialis cum duobus antiquioribus Suffraganeis in Ecclesia Metropolitana vel in alia Provinciae Ecclesia commodiori unum aut plura Seminaria, prout opportunum judicavit, ex fructibus duarum aut plurium Ecclesiarum, in quibus singulis Seminarium institui non potest, curet erigenda. Ideo volumus, quod nomine et vice Concilii Provincialis in hoc casu d Metropolitanus vel ejus Vicarius et duo antiquiores Suffraganei hanc Seminariorum erectionem exequantur; quod, si in aliqua vel aliquibus Dioecesibus praedicta omnia non fuerint ad effectum perducta, causas ineffectuationis Metropolitano aut Episcopo antiquiori intra trimestre referre teneantur, cujus judicio committetur eas approbare vel reprobare, necnon contumaces et renitentes compellere ad implementum.

In quarum sententiarum executionem expeditae fuere litterae Executoriales Apostolicae die 28. Junii 1675., notificatae postea, instantibus Illustrissimis Episcopis Suffraganeis Tarraconensis Provinciae, Illustrissimo et Reverendissimo Fr. D. Joanni Emmanueli de Espinosa, Tarraconensi Archiepiscopo et Metropolitano, die 1. Octobris 1675.

IX.

Conferentia Moralis Theologiae stabilitur.

Cum litterarum studia, a Sanctis Patribus ardentissime commendata, Presbyteri omnes, praesertim Parochi et Confessarii, diligenter colere sint obstricti, ne in tenebris ambulent, qui a Deo lux mundi vocati sunt, ut coram omnibus hominibus eorum luceat disciplina: igitur ad conservandam, immo et ad augendam in Parochis et Confessoribus caeterisque Presbyteris Theologiae Moralis peritiam, Sanctorum Patrum insequendo vestigia Sacrorumque Conciliorum inhaerendo Decretis: statuimus, quod omnes Parochi et Confessarii in loco et diebus Ordinariorum arbitrio designandis ad interessendum casuum conscientiae conferentiis sub poenis, prout ipsis Ordinariis placuerit, infligendis compellantur; Clerici vero aliique Sacerdotes Saeculares, ut in ipsis conferentiis intersint, hortentur et moneantur; in quibus, ut de Rubricis Breviarii et de Missae caeremoniis disseratur, speciales indici dies debebunt.

X.

Super usu Oratoriorum privatorum.

Oratoria in domibus privatis existentia expedit ab Ordinariis locorum saepe visitari et eorum examinari privilegia, cum alia tantum, infirmitate durante, et fere omnia (solemnioribus diebus exceptis) pro unica Missa ante meridiem celebranda et pro familia consanguinea, commensali, cum famulis necessariis, ac in ejus praesentia dumtaxat, nec pro aliis ad effectum implendi praeceptum audiendi Missam, soleant indulgeri. Ideo statuimus, quod Ordinarii super iis invigilent et attendant, ne indecenter, sed cum debitis paramentis et ornamentis Sacrificium Missae celebretur, nec sani in lecto jacentes per fenestrellam vel alias Missam audire queant; Altare vero portatile Regularibus nullatenus permittatur, et adversus transgressores locorum Ordinarii, tanquam Sedis Apostolicae Delegati, ad poenas praescriptas per Tridentinum et juxta Decretum Sanctissimi Domini nostri Papae Clementis Undecimi, datum Romae decima quinta Decembris millesimo septingentesimo tertio, juris ordine servato, procedant; quoties vero pro hujusmodi Oratoriis habendis indulta noviter impetrentur, non, nisi praecedente visitatione ac licentia Ordinarii, exequutioni mandentur.

Sequitur Decretum Sanctissimi Domini Nostri Papae Clementis Undecimi de celebratione in Oratoriis privatis.

Quoniam Sancta sancte tractanda sunt ac praesertim tremendum incruenti Sacrificii Mysterium, quod omni Religionis cultu et veneratione peragendum est, propterea super observandis et evitandis in celebratione Missarum in Sacrosanctis Oecumenicis Conciliis ac praesertim Tridentino (sub capite unico sessione vigesima secunda) inter caetera statutum est, ut tan-

tum Sacrificium solummodo in Ecclesiis aut Oratoriis Divino tantum cultui dicatis celebraretur, praecipiendo Episcopis et locorum Ordinariis, ne privatis in domibus atque omnino extra Ecclesiam peragi paterentur; ac subinde Sacra Congregatio Eminentissimorum et Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, ipsius Concilii Tridentini exequutioni et interpretationi praepositorum, saepesaepius per opportuna Decreta obrepentes abusus eliminavit.

Modernis tamen temporibus innotuit Sanctissimo Domino nostro, quod nonnulli Episcopi sub praetextu privilegiorum, etc. [V. Appendic. Conc. Rom. p. 434.]

Romae hac die decima quinta Decembris millesimo septingentesimo tertio.

B. Cardinalis Panciaticus
Praefectus.

XI.

De Examine ad Presbyteratum.

Etsi per Sacrum Concilium Tridentinum sessione vigesima tertia de reformatione, capite decimo quarto, inter alias qualitates promovendorum ad Presbyteratus Ordinem requiratur expresse, quod ad docendum populum ea, quae scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ministranda Sacramenta, diligenti examine praecedente, comprobentur; nihilominus plures Sacerdotes scientiae hujus videmus expertes: idcirco statuimus, quod omnes Episcopi Comprovinciales hoc salutare Decretum, in quantum fieri possit, satagant observare.

XII.

In Communitatibus praefigatur numerus residentium.

Ecclesiarum redditus ob bellorum strages ac alias valde diminutos et impares cum numero in eis residentium necnon et ad ipsorum sustentationem valde incongruos esse deprehendimus. Volentes igitur eisdem Ecclesiis ac earum Ministris de competenti remedio providere, statuimus, quod Episcopi vel Praelati, quoties expedire judicaverint, in unaquaque Ecclesia juxta earum facultates certum residentium numerum d assignent, cum praecepto, quod nullus imposterum ultra eundem numerum ad residentiam admittatur, nisi tempore procedente ita excreverint redditus vel recuperati fuerint, ut plures ex istis valeant sustentari.

XIII.

Processiones extra Parochiam non fiant sine licentia.

Ea est saeculi corruptio, ut in iis ipsis rebus, quae potissime ad divinum cultum augendum sunt instituta, perniciosi in dies nascantur abusus. Quapropter licet publicae sacraeque processiones seu supplicationes, quibus ex antiquissimo Sanctorum Patrum instituto Catholica Ecclesia vel ad excitandam fidelium pietatem, vel ad divina commemoranda beneficia Deoque gratias a peragendas, vel ad divinum auxilium implorandum uti consuevit, qua par est reverentia, celebrari deberent: nihilominus tamen quotidiana Nos edocet experientia, processiones istas, quae extra Parochiam ad alias vel ad eremetica sive quaecumque alia religiosa loca fiunt, quamplurimum ab ipsarum primaeva deviare institutione, cum in locum modestiae, gravitatis, devotionis et pietatis, quas in ipsis adhiberi oporteret, risus, joci, confabulationes, comessationes et alia similia in magnum divini servitii detrimentum substituantur; quod magno cum animi nostri dolore in ruralibus processionibus experimur. Ideo hac nostra provinciali sanctione, quam Sacro approbante Concilio ferimus, dicimus et declaramus et stricte in posterum inhibemus, ne extra b Parochiam processiones sive supplicationes ullae fiant quocunque titulo sive causa, nisi de Ordinariorum licentia, qui ea, qua par est diligentia, tum causam tum ordinem et modum in processione seu supplicatione habenda inquirent et non aliter licentiam decernant, nisi prius instructionem et directorium Parocho et aliis quibuscumque dictas processiones seu supplicationes petentibus de ritu in ipsis adhibendo praestabunt. In iis autem, quae intra Parochiam fieri est consuetum, dummodo infra unius vel ad plurimum duarum horarum tempus ad Ecclesiam, nullis in illa factis comessationibus, redire queant, nihil detrahere intendimus, sicuti neque in omnibus processionibus ordinariis, quae ex generali Ecclesiae praescripto certis anni c Festivitatibus fieri debent, aut extraordinariis illis, quas pro aliqua gravi necessitate vel gratiarum actione Ordinarii pro tempore indicent: omnem propterea consuetudinem improbantes edendi et bibendi secumque esculenta et poculenta deferendi in omnibus processionibus, quae tam intra quam extra Parochiam fient, nisi habita ad id (ut dictum est) Ordinarii loci licentia; insuper Parochis omnibus in virtute Sanctae Obedientiae praecipientes, ut in iis summopere invigilent ac Ordinarios suos certiores reddant de abusibus, qui in omnibus dictis processionibus contingant, ut, quae salutaris videbitur, suo tempore congruo ab ipsis adhiberi valeat medicina.

XIV.

Prohibentur choreae et tripudia in festis, quae in Capellis Ruralibus seu Eremitoriis celebrari solent.

Antiquam et irreligiosam consuetudinem, quam vulgus hucusque per Sanctorum solemnitates agere consuevit, saltationes, tripudia et choreas adhibendo in festis, quae in honorem Sanctorum in capellis ruralibus et eremitoriis magno cum populi concursu celebrari solent, omnino tollere cupientes: ideo Sanctorum Patrum inhaerendo Decretis, Sacro approbante Concilio, statuimus et decernimus, ne a caetero in dictis diebus, qui propitiationis dies esse deberent, choreae, tripudia aut saltationes quocumque titulo sive causa valeant adhiberi; interdicendo omnibus et quibuscum-

que personis, tam ecclesiasticis quam laicis, cujuscumque sexus, dignitatis vel Ordinis fuerint, ne in dictis Festivitatibus similibus choreis, tripudiis aut saltationibus operam dare praesumant, sub poenis in dictis Decretis contentis et aliis Ordinariorum arbitrio imponendis; inhibendo stricte sub poena Excommunicationis Praepositis aut aliis dictarum Cappellarum rectoribus, musicos pro dictis Festivitatibus ad alios usus quam pro Ecclesiae servitio conducere, qui minime, neque sponte possint dictis choreis, tripudiis et saltationibus, etiam Divinis Officiis expletis, inservire, si poenas ab Ordinariis locorum infligendas velint evitare.

XV.

Sacramentum Extremae Unctionis publice ministretur.

Extremae Unctionis Sacramentum, sacro approbante Concilio, praecipimus reverenter, devote ac secundum Ecclesiae Catholicae Ritum ubique ministrari. Quare Parochis injungimus Oleum infirmorum capsula decenti in Sacristia cujuslibet Ecclesiae et in aliquo Thecasio clavi obserato retinere, et, quoties ministrandum erit, quod Parochus rocheto aut superpellicio et stola indutus, sacrum Oleum secum ferens, cum suo ministro, lumine accenso illum comitante, ab ipsa Ecclesia proficisci debeat et illud juxta Rituale Romanum ministrare. Nec idem Oleum in domibus privatis infirmorum nisi in posse alicujus Sacerdotis in casu necessitatis relinquat, sub poena pecuniaria arbitrio Ordinarii infligenda et ad pios usus applicanda.

XVI.

Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum non deferatur ad inundationes aquarum et incendia.

Constitutionem bonae memoriae Antonii Augustini Archiepiscopi Tarraconensis, quae prohibet, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum ad inundationes aquarum, incendia, rixas et aerum tempestates deferri, cum hac innovantes et ad similia extendentes, sacro approbante Concilio, prohibemus stricte, ne idem Sacramentum in Altari seu Sacrario reservatum ad alia loca extra idem Altare nisi pro communicandis infirmis vel in casu urgentissimae necessitatis deferatur; qui vero contrafecerint, poenam suspensionis ipso facto incurrant arbitrio suorum Superiorum moderandam vel relaxandam.

XVII.

Administratores causarum piarum singulis annis reddant computa et residua computorum deponant in Thecasio.

Rectae administrationi causarum piarum, praesertim ei, quae particularibus personis est commissa vel imposterum committetur, providere volentes, sacro approbante Concilio, statuimus, quod illarum administratores, quicumque sint, singulis annis rationes ipsarum proprio Ordinario Ecclesiastico reddere teneantur; nec

a non reliquatum in aliqua Theca Ecclesiae Cathedralis vel in alio aerario seu bancho publico Principatus Cathaloniae deponere debeant, retenta tantum portione illa, quae judicio Ordinarii necessaria videbitur pro sumptibus administrationis. Quod si ex aliqua justa causa, arbitrio Ordinarii approbanda, rationes hujusmodi concludere vel definire nequibunt, nihilominus pecunias, quas sibi noverint remansuras, in aliqua ex dictis Thecis vel aerariis fideliter deponant; si autem in iis negligentes fuerint, nullum salarium sive praemium ex administratione consequantur, et aliis poenis Ordinariorum arbitrio infligendis subjaceant: salva tamen regia jurisdictione suis in casibus.

b

XVIII.

Parochi Missam pro Populo et Cathedrales ac Collegiatae Conventualem pro benefactoribus celebrare teneantur.

Cum omnibus, quibus animarum cura incumbit, juxta dispositionem Sacri Concilii Tridentini Sessione vigesima tertia de reformatione, capite primo, divino praecepto sit injunctum, quod Sacrificium pro ovibus suis offerant, jurique consentaneum sit, quod pro fundatoribus et benefactoribus Ecclesiarum Cathedralium et Collegiatarum Sacrificia Deo pariter offerantur: ideo, sacro approbante Concilio, statuimus, quod omnes Parochi curam animarum habentes Missam pro populo, necnon Capitula Collegiatarum Ecclesiarum, tam Saecularium quam Regularium, pro fundatoribus et bene-
c factoribus Missam Conventualem aut aliam cantatam vel singulis vel festis dumtaxat vel paucioribus respective diebus, per Ordinarium loci designandis juxta earum redditus, Capitula vero Cathedralium Ecclesiarum Missam Conventualem quotidie pro fundatoribus debeant applicare.

XIX.

Praescribitur modus in fulminandis Censuris.

Excommunicationis spiritualem gladium, uti nervum Ecclesiasticae Disciplinae et ad continendos in officio populos valde salutarem, sobrie magnaque circumspectione exercendum fore, nuper statuit sacrosancta Tridentina Synodus; quia tunc temporis jam experientia
d docuerat, hujusmodi terribilem gladium, temere aut levibus ex causis exemptum, perniciem potius parere quam salutem magisque a contumacibus contemni quam a resipiscentibus formidari. Quamobrem conciliarem dispositionem excitare cupientes et omnia juxta ipsius directivam formam et mentem regulare peroptantes, ut irrepentibus abusibus in excommunicationibus ferendis et scandalosis contemptibus in illis observandis, in quantum fieri valeat, via praecludatur, sacro approbante Concilio, statuimus et ordinamus, quod excommunicationes illae, quae, monitionibus praemissis, ad finem revelationis pro deperditis seu subtractis rebus ferri solent, a nemine prorsus praeterquam ab Episcopo seu ejus Generali Vicario decernantur, et tunc

non alias quam ad instantiam partis interesse habentis in subsidium, quando detentores deperditarum vel subtractarum rerum penitus ignorantur, istaeque non erunt vulgares et modicae, sed ad summam decem librarum Barcinonensium ad minus ascendant, exceptis pauperibus et miserabilibus personis, ad quarum instantiam monitoriales litterae expediri valebunt, dummodo res deperditae vel subtractae quinque librarum ejusdem monetae valorem excedant, quae omnia diligenter ac magna maturitate, exacto partis instantiae juramento, Episcopi seu eorum Vicarii per se ipsos examinare curabunt; necnon etiam praecavere debebunt, quod monitoria praedicta (quae cum clausula justificativa expedienda erunt) alicujus particularis personae infamiam vel criminalitatem neutiquam sapiant vel involvant, adjecto in illis ad hunc effectum salutari et praeservativo moderamine, quod ex revelatione forsan facienda pro civili interesse et civiliter dumtaxat agi possit, alias quod revelationi ipsi tam in judicio quam extra nulla fides sub excommunicationis latae sententiae poena adhiberi valeat.

In causis vero et negotiis judicialibus, tam civilibus quam criminalibus, ad forum Ecclesiasticum pertinentibus et contra Clericos seu Ecclesiasticas personas civiliter seu criminaliter intentandis, cum Judices Ecclesiastici potestatem utriusque gladii spiritualis et temporalis in suos subditos liberam, facilem et expeditam habeant: sacro approbante Concilio, statuimus et ordinamus, ut, quandocumque exequutio realis vel personalis in qualibet parte judicii propria auctoritate ab ipsis fieri poterit, abstineant se tam in procedendo et definiendo quam in exequendo a censuris ecclesiasticis seu interdicto: sed liceat eis, si expedire videbitur, per mulctas pecuniarias, quae locis piis, ibi existentibus, eo ipso, quod exactae fuerint, assignentur, seu per captionem pignorum personarumque districtionem, sive etiam per privationem Beneficiorum aliaque juris remedia procedere et causas definire. Quod si exequutio realis vel personalis adversus reos hac ratione fieri non poterit, sitque erga Judices contumacia, vel alias pro difficilis probationis praecavendis futuris delictis opportunum videbitur: tunc eos etiam anathematis mucrone arbitrio suo praeter alias [poenas] juxta Tridentini dispositionem et mentem ferire valebunt; hoc tamen superaddito et intellecto, quod, si sunt duo in solidum obligati, etiam in forma Camerae pro eodem debito, et contra unum tantum ad exequutionem realem vel personalem deveniri potest, non debet contra alterum, circa quem exequutio realis vel personalis non est practicabilis, (etiam ad instantiam creditoris) juxta expressam Sacrae Congregationis Concilii sententiam laxari censura.

Praeterea in causis judicialibus civilibus ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, contra laicos civiliter intentandis, sacro approbante Concilio, statuimus et ordinamus, ut, quandocumque exequutio realis vel personalis in qualibet parte judicii propria auctoritate ab

a ipsis judicibus Ecclesiasticis fieri poterit, a censuris ecclesiasticis tam in procedendo et definiendo quam in exequendo abstinere debebunt: sed licebit eis, si expedire videbitur, in causis civilibus per mulctas pecuniarias, locis piis ibi existentibus statim applicandas, seu per captionem pignorum personarumque districtionem, per suos proprios aut alienos executores faciendam, aliaque juris remedia procedere et causas definire. Si autem exequutio realis et personalis propter extrinseca impedimenta et difficultatum involucra adversus reos fieri et practicari non poterit, ergaque ecclesiasticos judices detecta fuerit contumacia, tunc eos etiam anathematis mucrone arbitrio suo juxta ejusdem Tridentini dispositionem et mentem ferire valebunt.

b In causis quoque criminalibus ad forum ecclesiasticum pertinentibus, contra eosdem laicos intentandis, Tridentini dispositionem et litteram insequentes et excitantes, sacro approbante Concilio, statuimus et ordinamus, quod, ubi exequutio realis vel personalis, ut supra, fieri poterit, a censuris abstinendum erit; sed si dictae exequutioni propter recensita extrinseca impedimenta aut difficultatum involucra facile locus esse non valeat, licebit Judici hoc spiritali gladio in delinquentes uti; dummodo delicti qualitas, bina saltem praecedente monitione, etiam per edictum id postulet.

Ut autem excommunicatio, quae inter spirituales poenas censetur gravissima, tanquam ex levibus causis et sine delectu fulminata, laicorum frequentem contemptum
c declinare et timorem debitum incutere valeat, constitutionem provincialem Tarraconensem, sub Illustrissimo Domino Don Josepho Sanchis, capite seu numero undecimo, vers. *Similiterque mandata,* de anno millesimo sexcentesimo octuagesimo quinto editam, innovantes et excitantes, sacro approbante Concilio, statuimus, ordinamus et districte praecipimus, ut a caetero non liceat mandata excommunicationis poenam comminantia contra laicos expedire propter debita minoris quantitatis decem librarum Barcinonensium in mandato exprimendarum, nisi quantitas debiti oriatur ex pensionibus censuum, censualium aut aliarum rerum, quae tractum habent successivum, sub poena, quod creditor contrafaciens teneatur debitori laico per
d illum pulsato omnes expensas factas, necnon damna occasione talium procedimentorum illata, clausula *salvo jure* et quacumque appellatione non obstante, irremissibiliter reficere et emendare.

Quia tamen valde expedit, omnes ecclesiasticas curias hujusce Tarraconensis Provinciae in excommunicationibus pro civilibus et pecuniariis debitis contra laicos fulminandis uniformem practicare stylum et univocum servare procedendi modum, desuper sancita, stabilita et decreta ad praxim reducere satagentes, sacro approbante Concilio, statuimus et ordinamus, quod Ordinarii et Judices Ecclesiastici cum magna maturitate censurarum causas juxta gravitatis exigentiam examinent semperque dispositionem Sacrosancti Tridentini Concilii, sessione vigesima quinta de refor-

matione, capite tertio, regulasque directivas ab illo a
praescriptas prae oculis habeant; quando autem, pensatis pensandis, censuras seu excommunicationes pro suo arbitrio et conscientia in debitis casibus valide et licite decernendas esse judicaverint, expedietur primum mandatum clausula justificativa vallatum, praecipiendo laico debitori, ut infra terminum decem dierum, a die intimationis personalis in antea computandum, solvat quantitatem debitam et postulatam, aut cum creditore suo interim se amicabiliter componat, vel justas causas et rationes, si quas habet, in Curia alleget, cur postulata et praecepta facere non debeat, sub poena decem librarum Barcinonensium et in subsidium excommunicationis cum comminatione, quod in casu non
comparitionis infra praefixum terminum, isto elapso, b
procedetur ad exequutionem realem pecuniariae poenae vel ad declarationem excommunicationis incursae. Quo quidem primo mandato expedito, Nuntius Juratus Ecclesiasticae Curiae Parocho vel ejus locum tenenti quantocitius tradet, isteque infra dies decem, a die traditionis in antea numerandos, parochiano debitori tenebitur personaliter praesentare; ad hoc autem, ut primum et alia imposterum expedienda mandata facilius ab omnibus intelligantur, ignorantiamque allegare nequeant, in lingua materna et vulgari concipienda et efformanda erunt. Si autem parochus vel ejus locum tenens infra praefixum decem dierum terminum praesentationem seu notificationem dicti primi mandati
propter latitationem seu affectatam parochiani debitoris c
absentiam personaliter exequi non valebit, vel non tutum accessum prudenter judicabit, in festo immediate sequenti praelibatum primum mandatum in hora Offertorii Missae matutinalis vel majoris coram populo alta et intelligibili voce leget, cum expressione, quod talis lectura et notificatio vim citationis per edictum publicum habebit, qua diligentia peracta, mandatum publicatum valvis Ecclesiae affiget, Curiamque praecipientem de implemento juxta praescriptam formam certiorem reddet.

Debitore autem intra praefixum terminum non solvente vel ad justas allegandas causas et rationes non comparente, Ordinarii seu Judicis Ecclesiastici cura
esse debebit mature perpendere, an exequutio realis d
vel personalis, pro poena pecuniaria imposita, fieri et practicari valeat juxta regulam Tridentini; qua impracticabili existente, constitoque de rei contumacia erga Judicem, ad declaratoriam anathematis arbitrio suo procedet, quod declaratorium mandatum Parochus seu ejus locum tenens infra dies decem, a traditione numerandos, parochiano debitori excommunicatione irretito notificare tenebitur, sed non personaliter, cum sufficiat in domo debitoris jam moniti excommunicationis incursae declaratoriam relinquere. Crescente autem debitoris contumacia et insordescentia, ipsoque infra dies decem post declaratoriae intimationem ad solvendum vel respondendum non comparente, expedietur mandatum parocho directum, praecipiendo ei in virtute sanctae Obedientiae, ut excommunicatum debitorem moneat, quod solvat vel respondeat, a damnabilique statu, in quo reperitur, exeat; monitione autem effectum debitum non producente, illum nominatim ut excommunicatum vitandum inter Missarum solemnia in die festo infra terminum praecisum et peremptorium viginti dierum, a die notificationis seu intimationis parocho factae continuo numerandorum, publicabit; quo termino viginti dierum elapso, si parochus mandato publicandi suum parochianum non paruerit, ipsi parocho iterum in eodem mandato praecipiatur, ut infra dies decem immediate sequentes parochianum excommunicatum in die festo et inter missarum solemnia publice ut vitandum denuntiet, sub poena quinque librarum Barcinonensium locis piis applicandarum, tam in hoc quam in aliis casibus in hac praxi praescriptis a parocho contrafaciente seu culpabiliter omittente toties quoties irremissibiliter exigendarum.

XX.

Clerici et presbyteri rubricas missalis et breviarii frequenter perlegant.

Caeremonias sacras, in rubricis missalis praescriptas juxta constitutionem bonae memoriae Pii Quinti et reformationem Urbani Octavi, certum est observari debere; et quia facile a memoria decidunt nisi frequenter perlegantur: ideo monemus et hortamur in Domino presbyteros omnes, quatenus praefatas rubricas, una cum adnotationibus super defectibus corporis et animae ac aliis in principio missalis descriptis pro uniuscujusque indigentia saepe relegere non postponant.

XXI.

Fundationes onerum Anniversariorum et Missarum perpetuae sine decreto seu licentia Ordinarii non admittantur.

Ne imparibus Missarum oneribus graventur Ecclesiae, et voluntates testantium minime fraudentur, districte praecipimus capitulis, collegiis, societatibus et congregationibus, necnon singulis Ecclesiarum praepositis, ne imposterum onera perpetua Missarum celebrandarum aut Anniversariorum suscipiant, nisi praecedente Decreto Ordinarii seu Superioris, qui prius diligenter inquirat, an illarum Sacerdotes novo oneri suscipiendo et aliis jam susceptis satisfacere possint, paremque rationem habeant, ut redditus admittendorum eis secundum morem cujusque Civitatis vel Provinciae omnino respondeant. Et ut Constitutio bonae memoriae Innocentii Duodecimi super iis edita, data Romae decimo Kalendas Januarii millesimo sexcentesimo nonagesimo septimo, necnon poenae interdicti et privationis ac inhabilitatis respective in contrafacientes ibidem appositae omnibus innotescant, paragraphos octavum et decimum ejusdem Constitutionis in calce istius transscribi mandamus.

Sequuntur mentionata duo capitula Constitutionis bonae memoriae Innocentii Duodecimi super celebratione Missarum. a

§. 8. Ad haec Sacra Congregatio quibusvis capitulis, collegiis, societatibus et congregationibus, necnon omnibus et singulis Ecclesiarum ac piorum locorum, tam saecularium quam regularium, superioribus vel aliis, ad quos pertinet, districte prohibet, ne in posterum onera perpetua suscipiant Missarum celebrandarum; saeculares quidem sine Episcopi vel ejus generalis vicarii, regulares vero sine generalis vel provincialis consensu et licentia in scriptis et gratis concedenda. Alioquin saecularis, qui hujus prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu Ecclesiae interdictus sit eo ipso; regularis vero poenam privationis omnium officiorum, quae tunc obtinebit, ac perpetuae inhabilitatis ad alia de caetero b obtinenda vocisque activae ac passivae absque alia declaratione incurrat.

§. 10. Episcopus vero seu ejus vicarius aut generalis vel provincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirant de singulis Missarum celebrandarum obligationibus cuique Ecclesiae, monasterio aut loco pio incumbentibus; nec antea assensum hujusmodi aut licentiam praebeant, quam eis legitime constiterit, illius Sacerdotes tam novo oneri suscipiendo quam antiquis jam susceptis satisfacere posse; praecipuamque rationem habeant, ut redditus, qui Ecclesiis et locis piis relinquuntur, omnino respondeant oneribus adjunctis secundum morem cujusque civitatis vel provinciae; c intelligantque, si in re tanti momenti desides aut negligentes fuerint, in novissimo die se hujus praetermissi muneris rationem esse reddituros.

XXII.

Super praestatione decimae lanae.

Ad fraudandum decimam lanae pecorum domini ea tondendi tempore ad alias parochias vel terminos transferunt et, cum istorum parochis vel decimatoribus certo convento pretio pro lanae decima, greges ibidem tondent, et hac via iis, quibus de jure vel consuetudine debetur, inique fraudatur. Quapropter, huic malo mederi cupientes, decernimus et declaramus, talia facere non licere, sed teneri gregum dominos parocho d vel decimatori, ad quos spectet, ex lana decimam integre solvere. Praecipimus quoque parochis et decimatoribus, ad quos non pertinet, sub excommunicationis majoris poena ipso facto incurrenda, ne decimam lanae aliis debitam percipiant, ne cum pecorum dominis super his paciscantur.

XXIII.

Conventiones de reservandis pensionibus vitalitiis fundatoribus vel aliis, quae in acceptandis oneribus Missarum vel Anniversariorum adhiberi solent, absque Ordinarii Decreto fieri prohibentur.

Evenit aliquoties, quod nonnullae personae capitulis ecclesiarum et communitatibus clericorum suas tradunt pecunias cum pacto, quod eis, dum vivant, pensionem annuam ad forum censualis vel alium persolvant, et post ipsorum obitum onera celebrandi Missas, Anniversaria vel alia eisdem capitulis et communitatibus injungant. Cum autem ex iis contractibus ecclesiae graviter laesae remanere possint, ac alias ad similes praestationes annuas sine assensu apostolico nequeant obligari: propterea tales conventiones, nisi consulto Ordinario, et servatis servandis, sub nullitatis poena fieri prohibemus.

XXIV.

Dignitates, canonici et portionarii non fruantur praesentia trium mensium vel alterius majoris aut minoris temporis, si per reliquos novem menses non resident [et servitium chori persolvunt].

Quamvis obtinentibus dignitates, canonicatus, praebendas aut portiones in Metropolitanis, Cathedralibus et Collegiatis juxta sacrum Concilium Tridentinum (sessione 24. de reformatione cap. 12.) non liceat ultra tres menses praetextu cujuslibet statuti aut consuetudinis singulis annis ab eisdem ecclesiis abesse nisi ex justa causa Ordinariorum judicio probanda: nihilominus plures ex illis semetipsos fallentes putant hoc indulto gaudere, si per alios novem menses in loco resideant, licet ecclesiae personaliter non inserviant, unde cultus divinus non modicum in choro patitur detrimentum. Quare statuimus, neminem ex supradictis trium mensium absentia hujusmodi frui posse, nisi per reliquos novem servitium chori juxta mentem ejusdem sacri Concilii debite persolverit; alioquin sciant, in poenas contra ipsos ab eodem Concilio et sacris canonibus statutas se esse incursuros, salvis tamen constitutionibus earum ecclesiarum, quae longius servitii tempus requirunt, necnon privilegiis apostolicis habilibus majorem absentiam indulgentibus. Nec omnes simul, nec ultra quartam partem eodem tempore abesse possint. Hortamur tandem praefatos omnes, quatenus in solemnoribus festis propriis ecclesiis interesse non desinant.

XXV.

Innovatur constitutio Illustrissimi Domini Antonii Augustini circa debitam in choro interessentiam.

Constitutionem bonae memoriae Antonii Augustini incipientem: *Cum illi,* de clericis non residentibus, circa debitam in choro ad lucrandas distributiones interessentiam innovantes eique adjicientes, statuimus, ut, qui in matutinis ante finem Psalmi: *Venite exultemus,* in aliis horis ante finem primi Psalmi, in missa conventuali vel anniversario ante ultimum *Kyrie eleyson* dictum non venerit, et usque in finem tam in missa conventuali quam in omnibus horis canonicis non interfuerit, vel in majori saltem parte cujuscumque horae canonicae confabulationibus vel deambulationibus aut somno vel lectioni rerum extra officium vel recitationi horarum privatim operam dederit,

illius horae distributione privetur, nec eam tuta conscientia percipiat, nisi pro celebranda missa de licentia praesidis, sine legitima causa non concedenda, vel propter ecclesiae utilitatem, infirmitatem vel necessitatem abfuerit; non obstantibus consuetudinibus, etiam immemorabilibus quibuscumque; salvis nihilominus laudabilibus ecclesiarum constitutionibus, ordinationibus vel consuetudinibus arctius circa haec disponentibus. Et quia in solutione distributionum per bursarios variae solent committi fraudes, quae per punctaturas possunt deviari: ideo decernimus, quod in singulis ecclesiis, ubi id Ordinariorum judicio commode fieri poterit, unus vel plures punctatores deputentur, qui residentium defectus in choro describant, praestito per eos in ingressu officii juramento de fideliter se habendo.

XXVI.

Colloquia, deambulationes, strepitus, vociferationes, actiones profanae, scenae et contractus in Ecclesiis fieri prohibentur.

Colloquia, deambulationes, strepitus, vociferationes, actiones profanas, scenas et contractus, necnon pauperes mendicantes seu eleemosynas petentes per Ecclesias tempore Missarum, praedicationum et Divinorum Officiorum per earum capitula, praepositos seu rectores vitari et arceri debere praecipimus, constitutioni Sancti Pii Quinti incipienti: *Cum primum,* et capiti: *Quia ad honestatem,* IV. nostrarum constitutionum provincialium sub titulo: de clericis non residentibus, super iis inhaerentes.

XXVII.

Dignitates, canonici et beneficiati tempore Divinorum Officiorum per ecclesiam, sacristiam, coemeteria, claustra et fores earum divagari prohibentur.

Obtinentes dignitates, canonicatus, portiones ac alia beneficia, quae in ecclesiis habent residentiam praecisam vel voluntariam, dedecet tempore Divinorum Officiorum per ipsas ecclesias, sacristias, coemeteria, claustra et fores earum vel alibi prope illas otiose divagari. Ideo, ne id fiat, districte prohibemus, poenam transgressoribus imponentes, quod pro singulis vicibus sex solidos ecclesiae fabricae, in qua circa haec deliquerint, statim persolvant, cujus incursum silentiarius, bursarius et praepositus ac eorum alter, ad cujus notitiam venerit, Ordinario seu illis, ad quos spectet, nuntiare sub eadem poena teneantur.

XXVIII.

Praescribitur forma servanda in erectionibus, resignationibus, permutationibus et applicationibus personalium Beneficiorum.

Quamvis personalium beneficiorum Tarraconensis provinciae institutiones et permutationes optimis et saluberrimis legibus a bonae memoriae Don Ferdinando de Loaces, Don Josepho Sanchis et Don Josepho Lli- a nas, Tarraconensibus Archiepiscopis, fuerint stabilitae: tamen cupidorum hominum machinante fallacia, nonnunquam simoniaca labe suspicantur et reperiuntur infectae. Quapropter, ut emergentibus abusibus via praecludatur, et per rectas semitas inoffenso pede tam in illorum institutione quam permutatione incedi queat, constitutiones provinciales a dictis praesulibus editas excitantes et earum litteralem observantiam injungentes: sacro approbante Concilio, statuimus et ordinamus, quod personatus hujusmodi non aliter erigantur nisi cum expressione specierum piorum Operum, in quae illorum redditus in casu extinctionis distribuendi et applicandi erunt, cum auctoritate et decreto Ordinarii, qui istorum permutationem permittere non b valeat, nisi elapsis sine dispensatione aliqua quadraginta quinque diebus, ab institutionis die in antea numerandis, et postquam legitime constiterit, tam capitale dotis quam istius augmentum in censualibus vel aliis redditibus fructiferis, perpetuis, tutis et firmis investitum et smertiatum existere; adeo ut pecuniae in tabula, banco, deposito vel Thecasio, licet tuto et securo, reconditae nunquam valeant pro dote nec augmento dotis valide et licite deservire; sed praecise requiratur, quod in redditibus vel praediis fructiferis, non super bonis dotantis, nec ejus, qui patronus efficitur, sed super aliis recte collocatae remaneant et investitae, sub poena nullitatis tam institutionis quam permutationis dictorum personatuum, casu quo condi- c tiones omnes supra expressae non fuerint fideliter observatae vel culpabiliter omissae; injungentes locorum ordinariis, ut redditus personatuum, quorum institutiones seu permutationes contra formam praescriptam exequutae fuerint, in pia opera sibi benevisa pro suo arbitrio et conscientia irremissibiliter convertant.

Praeterea, quia in Constitutione prima de anno millesimo sexcentesimo nonagesimo nono a bonae memoriae Don Josepho Llinas edita, expresse praecipitur sub excommunicationis majoris latae sententiae poena, quod capitale dotis beneficiorum personalium nullo titulo vel praetextu, etiam applicationis in pios usus faciendae, extingui valeat: sacro approbante Concilio, statuimus, ordinamus et superaddimus, quod, si ob- d tentor personatus doli vel fraudis pro extinctione memorati capitalis particeps fuerit inventus, ultra poenam in constitutione inflictam teneatur Personatus dotem de bonis propriis, iterum quacumque excusatione, exceptione vel appellatione rejecta, investire, privatusque ipso facto remaneat tali personali beneficio, de quo vel de ejus redditibus loci Ordinarius in causas pias sibi benevisas sine mora juxta tenorem institutionis disponat; et quod Notariis sub eadem excommunicationis poena non liceat instrumenta, in quibus talia capitalia extingui cognoverint, nec obligationes indemnitatis sub quocumque praetextu conficere; immo talia instrumenta et obligationes, de quibus fraudem vel collusionem quomodolibet suspicaverint, Ordinario denuntiare teneantur.

Rursus, quia in constitutione secunda: *Item sacro*, de anno millesimo sexcentesimo nonagesimo nono edita, provide cavetur, quod extinctiones personatuum ad effectum obtinendi decretum infra triginta dies locorum Ordinariis notae fiant; alias, quod isti possint et debeant redditus extinctorum personatuum in pia opera sibi benevisa convertere: sacro approbante Concilio, dictam constitutionem expresse et specifice innovantes, constituimus, ordinamus et superaddimus, quod heredes et manumissores obtentorum personatuum, qui istorum extinctionis notitiam habuerint, necnon Notarii, in quorum posse personatuum extinctio sive inter vivos sive in ultima voluntate confecta fuerit, infra terminum triginta dierum praecisum et peremptorium Ordinario notam facere sub eadem excommunicationis poena sint obnoxii.

Deinde, quia in constitutione Don Ferdinandi de Loaces saluberrime mandatur, quod in erectione seu fundatione personatuum declarentur species piorum operum, in quae illorum redditus in casu extinctionis converti debeant, attendentes, frequentissime accidere, personatus pro erigendis piis causis pro puellis maritandis et studentibus in litteris erudiendis extingui; quo in casu juxta juris regulas [et] probabiliorem, tutiorem magisque receptam Doctorum sententiam non est pia causa in vero sensu accepta, illis pro dote, nec istis pro alimentis aliquid erogare, nisi juxta personarum qualitatem, conditionem et statum vere pauperes sint et dici valeant: ideo, sacro approbante Concilio, statuimus, ordinamus et superaddimus, quod a caetero locorum Ordinarii institutiones vel extinctiones personatuum pro pia causa maritandis vel in matrimonio carnali collocandis puellis seu studentibus in litteris erudiendis erectas non admittant, nisi exprimatur, tam puellas quam studentes vere pauperes juxta suum statum esse debere; eveniente autem piorum reddituum distributionis casu, curae erit Ordinariorum pro tempore indagare et prudenter judicare, an puellae vel studentes, pios redditus postulantes, vere pauperes juxta suum statum sint et dici valeant; super quo gravissimo articulo Ordinariorum conscientiae gravatae remanebunt.

Tandem, quia experientia docente liquet, quod administratores piarum causarum, licet redditus suarum administrationum exigant, nihilominus rationes reddere et pecunias exactas deponere variis fallacibus excogitatis praetextibus saepissime detrectant et recusant, ex qua callida et cupida recusatione nedum vocati ad piorum reddituum participationem, sed etiam ipsaemet piae causae notabile detrimentum patiuntur et multoties deperduntur et evacuantur: idcirco, sacro approbante Concilio, constitutionem incipientem: *Rectae administrationi causarum piarum*, a nobis sess. 28. desuper editam explicantes ipsique adhaerentes, statuimus et ordinamus, quod a caetero administratores omnium piarum causarum quotannis rationes Ordinario vel auditori testamentorum et piarum causarum reddant, quibus rationibus redditis, et computis dispunctis, infra terminum triginta dierum praecisum et peremptorium quantitates, in quibus, deductis deducendis, inventi fuerint debitores, in thecasio Ecclesiae vel alio deposito publico et securo, a fundatore designato vel ab Ordinario seu auditore designando, teneantur deponere; remanente dumtaxat quantitate quinquaginta librarum penes administratores ad effectum expendendi necessaria pro exactione reddituum, quae omnia sub poena excommunicationis majoris latae sententiae et privationis administrationis inviolabiliter et ad litteram observari jubemus, nisi piae causae ita tenues fuerint et earum redditus exigui, ut non videatur practicabile rationes quotannis ab administratoribus exigere sine illarum notabili detrimento, quo in casu Ordinariorum arbitrio et conscientiae relinquimus, ut, attentis attendendis, et pensatis pensandis, administratores ad rationes reddendas in tempore opportuno vel necessario efficaciter et prout de jure cogere et compellere non omittant; salva tamen regia jurisdictione suis in casibus.

Ad hoc autem, ut hujusmodi constitutio ad omnium notitiam deveniat, a nemineque ignorantia allegari possit, statuimus et districte praecipimus, ut in lingua materna et vulgari traducta, ab omnibus parochis provinciae Tarraconensis saltem semel in anno in die a locorum Ordinariis praefigendo sub eadem excommunicationis majoris poena inter missarum solemnia coram populo congregato publicetur et evulgetur.

XXIX.

Sponsi et sponsae in eadem domo simul non morentur sub gravi poena pecuniaria arbitrio Ordinarii.

Expedit quidem animarum saluti poenis pecuniariis prohibere, ne sponsus et sponsa ante contractum matrimonii in eadem domo vivant, nec aliquo modo etiam per minimum tempus commorentur: nullatenus tamen videtur expedire ipsos sponsos compellere ad jurandum, nisi in casibus diffamationis, semiplenae probationis aut aliis a jure permissis, quod post sponsalia sub eodem tecto non sunt commorati, ad probandum, an poenas impositas incurrerint, cum ad eas vitandas plures in perjurium labi posse timeatur. Ideo statuimus, quod sponsi et sponsae in eadem domo nec per minimum temporis spatium immorentur, neve certa poena pro qualibet vice in curiis ecclesiasticis decernatur, sed pro modo culpae juxta personarum qualitatem gravi poena pecuniaria locis piis applicanda vel alia afflictiva multentur et puniantur, quin ad juramenti exigentiam deveniri queat, nisi in subsidium in casibus a jure permissis, quando aliter veritas haberi non possit.

XXX.

Super intelligentia jurisdictionis vicarii generalis et capellanorum regii exercitus.

Pastoralis sacri Concilii vigilantia et solicitudo cum pro injuncto munere animarum salutem totis viribus

satagere debeat, ne fideles Christi sint parvuli fluctuantes neque circumferantur omni vento doctrinae, immo tanquam unius corporis membra sub Christi capite ejus in terris Vicarii, Romani Pontificis, Beatissimi Petri successoris, voces audire et sequi valeant: idcirco cum, exortis aliquibus dubiis super intelligentia jurisdictionis capellani majoris, vicarii generalis nuncupati regii exercitus, in iis Hispaniae regnis a felicis recordationis Innocentio Papa Decimo in suo brevi de anno millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto pro sacramentis ecclesiasticis militibus et aliis omnibus castra sequentibus, quoad bella duraverint, ministrandis concessae, ad oraculum Sanctae Sedis recursum fuerit, Sacra Congregatio Concilii, Apostolicae auctoritatis praesidio munita, undecima Decembris millesimo sexcentesimo septuagesimo septimo in una Barcinonensi censuit ibi: Domino Nuncio Apostolico Hispaniarum. Perillustris et Reverendissime Domine uti Frater. In quodam casu nuper ad hanc Sacram Congregationem Concilii Tridentini delato innotuit Eminentissimis Patribus, qui Sanctissimi Domini nostri auctoritate ipsius Concilii decreta interpretantur, nonnullos milites coram suae legionis aut etiam majori exercitus capellano matrimonia contrahere, non autem coram parocho, ut ejusdem Tridentini decreto (capite primo, sessione vigesima quarta de reformatione matrimonii) diserte cavetur. Quare ad trutinam revocari oportuit, num id valide fieret. Ac re saepius considerata, differendo ad maturius examen inspectionem quoad matrimonia jam contracta, pro futuris censuit Sacra Congregatio, militum matrimonia quaecumque contrahenda coram capellanis exercituum, in quocumque loco existentium, fore nulla, nisi doceatur de sufficienti facultate aut privilegio. Atque hanc Sacrae Congregationis sententiam ad se relatam Sanctissimus Dominus noster approbavit, idemque ad Amplitudinem Tuam scribi voluit, quatenus decretum hujusmodi pro sua prudentia iis, ad quos spectet, communicet, ut ita animarum saluti ac tanti contractus legitimae validitati consulatur; ipsa igitur ita efficiet ac de eo, quod egerit, certiorabit, dum Amplitudini Tuae omnia prospera precamur. Romae, undecima Decembris millesimo sexcentesimo septuagesimo septimo. Deinde eadem S. Congregatio 22. Septembris 1691. in una Caelsonensi visitationis sacrorum liminum censuit ibi: Octavo Sacra Congregatio censuit, danda esse decreta in Mechliniensi delegationis apostolicae, relata in congregatione particulari sub die decima Julii millesimo sexcentesimo nonagesimo cum infrascriptis dubiis. Primo, an Breve sit concedendum? Et quatenus affirmative, secundo, an et in qua parte sit reformandum? Et ipsa congregatio particularis ad primum respondet *affirmative.* Ad secundum itidem *affirmative,* et reformandum Breve in paragrapho finali: *Volumus autem,* apposito in Brevi sanctae memoriae Innocentii undecimi, et capellanis concedendam facultatem administrandi militibus aliisque omnibus, qui castra sequuntur, ea tantum sacramenta per parochos ordinarios administrari consueta, et haec quidem eo dumtaxat tempore, quo exercitus reperiatur in actuali expeditione, secus vero, quando milites degunt in praesidiis. Quae decreta capellano Regio notificet Amplitudo Tua, et juxta formam praescriptam exequatur. Haec sunt, quae respondenda duxerunt Eminentissimi Patres et Apostolicae Auctoritatis praesidio ad unguem servanda. Tandem eadem Sacra Congregatio Concilii respondendo dubiis propositis a Sacra Congregatione Inquisitionis sexta Martii millesimo sexcentesimo nonagesimo quarto dixit et censuit ibi: Quia capellani exercitus sine indulto apostolico hujusmodi matrimoniis assistere non possunt. Et quanquam hoc indultum aliquando principibus et Regibus Catholicis concedatur, illud tamen expediri solet cum clausula, quod capellani exercitus matrimonia faciant et Sacramenta ministrent et conferant tempore dumtaxat, quo exercitus in actuali expeditione reperitur; secus vero, quando milites in stationibus et praesidiis degunt, et ita expediri debere, resolutum fuit a Congregatione deputata Concilii vigesima nona Septembris millesimo sexcentesimo nonagesimo. Haec ibi. Quae quidem Apostolicae Sacrae Congregationis decreta, et signanter illa Caelsonensis visitationis sacrorum liminum, reverenter observanda pariter censuit religiosissima pietas sacrae Catholicae et Regiae Majestatis Domini nostri Philippi Quinti Hispaniarum Regis (quem Deus incolumem servet), quando, mature discusso negotio, regia epistola vigesima tertia Septembris millesimo septingentesimo primo in villa de Fraga expedita, Archiepiscopo Tarraconensi injunxit, ut constitutionem provincialem de anno millesimo sexcentesimo nonagesimo nono editam, in qua decreta Caelsonensis visitationis inveniuntur transcripta, sine mora publicari curaret. Unde resultat, capellanos exercitus vigore Brevis Innocentiani dumtaxat habere facultatem administrandi militibus aliisque omnibus, qui castra sequuntur, ea tantum Sacramenta per parochos ordinarios administrari consueta, et haec quidem eo dumtaxat tempore, quo exercitus in actuali expeditione reperitur, secus vero, quando milites in praesidiis et stationibus degunt. Quibus quidem apostolicis responsionibus ac declarationibus mentis Pontificiae Innocentii Papae Decimi super dicto Brevi firmiter inhaerentes, sacro approbante Concilio, statuimus et ordinamus, omnia et singula in praefatis decretis contenta tum a locorum Ordinariis tum a Christifidelibus, in hoc Cathaloniae principatu degentibus, ad unguem ac inviolabiliter observari. Et ut haec ad publicam notitiam facilius deducantur, et [ne] super iis ignorantia vel excusatio ullo tempore praetendi possit, omnibus, quibus animarum cura subest, in virtute sanctae obedientiae districte praecipimus et mandamus, ut per se, alium vel alios praesentem constitutionem, postquam eam receperint, in die prima Dominica vel festiva inter Missarum solemnia publicent totique populo legant; et inde semel in anno in die sive festo Circumcisionis

Domini Nostri Jesu Christi, et pluries in ecclesiis suis a (si id expedire viderint), ad Christi fidelium mentes reducant, nuntient et declarent.

XXXI.

De vita et honestate clericorum.

Decet omnino clericos in sortem Domini vocatos vitam moresque suos ita componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus nihil nisi grave, moderatum ac religione plenum prae se ferant, levia etiam delicta, quae in ipsis maxima viderentur, effugiant. Et quoniam plura, quae de vita, honestate et cohabitatione clericorum per sacros canones constituta sunt, a nonnullorum memoria excidisse noscuntur, praecipua commemorando praecipimus, ne clerici benefi- b ciati aut sacris ordinibus insigniti comessationibus, ebrietatibus, impudicitiis, tabernis, histrionibus, spectaculis, scenis profanis, choreis, aleis, taxillis, lusibus, nisi moderatis recreationis causa et intra privatos parietes, laicis seclusis, aut negotiis secularibus se immisceant, intortis crinibus pulvere ad id composito conspersis non incedant, commercium quoque et cohabitationem mulierum pariter declinent, nec soli ipsarum domos frequentent: illas autem, quas ad servitium, licet suspectae non fuerint et aetatem ad minus quinquaginta annorum habuerint, vel ob sanguinis conjunctionem, si extra gradum consanguinitatis a sacris canonibus praescriptum extiterint et suspectae non fuerint, aut ex alia justa causa in propriis domibus re- c tinere oportebit, loci Ordinario prius denuntiare teneantur; alioquin contrafacientes singulis superius expressis per suos superiores, prout delicti qualitas exegerit, congruenti poena corripiantur.

XXXII.

Missae defunctorum sive de requiem in diebus duplicibus, dominicis et festivis de praecepto, vigilia nativitatis Domini. in octava Epiphaniae, die Cinerum, in majori Hebdomada, in octavis Paschae et Pentecostes ac in octava Corporis Christi non celebrentur.

Novimus, irrepere abusum Missas defunctorum, de requiem dictas, in diebus prohibitis celebrandi. Quare sanctorum rituum Congregationis decretis et rubricis missalis inhaerendo, praecipimus, ut eaedem Missae, d tam privatae quam cantatae, in diebus duplicibus, dominicis et festivis de praecepto, in vigilia nativitatis Domini, in octava Epiphaniae, in die Cinerum, in majori Hebdomada, in octava Paschae, in vigilia et octava Pentecostes et Sanctissimi Corporis Christi sub poena a jure statuta minime celebrentur. Anniversaria vero et Missae cantatae de requiem relictae per testatores quotannis in die obitus ipsorum occurrentes in diebus duplicibus, etiam majoribus, possunt utique in eisdem diebus celebrari, dummodo non sint primae vel secundae classis festivi de praecepto, aut diebus et hebdomadis privilegiatis, quoniam in iis incidentes ad dies non impeditos transferri debent.

XXXIII.

Armorum usus clericis prohibetur.

Cordis gemitus ad Deum humilesque preces unica debet esse armatura clericorum. Quapropter clericis omnibus saecularibus et regularibus (militaribus exceptis) quorumlibet armorum usum omnino, etiam venationis praetextu, prohibemus sub poena suspensionis, si saeculares fuerint, contra ipsos ferendae; si vero fuerint regulares, a suis superioribus per annum stricte recludantur.

XXXIV.

In fundationibus anniversariorum et Missarum, quae proveniunt ex contractu vel quasi, quoties capitale dotis deperditur, vel contractus aliis de causis effectus est iniquus, adeatur Ordinarius pro rescissione contractus vel reductione illius ad aequitatem.

Quia temporum injuria, quae nihil aeternum fieri permittit, et occasione bellorum et alias plures redditus ecclesiarum aliorumque piorum locorum vel in totum vel in partem periisse noscuntur, qui celebrationi plurimorum onerum Missarum et anniversariorum ex contractu vel quasi inter ecclesias et fundatores celebratis et acceptatis erant obnoxii; cum et etiam plures aliae fundationes Missarum et anniversariorum ex dotis incongruentia laesivae sunt effectae, et frequenter ambigitur, an pro hujusmodi redditibus deperditis vel alias propter eleemosynae incongruitatem munia eisdem respondentia celebrari debeant: ideo ad conscientiarum quietem et dubia tollenda, sacrae Congregationis Concilii super his editis decretis adhaerentes, decernimus et declaramus, in dictis casibus adeundos esse Ordinarios pro rescissione sive moderatione contractuum ad aequitatem; qui dictos contractus ad naturalem justitiam, facti circumstantiis attentis, reducent. Pro aliis autem Missarum et anniversariorum oneribus ex legato provenientibus, si redditus fuerint deperditi vel inculpabiliter inexigibiles effecti, Ordinarii sive visitatores adeantur, qui, constito prius de praedictis per informationem, decernent, dicta onera non esse adimplenda; hoc tamen intellecto, quod, donec dicta moderatio, rescissio sive declaratio in suis respective casibus fuerint effecta, dictorum onerum celebratio praetermitti nequeat.

XXXV.

Mulieribus cujusvis qualitatis prohibetur, ne incedant pectore, scapulis ac brachiis seminudatis.

Pessimum nimis ac detestabilem usum, quem mulieres in praeterito saeculo gestandi nudum collum usque ad humeros assumpserant, bonae memoriae Alexander Septimus sua constitutione damnavit; et nihilominus hisce miseris temporibus nedum collum, sed etiam ubera, tanquam lamiae catulos lactantes veneris, cunctis patere student, nec erubescunt. Quare scandalum istud a christianis populis avertere debentes

dicti Alexandri Septimi et Innocentii Undecimi constitutionibus innixi, stricte prohibemus omnibus et quibuscumque mulieribus, etiam saeculari nobilitate praefulgentibus, ne incedant per vias, et multo minus ecclesias introgrediantur pectore, scapulis ac brachiis seminudatis, sicuti et omnem vanum apparatum ac immodestum ornatum, sub poena, quod alias ad sacra poenitentiae et eucharistiae sacramenta non admittentur; injungendo parochis et confessariis, quatenus in re tanti momenti magnopere invigilent et, si opus fuerit, mulieres contravenientes non absolvant, neque divino eucharistiae sacramento pascant; reservatis Ordinariorum arbitrio aliis poenis pro casuum exigentia imponendis.

XXXVI.

[Nec] pro administratione sacramentorum nec pro distribuendis sacris oleis quidquam exigatur vel sponte oblatum recipiatur.

Memores sint sacrorum ministri, se gratis daturos, quod gratis acceperunt, nec licere eis sub quolibet praetextu pro administratione sacramentorum quidquam exigere, sed ea charitative et sine spe mercedis libenter exhibere: sed nec pro sacris oleis ad sacramenta baptismi et extremae unctionis aut pro illorum distributione, quae a dignitatibus ecclesiarum fieri debet, aliquid petere aut sponte oblatum accipere praesumant. Curent praeterea parochi personas idoneas rocheto indutas, licet saeculares sint, ad portandum olea sacra ad cathedrales ecclesias post consecrationem novorum cito transmittere, nec veteribus sine necessitate utantur. Qui autem in his defecerint, poenis pecuniariis Ordinariorum arbitrio coerceantur.

Illustrissimus et Reverendissimus Dominus Don Michael Joannes de Taverner et Rubi Episcopus Gerunden. Antiquior Provinciae Tarraconen. et S. C. P. Praesidens.

Reverendissimus Dominus Don Simeon de Guinda et Apestegui Episcopus Urgellensis.

Reverendissimus Dominus Don Joannes Miguelez de Mendanya Osorio Episcopus Dertusensis.

Admodum Reverendus Dominus Don Fr. Joannes Baptista Descallar Abbas Sancti Stephani de Banyoles.

Admodum Reverendus Dominus Don Felix de Vilaplana Abbas Beatae Mariae de Ripoll.

Admodum Reverendus Dominus Don Fr. Emmanuel Mir et Cadena Abbas Sancti Petri de Galligans.

Admodum Reverendus Dominus Don Fr. Franciscus de Pastor et Descallar Abbas Sancti Petri de Besalu.

Admodum Reverendus Dominus Don Fr. Franciscus de Guanter et Pi Abbas Sanctae Mariae de Amer et Rosas.

Admodum Reverendus Dominus Don Fr. Felix de Taverner et de Ardena Abbas Sancti Salvatoris de Breda.

Admodum Reverendus Dominus Don Jacobus Portell Abbas Ecclesiae Saecularis et Collegiatae Sancti Vincentii Castri de Cardona.

Admodum Reverendus Dominus D. Fr. Balthazar Sayol Abbas de Poblet.

Admodum Reverendus Dominus Don Fr. Isidorus Covarem Abbas Monasterii Sancti Felicis Guixolens.

a Admodum Reverendus Dominus Don Antonius Bru U. J. D. Prior Ecclesiae Sanctae Annae Barcin.

Admodum Reverendus Dominus Josephus Porta Prior Ecclesiae Beatae Mariae de Ulla.

Admodum Reverendus Dominus Antonius Vaquer Prior Ecclesiae Sancti Thomae de Fluvia.

Reverendus Dominus Don Franciscus Camps Archidiaconus Sylven. Sanctae Ecclesiae Gerund., Procurator Reverendissimi Domini Don Fr. Francisci de Olasso Hipenza Episcopi Illerden.

Reverendus Dominus Pius Fontdevila S. T. D. Canonicus dictae Sanctae Ecclesiae Gerund. et Sanctae Theologiae Interpres, Procurator Reverendissimi Domini Don Didaci Astorga et Cespedes Episcopi Barchinonen.

Reverendus Dominus Josephus Vilabella S. T. D. Canonicus dictae Sedis Gerunden., Procurator Reverendissimi Domini Don Fr. Petri de Maganya Episcopi Caelsonen.

Reverendus Dominus Don Bonaventura de Lanuza Decanus, Canonicus ac Syndicus Reverendi Capituli Sanctae Metropoli-
b tanae Ecclesiae Tarraconen.

Reverendus Dominus Don Josephus de Taverner et de Ardena U. J. D. Canonicus Sanctae Ecclesiae Barcinonen., Syndicus R. Capituli ejusdem Ecclesiae, Vic. Gen. et Offi. Illustris. Domini Gerunden. Episc.

Reverendus Dominus Franciscus Camps S. T. D. Canonicus Sanctae Ecclesiae Gerund. Capellanus honoris S. C. et R. Majestatis Domini nostri Philippi Quinti (quem Deus protegat), Syndicus Reverendi Capituli dictae Ecclesiae, Vic. Gen. et Offi. ejusdem Illustrissimi Domini Gerund. Episc.

Reverendus Dominus Ivo Cassanyes U. J. D. Sacrista Major et Canonicus Sanctae Ecclesiae Vicen., Syndicus R. Capituli ejusdem Ecclesiae, Vic. Gen. et Offi. Vicen. Dioeces.

Reverendus Dominus Antonius Cortes U. J. D. Canonicus Sanctae Ecclesiae Dertusens., Syndicus Reverendi Capituli ejusdem Ecclesiae.

Reverendus Dominus Josephus Casanovas U. J. D. Canonicus Sanctae Ecclesiae Illerden., Syndicus Reverendi Capituli dictae Ecclesiae.

c Reverendus Dominus Franciscus Montaner U. J. D. Canonicus Sanctae Ecclesiae Urgellen., Syndicus Reverendi Capituli ejusdem Ecclesiae.

Reverendus Dominus Marianus Tella U. J. D. Canonicus Sanctae Ecclesiae Caelsonen., Syndicus Reverendi Capituli ejusdem Ecclesiae, V. G. et Offi. Caelsonensis Dioeces., Sede Episcopali in Concilii principio vacante.

Reverendus Dominus Fr. Josephus Descallar Monachus Monasterii et Praepositus Sancti Petri de Galligans, Procurator admodum Reverendi Domini Fr. Joannis Soler Abbatis Monasterii Sancti Pauli de Campo.

Reverendus Dominus Don Fr. Josephus Roger Monachus Eleemosynarius Monasterii de Galligans, Procurator admodum Reverendi Domini Fr. Francisci Cordellas Abbatis de Gerri.

Reverendus Dominus Don Fr. Marianus Gallart Monachus Monasterii de Banyoles, Procurator admodum Reverendi Domini Don Fr. Josephi Cabrero Abbatis Beatae Mariae de la O.

Reverendus Dominus Fr. Jacobus Capmany Monachus et Sacrista Monasterii de Galligans, Procurator admodum Reve-
d rendi Domini Fr. Anselmi Soler Abbatis Sanctarum Crucum.

Reverendus Fr. Laurentius Faget Monachus Monasterii Beatae Mariae de Monserrat, Procurator admodum Reverendi Fr. Josephi Benito Abbatis dicti Monasterii.

Reverendus Dominus Petrus Albareda Canonicus Ecclesiae Collegiatae Sancti Felicis Gerundae, Procurator admodum Reverendi Domini Fr. Isidori Turmo Abbatis Beatae Mariae de la Baix.

Reverendus Fr. Dominus Josephus Ugo Mascarella Monachus Ordinis Carthusiensis, Procurator Reverendi Fr. Francisci Vidal Prioris Monasterii Scalae Dei.

Reverendus Dominus Paschalis Fontdevila Sacrista Major Collegiatae Ecclesiae Sancti Felicis Gerundae, Procurator admodum Reverendi Domini Mariani Lledo et Dalmasas Praepositi de Manresa.

Reverendus Dominus Sixtus Alemany Capellanus Major Collegiatae Ecclesiae Sancti Felicis Gerundae, Procurator admodum Reverendi Domini Francisci Servos et Soldevila Prioris de Calaf.

Reverendus Dominus Paulinus Sala Sacrista secundus Collegiatae Ecclesiae Sancti Felicis Gerundae, Procurator admodum Reverendi Domini Bartholomaei de Escartin Prioris Majoris Ecclesiae Roten.

Reverendus Dominus Petrus Joannes Ros Canonicus Collegiatae Ecclesiae Sancti Felicis Gerundae, Procurator admodum Reverendi Domini Josephi Moxi Prioris de Besalu.

Reverendus Dominus Josephus Font Canonicus Collegiatae Ecclesiae Sancti Felicis Gerundae, Syndicus Reverendi Capituli Collegiatae Ecclesiae Sancti Petri Ageren.

Theologi S. C. P.

Admodum Reverendus Dominus Don Fr. Emmanuel de Mir et Cadena Abbas Sancti Petri de Galligans.

Admodum Reverendus D. D. Fr. Isidorus Covarem Abbas Monasterii Sancti Felicis Guixolen.

Reverendus Dominus Franciscus Camps S. T. D. Canonicus et Syndicus Sanctae Ecclesiae Gerund., Cappell. Honor. S. C. et R. Majestatis, Domini Nostri Regis Philippi Quinti, S. T. Primarius Interpres Emeritus in Universitate Gerundae, Vic. Gen. et Offi. Illustrissimi Domini Gerunden. Episc.

Reverendus Pater Fr. Narcissus Vilar S. T. Magister, Prior Conventus Sancti Dominici Ordinis Praedicatorum Civitatis Gerundae.

a Reverendus Pater Jacobus Gari Rector Collegii Sancti Martini de Costa Societatis Jesu Civitatis Gerundae.

Advocati S. C. P.

Reverendus Dominus Ivo Cassanyas U. J. D. Sacrista Major, Canonicus et Syndicus Sanctae Ecclesiae Vicen., Vic. Gen. et Offi. Vicen. Dioeces.

Reverendus Dominus Don Josephus Rius et de Falguera U. J. D. Canonicus Sanctae Ecclesiae Barcinonen.

Reverendus Dominus Ferdinandus Diern U. J. D. Vic. Gen. et Offi. Illustrissimi Domini Gerunden. Episc.

b Magnificus Hieronymus Fontdevila U. J. D. Civis Honoratus Gerundae, Advocatus Fiscalis Curiae Ecclesiasticae et mensae Episcopalis Gerundae.

Et ego T *Narcissus Nadal Presb. S. T. D., Auctoritatibus Apostolica ac Illustrissimi et Reveren. Domini mei, Domini Episcopi Gerunden., Notarius publicus ejusque Episcopalem scribaniam Gerunden. Regens ac sacri Concilii Provincialis Scriba et Secretarius, quia dictarum constitutionum novae ordinationi de mandato suae Illustrissimae et Reverendissimae Dominationis dicti Concilii Praesidentis interfui: ideo hic me subscribo et solitum dictae provinciae appono Signum.*

CONCILIUM TARRACONENSE

per Illustrissimum et Reverendissimum D. D. Emmanuelem de Samaniego et Jaca, Archiep. Tarrac., anno 1722. celebratum.

1. Cum in sacris Conciliis Tarraconensibus omnia ita pie, utiliter sapienterque sancita sint, ut ardentem zelum ecclesiasticae disciplinae, reformationis morum hujusque Provinciae optimi regiminis respirent, hoc sacrum Concilium omnes eorum constitutiones ex animo et reverenter amplectens approbat, ratas habet et confirmat, praesertim ea, quae stabilita sunt in Conciliis celebratis ab Illustrissimis et Reverendissimis D. D. Josepho Sanchis et D. Josepho Llinas, Archiepiscopis Tarraconensibus bonae memoriae, et in Concilio Tarraconensi Gerundae celebrato anno 1717., utpote hisce temporibus utilissima. Quapropter impense commendatur Episcopis, ut earum omnium observantiae indefesse invigilent; frustra enim statuuntur, quae executioni non mandantur.

2. Timendum est valde, multos ad primam tonsuram admitti et ad sacros ordines promoveri sine ulla vocatione divina, intentos magis ad sua suorumque commoda quam ad fidelem cultum Dei in ecclesia sua praestandum. Quod quam indignum absurdumque sit, et quae detrimenta divini cultus, ecclesiasticae disciplinae, aedificationis saecularium, immo et scandala parere possit, per se patet. Summopere igitur curent Episcopi prae oculis semper habere constitutionem XI. memorati Concilii Gerundae celebrati et juxta decreta Concilii Tridentini sess. XXIII. c. III. et IV. de reform. in illius exactam observantiam incumbere, nullum ad primam Tonsuram et sacros ordines admittendo sine diligenti examine de vocatione, vita, moribus et
c scientia. Sic enim, divina aspirante gratia, maxime florebit ecclesiastica disciplina cum ingenti Dei gloria, ecclesiarum decore et emolumento proximorumque (+ ac) aedificatione. Itaque ut hoc, quod tam in praecordiis habere debemus, quantum ex cura et providentia nostra [1], facilius assequatur, S. A. C. injungimus Episcopis, summa ope nitantur, ut qui ad sacrum tremendumque Sacerdotii ministerium aspirant, recte instituantur et ecclesiasticis disciplinis optime imbuantur in seminariis juxta Conc. Tridentinum ad hunc finem erectis. Ubi autem seminaria defuerint, destinetur quam primum locus aliquis, prout Ordinario expedire videbitur, tam necessariae institutioni et instructioni aptus.

3. Sicut rationi consentaneum esse videtur, ut ii,
d qui obtinendorum beneficiorum causa Romam adeunt, litteris testimonialibus a locorum Ordinariis muniantur: sic ad evitandas fraudes et gravia incommoda, quae ex falsis aut parum sinceris immeritarum personarum commendationibus suboriuntur, omnino convenit, ut penes Episcopos tantum sit facultas expediendi litteras commendatitias, quae deinceps sint Romam petentibus concedendae. Idcirco S. A. C. injungimus Episcopis, ut facultatem illas expediendi sibi reservent, neque ipsi expediant sine praevia et exacta informatione judiciali sive extrajudiciali de personae petentis qualitate, vita, moribus et scientia, ac juxta quae comperta habuerint, unice se gerant; caventes maxime in dictis litteris

[1] * Fortasse addendum est: *pendet.*

expediendis aliquid addere aut demere, augere vel minuere, sed omnino intra merita candidati se contineant.

4. Cum natura humana per peccatum depravata, ni contineatur, sensim semper in malum declinet, dolet S. C., in majorem partem hujus Provinciae irrepsisse abusum circa debitam festorum observantiam. Negotiatores enim opificesque mechanici publice, apertisque suis officinis, emendo et vendendo ita lucro instant, et alii quam plurimi ita et sine scrupulo in mechanicum laborem incumbunt, quasi non dies festi, sed profesti essent. Quare, ut, eradicato penitus tam perni-
a cioso abusu, festi dies ea, qua par est, veneratione, reverentia et observantia celebrentur, Christique fideles in illis, ut debent, orationibus, non negotiationibus, lucris spiritualibus, non temporalibus instent: stricte prohibemus diebus festivis praedictas officinas apertas habere, publice vendere et negotiari, multoque magis laboribus mechanicis vacare sine expressa licentia Ordinarii, quae nisi justas ob causas nullatenus concedenda est. Qui tamen secus fecerint, poena decem regalium monetae Barcinonensis, ad arbitrium Ordinarii applicandorum, statim mulctentur.

CONCILIUM TARRACONENSE

per Illustrissimum et Reverendissimum D. D. Emmanuelem de Samaniego et Jaca, Archiep. Tarrac., anno 1727. celebratum.

Supplicatio Conc. Prov. Tarrac. Domino nostro Papae directa. Super dierum festorum numero minuendo.

SS. Pater.

Synodus provincialis Tarraconensis post oscula pedum B. V. humiliter ac reverenter exponit[1], quod in sessione habita sub die 18. Novembris proxime praeteriti, agendo de reformatione et super salutem animarum invigilando, sedulo disquisitum fuit, quodnam remedium videretur proficuum et opportunum ad sanandum abusum in dicta Provincia communem nimis, quo praeceptum Ecclesiae de omittendo diebus festis servili labore passim atteritur, quem abusum in lacrymabilem ruinam animarum Confessarii, Poenitentiae Sacramentum ministrantes, in dies magis invalescere cum dolore cordis intrinseco deplorant; et habito super haec maturo tractatu, unanimiter visum fuit, praefatum abusum originem inde traxisse, quod nimirum fideles, tam mechanicis operibus insudantes quam agrorum culturae, falsa quadam specie necessitatis a praecepto se eximi facile putant hisce rationibus: Primum etenim provinciam Tarraconensem, montibus passim oppressam, quasi quotidiana cultura egere inquiunt, ut terra semen suum germinet. Deinde tributa seu vectigalia imposita super frumento, vino et oleo et super omnia opera[2] manuum suarum indispensabiliter esse pensitanda, communi consensu allegant. Denique addunt, quod festa de praecepto in hac provincia colenda sunt quam plurima, quia, demptis, quae ex voto, titulari seu patrono in singulis respective locis coluntur, nonaginta et unum de praecepto numerantur; sicque, qui ex
b vultus sudore et labore manuum victum emunt, miserrime pereunt, nisi diebus festis laboribus alioquin vetitis incumbant. Hasce causas, quae veritatis speciem nonnunquam prae se ferre videntur, ut necessitate compulsi diebus festis sine peccato laborent rusticani, crebrius, quam oportet, context humana cupiditas et vivis adeo coloribus depinxit, ut veros saepe transgressores punire et evitare scandala nequeamus. Cupientes ergo tanto damno occurrere, ne cultus festorum de medio tollatur, visum fuit Concilio Provinciali debita cum reverentia et humilitate V. B. suppliciter exorare, quatenus indulgere dignetur, vel ut dierum festorum numerus minuatur, vel saltem in aliquibus fideles, audita Missa, laborare valeant, manentibus cum obligatione integra praecepti omnibus diebus Dominicis per annum, diebus Natalis Domini et sequenti S. Stephani, Circumcisionis, Epiphaniae, Resurrectionis et sequentis diei, Ascensionis Domini, Pentecostes et sequentis diei, et festo Corporis Christi, S. Joannis B., SS. Apostolorum Petri et Pauli, S. Jacobi Apostoli et
c omnium SS., ac etiam quinque festivitatibus B. V. M. (scilicet Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis et purissimae Conceptionis), dummodo reliquis diebus de praecepto, audita missa, tuta conscientia fideles in hac Provincia Tarraconensi demorantes laborare publice valeant. Hoc gratuitum donum, utpote unicum ac salubre remedium animarum, Concilium Provinciale flexis genibus a B. V. humiliter expostulat, utque Apostolicam benedictionem sibi impertiri dignetur S. V., pro cujus incolumitate ad bonum totius Ecclesiae D. O. M. deprecari diu noctuque non supersedebit. Dat. Tarraconae die 12. Dec. an. 1727.

B. P. — V. B. humilis et obsequentissim. filius —
Emmanuel Arch. Tarr. Praeses
Synod. Prov. Tarrac.

De mandato dictae S. Synodi Prov.
Ignatius Casanova Not. ex secret.

[1] * Ita correximus *exposcit.*

[2] * Singularis prorsus est haec casus mutatio (*super frumento* et *super omnia opera*), quae fortasse similibus verbis Psalmi 8. (*super opera manuum tuarum*) explicatur, nisi potius scribendum est: *super omni opere.*

CONCILIUM TARRACONENSE

per Illustrissimum et Reverendissimum D. D. Petrum Copons, Archiep. Tarrac., anno 1733. celebratum.

* Tredecim Sessionibus[1] absoluta est haec Synodus, quae literis d. d. 7. Martii in d. 18. Maji convocata erat. De tribus primis Sessionibus nihil occurrit memoratu dignum. In quarta vero Sessione adfuit missus a rege orator, qui subsidia ad bellum
d contra Mauros peteret. In decima Sessione omnibus visum est, a SS. Patre petere, ut in universa provincia officium proprium S. Mariae Cervell. recitaretur. Quibus precibus SS. Pontifex die 22. Jan. 1735. annuit. In undecima Sessione habita d. 23. ejusdem mensis id actum est, ut Synodus de incommodis, quae ex bulla in gratiam O. Pr. lata consequerentur, ad SS. Pontificem referret. In duodecima Sessione duo sunt decreta: alterum de congruis beneficiorum reditibus; alterum hisce verbis conceptum:

[1] * Quae hic de celebratione hujus Concilii narrantur, ex Hispanico vertimus.

Quamvis fel. record. Benedictus Papa XIII. in suo apostolico Brevi, Romae expedito die 24. Augusti 1728., abusibus plurimorum infensus, qui munus evangelicae praedicationis, in substantiam spiritualis alimoniae institutum, vertunt in suae ipsorum ambitionis aut gloriae vanae aucupium, dum non Christum crucifixum in ostensione spiritus et virtutis enunciant, sed levissimis passim argumentis et ineptis sententiis, ad ostensionem proprii acuminis fucato sermone compositis, potius auribus populi blandiuntur, quam animis dolorem peccatorum incutiunt, salubriter statuerit ac districte praeceperit, quod, qui sacrum praedicandi ministerium susceperunt, ad singulas conciones in consueta salutatione aliquem christianae doctrinae articulum aut divinae legis praeceptum tradant et explicent: nihilominus quia hujusmodi ordinationis salutaris intentio eluditur, cum plures punctum hoc majori studio dignum non nisi breviter nimis et per
a transennam aut confuse et permixtim cum aliis rebus pertingunt, ita ut saepe fideles ea, quae intenditur, doctrina et instructione omnino vacui revertantur; propterea S. A. C. statuimus et mandamus, quod, quicunque munus praedicandi verbum Dei susceperint, in singulis concionibus loco consuetae salutationis nihil aliud quam articulum aliquod doctrinae christianae aut divinae legis praeceptum, prout animarum necessitatibus utilius esse censuerint, stylo simplici, plano et
b aperto tradant et explicent. Inobedientes vero coerceant Ordinarii canonicis remediis, non solum sublata ipsis irremissibiliter praedicandi facultate, sed ecclesiasticis etiam censuris, ubi opus fuerit, pro modo culpae intentatis et inflictis.

* In tertia decima et ultima sessione Concilium censuit, B. Vincentii a Paulo canonizationem a SS. Domino esse petendam.
Haec Synodus multa quoque de subsidio et immunitate tractavit.

CONCILIUM TARRACONENSE

per Illustrissimum et Reverendissimum D. D. Petrum Copons, Archiep. Tarrac., anno 1738. celebratum.

De abusibus in musica corrigendis et a Templo Dei eliminandis.

1. Dolentes maxime, musicos concentus, qui ad infirmioris populi devotionem fulciendam ac sublevandam in christianorum templis admissi sunt, hac nostra tempestate ad lasciviam potius quam ad pietatem allicere (abjecta quippe veteri illa ecclesiastici cantus gravitate ac simplicitate, musici frequentius jam profanos (ne dicamus minus pudicos) modulos, theatricam lasciviam feminarum melodia aemulantes et redolentes, divinis laudibus inspergunt, quibus fidelium mentes ad terrena magis et illicita quam ad coelestia desideria provocari et excitari dignoscuntur; nec verentur divinam illam majestatem, quam videntes Angeli contremiscunt; nec debitus defertur honor, quinimo spernitur locus, ubi sacratissimus Christi sanguis calice libatur, ubi venerabile corpus sub specierum velamine fidei oculis cernitur): eapropter hujusmodi perniciosos abusus, ne in dies inolescant, resecare ac procul eliminare volentes, S. A. C. mandamus et stricte inhibemus, ne deinceps in Cathedralibus, Collegiatis ceterisque ecclesiis, etiam regularium, praesertim infra missarum solemnia, et quando augustissimum Eucharistiae sacramentum fidelium venerationi expositum fuerit, scholae cantorum Magistri, Organistae aliique Musici omnes lasciva illa aut minus decora et non gravi et simplici musica in cantu et organo aliisve instrumentis musicis utantur; ipsisque dumtaxat hymnos, psalmorum versiculos aut alia pia cantica in lingua latina (non autem nisi de licentia Ordinarii in vernacula) gravitatem et devotionem redolentia permittimus, quin prop-
c terea in missis solemnibus (uti Conciliorum decretis cautum est) intermittatur cantus hymni angelici, Symboli apostolici, Praefationis, Orationis Dominicae et ceterorum, quae in eis cantanda erunt secundum ritus ecclesiasticos. Qui vero secus fecerint, poena viginti librarum aut aliis poenis, adhibitis etiam (si opus fuerit) censuris ecclesiasticis, Ordinariorum arbitrio severe cohibeantur et corrigantur.

Reverentia, devotio et integritas in horis canonicis persolvendis et officiis divinis peragendis commendatur.

2. Cum nihil frequentius inculcatum et strictius per Concilia et P. P. commendatum offendamus, quam quod clerici officium divinum studiose persolvant ac devote peragant: animadvertentes, plerosque ecclesia-
d sticorum sui muneris et salutis immemores, non solum quando privatim recitant, sed etiam (quod magis dolendum) in choro publice recitantes aut psallentes, divino officio, immo Deo ipsi irreverentiam et injuriam irrogare, nec suo rite muneri et oneri, confusa et praecipitata pronuntiatione et modulatione, satisfacere: praecipimus et sub tremendi judicis strictione [1] mandamus, quatenus Dignitates, Canonici, Beneficiati caeterique clerici divinum officium non cursim et festinanter syncopando percurrant, sed tractim, clare, distincte ac devote recitando vel psallendo persolvant, cum debita videlicet morula in medio cujuslibet versiculi et sine confusione et permixtione finis unius cum principio alterius versiculi subsequentis. Contravenientes autem

---

[1] * Fortasse *judicii districtione*.

poenis pro delicti [et] excessus qualitate compescendos fore decernimus.

Et quia officii divini in choro integre psallendi et recitandi pensui et oneri minime satisfieri certius putamus, nisi psalmorum, canticorum et hymnorum versiculi, qui alternatim organo canuntur in choro, clare et distincte, ut ab omnibus audiri et intelligi facile possint, pronuncientur: idcirco eos, quibus chori ecclesiarum cura committitur, in Domino exhortamur, quod duobus vel saltem uni ex adstantibus ad faldistorium injungant, quatenus versiculos illos, quos organum cantat, alta, distincta et devota voce pronuncient, ut omnes choro interessentes eos percipiant et intelligant.

Praeterea cum clericos, in sortem Domini vocatos, ut sint sanctitatis domus Dei zelatores et religiosi cultus ministri, potissimum deceat, populum aedificare, non autem interturbare, distrahere aut in ullo offendere, quod plurimis synodalibus constitutionibus eis injunctum est, inculcantes, stricte praecipimus et prohibemus, ne videlicet, maxime dum officia divina in ecclesia celebrantur, sive intra sive extra chorum, interesse [......] [1] aut cum saecularibus multoque minus cum mulieribus mussitent, perstrepant aut colloquantur, sive risus aut vana quaelibet intermisceant, sive per ecclesiam aut ecclesiarum atria et claustra deambulantes vel prae foribus ad ostia stantes, adstantium fidelium oculos offendant, et piorum mentes distrahant. Alioquin similes fient sceleratis illis sacerdotibus, filiis Heli, quos reprehendit Scriptura Sacra, qui homines a sacrificiis Domini retrahebant.

Prohibemus insuper sub poena decem librarum aut aliis ad arbitrium Ordinariorum, fieri spectacula aut ludicra quaecumque risum excitantia et officia divina strepitibus perturbantia, necnon vanos ludos et larvas, in quibus pueri, adolescentes aut quicumque alii personas sacras vel religiosas per jocum imitantur, aut quandoque ad hoc (quod summum nefas est) religiosis sacris aut ecclesiasticis ornamentis et vestibus vel etiam ritibus abutuntur, in ecclesiis etiam regularium in diebus Natalis Domini, SS. Innocentium aut aliis, [ne] quovis praetextu fiant per annum. Hujusmodi igitur et quae in praemissis superius constitutionibus circa cantum et reverentiam in officio et in templo statuta sunt, S. A. C. sancimus, inhaerentes et renovantes constitutionem Provincialem, quae incipit: *Sicut in quibusdam ecclesiis.* Tit. XXIV. Cap. 18., et aliam, quae incipit: *Cum scriptum sit.* Tit. XXXI. Cap. 11.

Indulgentiarum extensio et doctrinae Christianae tradendae apostolica instructio exponuntur.

3. Tanti momenti semper in ecclesia Catholica visus est frequens usus catechismi seu instructionis fidelium in doctrinae Christianae rudimentis, ut cum iteratis decretis Summi Pontifices et Concilia inculcent

a et animarum praecipue pastoribus intiment et, ut ad frequentiorem usum devotos alliciant, tardos ignavosque et oscitantes provocent et stimulent, plures gratias et favores apostolica benignitate concesserint. Praeter illa autem, quae super id in Concilio Tridentino aliisque etiam Tarraconensibus et nuper in celebrato anno Domini 1727. Constitutione secunda pluriumque Summorum Pontificum decretis stabilita sunt, nuperrime SS. D. N. Clemens XII. per suas litteras in forma Brevis expeditas 16. Maji 1736., quae incipiunt: *Pastoralis officii,* omnes gratias et indulgentias a se suisque Praedecessoribus concessas et confirmatas catechismum seu doctrinam christianam sive pueros sive adultos docentibus aut hujusmodi pio exercitio inter-
b essentibus, specialiter vero, quas eisdem adultis in Urbe et universa Italia per litteras in pari forma Brevis die 27. Junii 1735. idem SS. D. N. concesserat, videlicet: septem annos et totidem quadragenas relaxationis de poenitentiis injunctis aut quoquomodo debitis, si vere poenitentes, confessi et sacra communione refecti, quacumque vice id agant, (†si) pio catechismi exercitio devote intervenerint; et similiter contritis, confessis et sacra communione refectis ac pro christianorum Principum concordia et Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effundentibus in Nativitatis Domini nostri J. C., Paschatis resurrectionis et S. S. Apostolorum Petri et Pauli festis diebus plenariam omnium peccatorum suorum indul-
c gentiam et remissionem, ad universos Christi fideles adultos, ubicumque locorum nunc et pro tempore existentes, extendit et ampliat. Cum autem in eodem praefato Brevi, quod una cum quibusdam litteris encyclicis ejusdem D. N. jussu ad omnes Archiepiscopos et Episcopos per suum in istis Hispaniarum regnis Nuntium transmissum est, Sanctitas sua confirmet etiam et extendat amplietque diversas ordinationes, a Romanis Pontificibus ad promovendum hocce pium Catechismi opus et exercitium editas, et a se per edictum die 15. Novembr. 1730. confirmatas et ampliatas: praeter alia, quae locorum Ordinariis juxta cujusque dignitatis (f. Dioecesis) rerumque opportunitatem ad mentem Summi Pontificis ordinanda et disponenda relinquimus, S. A. C. sequentia ex iisdem, quae in
d Apostolicis instructionibus continentur, maxime commendamus et diligenter ac inviolabiliter observanda proponimus, nempe:

QUOAD CLERICOS, ut nullus in posterum ad examen pro suscipiendis ordinibus vel ad beneficia obtinenda, nullusque Sacerdos pro confessionibus suscipiendis admittatur, qui ceteras inter testimoniales litteras illas quoque non exhibeat frequentioris accessus ad catecheses et spirituales congressus, in quibus sese gesserint laudabiliter;

ET QUOAD LAICOS, ut nullus ad confirmationis sacramentum suscipiatur, nullaque puella in monasterium sive profitendae religionis sive educationis gratia introducatur, nullaque cujusque sexus persona ad cele-

[1] * Verbum aliquod excidit, fortasse *negligant.*

brandum Matrimonium approbetur, quin antea proprii Parochi litteris constet (vel eidem Parocho alias constiterit), hujusmodi personas esse apprime in rudimentis christianae religionis instructas.

CONCILIUM TARRACONENSE

Anni 1752.

Constitutiones Concilii provinc. D. Petri Copons, Archiep. Tarrac., 1752.

Quam sancta sancte sint tractanda, innotescit satis ex sacrorum canonum Conciliorumque provincialium piis sanctionibus et decretis, quibus cautum habetur, et templorum januas ad signum salutationis angelicae esse claudendas, nec praetextu aliquo ultra id tempus (praeterquam ex ecclesiae instituto vel Ordinariorum consensu) functiones sacras esse peragendas, nec pariter musicum chori concentum, theatri stylum saepe redolentem, ullatenus admittendum, sed omnino ab ecclesia sancta Dei ut indecorum et minus licitum eliminandum fore.

Ab his tam prudenter salubriterque statutis ob malam temporum tempestatem non modicum deviari comperimus, utpote verum Dei cultum in dies diminui animarumque perniciem compertum est adaugeri. Constat enim, ultra musicae profanae inconvenientia, quamplurima alia et quidem majora oriri scandala et irreverentias ex nocturnis congressibus in dictis ecclesiis, occasione nacta ex cantionibus (quae vulgo dicuntur oratorios). Qua de causa, umbra protegente in via, et turba juvenum tumultuarie et indevote in ecclesia assistente, inter utrumque sexum confabulationes varias, suspiciosa signa, risus immodicos et contrectationes (pluries patente Sanctissimo et venerabili Sacramento) factitari cognovimus.

Quapropter memorata renovantes decreta simulque in omnibus confirmantes, S. A. C. statuimus et ordinamus, ut de cetero nullus cantorum chorus in quibusvis tam regularium quam saecularium, etiam cathedralium ecclesiis, claustris atque sacellis cantica aliqua theatrali modulo composita concinere audeat vel praesumat.

Addentes insuper et stricte praecipientes, ut ea musicalia cantica (vulgo oratorios) sive quaecunque aliae sacrae functiones quantumvis ritibus ecclesiae accommodatis post signum angelicae salutationis lucisque occasum non valeant deinceps prosequi et exerceri. Locorumque Ordinarios in Domino hortamur, ut domus Dei sanctitudinem commissarumque sibi ovium salutem, hujus tam salubris statuti observantiam promovere non desistant, inobedientes poena pecuniaria mulctent ac, si opus fuerit, censuris ecclesiasticis percutere non vereantur.

Alia constitutio.

Cum ex frequenti SS. Eucharistiae sacramenti expositione decrescat potius quam accrescat reverentia, ut experientia didicimus longa: ideo praecipimus et sancimus, ut in posterum non exponatur publice praeterquam in diebus patroni cujusvis ecclesiae (si libuerit) sive ob alias causas gravissimas per Episcopi discretionem et praevidendas et approbandas: qui etiam de modo, die et tempore, quo aliquae virorum congregationes, sicut est schola Christi, vel aliae ecclesiasticorum seu saecularium in suis utuntur oratoriis, cognoscere et judicare teneantur.

Alia.

Quoniam modestia et reverentia in templis magis quam ad saeculares spectat ad ecclesiasticos: eapropter stabilimus, ut clerici nec in ecclesiarum choro pileos (papelinas dictos), nec aliud capitis cooperculum deferant praeter id, quod vocatur Solideo; quo unice intra ecclesiam permissis horis, temporibus et officiis uti libere valeant.

Alia.

Ex praeinsertis pariformiter sequitur, clericos, sacris maxime initiatos ordinibus, tempore signanter celebrationis ob stupendo sacrificio [1] seu emendicata caesarie (vulgo pelucas ó peluquines) posse cooperiri, sicut praesenti constitutione stabilimus sub poena in contravenientes suspensionis a missae celebratione per duos menses. Sacristae similiter, qui personis hujusmodi necessaria ad missam ministraverint, ad arbitrium Episcopi sine dilatione mulctentur.

[1] Locus mendosus est; videtur scribendum: ob stupendum sacrificium non capillamento adscititio seu.

APPENDIX.

* Comitia cleri Gallicani a. 1681. et 1682. Parisiis habita.

Actis et decretis Conciliorum nonnulla visum est adjicere a de comitiis cleri Gallicani (a. 1681. et 1682.) eorumque notissima declaratione, quae, etsi nullius auctoritatis, tamen, si eventus spectes, eam habuit vim, ut silentio praetermitti haudquaquam possit. Sed prius ad rem pertinere videtur, pauca praefari, quae tum declarationem Gallicanam, tum documenta a nobis proferenda magis illustrent. Primum igitur exponemus, quae illorum comitiorum declarationisque causae fuerint, sive remotae sive proximae; deinde, qua ratione, causis illis concurrentibus, ipsa declaratio praeparata sit ac tandem edita, temporum ordinem secuti disseremus.

I. Comitiorum et declarationis causae.

1. Lis de regalia ejusque magnitudo.

Comitiis a. 1682. celebrandis ansam dedit regalia, quae a Cardinali Coelestino Sfondrati definitur: *Jus et facultas, regibus concessa, fructus et proventus vacantis Episcopatus (cujus electio ad regem pertineat) percipiendi et beneficia ac praebendas curae* b *animarum expertes interim conferendi* [1]. Ecclesiarum Gallicarum aliae erant regaliae subjectae, aliae immunes; quam rerum conditionem Concilium Lugdunense alterum ita firmavit, ut, excommunicationis poena proposita, juri illi regio ecclesias liberas subjici vetaret. Hoc Concilii decretum saepius, ut se dabat occasio, perfringere tentavit potestas saecularis; donec Ludovicus XIV. annis 1673. et 1675. (d. 2. April.), edita declaratione, jura regalia ad omnes Galliae ecclesias extendit, tria constituens:

1. Omnes ecclesias, qua regis imperium patet, regaliae obnoxias esse, iis tantum exceptis, quae titulo oneroso libertatem redemissent.

2. Omnes cum Episcopos tum Archiepiscopos, qui deinceps promoverentur, post duos menses a juramento fidelitatis regi praestito obstrictos fore, ut hoc ipsum juramentum in acta regiae Parisiensis Camerae referri curent, petantque literas, quibus exspirasse finitamque regaliam oeconomo, qui vacanti ecclesiae praefuerat, insinuetur; id si omittant promoti, perinde ac vacante ecclesia, regaliam duraturam.

3. Episcopi vero et Archiepiscopi, jam tum promoti ac infulis c *potiti et quieta possessione fruentes, quique juramenta sua, ut praefatum est, libris Parisiensis Camerae Computorum inscribi non fecerant, nec literas obtinuerant sublatae regaliae, duobus mensibus post vulgatam hanc declarationem utrumque id praestent; aut si negligant, perinde ac vigente regalia, et Sede vacante, omnia beneficia, ab hujusmodi Episcopis conferri solita et alias regiae dispositionis futura, titulo regaliae impetratum iri* [2].

Neque vero regis voluntati clerus universus assensit; namque in provinciis Narbonensi et Tolosana, hucusque a regalia immunibus, Alectensis Episcopus ejusque amicus Apamiensis vehementer obstiterunt ac, ne injusto regis edicto obtemperare viderentur, negarunt, sacramentum se regi dicturos; clericos vero, quos ille in eorum ecclesias ex edicto suo immiserat, censuris ecclesiasticis cohibere tentarunt. Qui quum ad Metropolitanos, regi plus aequo indulgentes, appellarent, Alectensis et Apamiensis causam a. 1677. ad Sedem Apostolicam detulerunt. Haec prima fuit origo illius litis, quae diutinam inter SS. Pontificem et regem christianissimum pacem atque concordiam, non minus literis bonisque artibus quam religioni adeo faustam ac salutarem, miserum in modum turbavit [1]. Nam sicut Innocentius XI. pro ingenti, quo flagrabat, justitiae et ecclesiasticae libertatis studio aequissimam illorum Episcoporum causam acriter tuendam suscepit, ita Ludovicus XIV. ad regia, ut putabat, jura persequenda incredibili vehementia exarsit, ut demum, gliscente in dies dissensione, ad extrema proruperit. Quod profecto deplorare magis quam fuse commemorare lubet, quum immensa inde damna tum in rempublicam tum in Ecclesiam redundaverint. Atque hujusmodi quidem de beneficiis ecclesiasticis conferendis discordiae in omnibus ferme regnis illo tempore pullulabant, quum principes, maximam potentiam adepti, ipsi quoque Ecclesiae magis magisque dominari gestirent, Episcopi vero iis, quos videlicet ob regium nominandi jus haberent suae dignitatis auctores, amplificatores sperare possent, quorum etiam auxilio toties ad catholicam religionem tuendam uterentur, obsistere, quantum par erat, non auderent. Quo fiebat, ut Sedes Apostolica, invicta libertatis ecclesiasticae tutrix ac vindex, sola quodammodo eoque majore fortitudine et constantia temeritatem principum, velut certatim per id tempus Ecclesiae jura invadentium, reprimere cogeretur. Verum nusquam acrius certamen exstitit quam in Gallia, quum agitari coepit illa regaliae controversia. Neque, hujus rei causam si quaerimus, tantis excitandis motibus par fuit aut animus Innocentii XI., quoties pro justitia certabat, flecti nescius, aut ingenium Ludovici XIV., gloria et adulatione elatum majestatisque augendae supra modum appetens. Etenim *religiosissimus princeps*, ut verbis Clementis XI. utar, *mirifico zelo domus Dei semper exardescebat et Apostolicae Sedi tam addictus erat, ut indefesso studio propugnandis ejus judiciis adlaboraret* [2]. Qui igitur factum putabimus, ut pius rex tantam adversus S. Sedem procellam moverit? Sane multa erant, quae ejus animum pungerent iramque inflammarent.

2. Magistratuum et Senatus Parisiensis animus adversus S. Sedem.

Ac primum quidem plurimi Galliae magistratus, in primisque Parisienses, jam pridem adversus Apostolicam Sedem velut hereditarium quoddam gerebant odium [3]; et quum saecularem potestatem super omnia extollere cuperent, doctrinis Sedi Apostolicae ejusque potestatis plenitudini contrariis tenaciter adhaerebant. Cujus rei causae afferuntur vel illorum ambitio, ut, di-

---

[1] Sfondrati, Gallia vindicata, Dissert. I. (Ed. S. Galli 1702. p. 4.)

[2] Sfondrati, l. c. p. 30.

[1] S. Sedem praeclare defendit Cardinalis Sfondrati in libro supra laudato.

[2] Oratio in consistorio secreto d. 23. Sept. 1715. Opp. Clem. XI. Ed. Francofurt. I, 125. Cf. Picot, Mémoires pour servir à l'histoire ecclés. pendant le XVIII. siècle. II. édit. t. 1. p. LXXVI.

[3] Quod quum generatim de senatu Parisiensi judicium feramus, singulos tamen senatores, quod per se intelligitur, nobis in animo non est ejusdem adversus S. Sedem odii accusare. Nullo enim non tempore inter eos exstiterunt, qui optime de Ecclesia mererentur: veluti Guilelmus de Lamoignon, quem quidem unum loco omnium nomino, ex anno 1658. senatus Parisiensis princeps, omni virtutum Christianarum genere floruit; quamquam alioqui palam profitebatur, se esse et fore semper libertatum Galliae acerrimum defensorem.

minutis ac sublatis cleri privilegiis, suam ipsi auctoritatem augerent, vel invidia amplissimae Episcoporum jurisdictionis, vel studium et assiduus usus juris Romani, quippe quod principum dominationi magnopere faveret, vel denique adulatio ac regum gratiae aucupandae cupido. Sed de his, verane sint, nolumus inquirere diutius, quum de ipsa re inter omnes constet. Etenim jam inde a Philippi Pulchri temporibus, qui, ut se contra justa Bonifacii VIII. consilia et decreta tueretur, illorum maxime opera utebatur, perspici coeptum est, qui essent eorum sensus, quae studia; deinde magno illo schismate occidentali haec semina aucta et evoluta sunt; denique, quum diutinae de concilio Basileensi inter Pontificem et Galliae regem lites exarsissent, prodiit Caroli VII. sanctio pragmatica. Quae quamquam a Francisco I., concordatis cum Leone X. initis, abrogata est, tamen illorum magistratuum idem perstitit, qui fuerat, animus.

Doctrina igitur Gallicana mediis in discordiis inventa, ut principes magistratusque civiles sese adversus constitutiones munirent, quibus Sedes Apostolica quum jura Ecclesiae tum maxime libertatem tuebatur, eo potissimum spectabat, ut Apostolicae potestatis vim et actionem infringeret. Gallicani igitur *libertatem Ecclesiae in veterum canonum et antiquae consuetudinis observatione* posuerunt; hanc vero felicissimam libertatis conditionem ubique terrarum immoderato pontificiae auctoritatis usu constrictam atque oppressam, in una Gallia perstare integram; *hinc factum esse, ut Ecclesia Gallicana nomen libertatis usurparet, quum adversus nova SS. Pontificum decreta aut novos Episcoporum conatus*[1] ... *de antiquis canonibus et moribus exciperet;* regem porro, cui et sacri canones tuendi essent et magnae nationis gloria atque immunitas, nihil non agere debere, ut libertates illas a SS. Pontificum injuriis, quacunque posset ratione, defenderet ac sartas tectas conservaret. Cui malo scilicet quum alia excogitata sunt remedia, tum vero placetum regium, appellatio a Romano Pontifice ad Concilium universale, appellatio tanquam ab abusu; denique doctrinae illi suae, quae Conciliorum canonibus tantam tribuebat auctoritatem, quasi S. Sedes nihil prorsus in eos valeret, veluti pro fundamento quodam illud subjecerunt, Synodum oecumenicam Papa esse superiorem; unde efficiebant, SS. Pontificem, penes quem suprema potestas ecclesiastica non esset, ne in dogmaticis quidem constitutionibus edendis esse infallibilem, nisi Ecclesiae accessisset auctoritas. Verum quod jus Romano Pontifici detrahebant, hoc regi aliisque, qui regia auctoritate abutebantur, vindicabant, quasi isti homines laici canonum, quorum se custodes jactabant, atque adeo religionis universae summi essent interpretes et arbitri. Quid? quod eo usque licentiae progressi sunt, ut libertatum Gallicanarum nomen vel contra ipsos Tridentinos canones objicerent. Haec tamen doctrina, infelix discordiae fetus, regnante Ludovico XIII., qui pro sua pietate pacem et concordiam cum S. Sede summopere tuebatur, inter Galliae theologos magis magisque evanuit. Quae quum ita essent, illud accidit Gallicanis sane opportunum, quod praecipui e saecularibus consiliariis, quos, mortuo Cardinali Mazarino, Ludovicus XIV. sibi adscivit, eorum doctrinis plane se addixerant. Inter quos eminebat celeberrimus ille Joannes Baptista Colbert, quem Jacobus Benignus Bossuet verum Gallicanae declarationis a. 1682. editae auctorem appellare[2] non dubitavit. Idem Episcopus, cui mores actionesque amici Ministri plane perspectae erant, narrat, eundem hanc veluti normam civilis prudentiae constanter secutum esse, ut Sedis Apostolicae auctoritatem imminueret, sibique ita persuasisse, nisi rex et Pontifex inter se dissiderent, nunquam Gallicani dogmatis regnum posse stabiliri[3]. Ac ne forte videar dedita opera hujus viri famam obscurare velle, florebat ille quidem certe maxima ingenii laude, aerarium publicum egregie administrabat, literasque ac caeteras bonas artes summo studio fovebat, de religione idem aliis in rebus, haud sane male promeritus; in eo vero plurimum peccavit, quod laicus res Ecclesiae et sanctiores disciplinas ad se trahere ac meris humanae prudentiae rationibus regere est aggressus. Neque vero negotiis ecclesiasticis ita se immiscuit, ut solis reipublicae commodis serviret, suas suorumque utilitates negligeret, quippe in id magnopere intentus, ut pinguissima Ecclesiae beneficia consanguineis obtineret; neque eum puduit, quo maxime tempore regem contra S. Sedem ejusque divinam auctoritatem omni studio incitabat, Summum Pontificem adulationibus et pollicitationibus sollicitare, ut filio suo Archiepiscopatum Rotomagensem conferret[1]. Caeterum id suos augendi studium commune illi fuit cum collegis aliisque, ut quisque nobilitate, opibus aut publico munere in aula plurimum valebat; eoque fiebat, ut eaedem familiae summos et reipublicae et Ecclesiae magistratus adipiscerentur, atque ita regii Ministri inter Episcopos facile invenirent, qui coeptis suis contra Apostolicam Sedem suffragarentur et servile illud jugum, quod Ecclesiae Galliae parabatur, forti animo repellere non auderent. Neque haec solummodo, sed multo his majora incommoda ex importuna illa cupidine manarunt, qua regni optimates beneficiis ecclesiasticis conferendis se ingerebant. Vix enim quidquam Ecclesiae fieri potest perniciosius, quam si hujus divinae societatis dignitates et beneficia non pro cujusque merito, doctrina, virtute tribuantur, sed tanquam fortunae praemia per gratiam aut potentiam, ne dicam, per simoniacas artes, occupentur. Neque uno saepe, quamvis pinguissimo, beneficio explebatur cupiditas, sed plura cumulabat[2]. Mox ne beneficiis quidem saecularibus contenti saeculares, ut ditissima sibi monasteria nomine *commendae* traderentur, effecere; quanto cum damno regularis disciplinae, testantur, heu! tot florentissima coenobia, per hujusmodi abbatum incuriam miserum in modum collapsa[3].

Idem porro studium magistratus civiles impulit, ut regaliam in totum regnum propagare tam acriter contenderent. Et quia ambientium multitudini non sufficiebat beneficiorum copia, etiam illud excogitatum, ut clericis et laicis ex Ecclesiae reditibus annuae pensiones constituerentur[4]. Denique, ne quid ad malorum cumulum superesset, id moliebatur cupiditas et saepius perfecit, ut beneficia ecclesiastica veluti haereditario jure in gratiam juvenum consanguineorum resignarentur[5]. Atque utinam iidem illi proceres sola Ecclesiae bona concupivissent, neque libertatum Gallicanarum praetextu, quoties se casus obtulerat, ejusdem jurisdictionem sibi arrogassent, immunitates impugnassent![6] qua in re eo impudentiae venerunt, ut ipsi adeo theologi Gallicani de praeclaris hisce libertatibus, quasi totidem Ecclesiae servitutibus, acerbissime quererentur[7].

Scio equidem haec mala neque tum demum initium cepisse, quum Gallicani in aula Ludovici XIV. regnare coeperunt, neque eo tempore omnia palam erupisse, siquidem Ecclesia Gallica aetate illa et doctrina et virtute ita fulgebat, ut mala intestina aut magna ex parte reprimerentur, aut quodammodo obscurarentur. At jam tum ad arboris radicem haerebat pestis; nec fieri poterat, quin mox, juvante hominum malitia, serperet latius, pulcherrimaeque Ecclesiae florem ac vigorem corrumperet. Nam interea regii Ministri illuc omnes curas suas intendebant, ut Gallicanae libertates doctrinaeque, tanquam praecipua suorum adversus S. Sedem consiliorum adjumenta, vim ac robur legis assumerent, et tum a Parisiensi Facultate et Galliae clero probarentur, tum edictis regiis sancirentur. Quod eis quidem, ut postea dicemus, e sententia cessit, sed cum ingenti civilis etiam reipublicae damno, quum Ecclesia tam misere ab iis vexari, incolumi regno, nequaquam potuerit.

3. Jansenistae eorumque conjunctio cum magistratibus.

Quoniam vero ad theologiam perturbandam theologis opus erat, haud sane defuerunt magistratibus illis clerici, qui ad id operam suam conferre vellent, quique non vulgari quadam eruditione irretire doctos, populum obruere infinitis paene libellis,

---

[1] Petrus de Marca, de concordia sacerdotii et imperii l. 3. c. 1. n. 6. 7. Ipse haec quidem addidit: *vel etiam contra saecularis potestatis illicitam usurpationem;* quae tamen verba, quum in Gallicanorum ratione prorsus nugatoria esse viderentur, omittenda censuimus.

[2] Journal de Le Dieu. Paris, 1856. t. 1. p. 8.

[3] L. c.

[1] Gérin, Recherches historiques sur l'assemblée du clergé de France de 1682. Paris apud Lecoffre. p. 184; quem librum pretiosissimis documentis, e bibliothecis Parisiensibus erutis, refertum summopere commendamus. Pauca inde deprompsimus, quo magis ejus desiderium acueremus.

[2] Gérin p. 91. 92.

[3] Gérin p. 95. et seqq.

[4] Gérin p. 94. 100. 105. etc.

[5] Gérin p. 91. 92.

[6] Gérin p. 39.

[7] Nouveaux Opuscules de Fleury, II. édit. Paris 1818, pag. 166. et suivv.

optimum quemque inauditis dolis decipere, denique (quod haud parum intererat), quaesita ad speciem pietate, nobiles matronas et mulierum coenobia in suas partes trahere possent. Jansenistae enim, praeterquam quod horum principes ex senatoriis familiis oriundi erant, naturali veluti conjunctione cum Gallicanis sociabantur. Illorum enim haeresi toties a SS. Pontificibus damnata et a rege propemodum oppressa, in Gallicanis doctrinis contumaciae suae firmum praesidium, et, si quae turbae inter Pontificem et Regem concitarentur, in his tutum perfugium se habituros sperabant. Quae utriusque factionis conjunctio tum quidem manifestius apparuit, quum, defuncto Ludovico XIV., civiles magistratus Jansenianae factionis studium audacius prae se ferre coeperunt; sed jam antea saepe inter se conspiraverant. Ac, ne vanam criminationem hic proferre videamur, juvat singula paulo diligentius exponere. Quum Innocentius X. jam in eo esset, ut quinque propositiones Jansenii condemnaret, Sainte-Beuve doctori Saint-Amour, qui Romam venerat, ut judicium illud praepedire conaretur, haec scripsit: „Memento id, quod jam diu a me audisti, ab hac sententia (Romani Pontificis) pendere renovationem Richerianae doctrinae“ [1]. Quas minas paulo post, quum eorum causa perdita videretur, exsequuti sunt. Etenim, damnata jam saepius, ut supra dictum est, Janseniana haeresi, clerus Gallicus non solum Pontificis judicio plane assenserat, sed etiam in comitiis a. 1657. et 1660. habitis illud contra sectae fraudes remedium excogitaverat, ut omnes clerici, subscripta formula, se propositiones Jansenii in sensu auctoris sincere damnare profiterentur [2]. Quod et Sorbonica Facultas, nemine prorsus dissentiente, d. 2. Maji a. 1663. approbavit [3]. Jamque antea rex literis die 13. Aprilis a. 1661. datis omnes Episcopos hortatus erat, ut formulam subscribendam curarent. Itaque Summo Pontifice et clero et Facultate Sorbonica et rege inter se consentientibus, haeresis haud dubie ad interitum ruebat, nisi factio, suscitata rursus Gallicana controversia, desperatis rebus suis praesens auxilium quaesivisset [4]. Quod quidem eo facilius perficere potuit, quod tres primarii regis Ministri cum Gallicanis sentiebant, iidemque, ut regina salse dicebat, suum quisque Jansenistam sequebantur [5]. Nam J. B. Colbert Abbatis Amabilis de Bourseys, Michael le Tellier doctoris Nicolai Cocquelin, Hugo de Lyonne Joannis Gaudon consiliis plurimum utebatur. Utrique igitur, in omnem occasionem auctoritatis Apostolicae diminuendae intenti, conjunctis viribus, senatu Parisiensi imprimis juvante, bellum contra theologos Sedem Apostolicam defendentes eo successu gesserunt, ut Facultati theologicae Parisiensi, quamvis invitae, declarationem quandam, potestati Summi Pontificis detrahentem, (a. 1663.) extorquerent. Quae quum fusius postea nobis narranda sint, ad alia commemoranda transimus, ex quibus apparet inita Gallicanos inter et Jansenianos consiliorum societas. Quemadmodum enim Jansenianorum opera Gallicana doctrina repullulare atque altius se efferre coepit, ita regii Ministri Episcopis Jansenii factioni addictis omni ope patrocinati sunt, maximeque Alectensi, qui tum illarum partium ardentissimus fautor habebatur. Quum enim is a viris primariis suae dioecesis apud regem (a. 1664.) accusaretur, quod pastorale suum munus ex rigidis Jansenianae disciplinae placitis administraret (quam ob rem etiam paulo post ejus Rituale a Summo Pontifice damnatum fuit), cancellarius regius Michael le Tellier ejus causam ita acriter defendit, ut accusatio rejiceretur [6]. Sub idem fere tempus rex, ut Jansenianorum cavillationes adversus formulam a comitiis cleri propositam praecideret, petivit a Pontifice, ut ipse formulam hujusmodi constitueret omnibus subscribendam. Id ne fieret, regii Ministri nihil intentatum reliquerunt; sed frustra. Quumque rex piissimae matris impulsu [1] constitutionem Pontificiam toto regno promulgari (d. 29. Aprilis a. 1665.) jussisset [2], iidem coeperunt refractarios Episcopos acerrime tueri, ita ut et regis et Summi Pontificis contra eos eorumque scripta conatus eluserint. Quod, quia infra commodius exponetur, hic breviter attigisse sufficiat. Caeterum civiles magistratus, haud ignari, hanc sectam invisam esse regi, illo vivo eam aperte tueri minime sunt ausi; ac saepe etiam, ut eidem placerent, studium catholicae fidei, eo jactantius, quo minus sincere, prae se ferebant [3]. At rege mortuo, deposita cum metu simulatione, quae pectore antea presserant, liberrime, ut supra jam innuimus, protulerunt; ac tum demum palam se prodidit, quae inter utramque factionem intercedebat, necessitudo. Neque vero malum intra Galliam se continuit, sed in Austriam quoque et Etruriam pervasit, ubi Jansenianae et Gallicanae doctrinae, ex Febronio et Josepho II. inventis nominibus, tantopere invaluerunt.

In regaliae quidem negotio non omnes Yprensis Episcopi sectatores eorumque amici cum regiis Ministris conspirarunt. Plurimi enim Alectensis et Apamiensis causam amplexi sunt; alii, ut Episcopi Rotomagensis et Tornacensis atque doctor sorbonicus Cocquelin, regaliae acerrimi patroni fuerunt; in eo vero, causis diversis, omnes consensere, ut in pacem turbandam augendamque dissensionem incumberent. Neque haec ita dico, quasi omnes, qui Gallicanis vel Jansenianis opinionibus adhaerebant, consulto illas discordias sevisse aut aluisse putem; verum ea est magnarum factionum natura, id ingenium, ut, quum paucorum mente et consiliis agitentur, ad id, quod ducibus propositum atque perspectum est, coeco quidem saepe instinctu, sed nunquam fallente, contendant. Regaliae vero litem et coortas inde turbas Gallicanis Jansenianisque et profuisse maxime et optatissimas accidisse, cui dubium esse potest?

Nec tamen Jansenistae omnem eum fructum, quem sperabant, ex regaliae lite ceperunt. Nam quum Innocentius XI., fortitudine, qua Ludovico XIV. injuste saevienti resistebant, mirifice delectatus, eorum obedientiae erga S. Sedem sponsionibus minime diffideret, jam in spem adducebantur, fore ut SS. Pontificis *auctoritate Jansenianae haereseos phantasma, quo jam diu plurimi* in Gallia *ludificarentur, evanesceret; Jansenianae siquidem haereseos nomen prorsus jam vanum* esse *et inane*, quod *summo studio pertinax adversariorum factio et imperitus ac praeposterus nonnullorum zelus retinuerint; hac futili accusatione omnem instituendae Christianorum vitae et ad normam Evangelii componendae viam occludi; nec solum hujus ficticiae haereseos praetextu grassantem ubique morum corruptelam foveri, sed fidei quoque solidissima dogmata convelli* [4]. Innocentius vero XI., si regaliae injuriam non putabat ferendam, multo magis ab haeretica pravitate abhorrebat, tantumque abfuit, ut Jansenianam haeresim inane esse phantasma arbitraretur, ut crebris libellorum eidem faventium damnationibus, quid de ea sentiret, satis ostenderet [5].

Sed profuerit altius persequi occultas rationes et quasi radices, quibus inter se continebantur Jansenistarum et Gallicanorum factiones. Nam et alio modo quam conspiratione, neque tamen minus efficaci opera Gallicanorum adversus S. Sedem consilia juvere Janseniani. Ad quod declarandum lucem dabit haec doctrina, quam nemo prudens negaverit: fidem summae atque infallibilis Romani Pontificis auctoritatis ardentemque, quam in Sanctis miramur, Ecclesiae et Apostolicae Sedis caritatem [6]

---

[1] *Si le Jansénisme est condamné, ce sera une des choses les plus désavantageuses au saint-siége . . . . . Faites, s'il vous plait, réflexion sur cela et souvenez-vous que je vous ai mandé, il y a longtemps, que de cette décision dépendra le renouvellement du Richerisme en France.* Feller, Dictionnaire historique, v. *Richer.*

[2] D'Argentré, Collectio Judiciorum t. III. p. 288.

[3] D'Argentré, Collectio Judiciorum III, 86. 87.

[4] Mémoires du P. René Rapin, publiés par Léon Aubineau (Paris 1865), t. 3. p. 145. *On a su depuis par leur propre aveu (des Jansénistes) qu'ils avaient alors des traités tout prêts contre l'infallibilité, la seule ressource qui restât à ce party pour se soutenir dans le dernier penchant de sa ruine.*

[5] Rapin, Mémoires III, 193.

[6] Rapin, Mémoires III, 283—285.

---

[1] Rapin, Mémoires III, 292. 293. *Les gens du roi aigrirent encore d'avantage les affaires, d'une manière que la reine-mère fut obligée, par sa tendresse ordinaire à l'égard du Saint-Siége, d'employer ce qu'elle avait alors de crédit auprès du roy pour l'adoucir.*

[2] Edictum hoc reperitur in Collectione Judiciorum a Carolo d'Argentré edita t. III. p. 316. et seqq.

[3] Rapin, Mémoires III, 210.

[4] Haec Episcopi Alectensis verba ideo attulimus, quod pro more suo ea, quae amicus suus et factionis facile princeps, Antonius Arnaldus, sensit ac speravit, candide expressit. (Vide notam, quae sequitur.)

[5] Inter libros ab Innocentio XI. damnatos fuerunt Gallica N. T. versio Montibus Hannoniae edita, *la Défense de la discipline de Sens, Miroir de la piété Chrétienne.* Quod Arnaldus tam indigne tulit, ut amico Valloni (du Vaucel) Romae degenti scriberet: *Que faire à des gens qui sont prêts à condamner toutes sortes de vérités, sur la seule imagination, qu'il pourrait y avoir quelque chose de Bajanisme ou Jansénisme.* (Bérault-Bercastel, Histoire de l'Eglise l. 80.)

[6] Multa hujus caritatis documenta congessimus in libellum: *Stimme aus Maria-Laach* VIII, 14. et seqq.

arcte inter se cohaerere pariterque seu crescere seu minui. Nam qui eo erga Petri Sedem studio flagrat, ut cum S. Augustino Romano Pontifici dicere possit: *Frater meus, magno Tibi junctus affectu, se simul et me refudit animo Tuo, Teque mihi reportavit in suo*[1]: is profecto non dubitabit eidem assentire haec scribenti: *Quae ego respondeo, ad Tuam potissimum dirigere Sanctitatem non tam discenda quam examinanda et, ubi forsitan aliquid displicuerit, emendanda constitui*[2]; et: Roma *rescripta venerunt, causa finita est.*

Rursus, amore in Sedem Apost. exstincto, etiam fidem supremae ejus auctoritatis vacillare necesse est; id quod cumprimis in Jansenismi historia perspici potest. Nam ipse quidem Jansenius Auctoritatem Apostol. erroris immunem palam defendit idque prae se ferebat[3]; neque etiam Duvergier de Hauranne, verus sectae auctor, eandem visus est diffiteri. At postquam haeresis a Summis Pontificibus damnata fuit, Jansenistae, si minus ab initio expressis verbis, certe re ipsa et pervicacia sua Apostolicorum judiciorum auctoritatem negavere, non sine summa populi Christiani offensione. Mox, quod consequens erat, implacabili contra S. Sedem concepto odio, eodem alios, quam possunt plurimos, inflammare student incendiumque latissime propagare[4]. Simul per speciem religionis et severioris disciplinae avertunt populum a sacramentorum frequentia, sicque praecipuos fidei vivae, charitatis Catholicae, Christianae vitae fontes obstruunt. Quis deinde miretur, si ecclesia Gallica, quum per infinitos Jansenistarum dolos et magistratuum conspirationem virus illud evomere non posset, magis magisque in Gallicanas partes inclinare coeperit? Neque hoc tamen sine magnis perturbationibus fieri potuit. Incredibile enim erat penitusque insitum populi Gallici[5] erga religionem Catholicam et Sedem Apostolicam studium, ut sub finem saec. XVI. Parisienses fame et inauditis diuturni obsidii aerumnis conflictari et perire maluerint, quam haeretico et a SS. Pontifice rejecto principi se subdere. Sane haec tam incensa erga S. Sedem populi voluntas haudquaquam opportuna erat Gallicanis et grassantem errorem velut altus agger coërcebat. Sed Jansenistae interim obicem, quem semel amoliri non licebat, assidue carpere, paulatim labefacere; Apostolicam Sedem acri non minus, quam pertinaci conatu aggredi, saepe aperte, plerumque ita, ut Romani Pontificis modo vitam et mores, modo propinquos invidiosis fabulis et suspicionibus aspergerent, Pontificias Constitutiones veluti Congregationum, Curiae Romanae, praecipue Jesuitarum, spurios fetus traducerent. Neque a vero aberraverit, qui innumerabiles id genus libellos, ex eorum officinis emissos, cum gutta durissimam petram excavante comparaverit. Adde his ingentes in ipsa Ecclesia Gallica ab iis contra Sedem Apostolicam excitatos tumultus, fluctuum instar omnia miscentes turbantesque; quos rex quidem ab initio repressit, postea vero, exitiosa lite cum Rom. Pontifice ab hujus adversariis mota, quum jam Gallicanorum consiliis se tradidisset, tum demum hisce facile fuit, aggerem tam diu totque modis labefactatum perfringere, ut Gallicanus fluctus, sollertissima Meldensis manu moderatus, jam magis quieto et quasi fallente cursu Galliarum Ecclesias pervaderet. Sed jam tempus est, ea, ex quibus funestus ille eventus emersit, describere.

II. Qua ratione declaratio cleri Gallicani praeparata sit et tandem edita.

1. *Declaratio Facultatis theologicae Parisiensis de SS. Pontificis infallibilitate.*

Jam supra significavimus, firma inter SS. Pontificem et regem Christianissimum concordia vigente, Gallicanismum magis magisque in Galliae ecclesiis evanuisse. Idque non esse falsum, multa demonstrant. Nam Edmundus Richer, Sorbonae Syndicus, quum unus fere ex omnibus illius temporis theologis infallibilem SS. Pontificis auctoritatem impugnaret et Gallicanas tueretur opiniones, continuo a Synodis Senonensi et Aquensi[1] reprobatus, a Cardinali Richelieu punitus, tandem *omnem suam doctrinam* S. Sedi tanquam *infallibili veritatis judici* subjecerat[2]. Sub idem tempus comitia cleri a. 1626. successoribus S. Petri *infallibilitatem fidei* vindicarant. His similia Galliae Episcopi a. 1650. et 1653., datis ad Innoc. X. literis, testati fuerant. Denique, ut paucis absolvam, ipsi Gallicani amarissime querebantur, celeberrimam sorbonicam Facultatem[3], omnes Galliae monachos et regulares[4], imo universum populum iisdem *ultramontanis* opinionibus esse imbutum[5]. Ipse vero Ludovicus XIV. Sedem Apostolicam adeo venerabatur, ut nihil videretur habere antiquius, quam ut fidei definitiones a SS. Pontifice profectas, tanquam supremas ac certissimas veri regulas, servandas et exsequendas curaret[6], ejusque infallibilitatem disertissime asserere non dubitavit[7].

Tantam omnium ordinum ad infallibilitatem SS. Pontificis tuendam consensionem non sine summo dolore magistratus Gallicanis doctrinis imbuti intuebantur. Vix igitur Colbertus a Ludovico XIV. a. 1661. ad munus aerarii publici administrandi adscitus erat, cum ipse aliique Ministri, qui idem sentiebant, consilium Gallicanismi confirmandi maturandum rati, occasionem e rebus levissimis arripuerunt.

Scholasticus quidam Societatis Jesu in Parisiensi Collegio,

---

[1] Contra duas epist. Pelagii l. 1. c. 1. Opp. S. Aug. Ed. Bened. X, 411. B.

[2] L. c. c. 3. p. 413. A. tom. V. p. 645. D.

[3] P. Fr. X. de Ram., Oratio de laudibus, quibus veteres Lovaniensium Theologi efferri possunt. Lovanii a. 1847. pag. 72.

„Sed nec noster Jansenius Yprensis nomen suum in hoc laudabili nostrorum Majorum [qui infallibilem Romani Pontificis auctoritatem tuebantur] numero desiderari passus est. Etenim ipse, die 9. oct. 1617., pro prima ad gradum doctoralem responsione, in hac schola nostra, nedum coram tota Facultate Theologica, verum etiam tota Universitate Lovaniensi palam propugnavit *Theses Theologicas*, quarum titulus erat: *Quae sint Regulae fidei?* Inter propositiones, ex S. Scriptura praemitti solitas, una erat haec: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Matth. 16. Conclusio prima inter alia statuebat: *Regula nostrae Fidei est Verbum Dei, quod tamen externas Regulas non excludit.* Secunda conclusio inter alia sustinebat: *Externae Regulae* (Fidei) *sunt Pontifex, Concilia, Ecclesia.*

Tres igitur *externas Regulas fidei* palam asserebat Jansenius: nempe *Pontificem, Concilium, Ecclesiam.* Tum procedens ad primam externam Regulam Fidei sive ad Romanum Pontificem, sic doctrinaliter et indubitanter tradit: *„Romanus Pontifex Supremus est omnium de Religione controversiarum judex,* cujus judicium rectum, verum et *infallibile* est, cum Universae Ecclesiae aliquid sub anathemate tenendum definit.“ Ita *Jansenius* profecto non *Jansenista*, quippe catholicam et orthodoxam suorum Patrum et Majorum doctrinam constanter tuetur in hoc, quod judicium seu definitio Romani Pontificis Universam Ecclesiam, i. e. ex Cathedra Petri fidem et mores docentis, sit *Regula Fidei eaque recta, vera et infallibilis.*

Quo Romano Catholico dogmate in antecessum simul et semel evertit damnatum jam toties per Cathedram Petri seu Sedem Apostolicam *Jansenismum* et ex eo natum hodie *Quesnellianismum.*“

[4] Rapin, Mémoires III, 143. 191—194. et s. l.

[5] Rapin, Mémoires III, 193. *Cette hardiesse, que se donna le gazetier de France de se licencier à toutes les railleries qu'il fit des neveux de Sa Sainteté et du pape même fût mal reçue de tous les gens de bien de ce royaume, où le Saint-Siége a toujours été dans une singulière vénération.*

[1] Hardouin XI, 57. 58.

[2] Quae verba quum summopere S. Sedis adversariis displicerent, hi narraverunt, ea vi esse Richerio extorta, quod tamen optime refutat libellus periodicus, cui titulus: *Journal de Trévoux.* Jan. 1703.

[3] A. de Harlay, procurator generalis regis, id ingenue fatetur. Vide infra doc. XXII. n. 5.

[4] Fleury: *En France on ne trouvera guère de réguliers qui ne soient persuadés de l'infaillibilité; et non seulement les réligieux, mais les communautés de prêtres, quoique sans privilèges et soumis aux évêques, inclinent de ce coté comme plus favorable à la piété.* (Gérin 340.)

[5] Id vel invitus testatur Joannes Domat, procurator regius Claromontanus, Blasii Pascal amicus, qui ad A. de Harlay, procuratorem generalem haec d. 1. Martii 1673. scripsit:

Je crois, monseigneur, devoir ajouter qu'il est d'une conséquence extrême de réprimer cette entreprise. car je puis rendre ce témoignage que les réguliers et quelques ecclésiastiques de leur cabale ont tellement répandu cette doctrine de l'infaillibilité du Pape, ou dans les confessions, ou dans les entretiens, ou par d'autres voies qui ne viennent pas à notre connaissance et qu'il ne nous est pas possible de réprimer, qu'encore que les personnes intelligentes et particulièrement ceux qui sont instruits de l'arrêt et de la déclaration du roi (de 1663) sur cette matière qui sont en très-petit nombre, *aient été extrêmement scandalisés de ce sermon, le peuple et la pluralité des personnes même de condition qui ne sont pas instruites de ces matières ni des conséquences de cette doctrine contre l'autorité légitime de l'Eglise et contre l'intérêt du Roi et de l'Etat, se laissent persuader de cette infaillibilité, et je crois, monseigneur, en cette occasion, que* cette doctrine est devenue si commune, que non-seulement elle passe pour catholique, *mais que la doctrine contraire passe, dans l'esprit de ces personnes, pour une hérésie.* (Journal des savants, 1843. apud Gérin p. 342.)

[6] Lafitau, Histoire de la constitution *Unigenitus.* (Ed. Traject. I, 25. 289. 290. etc.)

[7] Vide ultimum documentum ad calcem hujus commentarii.

quod Claromontanum dicebatur, d. 12. Dec. a. 1661. de infallibilitate SS. Pontificis thesim defenderat[1]. Hanc Ministri, instinctu abbatis de Bourseys et doctoris Cocquelin, apud regem veluti conatum contra regiam majestatem criminantur; continuoque, velut signo dato, tota factio Jansenistica eadem rumoribus et libellis, non sine atrocissimis calumniis et odiosissimis interpretationibus, in vulgus spargit[2]. Neutri tamen multum profecerunt; neque Archiepiscopo de Marca difficile fuit, Ludovico XIV. persuadere, rejecta semel Summi Pontificis infallibilitate, constitutiones contra Jansenium editas infringi[3]. Visum est igitur opportunius tempus expectandum; quod mox casus obtulit. Nam rixa, quae Corsos inter et legati Gallici famulos non ita multo post (d. 20. Aug. a. 1662.) Romae exstitit, S. Sedis adversariis commodissimam praebuit occasionem regis populique animos in SS. Pontificem exacerbandi; et sane mirum est, quam avide non Janseniani solum, sed etiam aulici casum illum fortuitum in rem suam traxerint[4]. Vix ulla tum ephemeris edebatur Parisiis, quae non opprobriis in Rom. Pontificem ejusque propinquos referta esset, Ministris non conniventibus solum, sed etiam juvenili regis animo faces subjicientibus, quasi atroci violatus esset injuria, quam bello ulcisci oporteret[5]. Itaque, quum Principis animum magis magisque ab Alexandro VII. alienari intelligunt, hanc opportunitatem nacti, rursus bellum adversus Apostolicam auctoritatem aggrediuntur. Ansam dedere novae theses, quas baccalaureus Drouet de Villeneuve d. 19. Jan. 1663. in collegio sorbonico propugnandas suscepit[6]. Consulto ex iis expuncta fuerat doctrina de SS. Pontificis infallibilitate, idque tantummodo ab eo scriptum: „Christum S. Petrum ejusque successores summa supra Ecclesiam auctoritate donavisse et SS. Pontifices privilegia quibusdam ecclesiis sicut ecclesiae Gallicanae impertivisse, Concilia generalia denique admodum utilia esse, non tamen absolute necessaria.“ Nihilominus tamen hac sententiae bilem moverunt senatui Parisiensi, ad quem Jansenista quidam, doctor Thomas Fortin, eas puniendas detulerat. Frustra Sorbonae syndicus, Martinus Grandin, doctrinam catholicam thesibus contentam ab invidiosis criminationibus defendere conatus est. Senatus enim minime committendum putabat, ut tantam commoditatem rei gerendae negligeret, nihil se aulae, nihil „*triumviris*“[7] praesertim gratius facere posse existimans, quam si Gallicanae causae patronum se ac vindicem profiteretur[8]. Omnium vero in illo negotio studia superavit Dionysius Talon, advocatus generalis, qui SS. Pontificis infallibilitatem tanquam regis auctoritati et securitati, regni juribus, totius reipublicae bono inimicam, natamque provocandis subditorum seditionibus, prolixa ac violenta oratione in senatu insectatus, eo demum progressus est, ut, quicunque hujusmodi sententias tuerentur, eos velut perturbatores pacis et hostes reipublicae „extraordinariis poenis“ plectendos pronuntiaret. Ivit in hanc sententiam frequens senatus et 22. Jan. a. 1663., quale postulatum erat, decretum tulit[9], idque ut Facultas Sorbonica, quamvis invita, tabulis suis insereret, pervicit: „debere enim quemlibet regis subditum, si quid senatus edixisset, nulla disquisitione facta, obtemperare“[10]. Tanta Facultatis omnium longe nobilissimae con-

a tumelia „in furorem actus“ fertur ipse Bossuetus, nec caeteros doctores plerosque, in primis regulares, minus commovit indignitas rei et senatus arrogantia[1]. Sed mox idem alia ex thesi similis argumenti novam quaesivit factioni suae lauream. Cisterciensis quidam monachus, Laurentius de Plantes, in Collegio Bernardinorum doctrinam catholicam, SS. Pontificem in tota Ecclesia et in foro tam interno quam externo plenitudinem jurisdictionis obtinere, defenderat[2]. Hanc thesim Dionysius Talon ad senatum detulit, ut recenti ipsius decreto contrariam. Itaque syndicus Facultatis Sorbon. cum collegii rectoribus arcessitur. Ille excipit, se diu ante illud senatus consultum defensionem thesis permisisse, ostenditque, ipsum Joannem Gerson eandem jurisdictionis plenitudinem SS. Pontifici vindicasse; addunt collegii rectores, idem prorsus S. Bernardum, idem Concilium oecumenicum Florentinum docuisse. Verum advocatus generalis rationes vi ac minis excludit: „Capitale esse, talia defendere, nefariumque contra regiam auctoritatem facinus; hinc videlicet ortum illud infallibilitatis pontificiae portentum reipublicae exitiosum; proinde nullam nimiam esse poenam huic pesti opprimendae.“[3] b His dictis postulavit, ut senatus syndicum, qui talia permisisset, functione muneris interdiceret. Non abnuit senatus, spe flectendae ad suum arbitrium Facultatis. Neque ea spes fefellit: suspensa enim syndici auctoritate, intermitti publicas disputationes totumque studiorum cursum retardari necesse erat. Cui ut tanto incommodo mederentur, doctores quidam, injussu tamen, ut videtur[4], ipsius Facultatis, cum regiis Ministris consenserunt, ut declarationem de doctrina Sorbonae ederent. Haec declaratio ad celebriorem illam prolusit cleri Gallicani, quam in ea velut primis lineis informatam agnosceres, quamquam ipsam SS. Pontificis infallibilitatem non diserte negabat; Ministris vero, et curiae regiae, ad quam cum Parisiensi Archiepiscopo designato missi erant, qui eam deferrent, vehementer probata est. Quae quum in comitiis Facultatis extraordinariis die 11. Maji a. 1663. habitis relata essent, *praedicta omnia, ab Illustrissimo Parisiensi Archiepiscopo designato nomine Facultatis apud regem christianissimum acta, omnes et singuli magistri approbasse* dicuntur[5]. Nihilominus multum abfuit, ut haec totius Facultatis consensu agerentur. Magistri enim metu et minis coacti tacuec runt; quorum silentium ii, quibus nihil pensi erat, fallaciter interpretati sunt, quasi Facultas ipsa declarationem approbasset[6]. Illud certe constat, nec de sex illis articulis ullam ex more deliberationem esse factam, neque ullum Sorbonae professorem, ne eorum quidem, quos annua pensione affecit Colbertus, repertum fuisse, qui eosdem ante annum 1682. docere auderet[7].

---

[1] Rapin III, 139—144.

[2] Rapin l. c.

[3] Rapin III, 144: *C'étoit le sentiment de Pierre de Marca, archevêque de Toulouse, le plus savant du clergé en ces matières-là; ayant été consulté à l'occasion de cette thèse, il répondit que, nier l'infaillibilité du pape pour les choses spirituelles, c'étoit se déclarer calviniste. Et il fut trouver le roy pour luy ôter ces frayeurs qu'on avoit voulu luy donner sur son État et sur le temporel de ces affaires par cette infaillibilité qui n'appartenoit qu'aux matières de foy; en quoy il n'entra pas dans le sentiment du Tellier, secrétaire d'État, son amy, parce que ce sentiment fut inspiré alors à celuy-ci par son fils l'abbé, cajolé par Cocquelin; mais ce que ce prélat se crut obligé de faire pour ne pas renverser ce que les deux papes avoient fait par leurs bulles contre le livre de Jansénius et ce qui avoit été réglé par les deux dernières assemblées du clergé pour le formulaire, qui ne pouvoit subsister si la thèse de Clermont étoit condamnée.*

[4] Gérin p. 4. et seqq. Rapin III, 145. et seqq.

[5] Gérin p. 10. 11.

[6] Rapin III, 195. et seqq. D'Argentré, Collectio judiciorum t. 3. p. 87—89. Gérin p. 17. et seqq.

[7] Ita nominantur Colbertus, Le Tellier et de Lyonne a Valeriano de Flavigny; vide infra pag. 803. a.

[8] Rapin III, 198.

[9] D'Argentré, Collectio judiciorum III, 89. Vide doc. I. n. 2. p. 814. b.

[10] Rapin III, 201. D'Argentré l. c.

[1] Gérin edidit memorialem cujusdam theologi Gallicani de iis, quae propter illas theses in comitiis Facultatis facta sunt, ex codice manuscripto Colberti, ubi inter alia haec leguntur: *MM. Bossuet, Leblond, Boust, Joisel et Blanger, de Sorbonne, sortirent de leur place avec fureur... Tous les professeurs de Sorbonne, sans exception, et les PP. Louvet et Hermaut, Bernardins ... parurent fort échauffés contre l'autorité du Parlement, et ... ils furent suivis de presque tous les moines.* (Gérin p. 26.)

[2] Gérin p. 32. Rapin III, 202. et seqq. D'Argentré III, 90. et seqq.

[3] Rapin III, 204. *L'avocat général Talon déclama avec sa vigueur ordinaire contre cette thèse ... qu'on ne pouvait apporter trop de sévérité pour arrêter le cours d'une si pernicieuse doctrine.*

d [4] Rapin III, 205. *On dit toutefois que ce n'était pas une députation dans les formes.* Id tamen diserte valde gnarus et verax auctor libelli, cui titulus: *Relation de ce qui s'est passé au sujet de l'enregistrement de l'édit du Roi sur la Déclaration de MM. du clergé de France*, quemque Gérin nuper ex codice manuscripto seminarii S. Sulpitii edidit (in appendice operis saepe laudati p. 522). Vide infra doc. II. p. 815. Plura reperies apud Bonix, de papa I, 607.

[5] Conclusio S. Facultatis Theologiae Parisiensis apud D'Argentré III, 91. Eandem relationem infra inter alia documenta dabimus p. 811.

[6] *Relatio* supra (not. 4.) laudata ex codice manuscripto seminarii S. Sulpitii identidem affirmat, nunquam propositiones illas deliberationi Facultatis esse subjectas, nedum ab eadem rite approbatas, fatetur tamen, quum professores ad regiam curiam missi, quae ibi facta erant, referrent, propter metum neminem obloqui ausum esse. Vide infra doc. II. p. 815.

[7] Achilles de Harlay, procurator generalis regis, in memoriali Colberto dato id expresse affirmat hisce verbis: *Les professeurs, excepté M. le syndic, y ont une si grande opposition, que ceux mêmes qui sont payés par le Roi n'ont pas voulu enseigner aucune des Propositions qui ont été présentées à Sa Majesté en 1663.* Gérin p. 369. Infra integrum locum dabimus (doc. XXII. 5).

Sed postquam senatus, syndico donata poena, declarationem actis consignavit, rex eandem, gravi addita poena, edicto sanxit[1]. Atque hinc demum, verius quam a Facultate, declarationis origo ac vis omnis repetenda est: nisi quod primi ejus auctores sine controversia fuerunt *„Regii Triumviri"*, Joan. Bapt. Colbert, Michael Le Tellier, Hugo de Lyonne, quibus in eo negotio senatus sponte obsecundavit, rex tum Pontifici iratus indulsit. Quae tam explorata fuerunt, ut Valerianus de Flavigny publicis in comitiis Facultatis rem veluti notissimam affirmare non dubitarit. *Sciunt omnes*, inquit, *qui Lutetiae degunt, aut qui curiose de iis, quae ibi peraguntur, inquirunt, Triumviros Regios omnia senatus consulta, quae ad asserenda jura regis Christianissimi et ejus regni pertinent, postulare et impetrare solitos esse; immo et eos postremum istud senatus consultum, quo theses, quas Dominus Syndicus parum prudenter et satis inconsulte subsignaverat, proscriptae sunt atque prohibitae, pro sui muneris officio revera postulasse et impetrasse.*[2]

Neque his contenti regii Ministri, ut Facultatem, quae sibi tam contumaciter restitisset, debilitarent, ejicere ex ea nitebantur „emissarios (sic enim ajebant), qui infallibilitatis pontificiae monstrum in Gallia peperissent." Crimen visum est bonis censoribus rursus petere ex thesi scholastica in Pictav. collegio S. J. defensa, curaruntque a senatu in usum revocari antiquatum decretum, quo cavebatur, „ne plures quam duo monachi ejusdem ordinis jus suffragii in Facultatis Parisiensis comitiis haberent, caeteri doctores in provincias mitterentur." Ita uno quasi ictu 170 doctores S. Sedi addictissimos suffragio privarunt[3]. Praeterea J. B. Colbert syllabum doctorum Facultatis Theologicae sibi confici jussit, in quo singulorum ingenia moresque, nominatim erga Romanam curiam quo essent animo, diligentissime adnotatum fuit, nimirum ut sciret, quos muneribus delenire, quibusve ad id, quo tendebat, uti posset[4]. Non enim ignorabat, quanta esset Facultatis Parisiensis quum in Gallia tum apud exteras nationes fama atque auctoritas; ideoque sibi ita persuaserat, non modo eam non prodesse reipublicae, sed nimirum nocere vel maxime, nisi potestati civili obnoxia teneretur; proinde etiam hunc in usum aerarii pecuniam bene ac fructuose erogari[5].

Sed Ministri, declaratione, de qua dictum est, non contenti, quippe qua initium tantum cogitato operi datum putarent, majus aliquid moliebantur, et quod Pontificiam auctoritatem majore ictu percelleret. Id vero, nisi per ingentem rerum turbationem, nullo modo effici posse sperabant. Ergo damnata interim (d. 25. Junii a. 1665.) ab Alexandro VII. Facultatis censura in libros Jacobi de Vernant et Amedaei Guimenaei, hanc provocandi belli ac dissidii causam cupide amplectuntur, Pontificiamque constitutionem ad senatus judicium deferre statuunt et haud dubie regis quoque iram commovissent, nisi pia hujus mater eorum conatum repressisset[6]. Hac spe depulsis opportuniorem incepti persequendi occasionem attulit regaliae lis, quae nondum penitus pacato Janseniano tumultu exorta, velut in paratam majorum turbarum materiam inciderat.

2. *De Nicolao Pavillon, Episcopo Alectensi.*

Porro turbas quam facile fuerit alere atque augere, nemini erit obscurum, qui modo ad Antistites, per quos ea lis mota est, respexerit. Quod nobis eo diligentius faciendum putamus, quod etiam ab optimis auctoribus neglectum fuit. Nec refert, quod iidem illi Antistites brevi post exortos motus e vita discesserint; nam semel conflatum incendium vi sua quodammodo ac natura in immensum crevit, neque, extinctis primis ejus quasi facibus, continuo potuit extingui. Illud igitur potissimum nobis inquirendum videtur, qui potuerit tanta discordiae flamma regem inter et Antistites excitari.

Alia vero causa magis nos impulit, ut turbas ab Alectensi vel ejus causa excitatas hic persequeremur; sic enim ea, quae supra de intima Gallicanismi et Jansenismi necessitudine attigimus, non parum confirmabuntur.

Nicolaus Pavillon, Episcopus Alectensis, natura austerus ac rigidus, suopte ingenio in duriores Jansenii inclinabat sententias, solitus alioquin, quod semel imbibisset, constantissime retinere[1]; eodemque vicinum Antistitem impulerat, Franciscum de Caulet[2], qui ejus doctrinae et virtutis opinione captus prorsus ab ipsius nutu et arbitrio pendebat. Vix illi subdolae factionis artibus irretiti erant, quum falsa quadam veritatis et justitiae specie velut obcoecati, in apertam contumaciam ruere coeperunt, a qua nulla unquam ratione vel auctoritate revocari se passi sunt. Nam S. Vincentio a Paulo hortanti, ut ad SS. Pontificem cum aliis Episcopis de Jansenii propositionibus damnandis scriberent, minime obsecundarunt[3]. Abhorrebant vero maxime a consiliis sacerdotum S. J., quibuscum antea conjunctissime vixerant[4]. Nec summorum Pontificum judiciis, quibus Jansenianae propositiones in sensu auctoris damnatae fuerant, cum universo Galliae clero acquieverunt; sed ad paucorum se factiosorum societatem, qui haeresis suae damnationem infinitis tricis avertere nitebantur, palam adjunxerunt. Et quum rex hortatu comitiorum cleri Gallicani d. 29. Aprilis a. 1664. formulae subscriptione sinceram obedientiam Apostolicis constitutionibus praestari jussisset, Alectensis refragatus, etiam Ludovico XIV., ne se in res ecclesiasticas interponeret, scripsit[5]. Idem Jeremiae de Tressan, qui a rege missus erat, ut Antistitem ad subscribendam formulam perduceret, respondit, se principi, rem spiritualem praecipienti, non obediturum esse, ac potius paupertatem, exilium, mortem toleraturum; clericos vero omnes, qui formulam coram regio magistratu subscriberent, sacris interdixit[6]. Quin immo in ipsis literis, quibus principi pro magno sibi dato beneficio die 25. Aug. 1664. gratias agebat, eundem admonuit: ne contra haeresim, quae nulla esset, sed fingeretur, legibus suis saeviret; nullos esse in toto regno Jansenianos; quodsi etiam essent, non debuisse regem sine decretorio Ecclesiae judicio[7] poenas declaratione sua proponere; formulae subscriptionem a cleri Gallici comitiis et rege praescriptam in maximam Ecclesiae perturbationem et disciplinae ruinam esse versuram. His literis rex graviter offensus, eas divulgari vetuit; neque eo minus, spretis ejus minis, mox in vulgus editae sunt et latissime disseminatae; quam temeritatem ipse Parisiensis senatus summopere improbavit[8]. Verum Alectensis ultra est progressus. Quum enim SS. Pontifex, collaudata regis et totius cleri Gallici voluntate, similis formulae subscriptionem auctoritate Apostolica (d. 15. Febr. 1665.) omnibus et singulis ecclesiasticis injunxisset, eandemque rex denuo (d. 29. April. 1665.) lege sanxisset[9]: Alectensis et Apamiensis cum aliis duobus soli obedientiam detrectarunt, nec eos puduit, argutias illas „juris et facti", eludendis constitutionibus Apostolicis repertas, pastoralibus literis fideles palam

---

[1] D'Argentré III, 91. et seqq. Utrumque edictum in mantissa (doc. I. n. 2. 3. p. 813. 814.) edemus.

[2] D'Argentré III, 97. Id A. de Harlay quoque exploratum habuit, qui ipsi Colberto haec scribere non dubitavit: *Les docteurs firent leurs articles en 1663 par les soins que vous en prîtes.* Gérin p. 360. V. doc. XXII. n. 4.

[3] Rapin III, 206. Bouix, de papa I, 619.

[4] Syllabum hunc doctorum ex codice manuscripto Colberti (vol. 155. des Cinq cents Colbert: Bibliothèque impériale) edidit Gérin in appendice operis saepe a nobis laudati p. 481. et seqq.

[5] A. de Harlay plane, quod hac de re sensit, cancellario Le Tellier scripsit: *Cependant ce serait une grande consolation, si l'on voulait profiter de cette extrémité pour le service du Roi, en travaillant sérieusement à la réforme nécessaire de ce corps, pour le conserver en état de servir.* Gérin p. 359. Integrum locum reperies inter documenta (XXII, 4.) ad calcem hujus commentarii.

[6] Rapin III, 326—328. *Tout eût été gâté si les ministres eussent été les maîtres.*

[1] Rapin I, 369. III, 442. *Il est vrai, qu'il (Pavillon) alloit au bien assez sincèrement; mais l'austérité de son esprit le portoit toujours trop loin, sans examiner si le bien qu'il faisoit, étoit dans les règles, ce qu'il n'auroit pas toujours trouvé, le principe en étant gâté. Avec ses belles qualités le prélat, à ce qu'on peut juger, n'étoit guère capable de suivre conseil ni même d'entendre raison.*

[2] Rapin I, 369. Cf. Bérault-Bercastel, Histoire de l'église, livre 78. *Admirateur de M. d'Alet, dit le Ministre Jurieu tout en le comblant d'éloges* (Politique du clergé. Entretien 2.), *il ne faisait plus rien que par ses ordres et suivait en tout ses maximes. Aussi, de calomniateur non moins dénigré jusques-là par les Jansénistes que le Père Vincent de Paul, il fut* (après sa défection au parti) *tout à coup métamorphosé par eux en Saint à canoniser.* Apamiensis caeteroquin homo frugi erat et pius atque praesertim erga pauperes liberalis et benignus.

[3] Rapin I, 319.

[4] Rapin l. c. 367.

[5] Rapin III, 275.

[6] Rapin III, 277.

[7] Quasi solemnissimae SS. Pontificum constitutiones contra Jansenii haeresim editae non fuissent decretorium judicium!

[8] Rapin III, 286—291.

[9] D'Argentré, Collectio judiciorum III, 316—319.

a docere[1]. Frustra hasce literas tum rex tum SS. Pontifex damnarunt, frustra inter se consenserunt, ut judices ad puniendos rebelles Episcopos constituerentur, frustra, Alexandro VII. defuncto, ejus successor Clemens IX. idem tentavit: Alectensis et Apamiensis, nihil territi, quum ope potentium amicorum, quos in aula habebant, jam undeviginti Episcopos in suas partes pertraxissent, universam Ecclesiam Gallicam contra Sedem Apostolicam concitare aggressi sunt. Nam d. 25. Apr. 1668. omnes Galliae Episcopos datis literis sollicitarunt, ut defensionem suam, tanquam in communi causa, susciperent[2]: „quippe non modo privatam ipsorum injuriam agi, sed everti sacros canones, communem quandam ac naturalem aequitatem violari, denique Episcopalem dignitatem abjici ac despectui haberi.“ Inde post invidiosas Romanae ambitionis criminationes: „Ex vobis, inquiunt, quaerimus, utrum ad confirmandum errorem, labefactandam disciplinam, perturbandam Ecclesiam quidquam gravius fieri possit, quam si, nemine obsistente, nemine reclamante, adeo perniciosum exemplum toleraverimus, ut sex septemve Deputati Pontificii id nobis in crimen vertere audeant, quod, approbantibus viginti amplius Episcopis, puram ac simplicem formulae subscriptionem b abnuerimus.“

Talem Episcoporum pervicacem contumaciam eo minus tulit Ludovicus XIV., quod videbat, Jansenistarum artibus malum latius in dies manare. Jam Praesules illi viginti-unus ad eum literas dederant, quibus sententiam a SS. Pontifice collegis suis intentatam impedirent[3]. Regem enim obtestabantur, ut ejusmodi judicio obsisteret, quo canones libertatesque Gallicanae opprimerentur et Facultatis Parisiensis declaratio, edicto regio sancita, subverteretur. Quas literas quum rex rejecisset, Archiepiscopus Senonensis minari ausus est, nisi princeps viginti Episcopis morem gereret, se mox quadraginta in eandem secum sententiam adducturum. Eodem tempore Mauritius Le Tellier, cancellarii regii filius et Coadjutor Remensis, doctorem Gerbais impulit, ut dissertatione de causis majoribus edita SS. Pontificis potestatem Episcopos condemnandi et loco movendi impugnaret[4]. Adeo ipsum ordinem episcopalem discordia jam pervaserat; neque enim Jansenistae quidquam praetermiserant, ut plures Antistites causae suae conciliarent. Cujus rei tandem pertaesus rex senatui mandavit, ut Episcopos contra Ecclesiae et reipublicae c pacem et pro Janseniana doctrina agitare conventicula[5] vetaret, judices vero a SS. Pontifice jam constitutos convenire jussit, ut de eorum causa decernerent. Ita, jam imminente judicio, nec sane dubio eventu, nullum relinqui videbatur effugium, quum regii Ministri et amici Episcopi quatuor Praesules inducunt, ut aliquam reconciliationis viam cum SS. Pontifice ineant; atque hinc postremo exstitit illa pax, quae Clementis IX. dicitur. Quod quantis fallaciis ac fraudibus peractum sit, longum esset neque hujus loci enarrare; hoc tantum dicam, ex iis, quae de actis quatuor Episcoporum in suis Synodis per Galliam divulgabantur, regem intellexisse, se non minus quam Pontificem Episcoporum jurejurando miserrime esse delusum[6]; idque eo tulisse indignius, quod interventu Ministrorum prohibitus esset, quominus tantam suam et Pontificis contumeliam ulcisceretur.

Sed incidit rursus aliud, in quo Alectensis suam adversus S. Sedem contumaciam exercuit. Is enim rituale cum instructionibus, ab Antonio Arnaldo, Jansenistarum principe, recognitis, divulgaverat, quod Clemens IX. Papa die 9. Apr. a. 1668. constitutione „*Creditae nobis*“ damnavit, proposita excommuni- d cationis poena, si quis illud imprimere, apud se retinere aut usurpare auderet. Judicavit enim SS. Pontifex, in hoc rituali contineri *doctrinas quasdam et propositiones falsas, in praxi periculosas, erroneas et consuetudini in Ecclesia communiter receptae atque ecclesiasticis constitutionibus oppositas et repugnantes, quarum usu et lectione Christi fideles in jam damnatos errores sensim induci ac pravis opinionibus infici possent*[1]. Alectensis vero, spretis hisce literis, eundem librum, amicorum (etiam Apamiensis) approbationibus ornatum, iterum typis mandari jussit. In quo nescias, utrum magis mirere audaciam Alectensis an laudatorum ejus inverecundiam; vix enim credas, quibus modis Episcopi librum a S. Sede damnatum extollant. „Deum, inquiunt, ex toto corde laudamus, quod magno Praesuli consilium tam sanctas doctrinas edendi inspiraverit. Neque, quum Episcopi religionis Christianae doctores sint, cuiquam fas est, eorum doctrinae sese opponere, nisi in apertos errores inciderint vel Ecclesia illam reprobarit.“ Dein de contumaci Episcopo, ad quem officio movendum jam a S. Sede constituti fuerant judices, ea addunt, „quae S. Coelestinus quondam de incomparabili Augustino dixerat: Hunc nunquam sinistrae suspicionis saltem rumor aspersit.“ Denique affirmant, regulas Evangelii et canonum purissimas sanctissimasque in libro contineri, quare ejus lectionem satis se commendare non posse, idque testatum voluisse, ne veritas in injustitia detineretur.[2]

Hasce undetriginta Episcoporum literas, cum illa ab eodem Alectensi ejusque amicis conscripta epistola, referendas censuimus, ut argumento essent, quemadmodum supra demonstravimus, Jansenismum doctrinis S. Sedi inimicissimis turbulentisque factionibus viam aperuisse, qua Gallicanismus, utique cautius et moderatius, incederet. Alectensem vero eorum, quae in rituali edendo et approbando vel fecit vel permisit, adeo non poenituit, ut morti proximus, literis ad Innocentium XI. datis, ad istam amicorum commendationem provocaverit et Clementis IX. judicium, *ut sibi injuriosum et acerbum nimis, quo sanctissimis dogmatibus, in eo contentis, calumnia aspergeretur, vehementer deprecatus*, novum examen a SS. Pontifice postulaverit, obediturum se promittens, *dummodo* (id enim adjiciebat) *Sanctitas Sua per se oculos et animum advertere dignaretur:* quasi vero is, qui Apostolicas Clementis IX. literas in eadem ad Innocentium XI. data epistola tanquam Inquisitionis fetum improbaverat, non pari ratione Innocentii sententiam, si displicuisset, detrectare posset. Quam enim obedientiam exspectares ab eo, qui Constitutionem Apostolicam, qua liber et complures in eo propositiones gravissima censura damnabantur, non solum vivus sprevisset, sed jamjam moriturus velut injuriam et sanctissimorum dogmatum calumniam a se propulsaret? Verum satis de hac incredibili duorum Episcoporum per tot annos pertinacia[3], in qua vel maxime

[1] Bérault-Bercastel l. c. Alexander a S. Joanne de Cruce, Continuatio historiae eccl. Claudii Fleurii t. 39. p. 151. et seqq.

[2] Rapin III, 438. Bérault-Bercastel, Histoire de l'église, livre 79. Continuator Hist. eccl. Fleurii l. c. p. 296. Lafitau, Histoire de la Constitution *Unigenitus*, livre I. Dupin, Histoire ecclés. du XVII. siècle III, 106.

[3] Dupin, Histoire ecclés. du XVII. siècle III, 92. et seqq.

[4] Rapin III, 438.

[5] Dupin p. 101.

[6] Fuse omnia enarrant: Rapin III, 421. et seqq., Continuator Historiae eccles. Claudii Fleurii t. 39. p. 298. Acta illa Synodorum evulgavit Dupin, Histoire ecclés. du XVII. siècle III, 150—159. Vide quoque Lafiteau, évêque de Sisteron, Histoire de la Constitution *Unigenitus*, livre I. Bérault-Bercastel l. c. Hortig, Kirchengeschichte III, 824. Alzog, Kirchengeschichte § 365. Prolegomena hujus tomi Collectionis Lacensis p. 14.

[1] D'Argentré, Collectio judiciorum III, 335.

[2] Ut rei fere incredibilis fidem faciamus in documentorum silva ad calcem hujus commentarii ipsam approbationem et testis minime suspecti Dom. Prosperi Gueranger narrationem (n. III.) proferemus. Caeterum Alectensis ipse in literis mox afferendis et approbationis et *sanctissimorum*, quae in rituali continerentur, *dogmatum* mentionem fecit. Vide quoque Bérault-Bercastel, qui l. c. scribit: *La censure Pontificale ne fit aucune impression sur l'Évêque d'Alet; jusqu'à sa mort le rituel, fait pour accréditer la nouvelle doctrine, fut observé dans son diocèse.* Idem fere Feller (Dictionnaire histor. v. Pavillon). Picot ipse, qui caeteroqui Alectensem magnis laudibus celebrat, neque rem infitiari neque non magnopere reprehendere potuit: *Le Pape condamna ce livre par un décret du 9. avril 1668. Pavillon défendit son rituel par une ord., le fit imprimer de nouveau et y joignit les approbations de quelques Evêques ses amis. On trouva de l'affectation et une sorte de bravade dans cette impression.* (Biographie universelle, ancienne et moderne, v. Pavillon.)

[3] Hoc pessimum contumaciae adversus S. Sedem exemplum magnaeque, quae ab Episcopis Jansenismo faventibus excitabantur, turbae potius praeparabant regaliae litem, quam „Jesuitarum probabilismus“, ex quo tamen clarissimus vicarius generalis Apamiensis Cerle hujus discordiae originem repetere non dubitavit. Caeterum ejusdem viri declamationibus plerique contra Societatem Jesu commoti sunt, neque vero omnes errorem suum aut cognoverunt aut retractarunt aeque ac causae SS. Pontificum vindex, Cardinalis Sfondrati, cujus haec sunt verba:

„*Sed praesertim, quae in utroque libro (Regale Sacerdotium, Gallia vindicata) de Patribus Societatis dicta sunt, ea de aliquibus et particularibus tantum intelligi oportet, nulla autem ratione de toto Societatis corpore. Societatem enim ipsam quod attinet, tantum abest, eam Pontificiae auctoritati adversatam esse, ut potius dicendum sit, de tota Christiana Republica ipsaque Apostolica Sede optime et hactenus meritam esse, et in hac ipsa causa, quam prae manibus habemus, P. Tyrsum Gonzales, Societatis Generalem, egregium opus quatuor Propositionibus Parisiensibus profligandis adornasse typisque edidisse, quod tamen, ne in publicum prodiret, spes cum Gallo componendi effecit*; *ut taceam insigne aliud opus P. Nicolai*

causa constitit, cur Jansenianum illud ulcus, quum studiis SS. Pontificis et cleri et regis Christianissimi jam paene consanuisse videbatur, semper recrudesceret, neque ex Ecclesiae Gallicae corpore resecari unquam posset. Caeterum, qui haec omnia attente consideraverit, is facile perspiciet, regaliae certamen ab iis, quorum maxime intererat, ut supra ostendimus, Ecclesiam turbare, supra modum exasperari potuisse. Nam Alectensis, qui ipso naturae impetu, nescio quam fortitudinis gloriam summo cuique resistendi quaereret, tum demum praeclarum nactus est locum, quo illam animi vim, non injuste, ut antea, sed justissime, nec jam contra S. Sedem, sed approbante Pontifice, exprimeret. Tum quoque censuras ecclesiasticas adversariis infligere, id quod ipse praeprimis amabat [1], jure ac merito potuit. Quibus rebus, quam pronum fuerit regis animum adversus Alectensem ejusque amicum concitari, facilis conjectura est. Aegerrime enim ferebat potentissimus princeps, cui omnia ultro parere viderentur, se hos tantum Episcopos flectere nunquam potuisse incumbentemque ad exstirpandam Jansenii haeresim ab illis semper impeditum fuisse. Et quamvis praeterita aut condonasset aut dissimularet, nunc tamen, quum ad veteres offensiones illa recens, eaque acrior, accederet, quod in regaliae negotio, iidem rursus contra principis (ut putabat) personam ac jura insurgerent, majorem in modum ira inflammatus, dixisse fertur: *Illosne mihi semper obsistere? sed hominum machinationes tandem aliquando frangam.* Neque deerant, qui exasperatum ejus animum magis irritarent, eumque partim Jansenianorum odio, partim ulciscendae contumeliae et tuendae majestatis cupidine flagrantem, insuper adulationibus pravisque consiliis eo impellerent, ut, quod imperio exprimere non poterat, impetu eripere conaretur. Atque ita demum, alieno non minus vitio quam suo, in eandem abreptus est adversus S. Sedem contumaciae et temeritatis culpam, quam ipse in adversariis, nec immerito, tam indigne tulerat; quamquam tunc temporis de regis causa aliquanto mitius judicatum fuit. Illius enim aetatis id fuit ingenium, ut in absolutam principum dominationem inclinaret; nec proinde mirum videri debet, si talis vulgo animorum propensio in regaliae controversia Ludovico XIV. magnopere faverit, S. Sedi adversata fuerit. Non negamus quidem, vim ac saevitiam contra inermes sacerdotes dioecesis Apamiensis exercitam graviter tulisse catholicos; id vero multo magis, quod inventi essent Episcopi, qui hasce vexationes permitterent. Quin immo populus, ut solet de fortitudine ac libertate, quae episcopale fastigium decent, verissime judicare, quorumdam Praesulum servile adversus potentes obsequium et assiduam aulae consuetudinem non aequo animo videre poterat. Idem tamen de regaliae lite sic vulgo sentiebat, ut non tam ipsius per se causae aequitatem spectaret, quam vel principis, ut diximus, majestatem vel eorum, qui ipsi resisterent, indolem atque mores; Alectensem porro et Apamiensem, qui soli ex omnibus Episcopis regaliam

a detrectabant, sciebat haeresim perdite defendisse gravesque turbas adversus regem catholicae fidei studiosissimum saepius commovisse. Praeterea Ludovici XIV. ea erat omnium opinione potentia et magnitudo, ut ex Pontificis cum eo discidio pessima quaeque metuenda, ex concordia nihil non boni sperandum foret; proinde remittendum aliquid egregie merito principi nec summo jure cum ipso agendum videretur. Etiam illud addi potest: tanta in beneficiis conferendis incommoda ex regio nominandi jure complurium jam saeculorum usu per Galliam invaluisse [1], ut regalia duarum parvarum dioecesium (nam duo tantum Episcopi ad Pontificem appellaverant) minima videri posset accessio, hominesque talibus jam assuetos haud sane multum commotura esset patratae injuriae magnitudo; proinde non satis fortasse causae fuisse, cur Pontifex, caeteris praetermissis, hoc unum tam acriter urgeret. Haec tum aliaque in eam sententiam vulgo dicebantur; quae quidem, ut jam supra monui, si ad recti et justi normam exigantur, verisimilia magis fuere, quam vera. Decebat enim SS. Pontificem optimam ecclesiarum causam, ad se delatam et vi oppressam, non deserere ecclesiasticamque li-
b bertatem gravissime violatam tueri. Qua de re si quis ambigat, comparet, quaeso, inter se literas Innocentii XI. apostolico vigore plenissimas et quae tum a magistratibus Gallicis per vim ac violentiam facta sunt, intelligetque haud dubie, utra ex parte jus et ratio steterit. Sed nimirum illis temporibus, quum Ludovicus XIV. tanta ubique gloria exsplendesceret rerumque gestarum admiratione omnium veluti captos teneret animos [2], fieri non potuit, quin rationes, quas paulo ante retuli, supra quam nunc credi possit, vel apud prudentes valerent. E contrario, ut difficillimum est in certaminis ardore sibi temperare, multi S. Sedis amici studium Jansenistarum, Alectensem et Apamiensem maximis laudibus cumulantium, aemulari videbantur. Illud enim infausta lis tristissimum habuit, quod omnium quodammodo judicia perturbaret. Quis enim fieri potuisse crederet, ut in hac causa pertinaces adversarii S. Sedis jura tuerentur, impugnarent fervidi Apostolicarum constitutionum defensores. Quamquam ne sic quidem ad illam luctuosam declarationem ventum esset, nisi regii Ministri, in id potissimum intenti, ut rem Gallicanam adhuc vacillantem stabilirent, per occasionem quam maxime
c flagrantium discordiarum, regis potentia et auctoritate abusi, inter ipsos Antistites, qui consiliis suis et voluntati servirent, haud paucos reperissent.

3. Comitia Cleri Gallicani Parisiis a 1. Nov. a. 1681. usque ad 29. Junii a. 1682. celebrata.

Convocati sunt mense Martio a. 1681. Episcopi Parisiis vel in aula degentes in Archiepiscopi Parisiensis aedes, ubi numero quadraginta, Praeside eodem Antistite, consedere. Relatum est ad eos de variis controversiis, inter quas primum sibi vindicarunt locum regalia et epistolae hac super re ab Innocentio XI. ad regem scriptae. Nam SS. Pontifex, quum lis anno jam sexto agitaretur, nec binis literis (12. Mart. et 21. Sept. 1678.) ad regem datis quidquam esset responsum, tandem longioris morae impatiens, post paternam exhortationem severioribus eum verbis admonuerat, quibus S. Sedis adversarii abutebantur, ut regis animum irritarent: *Nos sane neque hoc negotium per literas amplius urgebimus, neque desides erimus in adhibendis remediis, quae*
d *traditae nobis divinitus potestati competunt, quaeque in tam gravi periculosoque morbo omittere sine gravissima neglecti Apostolici muneris culpa non possemus* [3]. Quae illi sic interpretabantur, quasi Pontifex regi excommunicationem, depositionem et nescio quae alia minaretur. Jam comitia a. 1680., Ministrorum utique hor-

---

Pallavicini Innocentio XI. dicatum. Ergo, ut dixi, quae ab aliquibus e Societate admissa sunt, in ipsam Societatem nulla ratione redundare possunt. Quamvis enim P. Cerle, magnus Apamiarum Vicarius, in Epistolis suis ad Pontificem Romanum datis aliqua recitet, quae ipsum Societatis Institutum notare videntur, crediderim haec illi (ut aliis quoque Sanctissimis Viris) calamitatum, quibus conflictabatur, [angustiis] ac ardore disputandi excidisse, quae pacato postea compositoque animo non scripta maluisset; cum alioqum et ex Sanctorum Pontificum Diplomatibus et rebus toto orbe praeclarissime gestis ipsaque experientia teste negari haud possit, Societatis institutum sanctissimum optimeque de Republica Christiana meritum esse hodieque mereri tot libris in omnibus scientiarum facultatibus eruditissime scriptis, tot peccatoribus ad Christianam vitam revocatis, tot sacris expeditionibus in remotissimas orbis plagas pro Religione susceptis." (Regale sacerdotium. Ed. III. p. 7.) *Quod ad P. La Chaise attinet, comitia cleri a. 1682. certissime eodem plane modo celebrata essent, etiamsi dissensisset. Facile enim Gallicani consilia confessariorum in aula Ludovici XIV. eluserunt.* (Rapin III, 210, 462. Journal de l'abbé Le Dieu I, 9.)

[1] Rapin III, 283. 284. *Sur la fin de l'année précédente il étoit arrivé à Paris un syndic de la noblesse de son diocèse, chargé de cahiers remplis de plusieurs chefs d'accusation contre luy .... représentant: 1. que ce prélat traitoit ses peuples depuis plusieurs années avec des rigueurs extrêmes .... qu'il y avoit eu plus d'interdits et plus d'excommunications en ce diocèse que dans le reste de l'église.* (*Cette accusation étoit vérifiée par le nom des personnes excommuniées ou interdites portées dans le Mémoire.*) .... *11. qu'il excommunioit pour avoir dansé modestement dans les places publiques .... 14. qu'il avoit fait exercer de grandes violences contre les particuliers pour avoir dit quelques paroles à double sens et d'autres causes légères jusqu'à les bannir.*

[1] Gérin p. 90. et seqq.

[2] Quantum Ludovicum XIV. aequales admirati sint, evidenter ex allocutione Clementis XI. die 23. Sept. 1715. habita elucet, ubi, morte illius regis audita, *splendidissimum aevi nostri lumen* et *potentissimum defensorem ac imperiterritum vindicem orthodoxae religionis* summis laudibus celebrat (Clemens XI. op. omnia. Ed. Francofurt. I, 123—126). Cfr. literas quoque ejusdem fere argumenti, quas idem SS. Pontifex post illius principis obitum Ludovico XV. ejusque tutori, Philippo duci Aurelianensi, scripsit (*Acerbissimum Christianae* d. d. 20. Sept. 1715. *Plurima profecto*, eodem die datas Clementis XI. epistolae. Romae 1729., p. 2087. et seqq.). Neque hoc fuisse vanum defuncti elogium, luculenter ea ostendunt, quae rege periculose aegrotante Romae facta sunt et a teste et spectatore, Episcopo Sistaricensi, narrantur. (Histoire de la Constitution *Unigenitus*, in fine libri II.)

[3] Doc. IV. p. 817.

tatu, hac de re ad regem literas dederant, in quibus multa erant de minis SS. Pontificis, multa de sua in principem fide [1]. Rursus igitur idem ulcus in regis animo refricant hujus anni comitia. Alia criminationum materia petita ex literis Innocentii super negotio monasterii Caronensis [2], quibus Archiepiscopi Parisiensis (quem comitiis praefuisse diximus) jura violata esse causabantur, quasi Pontifex, Archiepiscopo minime audito, rem decidere non debuisset. Eamdemque sententiam tulere de aliis literis, quas Innocentius in controversia Apamiensi de regalia contra Archiepiscopum Tolosanum scripserat. Porro utriusque Praesulis ita injustae erant causae, ut eas acriter defendere non auderent. Ergo modum, quo eas Pontifex diremerat, accusant et acerbas querelas actis suis inserunt, quae typis descripta in vulgus edi jubent. Aliud praeterea, quod ad Mauritium Le Tellier, Archiepiscopum Remensem et in comitiis causarum relatorem, proxime pertinebat, tractare aggrediuntur, notam dico a S. Sede inustam libro, quem ipse quondam a doctore Gerbais de causis majoribus concinnandum curaverat. Videbantur enim Ministri, quorum nutu gerebantur omnia, hos propriarum offensionum quasi stimulos Episcopis admovere, ut eorum animos contra S. Sedem concitarent communisque tum regis tum Episcoporum causa fieret. Tandem die secundo Maji censuerunt, supplicandum esse regi, ut componendi negotii gratia vel Concilium nationale vel comitia cleri Gallicani celebrari permitteret. Regi ac Ministris magis placuit haberi comitia. Nec mirum: nam ad Concilium nationale universi Episcopi erant convocandi, neque spes erat, omnes regiae cupiditati obtemperaturos. Ad comitia vero cleri (in his decerni mos erat, quantum pecuniae sublevandis reipublicae necessitatibus dono dari placeret) quaterni tantum e singulis provinciis, bini Episcopi totidemque sacerdotes, mitti solebant. Ministris autem promptum erat, efficere, ut ii dumtaxat, qui suis faverent inceptis, legerentur. Quod reapse contigit. Literis enim regio sigillo munitis ii sunt ab iisdem designati [3], quos scirent regi non refragaturos, propinqui, amici, homines faciles et ad obsequium parati. Itaque tres cum Colberto sanguine juncti, praeterea filius cancellarii Le Tellier, comitiis intererant; quibus praefuit Archiepiscopus Parisiensis, generalis apud senatum procuratoris frater. Ad haec, ex formula regiis literis praescripta, oratoribus provinciarum ejusmodi danda erant mandata, ut, quidquid ad regaliae causam finiendam necessarium judicarent, eorum arbitrio permitteretur [4].

Die igitur 9. Nov. 1681. oratores Parisiis convenere, et, referente Maur. Le Tellier, Archiepiscopo Remensi, regaliae jus in omnes regni ecclesias regi adjudicarunt, cum eo tamen, ne Beneficia, quae annexas haberent functiones ecclesiasticas, ab eo conferri possent, et idcirco, qui ad haec ministeria, Ecclesia vacante, vi regaliae nominarentur, institutionis et missionis causa Vicariis capitularibus se sistere deberent. Id rex concessit; tum, quae transacta fuerant, d. 22. Mart. insequentis anni edicto sanxit. Interea, comitia literis d. 3. Febr. 1682. ad SS. Pontificem datis ab eo petierunt [5], ut regaliae extensionem Aposto-
a lica auctoritate confirmaret. Innocentius XI. vero epistola *Paternae charitati* (d. 11. Apr. 1682.) eos, quam graviter Ecclesiam ejusque libertatem laesissent, severe admonuit [1].

Atque hoc demum tempus opportunum Colberto visum est ad destinatum opus semel perficiendum carissimasque sibi doctrinas episcopali auctoritate et civili lege firmandas; quod, quemadmodum jam saepe diximus, nisi apertae discordiae beneficio nunquam se effecturum vere existimabat. Res tum aliis tum maxime Bossueto odiosa videbatur [2]; at rex, instigante Colberto, jussit [3]; Episcopi paruerunt. Rursus quum Bossuetus auctor esset, ut quaestiones more Conciliorum mature expenderentur, obstitit regia curia, instandum occasioni rata nec moram ferens [4]. Ergo festinata deliberatione, famosi illi quatuor articuli a Bossueto, Gallicanorum, ut sibi visus est, vehementiam moderante, concinnati [5], vix uno Episcopo intercedente, 19. Mart. decernuntur et mox, rogatu comitiorum, regio edicto [6] omnibus in scholis publice tradi jubentur. Ita demum, quod plurimis portenti simile visum est, Episcopi pauci, contra quam et SS. Pon-
b tificem et caeteras omnes Ecclesias sentire non ignorarent, rem dogmaticam et aggressi sunt et definierunt et civili auctoritate sanciendam omnibusque tenendam decreverunt. Cujus rei indignitas usque eo manifesta erat, ut quum aliarum gentium [7] tum Gallicae publica vox [8] illorum Episcoporum vel arrogantiam vel mollitiem castigaret. Ipsa Sorbona male auspicato decreto comitiorum restitit, quamvis regii Ministri a viginti fere annis nobilissimam scholam ab *ultramontano fermento* purgare omni modo niterentur; idque procurator generalis A. de Harlay adeo non est miratus, ut etiam comitia declarationem suam, *si potuissent, statim revocatura* fuisse existimaret [9]. Inde per tres menses nihil non tentatum fuit, ut Facultas ad declarationem sponte approbandam adduceretur [10]; sed omnia incassum fuere, donec senatus scribam Sorbonae, ut comitiorum decretum et Regis edictum in Facultatis acta referret, d. 16. Jun. coëgit [11]. Quo facto, doctores octo d. 21. Jun. exilio multati sunt. Rex vero, quasi odiosae Declarationis pertaesus, d. 29. ejusdem mensis co-
c mitia literis regiis dissolvit. Neque ita multo post, Alexander VIII. morti proximus Apostolica constitutione comitiorum acta omnia cassa et irrita esse jussit [12], magno totius orbis catholici plausu. Denique ipse Rex, pace cum Innocentio XII. reconciliata, edictum, quo declarationem cleri sanxerat, et acta comitiorum ab Episcopis designatis, qui iisdem interfuerant, retractanda curavit [13]. Neque sic tamen satis occursum est invalescenti malo aut abolita Gallicanae doctrinae labes; neque enim aut clerus aut rex veri auctores declarationis fuerant, sed nimirum juris consulti et magistratus, ex Janseniana aut Gallicana disciplina egressi [14]; qui deinde, Ludovico XIV. rebus humanis erepto, majorem licentiam adepti, ad propagandam illam doctrinam, vel suae potestatis augendae vel principis adulandi studio, omni conatu incubuere. Quod vero ad Ludovicum XIV. pertinet, vix ullum alium principem hisce ultimis saeculis invenias, qui tam prompta obedientia constitutiones Apostolicas tanquam fidei regulam et susceperit ipse et civilibus legibus confirmarit; idque, jam vita excessurus, vehementer doluit, quod senatus
d Parisiensis bullam *Unigenitus*, ut nondum ab universa Ecclesia receptam, acceptare renuerat [15]. Praevidit enim prudens et religiosus princeps ingentes ab his initiis orituras procellas, fructusque declarationis amarissimos in ipsa morte gustavit.

---

[1] Doc. V. p. 819.

[2] In suburbio Parisiensi *Charonne* regis propinqua, ducissa Aurelianensis, domum Congregationis B. M. V. ordinis S. Augustini condiderat eique Magdalenam quamdam perpetuo praeesse voluerat. Id quidem concesserat Alexander VII., hac tamen lege, ut Magdalena defuncta, ex regulae praescripto tertio quoque anno antistita domui regendae eligeretur. Verum illa morte sublata, monialis ordinis S. Benedicti (cui nomen *de Querveno*) coenobio a rege praeficitur contra utriusque ordinis leges, quum neque ad laxiorem transire religionem neque ibi citra electionem regimen obtinere posset. Petivit quidem mulier a SS. Pontifice, ut sibi utriusque rei potestas fieret, sed frustra, nec multo post decessit. Nihilominus mox idem ab alia moniali ordinis Cisterciensium (*Angelica le Maitre*) tentatur, favente rege; quam Archiepiscopus quoque Parisiensis monasterio praeesse jubet, specie, ut domus collapsam rem familiarem restitueret. Verum ne ipsa quidem necessariam dispensationem a S. Sede impetrare potuit. Itaque quum jam a septennio haereret lis, magno disciplinae regularis damno, SS. Pontifex, cui nuntiatum est, monialem illam per vim et effractis foribus intrusam fuisse, nominationem ejus irritam esse declarat Matremque, quae more monasterio praeesset, eligi jubet.

[3] Doc. VI. p. 820. Plura reperies apud Gérin p. 115. et seqq.

[4] L. c. [5] Doc. VII. p. 821.

---

[1] Doc. VIII. [2] Doc. XVII. [3] L. c. doc. XVIII.

[4] Doc. XVII. [5] V. doc. IX. et X. [6] Doc. XI.

[7] Ad hanc veritatem illustrandam in documentorum collectione ad calcem hujus commentarii unius conventus Tyrnaviensis acta dabimus; plura congessit Bouix, de Papa II, 110. et seqq.

[8] Doc. XX. Quid Facultas theol. Duacensis de Gallicana declaratione senserit, ostendit doc. XXIV.

[9] Doc. XXII. n. 3. Cf. doc. XXI.

[10] Vide, quas hac de re inter se Colbert, Le Tellier et de Harlay literas dederunt, quarum ex libro Domini Gérin paucas huic commentario subjicimus (doc. XXII).

[11] Doc. XXIII. [12] Doc. XII. et XIII. [13] Doc. XIV. et XV.

[14] Sane Bossuetus Joannem B. Colbert verum declarationis auctorem nominat (doc. XIX. p. 840. c. d).

[15] Lafiteau, Histoire de la Constitution *Unigenitus*, in fine libri II.

DOCUMENTA AD COMITIA CLERI GALLICANI

a. 1682. pertinentia.

I.

Quae Carolus D'Argentré in opus, quod *Collectio judiciorum* inscribitur, de S. Facultatis Parisiensis declaratione a. 1663. retulit. (III, 89. seqq.)

Anno Domini 1663.

1. Conclusio Sacrae Facultatis Theologiae Parisiensis, qua nominantur Deputati, et jubentur confici sex articuli, quibus sua de suprema Regum potestate et Episcoporum auctoritate doctrina exponatur.

Anno Domini 1663. die 2. mensis Maji sacra Facultas Theologiae Parisiensis post Missam de S. Spiritu solemniter more solito celebratam habuit ordinaria sua Comitia apud Collegium Sorbonae. M. Martinus Grandin dixit, jam decurrere secundum annum sui Syndicatus, quem, ut initio felicem habuerat, sic a mensibus aliquot valde gravem experiretur... Unum esse, quod ipse doleat, ex quo duarum Thesium causa agitari coepit, injectas esse Regis Christianissimi animo suspiciones adversus doctrinam Facultatis, eam scilicet docere, aliquam esse summi Pontificis in Regum Galliae temporalia auctoritatem; docere, Regem Christianissimum in temporalibus superiorem aliquem habere praeter Deum; docere, subditos dispensari posse a communicatione et obedientia Regibus naturali divinaque lege debita; eamdem Facultatem probare consequentias adversus supremorum Principum auctoritatem et contra germanas Ecclesiae Gallicanae libertates, v. g. quod summus Pontifex deponere possit Episcopos adversus regulas antiquis Canonibus receptas; ea esse, quae Regis animum offensum habere possent; esse alia, ex quibus viderentur ista colligi posse; sacrae Facultatis doctrinam esse, summum Pontificem esse supra Concilium Oecumenicum; summi Pontificis infallibile judicium esse, nullo accedente Ecclesiae consensu: pertinere ad rem ejusdem Facultatis efficere, ut sibi persuadeat Rex Christianissimus, quod nullum omnino in temporalibus agnoscit nec habet superiorem praeter Deum; eam esse antiquam ejus doctrinam, a qua nunquam recessura sit; non esse ejus doctrinam, quod subditi a communicatione et obedientia, lege naturali et divina Regibus Christianissimis debita, dispensari possint; eamdem Facultatem nec probasse nec probare unquam consequentias, quae adversus supremorum Principum auctoritatem deduci possent aut contra germanas Ecclesiae Gallicanae libertates, v. g. quod Summus Pontifex Episcopos deponere possit adversus regulas antiquis Canonibus in Regno receptis latas; non esse doctrinam Facultatis, quod summus Pontifex sit supra Concilium Oecumenicum; non esse ejusdem Facultatis doctrinam ac dogma, quod summus Pontifex sit infallibilis, nullo accedente Ecclesiae consensu: haec qui referant ad Regem, delegari posse ex ordine sacro aliquot Magistros, aut aliam viam teneri, quam Facultas opportuniorem judicaverit. Addidit idem M. n. Martinus Grandin, si placeret Facultati, designaturum se propositionem, quae causa fuisset Senatus-Consulti, atque expositurum ejus sensum. Cum eadem Facultas permisisset, dixit, propositionem istam ita descriptam esse in Thesi Fratris Laurentii Desplantes, Cisterciensis, propugnata die Aprilis quarta in Collegio Bernarditarum: *Summus Pontifex in tota Ecclesia et in foro tam interno quam externo plenitudinem jurisdictionis obtinet.* Ejusdem propo-
a sitionis sensum quoque fixum se in Senatu, dixit, exposuisse. Quibus auditis, censuit Facultas, adeundum Regem Christianissimum frequenti comitatu; D. D. de Mincé, Morel, de Breda, Betille, Grandin, Guyard, Guischard, Marlin, Gobillon, Coquelin et Montgaillard selegit, qui inter se convenirent super iis, quae retulit supra M. n. Grandin de propositionibus concernentibus doctrinam Facultatis, rogavitque illustr. D. Archiepisc. Paris. designatum, ut verba faceret apud suam Majestatem ipsamque obtestaretur, ut velit Facultati jus suum servare et suspensos pro sua aequitate restituere: interim maneant omnia suspensa, quae spectant ad Syndicatum.

Declarationes Sacrae Facultatis Theologiae Parisiensis, factae apud Regem super quibusdam propositionibus, quas nonnulli voluerunt adscribere eidem Facultati.

1. Non esse doctrinam facultatis, quod SS. Pontifex aliquam in temporalia Regis Christianissimi auctoritatem habeat. Imo Facultatem semper obstitisse etiam iis, qui indirectam tantummodo esse illam auctoritatem voluerunt.

b 2. Esse doctrinam Facultatis ejusdem, quod Rex Christianissimus nullum omnino agnoscit nec habet in temporalibus superiorem praeter Deum, eamque suam esse antiquam doctrinam, a qua nunquam recessura est.

3. Doctrinam Facultatis esse, quod subditi fidem et obedientiam Regi Christianissimo ita debent, ut ab iis nullo praetextu dispensari possint.

4. Doctrinam Facultatis esse, non probare nec unquam probasse propositiones ullas Regis Christianissimi auctoritati aut germanis Ecclesiae gallicanae libertatibus et receptis in regno canonibus contrarias, verbi gratia quod Summus Pontifex possit deponere Episcopos adversus eosdem canones.

5. Doctrinam Facultatis non esse, quod Summus Pontifex sit supra Concilium oecumenicum.

6. Non esse doctrinam vel dogma Facultatis, quod Summus Pontifex, nullo accedente Ecclesiae consensu, sit infallibilis.

Conclusum per DD. Deputatos Sacrae Facultatis Theologiae Parisiensis die quarta mensis Maii anno Domini 1663. et subsignatum: E. Dufresne, de Mincé, C. Morel, A. de Breda, P. Betille, M. Grandin, P. Guischard, N. Gobillon, Coquelin, et J. F.
c de Montgaillard.

Conclusio Sacrae Facultatis Theologiae Parisiensis, qua probat sex Articulos supradictos de Regis potestate et libertatibus Ecclesiae Gallicanae.

Die 11. Maii 1663. hora septima matutina Sacra Theologiae Facultas extraordinaria habuit Comitia in aula Collegii Sorbonae, in quibus Illustrissimus D. Archiepiscopus Parisiensis designatus gratias egit Facultati ob demandatam sibi ab eadem apud Christianissimum Regem Provinciam honorificam et officiosam, sensum ipsius Facultatis super quibusdam propositionibus, quas nonnulli ipsi adscribere voluerunt, exponendi; dixitque, se id muneris sibi impositi die secunda Maji obivisse, die octava secundum praescriptos et praestitutos sibi limites Regi Christianissimo declarasse propositiones verbis Gallicis, ut sequitur, quas etiam simul, et latine scriptas et a supradictis DD. Deputatis obsignatas, actuario Facultatis in Comitiis tradidit.

His autem ita, Facultate ipsa praesente, Regi Christianissimo expositis, se rogasse eundem Christianissimum Regem, ut eam

suo patrocinio et benevolentia foveret ac tueretur; Syndicum ejus duosque alios in Decreto Senatus expressos sua humanitate ac benignitate vindicaret; cui suae orationi Christianissimum Regem respondisse dixit, non esse sibi persuasum, S. Facultatem esse ipsi oppositam nec doctrinam ullam docere, quae sit contraria Regni juribus, ideoque sibi in animo esse per publicum, cum se occasio offerret, argumentum manifestare, quo affectu eam prosequeretur: quantum autem ad postulationem sibi factam circa Syndicum et alios, se mature de iis cogitaturum. His ita relatis, praedicta omnia ab Illustrissimo Parisiensi Archiepiscopo designato nomine Facultatis apud Regem Christianissimum acta omnes et singuli magistri comprobarunt eidemque de feliciter ac honorifice navata opera et administrata provincia gratias amplissimas habuerunt.

2. Arrêt de la Cour de Parlement de Paris, portant que les propositions contenuës dans la déclaration de la Faculté de Théologie de Paris, touchant l'autorité du Pape, seront registrées au Greffe de ladite Cour, et envoyées aux Bailliages et Universitez du Ressort.

Ce jour les Gens du Roi, Maître Denis Talon Avocat dudit Seigneur portant la parole, ont dit à la Cour, que le Syndic de la Faculté de Théologie, avec sept autres anciens Docteurs en la Faculté de Théologie, mandez suivant l'Arrêt du jour d'hier, étoient au Parquet des Huissiers. Eux entrés, Monsieur le Premier Président leur a dit, Que la Cour les avoit mandés pour apporter la déclaration faite par la Faculté de Théologie de ses sentimens touchant l'autorité du Pape. Le Doyen de ladite Faculté a dit, Que pour obeïr aux ordres de la Cour, ils avoient apporté ladite déclaration extraite des Registres de ladite Faculté, et signé par le Bedeau d'icelle: Contenant:

Primo. Non esse doctrinam Facultatis, etc. ut supra. Icelle déclaration lûë en présence des Gens du Roy et desdits Docteurs: Lesdits Docteurs retirez, les Gens du Roi par la bouche de Maître Denis Talon ont dit: Que la verité des anciennes maximes se soûtient assez par son propre poids, et n'a pas besoin de mendier des suffrages, ni des approbateurs. Que c'est pourtant un grand avantage, lorsque tout le monde concourt dans un même sentiment, et qu'il ne paroît point de division dans les esprits. Personne n'ignore les efforts et les artifices pratiquez par les Partisans de la Cour de Rome depuis trente ans, pour élever la puissance du Pape par de fausses prérogatives, et pour introduire les opinions nouvelles des Ultramontains. Et enfin les choses ont passé jusqu'à tel excès, qu'après avoir insinué en secret ces propositions fausses et dangereuses dans les écrits, ils ont eu la hardiesse de les publier et de les mettre dans des Theses pour être publiquement disputées. Cette témerité n'est pas demeurée impunie: car cette auguste Compagnie également jalouse de maintenir l'autorité Royale, les droits de la Couronne, les libertez de l'Eglise Gallicane, et l'ancienne doctrine, ausquels ces opinions de l'infaillibilité et de la superiorité du Pape au Concile sont directement opposées, n'a pas manqué de réprimer ces entreprises par la séverité de ses Arrêts, et même d'en punir les Auteurs: de sorte que l'on peut dire que ces monstres ont été étouffez dans leur naissance, et que ces tentatives, bien loin d'avoir aucun succès, n'ont servi qu'à confirmer plus puissamment la verité, et à couvrir de honte et de confusion les émissaires de la Cour de Rome. Cependant la Faculté de Théologie, occupée par une cabale puissante de Moines, et de quelques séculiers, liez avec eux par interêt ou par faction, a eu de la peine à se démêler de ces liens injustes, et à suivre les traces des Gersons et des autres personnages illustres qui ont été dans tous les siécles les principaux défenseurs de la vérité. Mais enfin par un genereux effort, ayant fait réflexion sur ce qu'elle doit au Roi, au public, à sa propre réputation, elle a expliqué ses sentimens et condamné toutes ces nouveautez comme des erreurs qui ne peuvent éviter la censure: Et comme les six propositions qui viennent d'être lûës et expliquées par l'organe du Doyen, contiennent non seulement la condamnation de tout ce qui pouvoit établir quelque supériorité du Pape sur le temporel, mais aussi cette chimere d'infaillibilité, et cette dépendance imaginaire du Concile au Pape; il est inutile d'examiner si toutes ces propositions sont conçûës en termes affirmatifs, étant certain qu'il n'y a point de milieu entre deux propositions contradictoires, et que si la Faculté ne croit pas que le Pape soit infaillible, il faut par une conséquence necessaire qu'elle juge
a qu'il peut tomber ou être induit en erreur, et corrigé par une puissance supérieure, qui ne peut être autre que celle du Concile et de l'Eglise Universelle. Et tout le monde demeurant d'accord qu'il faut qu'il y ait une subordination, dès que l'on avouë que le Pape n'est point au-dessus du Concile, il faut qu'il soit au-dessous et soûmis à ses décisions et à l'observation des Canons; de sorte que comme le public est pleinement satisfait par cette déclaration de la Faculté, d'autant plus que si elle était susceptible d'ambiguité, on ne la pourroit interpréter, que par ce qui paroît de la même doctrine de la Faculté dans la censure de Sarrasin, dans les réponses aux demandes du Roi Charles VIII. et dans les condamnations des erreurs de Luther; ils estiment qu'il y a lieu d'ordonner que les articles contenus en la déclaration de la Faculté soient registrez au Greffe de la Cour, et copies d'iceux envoyées dans tous les Bailliages et Universitez du ressort du Parlement pour y être lûës, publiées et registrées; Que défenses soient faites de soûtenir aucune doctrine contraire ausdits articles; Que les Arrêts des 22. Janvier et 4. Avril dernier soient exécutez; Faire itératives défenses et in-
b hibitions à tous Bacheliers, Licentiez, Docteurs, et à toutes autres personnes de disputer, lire et enseigner directement, ni indirectement ès Ecoles publiques, ni ailleurs, aucunes propositions contraires à l'ancienne doctrine de l'Eglise, aux Canons des Conciles généraux, aux libertez de l'Eglise Gallicane, et aux anciens Decrets de la Faculté de Théologie, à peine de punition exemplaire; et aux Syndics des Facultez et Docteurs qui présideront aux Actes, de souffrir que telles propositions soient insérées dans aucunes Theses, à peine d'en répondre en leurs noms, et d'être procedé contr'eux extraordinairement. Eux retirez: *Ladite Cour* a ordonné et ordonne que lesdits articles contenus en la déclaration de ladite Faculté de Théologie, seront enregistrez au Greffe d'icelle, et copies d'iceux envoyées dans tous les Bailliages et Universitez de ce ressort, pour y être lûës, publiées et registrées. A fait et fait inhibitions et défenses de soutenir aucune doctrine contraire ausdits articles; ce faisant a levé les suspensions portées par l'Arrêt du 14. Avril dernier; a réïteré et réïtere les défenses portées par les Arrêts des 22. Janvier et 14. Avril dernier; a fait inhibitions et défenses a tous Bache-
c liers, Licentiez, Docteurs et toutes autres personnes, de soûtenir et disputer, lire et enseigner directement ni indirectement ès Ecoles publiques ni ailleurs, aucunes propositions contraires à l'ancienne doctrine de l'Eglise et aux saints Canons, Decrets des Conciles généraux, et aux libertez de l'Eglise Gallicane, et autres anciens Decrets de la Faculté de Théologie, à peine de punition exemplaire, et aux Syndics, tant de ladite Faculté, que des autres Universitez, et Docteurs qui présideront aux Actes, de souffrir que telles propositions soient insérées dans aucunes Theses, à peines d'en répondre en leurs noms, et d'être procedé contr'eux extraordinairement. Fait à Paris le trentiéme jour de Mai mil six cens soixante et trois.

3. Déclaration du Roi, qui ordonne que les six Articles de la Faculté de Théologie de Paris touchant la Souveraineté des Rois et le pouvoir des Evêques soient lûs, publiez et enregistrez dans tous les Parlemens, Justices, Jurisdictions, et Universitez du Royaume, avec défenses de lire, dire, ou enseigner rien qui y soit contraire.

d Du 4. Août 1663.

Louis, par la grace de Dieu, Roi de France et de Navarre: A tous ceux qui ces presentes Lettres verront: Salut. La Faculté de Théologie de notre bonne Ville de Paris, *qui depuis son établissement a esté le plus ferme appui de la Religion et de la saine Doctrine dans notre Royaume, et qui a toujours fait profession de s'opposer fortement à ceux qui ont voulu en altérer la pureté* ayant reconnu que depuis plusieurs années, quelques personnes se seroient efforcées d'introduire dans notre Etat certaines maximes des Ultramontains, contraires à celles qui y ont été reçuës de tout tems, et directement opposées à nos droits, aux immunitez du Royaume, franchises et libertez de l'Eglise Gallicane; cette célébre Compagnie auroit estimé qu'il était de son devoir de faire tout ce qui dépendoit d'elle pour arrêter le cours d'une si dangereuse doctrine en cette matière, qu'elle a renfermée en six Propositions, dont l'Acte est ci-attaché sous le contrescel de notre Chancellerie, laquelle déclaration auroit été lûë et registrée en notre Cour de Parlement de Paris; Et

parce que Nous avons jugé qu'il étoit important de la faire a
aussi registrer dans les autres Cours de Parlement de notre Royaume, afin de la rendre publique; et que les sentimens de nos sujets soient uniformes sur ces articles, en sorte qu'il ne soit rien dit, écrit, enseigné, ni professé qui soit contraire à la déclaration de ladite Faculté: Sçavoir faisons, que Nous pour ces causes, et autres bonnes considérations, à ce Nous mouvans, avons par ces Presentes signées de notre main, dit et ordonné, disons et ordonnons, voulons et nous plaît, que lesdites six Propositions contenuës en la déclaration de ladite Faculté de Théologie, soient luës, publiées et enregistrées en toutes nos Cours de Parlement, Justices, Bailliages, Sénéchaussées, Jurisdictions et Universitez de notre Royaume, Pays et Terres de notre obéïssance, faisant très-expresses inhibitions et défenses à tous Bacheliers, Licentiez, Docteurs et autres personnes de quelque qualité et condition qu'elles soient, de soûtenir, défendre, lire et enseigner directement ni indirectement ès Ecoles publiques ni ailleurs, aucunes propositions contraires à celles de la déclaration de ladite Faculté de Théologie, ni d'en faire aucun écrit, sous peine de punition exemplaire: et aux Syndics des Univer- b
sitez et aux Docteurs qui présideront aux Actes, de souffrir qu'il soit rien inseré de contraire dans aucunes Theses, à peines d'en répondre en leurs noms, et d'être procedé contr'eux extraordinairement. Si donnons en mandement à nos aimez et feaux les gens tenans notre Cour de Parlement... que ces Presentes, ensemble la Déclaration de ladite Faculté contenuë èsdites six Propositions, ils ayent à faire lire, publier et enregistrer aux Greffes de nosdites Cours, et en toutes les Sénéchaussées, Bailliages et Universitez du ressort d'icelles, et à tenir soigneusement la main à l'exacte observation d'icelles, sans y contrevenir, ni permettre qu'il y soit contrevenu en aucune manière. Car tel est notre plaisir. En témoin de quoi avons fait mettre notre scel à cesdites Presentes. Donné à Paris le quatriéme du mois d'Août, l'an de grace mil six cens soixante-trois, et de notre Regne le vingt-uniéme. *Signé*, Louis. *Et sur le repli*, Par le Roi, De Lionne, et scellée du grand sceau de cire jaune.

II.

Quae auctor libelli inscripti: „Relation de ce qui s'est passé en Sorbonne au sujet de l'enregistrement de l'édit du Roi, sur la Déclaration de MM. du clergé de France", de declaratione Facultatis theologicae Parisiensis narrat.

(Ex codice manuscripto Seminarii S. Sulpitii apud Gérin, Recherches historiques sur l'Assemblée du clergé de France de 1682. p. 526.)

Il est encore à propos de remarquer ici les principales difficultés que la plupart des docteurs trouvaient à l'enregistrement de l'édit du Roi et de la Déclaration du clergé.

Ils ne croyaient pas devoir souffrir sans dire mot qu'on leur attribuât la doctrine contenue dans lés Propositions qui avaient été données autrefois (1663) à Sa Majesté, et qu'on les fit passer pour des propositions délibérées dans la Faculté et remises par ordre de la même Faculté entre les mains de MM. du clergé, comme l'édit du Roi l'insinuait; car ils savaient qu'il n'y avait jamais eu de délibération sur ces Propositions, et qu'elles contiennent même une doctrine qui n'est point formellement la doctrine de la Faculté.

Il est vrai qu'en 1663, le Roi ayant été mal informé des sentiments de la Faculté sur l'infaillibilité du Pape et sur son autorité tant sur le temporel des rois que sur le concile, l'on députa quelques docteurs pour informer la cour des véritables sentiments de la Faculté sur ces matières, que ces docteurs réduisirent leurs sentiments à six propositions qu'ils remirent entre les mains de MM. les ministres de Sa Majesté; mais il est vrai aussi qu'ils les donnèrent sans que la Faculté les eût examinées ni approuvées, et sans même qu'elles eussent été mises en délibération dans aucune assemblée. On ne peut pas néanmoins désavouer qu'elles n'y aient été rapportées et qu'on ne les y ait lues hautement; mais quoique alors elles fissent peine à plusieurs qui croyaient qu'il fallait en expliquer quelques-unes, de peur que dans la suite on ne les portât, comme l'on fait aujourd'hui, au delà des sentiments de la Faculté, pas un néanmoins n'en dit mot en ce temps-là, parce qu'on ne crut pas devoir renouveler en cour l'aigreur que l'on y avait conçue contre la Faculté, de sorte que si on ne se plaignit point alors de ces docteurs, ce n'est pas que l'on approuvât leur conduite, mais c'est que l'on avait sujet de craindre que le Roi ne crût que la Faculté désapprouvait le fond de la doctrine contenue dans ces propositions.

III.

Dom Prosper Guéranger de rituali Alectensi.

(Institutions liturgiques II, 60—64.)

Un des chefs (du parti des Jansénistes) les plus zélés, Pavillon, Evêque d'Alet, osa insérer, dans le Rituel qu'il publia en 1667 pour son Diocèse, plusieurs des maximes de Saint-Cyran et d'Arnaud, sur la pratique des Sacrements. Le travail fut même revu par Arnaud lui-même, qui avait succédé à Saint-Cyran dans la dictature du parti.

Ceux qui savent l'histoire et la tactique du Jansénisme connaissent l'art avec lequel ses adeptes étaient parvenus à recouvrir leurs dogmes monstrueux du vernis menteur d'une morale plus sévère que celle de l'Eglise, dont ils proclamaient le relâchement. Ils voulaient, disaient-ils, ramener les institutions des premiers siècles, qui seuls avaient connu la vraie doctrine. Sans nier encore la vertu des Sacrements, ils venaient à bout de les anéantir quant à l'usage, en enseignant que l'Eucharistie est la récompense d'une piété avancée et non d'une vertu commençante; que les Confessions fréquentes nuisent d'ordinaire plus qu'elles ne servent; que l'Absolution ne doit régulièrement être donnée qu'après l'accomplissement de la pénitence; qu'il est à propos de rétablir les pénitences publiques, etc.

Chacun sait qu'avec de pareilles maximes, les Religieuses de Port-Royal, le fameux diacre Paris et mille autres, en étaient venus à conclure que la Communion Paschale, supposant une familiarité par trop grande avec Dieu, la perfection était de l'o-
c mettre entièrement. Dans la suite, on alla plus loin, et on passa de l'isolement à l'égard des choses saintes au blasphême et à l'apostasie. Quant aux effets que produisit sur les Catholiques de France ce rigorisme qui se glissa, du moins en grande partie, dans les livres et l'enseignement de plusieurs théologiens orthodoxes d'ailleurs, on peut dire qu'il porta un coup funeste aux moeurs chrétiennes, en rendant plus rare l'usage des Sacrements, devenus, pour ainsi dire, inabordables. On sait que le parti n'épargna rien pour décréditer et opprimer le Clergé Régulier et la Compagnie des Jésuites surtout, parce qu'il savait et la popularité dont jouissaient les membres de ces corporations, et leur éloignement énergique pour une morale aussi opposée à celle de Jésus-Christ.

Or, les maximes que nous venons de citer, se trouvaient professées et appliquées dans cent endroits du Rituel d'Alet: quoiqu'on eût cherché avec un soin extrême à ne pas employer des termes trop forts, pour ne pas donner d'ombrage au siége Apostolique, qui déjà avait foudroyé le livre de la fréquente Communion du docteur Arnaud et plusieurs autres productions
d analogues du parti. Rome n'en vit pas moins tout le venin dont les ennemis de la vraie foi avaient su empoisonner une des sources les plus sacrées de la Liturgie.

Clément IX., Pontife dont la secte a plus d'une fois vanté la tolérance, mais qui fut seulement un fidèle et prudent administrateur du troupeau du Seigneur, Clément IX., dès l'apparition du Rituel d'Alet, signala son zèle apostolique par une condamnation solennelle de ce livre pernicieux......

On aurait dû s'attendre qu'après un jugement aussi solennel, le Rituel d'Alet n'aurait plus trouvé de défenseurs dans l'Eglise de France; mais, hélas! la plaie était déjà si grande et si envenimée, que tout le zèle du médecin était devenu presque stérile. Sans parler de l'Evêque d'Alet lui-même, qui jusqu'à la fin de sa vie maintint le Rituel dans son Diocèse, et trouva encore, au moment de sa mort, le triste courage d'écrire au Pape, à ce sujet, une lettre de soumission en termes ambigus, on vit le crédit du parti s'élever jusqu'à faire rejeter, par les influences de l'Episcopat et de la magistrature, ce Bref, et celui que Clément IX. venait de donner en même temps contre le Nouveau

Testament de Mons, par le motif qu'ils contenaient des clauses a de Chancellerie contraires aux libertés de l'Eglise Gallicane. De pareils faits sont lamentables, sans doute; mais ce qui l'est bien plus encore, c'est l'adhésion expresse que donnèrent vingt-neuf Evêques au Rituel condamné, après la notification du Bref faite par le Nonce à tous les prélats de l'Eglise de France. De Péréfixe, Archevêque de Paris, si nous en croyons Ellies Dupin (Histoire Ecclésiastique du dix-septième siècle. Tom. III. p. 244.), aurait témoigné sa sympathie pour le Rituel d'Alet dès qu'il parut; mais nous ne chargerons point la mémoire de ce prélat sur la seule assertion d'un écrivain qui aimait le scandale; nous nous contenterons de citer le document officiel qu'on trouve en tête de la plupart des éditions du Rituel d'Alet. Vingt-neuf signatures le suivent, et elles sont toutes de l'année 1669, à l'exception des deux dernières, qui sont de 1676. Ceux qui les ont données avaient reçu, en son temps, le Bref de Clément IX. Voici en quels termes ils rassurent l'Evêque d'Alet contre la flétrissure que venait d'infliger à son oeuvre la condamnation du saint Siége:

„Nous avons lu avec beaucoup d'édification le Rituel que b Messire Pavillon, Evêque d'Alet, a composé pour l'usage de son Diocèse, et nous louons Dieu de tout notre coeur de ce qu'il lui a plu d'inspirer à ce grand Prélat la pensée de donner au public de si saintes instructions. Comme les Evêques sont les vrais Docteurs de l'Eglise, personne n'a droit de s'élever contre leur doctrine, à moins qu'ils soient tombés dans des erreurs manifestes, ou que l'Eglise ait condamné leurs sentiments, ce qu'elle n'a jamais fait qu'avec beaucoup de circonspection; et les ouvrages qu'ils publient portent leur approbation par le seul nom de leurs auteurs. Mais quand ils seraient sujets aux mêmes censures, que les théologiens particuliers, tout le monde sait que nous pourrions dire à bon droit de Monsieur l'Evêque d'Alet, ce que saint Célestin I[er] disait autrefois de saint Augustin, en reprenant l'audacieuse témérité de ceux qui déclamaient contre ce Docteur incomparable: Hunc nunquam sinistrae suspicionis saltem rumor aspersit. Et puisque ce Rituel n'est qu'un abrégé de ce que Monseigneur d'Alet a enseigné dans son Diocèse depuis plus de trente ans qu'il le gouverne avec un soin infatigable, et que d'ailleurs il ne contient que les plus pures règles c de l'Evangile et les maximes les plus saintes que les Canons nous ont proposées, nous ne pouvons assez en recommander la lecture et la pratique. C'est le sentiment que nous avons de cet excellent ouvrage et nous avons cru être obligés d'en rendre un témoignage public, pour ne détenir pas la vérité dans l'injustice."

IV.

Literae Apostolicae Innocentii XI. ad Ludovicum XIV.

Carissimo in Christo Filio Nostro Ludovico, Francorum Regi Christianissimo.

Innocentius PP. XI.

Charissime in Christo Fili noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Binis jam litteris fuse et luculenter ostendimus Majestati d Tuae etiam ex concordi omnium fere Galliae Scriptorum testimonio et ex ipsis Regii tabularii Tui actis, quam esset Ecclesiasticae libertati injuriosum, omni humano divinoque juri contrarium et alienum a perpetuo Regum, Majorum Tuorum, more et exemplo editum septem abhinc annis a Te Decretum, quo consuetudinem illam custodiendi fructus vacantium Ecclesiarum, quam Regaliam nuncupant, ad eas quoque Ecclesias extendi jubes, quae ejusmodi oneri obnoxiae nunquam fuere. In quibus litteris vehementer a Te pro pastoralis officii nostri debito et pro paterna, quam gerimus, aeternae salutis Tuae cura efflagitavimus, ut decretum ipsum et alia deinceps acta adversus jura et libertates Ecclesiarum abrogari abolerique mandares. Et sane illud est causae ipsius meritum, ea de Regii animi Tui aequitate et magnitudine opinio nostra, ut certa spe duceremur, Majestatem Tuam, omnibus in locum pristinum quamprimum repositis, cor nostrum ab ulteriori tantae rei solicitudine, tot aliis in Catholicae Ecclesiae procuratione districtum, liberaturam. Verum post plurium mensium spatium, quod longanimitati nostrae probandae ab ultimis litteris effluxit, nullum adhuc neque ad eas responsum neque ex his fructum videmus; quin etiam plurimorum litteris et sermone pro comperto affertur, omnia deteriore loco in dies esse, et praetextu Regaliae ejusmodi Beneficiorum collationes et canonicas institutiones impediri, Episcoporum auctoritatem pessumdari, Ecclesiasticam disciplinam ordinemque turbari, novam denique praxim, veteri Ecclesiae praxi et divinae institutioni contrariam, invehi a saeculari potestate; neque ea clam et timide fieri, sed palam et manu Regia. Non repetimus hoc loco (ne actum agamus), quot inde scandala et querelae, quot in Clerum incommoda nascantur, quod Ecclesiae universae a tali exemplo periculum, quae tempestas immineat, quae nomini atque honori Tuo macula, quae conscientiae labes incurratur. Satis enim ea in superioribus litteris indicavimus; satis patent ipsa per se. Non patitur tamen sincera et plane paterna erga Te Regnumque istud amplissimum charitas nostra, Nos in tanta Divini honoris injuria, in tam gravi Tui ipsius periculo adhuc silere. Sed cogimur iterum intimo cordis affectu et in visceribus Jesu Christi rogare obsecrareque Majestatem Tuam, ut memor ejusdem Christi verborum ad Ecclesiae Praepositos: *Qui vos audit, me audit,* Nos potius, qui parentis et quidem amantissimi loco sumus, audire velis, vera et salutaria suadentes, quam filios diffidentiae, qui terrena tantum sapiunt, quique consiliis in speciem utilibus, sed revera perniciosis, inclyti istius Regni fundamenta, in rerum sacrarum reverentia et in Ecclesiae auctoritate juribusque tuendis posita, convellunt. Qui quidem si ii esse vellent, quos esse ipsorum dignitas et officium Tuaque singularis in eos benignitas postulat, imitari potius deberent integritatem fidemque eorum, quos olim pari loco positos memoriae proditum est et in Gallicani Cleri nuper acta relatum libera aliquando voce in simili causa monuisse Reges, Praedecessores Tuos: meminissent, quid et qua Religione, ubi Regni gubernacula suscepturi, sacro chrismate inungerentur, polliciti Deo fuissent, se videlicet divinae ejus gloriae omni ope et studio inservituros et pro Ecclesiae suae sanctae juribus et libertate asserenda paratos fore semper sanguinem ipsum vitamque profundere; considerent, fluxam et fugacem esse mortalium vitam, Regum praesertim et Principum, qui, ubi ad districtum Dei judicium vocarentur, illuc accederent sine custodibus, sine comitatu, sine ullis Regiae dignitatis insignibus vel potentiae praesidiis nudi atque inermes, reddituri omnis anteactae vitae rationem judici, scrutatori cordium, quem nulla res latet, apud quem non est acceptio personarum, qui potestatem habet mittere in gehennam, ubi potentes potenter tormenta patientur.

Nec superiori saeculo defuit in Gallia Episcopus, qui in frequenti aliorum Praesulum aulaeque procerum corona apud Henricum, Regem hujus nominis tertium, Cleri Gallicani causam in re non absimili orans, Regi dixerit, observatum fuisse, nunquam Regias in Gallia defecisse stirpes, nisi ubi Reges indebitas ad beneficia nominationes arrogare sibi coepissent, a quibus Sanctus Ludovicus, Rex Christianae humilitatis gloria quam Regiae dignitatis culmine sublimior, usque adeo abhorruisset, ut ultro etiam Pontificia auctoritate sibi delatas rejecerit. Fuit haec quondam, fuit in Gallia, imo ad haec nostra tempora strenue retenta est penes Episcopalem Ordinem Apostolica loquendi libertas, nihil metuens, nihil sperans nisi a Deo; neque id solum per Reges licuit, sed ita Episcoporum monita semper accepta sunt, ut Episcopi ipsi et sibi meritam laudem et causae optatum exitum sint consecuti, manseritque propterea inviolata tamdiu atque inconcussa sanctio Oecumenici Concilii Lugdunensis: adeo ut nonnulli Galliae Reges impios ac sacrilegos publico decreto eos appellaverint, quicumque Regaliam ad Ecclesias ei non assuetas extendere aliqua ratione tentarent, sicuti in vestris Annalibus traditum reperitur. Haec autem temporis praesentis infirmitas eo acerbior nobis accidit, quod scimus, Majestatem Tuam nihil ducere inter Regii animi ornamenta praestantius zelo justitiae et studio divini honoris, pro quo tam pia, tam salubria decreta nuper edidisti ac tam multa tanta cum nominis Tui laude et bonorum omnium laetitia in praesens agis, destruendo Synagogas et Asyla Haereticorum, ut Tibi non minora in coelo statuere videaris conservatae propagataeque Religionis trophaea quam in terris relicturum speramus devictarum gentium barbararum. Cavendum tamen est diligenter, ne quod dextera, hoc est, ingenita pietas Tua aedificat, destruat sinistra, hoc est, callida et iniqua consilia dicentium tenebras lucem et lucem tenebras, cum Apostolico moneamur oraculo, qui in uno delinquit,

esse omnium reum. Non defuere hac etiam occasione in Gallia a
quidam, neque plures deessent ex fratribus nostris Episcopis viri fortes, divinae legis ac libertatis Ecclesiasticae zelatores, qui gravissimam hanc et toti Franciae Regno, imo Ecclesiae universae communem causam pari constantia et spiritu apud Majestatem Tuam agerent; sed metu quodam, justo, ut ipsis videtur, ignoscendoque, ut nos autem judicamus, vano et non solum Episcopali officio, sed etiam magnanimitati et aequitati Tuae injurioso, retenti silent, expectantes, dum humilitas nostra a filiali Tua in hanc sanctam Sedem observantia impetret, quod a Regia Tua justitia Ecclesiis suis debitum poscere ipsi non audent. Itaque in iis litteris nostris illorum omnium justum dolorem et preces agnosce, quin imo Dei ipsius voluntatem, ore Te nostro alloquentis ac serio monentis, ut praedictum decretum et quidquid ejus occasione adversus Ecclesiae libertatem et jura actum gestumque hactenus fuit, corrigi emendarique omnino cures. Alioquin magnopere veremur, ne subire aliquando debeas, quam Tibi aliis in litteris denuntiavimus, coelestis irae animadversionem. Nos sane neque hoc negotium per litteras amplius urgebimus, neque desides erimus in adhibendis remediis, quae traditae nobis b
divinitus potestati competunt, quaeque in tam gravi periculosoque morbo omittere sine gravissima neglecti Apostolici muneris culpa non possemus. Neque tandem ullum inde incommodum aut periculum, nullam quantumvis saevam atque horribilem tempestatem pertimescemus; ad hoc enim vocati sumus, neque facimus animam nostram pretiosiorem quam nos, probe intelligentes, non forti solum, sed etiam laeto animo subeundas tribulationes propter justitiam, in quibus et in Cruce Domini nostri Jesu Christi nos unice gloriari oportet. Causam Dei agimus, quaerentes non quae nostra sunt, sed quae Jesu Christi. Cum Eo propterea, non nobiscum Tibi negotium erit in posterum; cum Eo scilicet, adversus quem non est sapientia, non est consilium, non est potentia. Nos, postquam ministerii nostri partes plantando et rigando, sicut oportet, impleverimus, expectabimus, dum operi incrementum det Deus, a quo accurata prece flagitare non desinemus, ut verbis et hortationibus hisce nostris vim et robur infundat Majestatis Tuae animum ad salubriora flectendo, unde et Tu mereri possis et nos laetari, res Tuas omnes secundiore in dies cursu fluere, ac subditae imperio Tuo c
gentes perpetua atque opima pace florere. Tibi Apostolicam Benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae die 29. Decembris anno 1679.

V.

Literae comitiorum cleri Gallicani a. 1680. ad Ludovicum XIV.

Sire,

Nous avons appris avec un extrême déplaisir, que nôtre saint Père le Pape a écrit un Bref à vôtre Majesté, par lequel non seulement il l'exhorte de ne pas assujettir quelques-unes de nos Eglises au droit de Regale, mais encore lui déclare, qu'il se servira de son autorité, si elle ne se soumet aux remontrances paternelles, qu'il lui a faites et réïterées sur ce sujet: Nous avons crû, Sire, qu'il étoit de nôtre devoir de ne pas garder le silence dans une occasion aussi importante, où nous souf- d
frons avec une peine extraordinaire que l'on menace le Fils aîné et le protecteur de l'Eglise, comme on a fait en d'autres rencontres les Princes qui ont usurpé ses droits. Nôtre dessein n'est pas d'entrer avec vôtre Majesté dans le fonds d'une affaire, sur laquelle les Assemblées qui ont précédé celle-ci ont reçû en diverses occasions considerables, des marques de vôtre justice et de vôtre pieté; mais nous regardons avec douleur cette procedure extraordinaire, qui bien loin de soutenir l'honneur de la Religion et la gloire du saint Siege, seroit capable de les diminuer et de produire de tres-méchans effets. Il n'est que trop constant, qu'elle ne serviroit qu'à favoriser la malice de quelques esprits broüillons et séditieux, qui contre les intentions de sa Sainteté que nous estimons tres-bonnes, voudroient se servir de son nom et de son autorité comme ils font tous les jours, en faisant courir dans le monde des bruits extravagans contre l'honneur de vôtre Majesté et des Prélats les plus qualifiez de vôtre Roïaume pour venger leurs ressentimens particuliers. Ils font même tous leurs efforts pour exciter la mesintelligence entre le Sacerdoce et la Roïauté, dans un temps où ils ont plus de sujet que jamais de demeurer parfaitement unis par la protection que vous donnez à la Foi, à la Discipline Ecclesiastique et à l'extirpation des hérésies et des nouveautez. Il nous est bien facile, Sire, étant appuïez de V. M. de prevenir un mal si pernicieux et si funeste, soit en faisant connoître nos sentimens à sa Sainteté, sans manquer au respect que nous lui devons, soit en prenant des résolutions proportionnées à la prudence et au zele des plus grands Prélats de l'Eglise. Nos Predecesseurs ont sçû dans de semblables conjonctures, maintenir les libertez de leurs Eglises, sans se départir des mesures du respect que leur naissance et leur Religion leur ont inspiré pour les Rois. Et comme V. M. Sire, surpasse par son zele et par son autorité, tous ceux qui ont été devant vous, nous sommes si étroitement attachez à elle, que rien n'est capable de nous en separer. Cette protestation pouvant servir à éluder les vaines entreprises des ennemis du saint Siege et de l'Etat, nous la renouvelons à V. M. avec toute la sincérité et toute l'affection qui nous est possible; car il est bon que toute la terre soit informée, que nous sçavons comme il faut accorder l'amour que nous portons à la discipline de l'Eglise, avec la glorieuse qualité que nous voulons conserver à jamais

Sire

De vos tres-humbles, tres-obéïssans, tres-fideles et tres-obligez Serviteurs et Sujets, les Archevêques, Evêques et autres Ecclesiastiques déPutez du Clergé de vôtre Roïaume.

† L'Archevêque de Paris, Duc et Pair de France, Commandeur des Ordres du Roi, Proviseur de Sorbonne, Président.
† *De Grignan,* Coadjuteur d'Arles.
† *Phelyppeaux,* Patriarche, Archevêque de Bourges.
† *Hyacinthe,* Archevêque d'Alby.
† *François,* Evêque d'Amiens.
† *G.,* Evêque de Perigueux.
† *Charles-François,* Evêque de Coutances.
† *S. de Guemadeuc,* Evêque de Saint-Malo.
† *L. M.,* Evêque, Duc de Langres.
† *Jean-Louis,* Evêque d'Aire.
† *J. B. M. Colbert,* Evêque de Montauban.
† *Louis Aube,* Evêque de Grace.
† L'Evêque de Cisteron.
† *Poncet de la Riviere,* Evêque et Comte d'Uzez.
† *André,* Evêque d'Auxerre.
Louis Alphonse, Evêque d'Alet, Promoteur.

De Grancé. *De Marillac,* Doïen de saint Jean de Lyon.
De Tonnerre. *De Fleury.*
De Coëtlogon. *De Viens.*
De Villars. *De Gourgues.*
De Broglio. *Cheron.*
Phelyppeaux. *De Ventimille du Luc.*
J. Le Gentil.
De Moncassin.
De S. Valier.
Boucaut.
Desmaretz, Agent general du Clergé de France.
De Besons, Agent general du Clergé de France.

VI.

Card. Grimaldi, Archiepiscopus Aquensis, de libertate, qua electiones deputatorum ad comitia cleri Gallicani a. 1681. factae sint.

(Biblioth. impér. à Paris. Manuscrit Harlay 178. pièce 26. V. Gérin p. 135. et seqq., ubi integrae literae editae sunt.)

Lettre de M. Roulier, intendant de Provence, sur la conférence qu'il a eue avec M. le Cardinal Grimaldi, touchant ladite assemblée. — . . . „M. le Cardinal passant ensuite à ce qui regarde l'assemblée du mois d'octobre prochain, a dit qu'il *ne la croyait point légitime;* qu'elle ne pouvait se faire sans l'autorité du Pape qui devait être appelé, d'autant plus qu'en le condamnant comme on fait, sans l'entendre, c'est pratiquer à son égard la même chose dont on prétend le reprendre; que cette assem-

blée *ne passera jamais que pour un conciliabule*, auquel *les bons Prélats* de France se garderont bien d'assister; apprenant d'ailleurs *qu'il y a des lettres de cachet qui ont marqué les députés qui doivent être choisis* dans les autres provinces; ce qu'il a répété plusieurs fois pour connaître si je n'avais pas reçu quelque ordre de semblable à son égard.

En ce qui est de la procuration, M. le Cardinal a dit, qu'il était étrange qu'on envoyât un modèle de cette qualité, et qu'on voulût *prescrire non seulement quels seraient les députés de chaque province, mais encore ce que diraient les députés; que c'était ôter la liberté de toute manière;* qu'à son égard . . . il ne pouvait en conscience . . . consentir à une procuration qui *condamne d'abord le Pape sans l'ouïr et décrie la conduite du Saint-Siége*. . . . Mais il a principalement insisté sur la nécessité d'appeler le Pape, *sans l'autorité duquel on ne peut convoquer le concile national;* prétendant que cette assemblée, qui doit le *représenter*, est un mauvais détour que l'on a voulu prendre, dans la nécessité où l'on a bien voulu qu'on était de recourir à l'autorité du Saint-Siége......

Son Eminence, ne m'ayant rien répliqué, a repris *la désignation des députés comme une chose tout odieuse et qui marquait visiblement qu'on ne voulait que des gens d'un caractère complaisant.* Comme je n'ai pas jugé qu'il *fût encore temps de m'ouvrir sur les ordres que j'ai reçus à ce sujet, remettant à le faire lors de l'assemblée de la Province*, laquelle se ferait des dernières, s'il n'avait agréable d'en avancer les ordres, je répondis qu'encore qu'il n'y eût pas lieu de l'exciter par des exemples, après toutes les expressions de son zèle pour le bien de l'Eglise et le service de sa Majesté, je croyais néanmoins pouvoir lui proposer celui de M. le cardinal de Bonzy et de la plupart des autres archevêques du royaume, qui avaient déjà nommé leurs députés et donné leurs pouvoirs, en conformité de la procuration qu'ils avaient reçue. Son Eminence m'a dit qu'il écrivait à Mgr. le chancelier et qu'il lui envoyait dans un mémoire les raisons qu'il croyait avoir de ne point convoquer sa province."

VII.

Epistola cleri Gallicani, auctoritate Regia Parisiis congregati, ad Sanctissimum Dominum Innocentium PP. XI.

Beatissime Pater.

Quam consecrandi fecimus Apostolicae Sedi canonicae obedientiae professionem, ea nos impellit, [ut] quae Parisiis jussu Regio congregati gessimus, ad Apostolatum Vestrum referamus gravesque metus nostros paternum in sinum effundamus: *Cum enim Te Dominus gratiae suae praecipuae munere in Sede Apostolica collocaverit talemque nostris temporibus praestiterit, ut nobis potius ad culpam negligentiae valeat, si apud Venerationem Tuam, quae pro Ecclesia suggerenda sunt, tacuerimus, quam ea possit Sanctitas Vestra vel fastidiose vel negligenter accipere: non ambigimus, quin magnis periculis nostris Pastoralem diligentiam adhibere digneris*[1].

Sane, Beatissime Pontifex, a majoribus nostris, sanctis gravibusque viris, accepimus, Regni et Sacerdotii tuta piaque concordia res humanas niti: *Dum unum ab altero impugnatur, periclitari utrumque; ea occasione et de Regno tolli justitiam et de Ecclesia pacem, schismata et scandala suscitari, et fieri animarum perditionem simul et corporum*[2]*; sine horum concordia res humanas nec incolumes esse posse nec tutas*[3]. Haec Goffridus Vindocinensis, haec Ivo Carnotensis, Sanctissimi gravissimique Ecclesiae Gallicanae Praesules, immortalibus scriptis testata reliquerunt. Hos in medium afferre et ad Vestram Sanctitatem allegare juvat, quos pro Ecclesiastica libertate atque Apostolica auctoritate multa perpessos Sancti Vestri Decessores non tantum ut probabiles Magistros, sed ut praecipuos singularesque filios semper habuerint. His accedat tertius Claraevallis Abbas, non Gallicanae tantum, sed universae Ecclesiae lumen, Sanctus Bernardus, ille Canonum propugnator ac fortissimae cujusque

[1] Ep. Concilii Milevitani ad Papam Innocentium I. inter Epistolas S. Augustini ep. 176. [Opp. S. Aug. ed. Bened. II, 620. F.]

[2] Goffridus Vindocinensis Opusculo quarto. [Ed. Migne PP. lat. tom. 157. col. 220. B.]

[3] Ivo Carnotensis Ep. 60. [Ed. Migne PP. lat. tom. 162. col. 74. A.]

a sententiae gravissimus auctor, ubi nimio rigore Regnum et Sacerdotium dividi atque inconsutilem Christi Tunicam[1] scindi animadvertit, utili condescensione temperari canones supplicavit ac pacem utriusque potestatis, quae utramque fulciat, retineri, praesertim in Gallia, ubi *nullam unquam Regnum inter et Sacerdotium divisionem fuisse*[2] antiquiores Episcopi gloriati erant, ubi denique, ipso teste Bernardo, toto orbe colliso, ipsisque Pontificibus gravi toties tempestate jactatis, non modo nullae scissurae factae essent, sed etiam solerent scissurae aliae resarciri[3].

Nec minore studio Apostolici Praesules, Vestrae Sanctitatis Antecessores, eam concordiam commendarunt, cum gemina potestate res humanas regi ex sacris Litteris accuratissime tradidere[4], quarum proinde concordia publicam pacem totiusque generis humani statum contineri certissimum sit, dicente Propheta: *Ecce vir, Oriens nomen ejus*, Zorobabel in persona, in figura Christus, certe populi Dei Dux et Princeps. *Et ipse extruet Templum Domino; et ipse portabit gloriam, et sedebit, et dominabitur super solio suo; et erit Sacerdos super solio suo; et consilium pacis erit inter illos duos*[5]. Stet ergo utrumque solium, alterum
b Principis, alterum Sacerdotis, auxilio mutuo, mutua consensione munitum; hinc populi salus; hinc non tantum corporum, sed etiam animarum lucra proveniant; hinc denique res humanae stabili ac Deo pariter hominibusque placita tranquillitate decurrant.

Quae cum ex Patrum traditione ipsaque adeo prophetica ac divina auctoritate descenderint, ubi eam pacem nostris temporibus occasione Regaliae sollicitari vidimus, coepimus cogitare, quid Majores nostri, quid antiqui Sedis Apost. Antistites praescriberent, pro certo habituri, quod verbo pariter et exemplo docuissent. Sic autem comperimus, quae ecclesiastica auctoritate, aeterna lege sancita essent, manere inconcussa; quae eccles. prohibitione constarent, in his Ecclesiarum Principes multa pro tenore canonum districtius judicasse, multa pro temporum necessitate tolerasse; ubi non periclitatur fidei veritas aut morum honestas, quaedam instituta temperari, non caeca tamen et indiscreta relaxatione disciplinae, sed si adesset necessitas, ex qua leges quoque mutari contingeret; Sanctos enim Pontifices, Antecessores Vestros, ita praecepisse: *Ubi necessitas non est, Sanctorum Patrum*
c *Decreta manere inconvertibilia*[6]; eadem ergo Decreta ex necessitate interdum temperanda, eam vero necessitatem esse, si graves dissensiones, si turbulenti motus tumultusque imminerent, quam populorum stragem Sancti Patres vocant; tunc enim charitatem, quae Summa Ecclesiae lex sit, alias emollire ac temperare leges, ac *detrahendum aliquid canonum severitati, ut majoribus morbis sanandis charitas sincera subveniat*[7], hinc nempe profectam a Sanctis Patribus ipsaque Apostolica Sede toties celebratam moderationem canonum, quae utili dispensatione et provida compensatione librata, Ecclesiam aedificet, propulset dissidia, Regnum et Sacerdotium firma pace componat.

Haec ex Sancto Augustino aliisque Patribus; haec ex Sanctis Pontificibus, Leone, Gelasio caeterisque Majores nostri didicerunt nobisque tradiderunt: *Salvo* scilicet *fidei fundamento, et communi morum regula, toleranda quaedam, etiam facienda, quae infirma videantur; haec enim facit charitas, quae operit multitudinem peccatorum, quae cum infirmantibus infirmatur, cum scandalizatis uritur et omnibus omnia fit, ut omnibus prodesse mereatur*[8]. Quodsi jus illud Regium, quam Regaliam dicimus, aut
d Fidei fundamentis aut morum regulis esset adversum, non illud utique sancti Pontifices doctrina et pietate conspicui: Alexander III., Innocentius III. atque alii comprobassent; non illud denique Sacrum Generale Lugdunense Concilium tot personis totque sub titulis sua auctoritate firmasset. At enim extendi vetuit ad eas Ecclesias, quae primaeva atque innata libertate gauderent; sed ut hanc interim quaestionem omittamus neque

[1] Ep. 219. [Opp. S. Bern. ed. Migne I, 384. A.]

[2] Ivo Carnotensis Ep. 238. [Ed. Migne PP. lat. tom. 162. col. 245. D.]

[3] S. Bernardus Ep. 219. supra cit.

[4] Gelasius Papa ad Anastasium imperat. Ep. 8. [Opp. Gelasii PP. lat. Ed. Migne tom. 59. col. 42. A.]

[5] Zachar. 6, 12. 13.

[6] S. Bernardus Tract. de praecepto et dispensatione c. 4. [Opp. S. Bern. ed. Migne I, 866. A.]

[7] S. Aug. Ep. 50. (al. 185. Opp. S. Aug. ed. Bened. II, 661. C.]

[8] Ivo Carnotensis Ep. 214. (Ed. Migne PP. lat. tom. 162. col. 218. C.]

minutatim verba Concilii variosque sensus, quaeque antegressa, quaeque consecuta sint, expendamus: id sane liquido constat, nullum esse periculum, ut extensum Fidei moribusque noceat, quod illaesa Fide salvaque morum regula longe lateque propagatum plurimas jam Regni Ecclesias occuparit; ex quo illud efficitur, Regaliae causam non ad *Fidei* morumque *regulam,* quae *immobilis et irreformabilis* [1] sit, sed ad disciplinam, quae pro locis ac temporibus subinde mutetur, quaeque temperamenta ac salubrem illam moderationem admittat, omnino pertinere.

Jam ergo constituto quaestionis statu, Beatissime Pater, quantum intelligimus, rem totam expediri haud difficile fuerit: cum id unum inquirendum restet, justane causa fuerit, cur post Ecclesiarum quarumdam libertatem totis sexaginta annis strenue propugnatam, victi in eo Tribunali, quod ipsi antiquo more Regni appellavimus, acquiescere potius quam omnia commovere, Regiam potestatem cum Pontificali committere, nova denique bella ciere vellemus. Nos pacem anteponimus, nec in simili causa piget imitari Vindocinensem Abbatem non minus fortitudine, quam prudentia clarum, cujus verbis dicimus: *Habeat Ecclesia suam libertatem; sed summopere caveat, ne, dum nimis emunxerit, eliciat sanguinem, et dum rubiginem de vase conatur eradere, vas ipsum frangatur* [2].

Neque vero publicam pacem ac sub tanto Rege prosperum rerum Ecclesiasticarum cursum turbatum oportebat. Adhibe pias aures, Sanctissime Pontifex, et tantisper cogita, quem Regem habeamus: non invictam bello dexteram ac decora victoriarum praedicaturi sumus pacifici Sacerdotes: habent illae laudem suam universis Gentibus celebratam ac pacis gloria cumulatam. Utinam, Beatissime Pater, rebus nostris interesse et coram intueri posses (paternis sane oculis dignum spectaculum), quam benigne Optimus Princeps Episcopos audiat, quam rebus Ecclesiae faveat, quam bonos fulciat, quam invicta auctoritate frangat contumaces, quam coelestem illam nobis a Domino traditam potestatem intemeratam velit. Eo protegente, Jurisdictio Episcopalis propemodum profligata emergit e tenebris: nostris jam Decretis, nostrae auctoritati Parlamenta obsecundant, ac Regia Decreta Canonicae disciplinae ancillantur. Jam vero Haeresis quot accipit subinde salutares plagas? Quot Edictis comprimitur? Quot amissa Templa luget? — Quantas nobilium plebejorumque turbas ad Petri, hoc est, Christi ovile revocatas? Quid deinde referemus, ut Regius animus exosas habeat novitates omnes nulloque Regni loco consistere patiatur? Est profecto Ludovicus Magnus alter ille Mauritius a Sancto Gregorio Antecessore Vestro toties commendatus: *Cujus temporibus Haereticorum ora conticescunt, quia, etsi eorum corda in insaniam perversi sensus ebulliunt, Catholici tamen Principis tempore prava, quae sentiunt, eloqui non praesumunt* [3].

Haec coram admiramur, haec luculentius Vestra quoque Sanctitas ab altissima illa, cui totus orbis subest, Petri Sede commemorat; his Apostolicum Vestrum pectus exultat; si quid fortasse tot inter prospera emergit incommodi, non omnia proinde ad juris apices exigimus; magno enim Cyrillo Alexandrino Praesule docente [4], didicimus, oeconomia rerum plerumque cogi nos etiam a stricto et confesso Ecclesiae jure discedere. Quanti vero aestimamus illa privilegia aliquot Ecclesiarum, si emolumentis damna contendimus? Quid, quod illud onus vix Ecclesiae sentiunt, vacantium Ecclesiarum fructibus, quos Reges vindicare fisco in Ecclesiarum longe maxima parte non dubia consuetudine poterant, successori reservatis, rebusque ad Canonum auctoritatem Ludovici Decimi tertii augustae memoriae Edicto redactis? Quid, quod in quibusdam Praebendis ac Dignitatibus conferendis, si quid erat asperius, nobis supplicantibus, a Rege mollitum, tanti Principis pietatem largitatemque commendat? Quid, quod Capitulis sua jura servata, certique Judicibus praescripti limites, ne Regaliae nomine omnia invadantur?

Id subjuncta his litteris gesta testantur, certoque indicio sunt, quam bene illi aliqua concedantur, qui multa jam sibi possessione vindicata ultro concedat.

[1] Tertullianus de Virginibus velandis. [Opp. Tert. ed. Migne II, 889. A.)

[2] Goffridus Vindocinensis opusculo IV. [Ed. Migne tom. 157. col. 220. C.]

[3] Lib. 11. ep. 46. [Opp. S. Greg. M. Ed. Migne III, 1165. C.]

[4] Ep. ad Gennadium presbyt. et archimandritam. (Opp. S. Cyr. Alex. Ed. Migne X, 319. A.]

a Sed enim exprobrabunt, qui votis suis omnia metiuntur, leve illud quoque (sic enim sentiunt), quod Rex Christianissimus tanto studio assertum Coronae suae velit, nobis auctoribus ac flagitantibus potuisse dimitti: nae illi falsi sunt rerumque nostrarum imperitissimi. Liceat vero nobis, Beatissime Pater, quando eo in cardine totius negotii summa versatur, paulo liberius interturbare graves illas curas Apostolicae mentis ac jus Regaliae, Francorum Regibus totique Regno infixum, prout nostris hominibus insitum inditumque est, ab ortu repetere.

Sic nempe inclamant Regii Magistratus, Christianissimos Reges jam inde a Clodovaeo ac primis Christianae Religionis exordiis Ecclesiarum omnium, ut pietate filios, ita effusissima liberalitate nutritios et Regia defensione propemodum Patronos ac Tutores extitisse: ea vero, quae Ecclesiae in fundis haberent, teste Augustino, jure Caesareo, hoc est, Regio obtineri, supremamque eorum omnium potestatem penes Reges esse. Hinc a priscis temporibus vacantium Ecclesiarum Regia manu occupata bona, mox reddita Successoribus: nec a Sede Apostolica reprobata, quae huic juri tuendo antiquissimis etiam temporibus Re-
b ges Francorum fecissent; Praebendas quoque, hoc est nativo sensu, stipendia Clericorum, partem Ecclesiasticae possessionis ac proventus, needum a toto discretas, si vacarent Ecclesiae, eodem quoque jure a Principibus collatas; quarum quippe collatio et antiquo jure a solida massa decidi non posset, et recentioribus quoque juris Pontificii institutis in fructu haberetur. Haec omnia ab antiquo Regibus de se bene meritissimis concessisse Ecclesiam, sane consensisse, jusque illud utriusque potestatis consensione firmatum, Regiae Majestati proprium atque congenitum ita coaluisse, ut distrahi nequeat; neque vero fas esse, ut Ecclesiae primis Francici Imperii temporibus diverso jure haberentur, quas eadem Regia protectione fulciri, eadem liberalitate ditari, ejusdem Majestatis reverentia ac potestate contineri certum esset. Si quid ergo tristioris diversitatis exortum sit, id esse referendum ad illa tempora, queis scissum Regni corpus, Ducumque et Comitum olim innocuo, tunc infausto nomine avulsa ac discerpta membra vix inter se cohaererent: hos enim Principes, Regalibus occupatis, saepe etiam sine Regum conscientia relaxatis, omnia perturbasse: at postquam Regia
c potestas distractas Provincias ad sese revocavit, et afflictum diu dissipatumque Regnum suam demum integre sub uno Capite nobilissimo pariter ac valentissimo sanitatem intellexit, tunc obliterandam, quae laceros artus olim dehonestabat, foedam diversitatem, nec Regio juri ex antiquissimis receptisque Regni Francici legibus nocere potuisse possessionem intermissam, quam et per Principes sibi subditos diu retinuissent, nec ipsi unquam animo dimisissent; universasque Ecclesias non tantum ad decorem, sed etiam ad robur firmamque compagem eodem denique jure componendas. Neque vero obstare Lugdunense Concilium, quippe quod nec Reges nominet, ex Pontificiis quoque Decretis pro sua Majestate specialiter appellandos, nec de Praebendis loquatur, et alio verti possit, neque a Pontificibus Regibusve in quaestione Regaliae, cum de ea maxime ageretur, memoratum aut leviter saltem indicatum fuerit.

Haec utcumque se habent; neque enim lubet commemorare, quae Antecessores nostri reposuerint, aut litigare est animus coram Vestra Sanctitate pacis negotium tractaturis; haec, inquam, adeo Regiis Magistratibus infixa menti sedent, ut a se
d avelli nulla ratione patiantur, causaque ceciderimus, eorum quoque sententia, qui et aequitatis laude florerent et in nostrum ordinem essent propensissimi; qua consensione victus Rex Maximus, satisque sibi conscius, quam ab invadendis Ecclesiarum juribus abhorreret, jus Regium putat, quod in universum Regnum pene diffusum, suo velut cursu undique protendatur, rerum similitudine parique Ecclesiarum conditione velut in proclive ductum. Quid hic nobis mentis, Sanctissime Pontifex, plane simpliciterque dicemus; haec neque omnia ut certa proponimus, nec ut erronea et fidei regulis adversa propulsamus; ac dispensationi providae locum esse censemus, gravissimos scilicet auctores secuti, Apostolicos viros, Antecessores Vestros.

Prodeat sane vir maximus, non minus in sacris litteris, quam in Canonum disciplina versatus, Innocentius III., atque in simili causa quid agendum sit, doceat: de Regalibus agebatur; jure autem Regalium multa contineri, quae jam Ecclesiis Regum liberalitate remissa sint, certo certius est. Primum jus procurationis sive hospitii, quo Episcopi Abbatesque Regem domo excipere totamque cum ipso curiam publicasque personas alere

certis temporibus: tum jus exercitus, quo certos milites ad Regium exercitum ducere eosque alere deberent: et quidem occupari a Rege Ecclesiarum bona, non modo si illae vacassent, verum etiam si Episcopi consueta, quae vocabant, servitia omisissent; eaque omnia ab eodem fonte Regalium existere, et perspicuum ex sese est, et ipse Innocentius profitetur. Duo ergo Episcopi a Rege accusati, quod illius injussu milites abduxissent, eorum Regalia manu Regia confestim invaduntur, nulla judicii forma; nec tantum Regalia, sed etiam alia bona, quaecumque possiderent; id enim juris Regii esse Rex contendebat: Episcopi id negare, tum factum excusare, vim illatam conqueri, gravissimasque expostulationes deferre ad Innocentium. — Quid ergo tantus Pontifex? Suscepta, ut decebat, Episcoporum causa, Philippum Augustum aggreditur, multa interminatus multisque adhortatus: *Ne inter Regnum et Sacerdotium scandalum orir etur* [1]; intentato quoque Apostolicae censurae metu, nisi Episcopis Regalia aliaque omnia praeter jus fasque (sic enim ferebat) occupata relaxaret. Gravis sane causa, in qua Rex Maximus censura cohibendus [2] esse videretur, sed interim Innocentius ad Episcopos scribit: *Fraternitati Vestrae consulimus bona fide, quatenus cum charissimo Filio nostro Rege, quanto melius poteritis, componere studeatis; quoniam arcus, qui semper est tensus, vires amittit, et nonnunquam Reges melius vincuntur mansuetudine quam rigore* [3]. Praeclare ille quidem, ubi nullum fidei, nullum morum regulae creatum periculum est. Sed particulare factum, inquient, nec in exemplum trahendum; et tamen agebatur, uti praedictum est, non tantum de Episcoporum facto, sed etiam de Regalium jure, quousque pateret, quae bona complecteretur, qua forma exerceri posset; sed haec omittamus. Quid Benedictus Duodecimus, unus omnium Pontifex et constantiae et prudentiae laude ornatissimus? Is Philippum Valesium Regem, edita Philippina, multa [4] Regaliae Juri ab antiquo more diversa velut inserentem, gravissimis monitis ab ea tutanda lege deterruit; sed praeclare functus officio, ab negotio destitit; neque enim omnia urge da Pontifici, nec exacte semper ad minutos quosque apices res Ecclesiasticas deducendas: Philippinaque ad nostra usque tempora stetit incolumis.

Sed ne Vestrae Sanctitati molesti simus, postremum commemoramus Bonifacium Octavum; nec tamen refricamus infausta illa dissidia, quae nec sine lacrymis legi queant: abeant illa in tenebras aeterno sepelienda silentio. Id de Bonifacio referre lube, quod ad pacem conducat, quod dignitatem pariter atque clementiam Summae Sedis deceat. Grave erat Bonifacio, a Philippo Pulchro pleno etiam jure conferri Praebendas seu Regaliae seu quovis alio titulo, nec tamen negabat Pontifex, imo profitebatur, id *fieri posse Ecclesiae consensu tacito vel expresso* [5]. Rex interim se possessione tuebatur: eo enim jure a se conferri Praebendas, *quo a Majoribus et a Sancto Ludovico avo datae essent.* Recte ille et ordine, ut videtur; satis enim constabat, reclamante nemine, eo jure usos; neque fraudi esse poterat optimis Regibus, quod ad Jus Regium ea revocabant. Id enim Jus Regium esse, quod Coronae Regiae ab antiquo insitum coalitumque sit: atque ut ex simili rem conficiamus, an non Patronatus, quos vocant Laicos, ipsis quoque terris atque dominiis ex possessione inhaerere ac quasi temporalis juris loco esse constat, cum tamen id juris ex Ecclesiasticae potestatis fonte profluere nemo non fateatur? Quanto ampliora Regibus et Beneficentia et propria Majestas conciliare potuit? Neque id Bonifacium juris consultissimum fugiebat; sed cum in ancipiti esse videretur, quatenus Juri Regio Praebendas conferendi Ecclesiae consensus accessisset, quod dubium, quod illicitum reputabat Pontifex, de potestatis plenitudine concedebat ac licitum faciebat. *Quid enim litigamus,* inquit, *volumus, ut Rex faciat licite, quod facit illicite, volumus super hoc sibi facere gratiam omnem, quam poterimus.* Sic, quem nodum solvere ex Pontificis sensu antiqua monumenta juraque non poterant, Apostolicae potestatis gladio amputabat; atque id Bonifacius Octavus tot inter simultates conferre ultro voluit in Philippum Pulchrum, quanta Innocentius Undecimus benevolentissimus et propensissimus in Ludovicum Magnum. Neque vero ambiguum, quid orbis Christianus expectet, si Pontifici Pontificem, Regem denique Regi componamus. Id tantum postulamus, ne plus aequo audiantur, qui in Jure Coronae novas haereses fingunt, nimisque intelligendo faciunt, nihil ut intelligant praeposteri homines, qui, quem exsufflant pulverem, ut praeclare Sanctus Augustinus, in suos aliorumque excutiunt oculos. Vestra vero Sanctitas haec omnia supergressa Christianique orbis intenta commodis, tantas contentiones, ex tenui ortas, sed in gravissima mala, nisi Deus avertat, aliquando erupturas, Apostolica auctoritate componat; pacem expetimus, pacem flagitamus, pacem, quae Vestrum nomen tanta pietatis ac sanctitatis laude omnibus Gentibus ipsisque adeo Ecclesiae hostibus clarum venerandumque immortalitati consecratura sit. Satis jam superque Parens Optimus Devotissimusque Filius, repugnante animo, altercantur. Nos quidem, Beatissime Pater, ut gratias agimus, quas possumus maximas, quod Jura quarundam Ecclesiarum, quae nobis omnibus communia facit ipsa Fraternitas, sarta tectaque esse vultis, ita nostra causa concuti Orbem Pacemque Christianam conturbari nolumus; quare eo quoque, quidquid inerat, jure decessimus, id in Regem Optimum atque Beneficentissimum ultro contulimus. *Etsi forte propter Canonum rigorem minus licebat, factum est tamen, quia Ecclesiasticae paci sic expediebat; cum enim plenitudo legis sit Charitas, in hoc legibus obtemperatum esse credimus, in quo Charitatis opus impletum esse cognovimus* [1].

Quae a nobis acta, si Vestra Sanctitas dignetur inspicere, probaturam esse pro sua aequitate confidimus. Sane summa consensione pronaque omnium nostrum voluntate gesta esse testamur, cum praesertim nemo sit, qui rebus nostris intellectis, ac perpensis omnibus, quae recens nobis supplicantibus a Rege Maximo statuta sunt, non ultro fateatur, plura et ampliora concessa quam dimissa, atque Ecclesiae causam Regia aequitate ac liberalitate meliore nunc omnino conditione esse: quamobrem obsecramus, ut, quae a nostra humilitate non modo publicae pacis intuitu, sed maximo Ecclesiae emolumento gesta sunt, quaeque Rex Maximus tanto Religionis studio tantaque omnium nostrum obtestatione concessit, Regiis Magistratibus nequicquam reclamantibus, sic Vestra Sanctitas complectatur, ut Sacerdotii Regnique concordiam aeternum firmet et sanciat.

Quid enim luctuosius, quam sub tanto Pontifice ac tanto Rege, quorum consensione tot in Ecclesiam bona redundatura sint, per invisa et importuna dissidia eludi expectationem Orbis et publica commoda retardari? Sane ex quo Ecclesia est, Sede Apostolica Regnoque Francorum nihil conjunctius fuisse, et maximo honori ducimus, et Vestri Antecessores libentissime praedicant; hanc vero perpetuam conjunctionem animorum nostris quoque temporibus auctam oportuit. Quid enim videt Orbis Magno Ludovico majus? Quem Turcae saevienti graviorem hostem? Quam expeditiorem manum? Quem animum promptiorem? Quem idoneum magis, quicum ea, quae Vos assidue pulsant, coërcendi hostis atque amplificandae Ecclesiae communicare consilia, quem ad ardua quaeque jam sponte currentem incitare possitis? Ne vero prohibeat Vestram Sanctitatem Ecclesiarum aliquarum haud tantis sane motibus digna libertas: solet Ecclesia Christi quaedam omittere, ut alia, eaque potiora, servet, multa quoque in melius ferendo commutare. Ipsa Regalia quantum imminuta est, cum pii Principes a potiundis fructibus jam abstinuerint et gravissima onera alendorum militum ac Procurationum sponte remiserint, ut jam illi a nobis, si necesse sit, memorem animum suo quodam jure reposcere videantur? Quid attinet commemorare in Episcopis atque Abbatibus eligendis, investituris, in jussionibus, permissionibus, assensionibus Regiis, in Episcopatuum et Abbatiarum concessione et dono, in Hominiis quoque et Sacramentis fidelitatis quam multa, primum censuris gravissimis reprobata, mox ultro concessa sint? Ipsa Apostolica Sedes, arx Ecclesiasticae libertatis, quam multa Principum in seipsam quoque jura toleravit, imo aliquando concesserit, ipsa temporum mora excussa cervicibus et in optimum statum sponte restituta? An ergo Ecclesia *levitate usa est? fuitque in illa est et non?* [2] Absit, sed satis sibi conscia aeternitatis suae ipsique veritati semper immobili animo adhaerescens, aliqua sui parte humanis se rebus utcunque accommodat, nec tam temporibus quam animarum saluti servit. *Haec dicendo*

[1] Lib. 13. ep. 190. [Opp. Innoc. III. Ed. Migne III, 359. B.]
[2] Lib. 3. ep. 40. (?)
[3] Lib. 3. ep. 107. [? Fortasse Lib. 13. ep. 191.]
[4] Rainaldus ad a. 1337. n. 17.
[5] Histoire du différent de Boniface VIII. et de Philippe le Bel, page 90. 93. 78.

[1] Ivo Carnotensis ep. 190. [Ed. Migne t. 162. col. 196. D.]
[2] 2. Cor. 1, 17.

doctam Paternitatem Vestram non docemus, sed eamdem consulendo a *et rogando monemus, ut ibi consilii et pietatis studeatis visceribus abundare, ubi fas non est fortitudinem exercere* [1].

Quare, Beatissime Pater, ad Sacros Vestros pedes rite provoluti atque Apostolicam Benedictionem expectantes, Summum illum Ecclesiae vestrique unici Primatus Auctorem oramus, obsecramus, uti mentem Vestram ad pacis consilia inflectat, et quae pacis studio exemplo Majorum Sanctitas Vestra gesserit, ea in Vestram gloriam, quam in Christo habetis, totique Ecclesiae utilitati vertat.

Datum Parisiis tertio Nonas mensis Februarii, Anno 1682.

Obsequentissimi et devotissimi Filii et Servi Vestri,

Archiepiscopi, Episcopi et alii Ecclesiastici Viri in Comitiis Generalibus cleri Gallicani Parisiis congregati.

Franciscus Archiepiscopus Parisiensis Praeses.

De Mandato Illustrissimorum et Reverendissimorum Archiepiscoporum totiusque Coetus Ecclesiastici in Comitiis Generalibus cleri Gallicani Parisiis congregati. b

VIII.

Responsio Innocentii XI. Pontif. Max. ad epistolam cleri Gallicani.

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, Episcopis et aliis Ecclesiasticis viris, in Comitiis Generalibus cleri Gallicani Parisiis congregatis.

Paternae Charitati, qua Charissimum in Christo Filium nostrum Ludovicum Regem Christianissimum, Ecclesias vestras, vos ipsos et universum Regnum istud amplectimur, permolestum accidit ac plane acerbum cognoscere ex vestris litteris die tertia Februarii ad Nos datis, Episcopos Clerumque Galliae, qui corona olim et gaudium erant Apostolicae Sedis, ita se erga illam in praesens gerere, ut cogamur multis cum lacrymis usurpare propheticum illud: *Filii matris meae pugnaverunt adversus* c *me.* Quamquam adversus vos ipsos potius pugnatis, dum Nobis in ea causa resistitis, in qua vestrarum Ecclesiarum salus ac libertas agitur, et in qua Nos pro juribus et dignitate Episcopali in isto Regno tuenda, ab aliquibus ordinis vestri piis et fortibus viris appellati, absque mora insurreximus, et jam pridem in gradu stamus, nullas privatas Nostras rationes secuti, sed debitae Ecclesiis omnibus solicitudini et intimo amori erga vos Nostro satisfacturi. Nihil sane laetum et vestris nominibus dignum eas litteras continere, in ipso earum limine intelleximus. Nam praeter ea, quae de norma in comitiis convocandis peragendisque servata afferebantur, animadvertimus, eas ordiri a metu vestro, quo suasore numquam Sacerdotes Dei esse solent in ardua et excelsa pro religione et Ecclesiastica libertate vel aggrediendo fortes vel perficiendo constantes: quem quidem metum falso judicavistis posse vos *in sinum Nostrum effundere.*

In sinu enim Nostro hospitari perpetuo debet charitas Christi, quae foras mittit et longe arcet a se timorem. Qua charitate erga vos Regnumque Galliae paternum cor Nostrum flagrare, multis jam ac magnis experimentis cognosci potuit, quae d hic referre non est necesse. Si quid est autem, in quo benemerita de vobis sit charitas Nostra, esse imprimis putamus hoc ipsum Regaliae negotium, ex quo, si serio res perpendatur, omnis ordinis vestri dignitas atque auctoritas pendet. *Timuistis ergo, ubi non erat timor.* Id unum timendum vobis erat, ne apud Deum hominesque redargui jure possetis, loco atque honori vestro et Pastoralis officii debito defuisse. Memoria vobis repetenda erant, quae antiqui illi Sanctissimi Praesules, quos quamplurimi postea qualibet aetate sunt imitati, Episcopalis constantiae et fortitudinis exempla in hujusmodi casibus ad vestram eruditionem ediderunt. Intuendae imagines praedecessorum vestrorum, non solum qui Patrum, sed qui nostra quoque memoria floruerunt; et qui Ivonis Carnotensis dicta laudastis, debuistis facta etiam, cum res posceret, imitari. Nostis, quae is fecerit passusque sit in turbulenta illa et periculosa contentione inter Urbanum Pontificem et Philippum Regem, muneris sui esse arbitratus, contra Regiam indignationem stare, bonis spoliari, carceres et exilia perferre, deserentibus aliis causam meliorem. Officii vestri erat, Sedis Apostolicae auctoritati studia vestra adjungere, et Pastorali pectore, humilitate Sacerdotali causam Ecclesiarum Vestrarum apud Regem agere, ejus conscientiam de tota re instruendo, etiam cum periculo regium in vos animum irritandi: ut possetis in posterum sine rubore in quotidiana psalmodia Deum alloquentes, Davidica verba proferre: *Loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum et non confundebar.* Quanto magis id vobis faciendum fuit, tam perspecta atque explorata optimi Principis justitia et pietate, quem singulari benignitate Episcopos audire, Ecclesiis favere, Episcopalem potestatem intemeratam velle, vos ipsi scribitis, et Nos magna cum voluptate legimus in vestris litteris? Non dubitamus, si stetissetis ante Regem pro causae tam justae defensione, neque defutura vobis verba, quae loqueremini, neque Regi cor docile, quo vestris annueret postulatis. Nunc, cum muneris vestri et Regiae aequitatis quodammodo obliti, in tanti momenti negotio silentium tenueritis, non videmus, quo probabili fundamento significetis, vos ad ita agendum adductos, quod in controversia victi sitis, quod causa cecideritis. Quomodo cecidit, qui non stetit? Quomodo victus est, qui non pugnavit? Ecquis vestrum tam gravem, tam justam causam, tam sacrosanctam oravit apud Regem: cum tamen praedecessores vestri eam in simili periculo constitutam non semel apud superiores Galliae Reges, imo apud hunc ipsum libera voce defenderint, victoresque a Regio conspectu discesserint, relatis etiam ab aequissimo Rege praemiis Pastoralis officii strenue impleti? Quis vestrum in arenam descendit, ut opponeret murum pro domo Israel? Quis vel vocem unam emisit memorem pristinae libertatis? Clamaverunt interim, sicut scribitis, et quidem in mala causa pro Regio jure, clamaverunt Regis administri; cum vos in optima pro Christi honore sileretis. Neque illa solidiora, quod reddituri Nobis rationem seu verius excusationem allaturi rerum in hujusmodi Comitiis per vos actarum, exaggeratis periculum, ne sacerdotium et imperium inter se collidantur, et mala, quae exinde in Ecclesiam et in rempublicam consequi possent: proinde existimasse vos, ad officium vestrum pertinere, aliquam inire rationem tollendi de medio gliscentis dissidii: nullam vero commodiorem apparuisse remedio ab Ecclesiae Patribus indicato, utili condescensione canones temperandi pro temporum necessitate, ubi neque fidei veritas neque morum honestas periclitentur: deberi ab ordine vestro, deberi a Gallicana, imo ab universa Ecclesia plurimum Regi, tam praeclare de Catholica religione merito et in dies magis mereri cupienti; propterea vos jure vestro decedentes illud in Regem contulisse. Mittimus hic commemorare, quae significatis de appellato a vobis seculari magistratu, a quo victi discesseritis; cupimus enim, ejus facti memoriam aboleri, et volumus, ea vos verba e litteris vestris expungere, ne in actis Cleri Gallicani resideant ad dedecus vestri nominis sempiternum. Quae de Innocentio tertio, Benedicto duodecimo, Bonifacio octavo in vestram defensionem adducitis: non defuere, qui doctis lucubrationibus ostenderint, quam frivola atque extranea sint huic causae. Et magis notum est, quam ut opus sit commemorare, quo zelo, qua constantia eximii illi Pontifices Ecclesiae libertatem defenderint adversus seculares potestates; tantum abest, ut eorum exempla possint errori vestro suffragari.

Caeterum ultro admittimus et laudamus consilium relaxandi canonum disciplinam pro temporum necessitate, ubi fieri id possit sine fidei et morum dispendio. Imo addimus cum Augustino: *Toleranda aliquando pro bono unitatis, quae pro bono aequitatis odio habenda sunt; neque eradicanda zizania, ubi periculum sit, ne simul etiam triticum eradicetur.* Id ita tamen accipi oportet, ut in aliquo tantum peculiari casu et ad tempus et ubi necessitas urget, licitum sit, sicuti factum est ab Ecclesia, cum Arianos et Donatistas Episcopos, ejurato errore, suis Ecclesiis restitueret, ut populos, qui secuti eos fuerant, in officio contineret. Aliud est, ubi disciplina Ecclesiae per universum amplissimi regni ambitum, sine temporis termino et cum manifesto periculo, ne exemplum latius manet, labefactatur, imo evertitur ipsius disciplinae et hierarchiae Eccles. fundamentum: sicut evenire necesse esset, si, quae a Rege Christianissimo in negotio regaliae nuper acta sunt, conniventibus, imo etiam consentientibus vobis contra sacrorum Canonum et praesertim generalis Concilii Lugdunens. auctoritatem, contra notam jam pridem vobis in ea re mentem Nostram et contra ipsam jurisjurandi religionem, qua vos Deo, Romanae

[1] Ivo Carnotensis Ep. 190. [Ed. Migne tom. 162. col. 197. B.]

vestrisque Ecclesiis obligastis, cum Episcopali charactere imbueremini, (a) haec Sancta Sedes executioni mandari et malum invalescere diutius differendo permitteret, ac non ea Nos, pro tradita divinitus humilitati Nostrae suprema in universam Ecclesiam potestate, solemni more, praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, improbaremus; cum praesertim per abusum Regaliae non solum everti disciplinam Ecclesiae res ipsa doceat, sed etiam fidei ipsius integritatem in discrimen vocari, facile intelligatur ex ipsis regiorum decretorum verbis, quae jus conferendi beneficia Regi vindicant, non tamquam profluens ex aliqua Ecclesiae concessione, sed tamquam ingenitum et coaevum regiae coronae. Illam vero partem litterarum vestrarum non sine animi horrore legere potuimus, in qua dicitis, vos jure vestro decedentes, illud in Regem contulisse: quasi Ecclesiarum, quae curae vestrae creditae fuere, essetis arbitri, non custodes; et quasi Ecclesiae ipsae et spiritualia earum jura possent sub potestatis secularis jugum mitti ab Episcopis, qui se pro earum libertate in servitutem dare deberent. Vos sane ipsi hanc veritatem agnovistis et confessi estis, dum alibi pronuntiastis: *Jus Regaliae servitutem quamdam esse, quae in eo praesertim, quod spectat beneficiorum collationem,* (b) *imponi non potest, nisi Ecclesia concedente vel saltem consentiente.* Quo jure vos ergo jus illud in Regem contulistis? Cumque sacri canones distrahi vetent jura Ecclesiarum, quomodo ea vos distrahere in animum induxistis, quasi eorumdem canonum auctoritati derogare liceat vobis? Revocate in memoriam, quae inclytus ille conterraneus vester, Claraevallensis Abbas, non Gallicanae modo, sed etiam universalis Ecclesiae lumen a vobis merito nuncupatus, Eugenium pontificem officii sui admonens, reliquit scripta praeclare: *Meminisset, se esse, cui claves traditae, cui oves creditae sunt. Esse quidem et alios coeli janitores et gregum pastores, sed cum habeant illi assignatos greges, singuli singulos, ipsi universos creditos, uni unum, nec modo ovium, sed et pastorum Eugenium esse pastorem: ideoque juxta canonum statuta alios Episcopos vocatos fuissé in partem sollicitudinis, ipsum in plenitudinem potestatis.* Ex quibus verbis quantum vos admoneri par est de obsequio et obedientia, quam debetis huic Sanctae Sedi, cui Nos, Deo auctore, quamquam immeriti, praesidemus: tantumdem pastoralis Nostra sollicitudo excitatur ad inchoandam tandem aliquando in hoc negotio, quam nimia fortasse longanimitas (c) Nostra, dum poenitentiae spatium damus, hactenus distulit, Apostolici muneris executionem.

Quamobrem per praesentes litteras, tradita Nobis ab omnipotenti Deo auctoritate, improbamus, rescindimus et cassamus, quae in istis vestris comitiis acta sunt in negotio Regaliae, cum omnibus inde secutis, et quae in posterum attentari contigerit, eaque perpetuo irrita et inania declaramus; quamvis, cum sint ipsa per se manifeste nulla, cassatione aut declaratione hujusmodi non egerent. Speramus, vos quoque ipsos, re melius considerata, celeri retractatione consulturos conscientiae vestrae et Cleri Gallicani existimationi, ex quo Clero, sicuti hucusque non defuere, ita in posterum non defuturos confidimus, qui boni pastoris exemplo libenter animam ponere parati sint pro ovibus suis et pro testamento Patrum suorum. Nos quidem pro officii Nostri debito parati sumus, Dei adjutrice gratia, sacrificare sacrificium justitiae et Ecclesiae Dei jura ac libertatem atque hujus sanctae Sedis auctoritatem dignitatemque defendere, nihil de Nobis, sed omnia de eo praesumentes, qui Nos confortat et operatur in Nobis, et qui jussit Petrum super aquas ad se venire. (d) Praeterit enim figura hujus mundi, et dies Domini appropinquat. Sic ergo agamus, Venerabiles Fratres ac Dilecti Filii, ut, cum summus Paterfamilias et Princeps pastorum rationem ponere voluerit cum servis suis, sanguinem pessundatae et laceratae Ecclesiae, quam suo acquisivit, de Nostris manibus non requirat. Vobis interim omnibus Apostolicam benedictionem, cui coelestem accedere optamus, intimo paterni amoris affectu impartimur.

Datum Romae die 11. Aprilis 1682.

IX.

Epistola Conventus cleri Gallicani ad universos Ecclesiae Gallicanae Praesules.

[Secundum editionem principem Parisiensem a. 1682.]

Illustrissimis ac Reverendissimis Archiepiscopis et Episcopis in toto Galliarum regno constitutis

Archiepiscopi et Episcopi caeterique Ecclesiastici viri a Clero Gallicano deputati Mandato Regio Parisiis Congregati salutem.

Reverendissimi ac Religiosissimi Consacerdotes.

Non Vos latet concussam aliquatenus nuper fuisse Ecclesiae Gallicanae pacem, quandoquidem nos misit Vestrae Fraternitatis Charitas ad illud periculum propulsandum.

Fidenter cum B. Cypriano pronuntiamus, Charissimi Collegae, *Christum,* ut *unitatem manifestaret, unam Cathedram constituisse, et unitatis originem ab uno incipientem sua Auctoritate disposuisse; Eumque, qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia non esse; qui vero Ecclesiae unitatem non tenet, nec fidem habere*[1]. Quare nihil nobis antiquius fuit statim atque *congregati sumus in nomine Christi*[2], quam ut *unius Corporis*[3], quod nos omnes esse inclamat Apostolus, *unus esset spiritus, nec essent in nobis schismata*[4], nedum vel minima cum totius Ecclesiae Capite dissensionis suspicio. Hoc autem eo magis pertimuimus, Honoratissimi Praesules, quod eum Pontificem impraesentiarum nobis providit Deus Optimus Maximus, quem ob eximias, quibus abunde praeditus est, omnium Pastoralium virtutum dotes, non modo Ecclesiae *Petram,* sed etiam tanquam *Fidelium* atque *in omnibus exemplum bonorum operum*[5], debemus jure merito venerari.

Hanc nostrae concordiae et ad tuendam Ecclesiae unitatem conspirationis ideam tam pie, tam docte, tam facunde in omnium nostrum animis praeformavit Illustrissimus Orator, qui primus quasi nostrorum Comitiorum os aperuit, dum Spiritus Sancti gratiam et auxilium communibus votis, sacrificante Illustrissimo Parisiensi Archiepiscopo, nostro dignissimo Praeside, invocavimus; ut inde nostri Conventus felicissimum exitum ominati sint universi.

Non dubitamus equidem, Consacerdotes Reverendissimi, quin pergratum Vobis fuerit, quod a Regis nostri Christianissimi pietate obtinuimus, quodque vicissim ad pacem servandam, ac tanti Principis gratiam conciliandam, simul et ad memoris nostri animi testificationem rependimus; quodque tandem scripsimus ad Sanctissimum Pontificem. Sed operae pretium esse duximus aliquid ulterius explicare, ne quid unquam contingat, quod possit Ecclesiae quietem ordinisque tranquillitatem tantisper commovere.

Sane, cum vel ad levissimam discordiae umbram unusquisque nostrum exhorruerit, existimavimus maxime nos Ecclesiae unitati profuturos, si certas Regulas conderemus, vel potius antiquas in fidelium memoriam revocaremus, quibus tota Ecclesia Gallicana, quam *nos regere posuit Spiritus Sanctus*[6], ita secura esset, ut nemo unquam vel deformi assentatione, vel abrupta falsae libertatis cupiditate, *terminos transgrederetur quos posuerunt Patres nostri*[7]; sicque nos ab omni dissensionis periculo explicata veritas liberaret.

Quandoquidem vero non modo tenemur Catholicorum paci studere, sed etiam procurandae eorum reconciliationi, qui *a Christi Sponsa segregati adulterae conjuncti sunt, et a promissis Ecclesiae separati*[8]: adhuc ea ratio nos impulit, ut eam aperiremus quam veram esse arbitramur, Catholicorum sententiam; sic enim factum iri speravimus, ut *nemo amplius fidelium fraternitatem mendacio fallat, aut fidei veritatem perfida praevaricatione corrumpat*[9]; et qui in Romanam Ecclesiam, erroris nobis affecti specie, velut in reprobatam Babylonem hactenus debacchati sunt, quia mentem nostram vel ignorarunt, vel se ignorare simularunt, detracta tandem falsitatis larva, a calumniis suis imposterum temperent, et in suo schismate, quod tanquam ipsamet Idololatria detestabilius crimen execratur Augustinus[10], diutius non perseverent.

Profitemur itaque, Illustrissimi Praesules, quamvis *duodecim, quos elegit* Jesus et *Apostolos nominavit*[11], sic, ad regendam *in solidum* suam Ecclesiam, constituerit, ut essent *pari,* sicut loquitur S. Cyprianus, *honoris et potestatis consortio praediti*[12], Primatum tamen Petro divinitus fuisse concessum; quod et ab Evangelio discimus, et tota docet Ecclesiastica Traditio. Quare in Romano Pontifice, Petri Successore, *Summam, licet non solam,* cum B. Bernardo, *a Deo institutam Apostolicam potestatem*[13] venerati, servato crediti nobis Christi Sacerdotii honore, Claves primum uni traditas esse, ut unitati servarentur, cum sanctis Patribus Ecclesiaeque Doctoribus praedicamus; sicque Summo-

[1] S. Cypr. l. de Unit. Eccl. [2] Matth. 18. [3] Ephes. 4.
[4] 1. Cor. 1. [5] 1. ad Tim. 4. Ad Tit. 2. [6] Act. 20.
[7] Prov. cap. 22. [8] S. Cypr. lib. de Unit. Eccl. [9] Ibid.
[10] S. Aug. Ep. 162. [11] Lucae 6. [12] S. Cypr. de Unit. Eccl.
[13] S. Bern. lib. 3. de Consid.

rum Pontificum, seu quoad fidem, seu quoad generalem Disciplinae Morumque reformationem, decretis fideles omnes consemus esse obnoxios, ut supremae illius spiritualis Potestatis usus per Canones totius orbis observantia consecratos determinandus moderandusque sit: si qua autem ex Ecclesiarum dissensione gravis difficultas emerserit, *Major*, ut loquitur Leo Magnus, *ex toto orbe Sacerdotum numerus congregetur, generalisque Synodus celebretur, quae omnes offensiones ita aut repellat, aut mitiget, ne ultra aliquid sit vel in fide dubium, vel in Charitate divisum*[1]. a

Caeterum, Fratres Religiosissimi, cum respublica christiana non Sacerdotio tantum, sed etiam Regum et *Sublimiorum Potestatum* Imperio gubernetur; ita quoque ut prospeximus, ne schismatibus dividatur Ecclesia, sic et debuimus omnibus Imperii tumultibus Populorumque motibus obviam ire, in eo praesertim Regno, in quo tot olim, specie Religionis, perduelliones exortae sunt, ac propterea Regiam auctoritatem, quoad temporalia, a Pontificia liberam esse pronuntiavimus, ne si forte Ecclesiastica Potestas crederetur aliquid moliri quod temporalem minueret, christiana tranquillitas turbaretur.

Rogamus porro fraternitatem pietatemque vestram, Reverendissimi Praesules, ut quondam Concilii Constantinopolitani primi Patres[2] rogabant Romanae Synodi Episcopos ad quos Synodalia sua gesta mittebant; ut de iis, quae ad Ecclesiae Gallicanae perpetuo sartam tectam conservandam pacem explicuimus, nobis *congratulemini*, et idem nobiscum sentientes, eam, quam communi Consilio divulgandam esse censuimus, doctrinam in vestris singuli Ecclesiis, atque etiam Universitatibus et scholis vestrae Pastorali curae commissis, aut apud vestras Dioeceses constitutis, ita procuretis admitti ut nihil unquam ipsi contrarium doceatur. Sic eveniet ut, quemadmodum Romanae Synodi Patrum consensione Constantinopolitana universalis et oecumenica Synodus effecta est, ita et communi nostrum omnium sententia noster consessus fiat nationale totius Regni Concilium; et quos ad vos mittimus, doctrinae nostrae articuli, fidelibus venerandi et nunquam intermorituri Ecclesiae Gallicanae Canones evadant. b

Optamus vos semper in Christo bene valere, precamurque Deum immortalem, ut vestram fraternitatem ad Ecclesiae suae bonum florentem et incolumem servet.

Vobis Addictissimi Collegae Archiepiscopi, Episcopi et caeteri Ecclesiastici Viri a Clero Gallicano deputati. c

Franciscus
Archiepiscopus Parisiensis, Praeses.

Parisiis 14. Kalend. April. ann. 1682.

De mandato Illustrissimorum et Reverendissimorum Archiepiscoporum, Episcoporum, totiusque coetus Ecclesiastici in Comitiis Generalibus Cleri Gallicani Parisiis congregati.

Maucroix Canonicus Remensis a Secretis.
Courcier Theologus Eccl. Paris. a Secretis.

X.

Cleri Gallicani de Ecclesiastica potestate Declaratio die 19. Martii 1682.

Ecclesiae Gallicanae decreta et libertates a majoribus nostris tanto studio propugnatas, earumque fundamenta sacris Canonibus et Patrum traditione nixa multi diruere moliuntur; nec desunt qui earum obtentu primatum beati Petri ejusque successorum Romanorum Pontificum a Christo institutum, iisque debitam ab omnibus Christianis obedientiam, sedisque Apostolicae, in qua fides praedicatur, et unitas servatur Ecclesiae, reverendam omnibus gentibus majestatem imminuere non vereantur. Haeretici quoque nihil praetermittunt, quo eam potestatem qua pax Ecclesiae continetur, invidiosam et gravem Regibus et populis ostentent, iisque fraudibus simplices animas ab Ecclesiae matris Christique adeo communione dissocient. Quae ut incommoda propulsemus, Nos Archiepiscopi et Episcopi Parisiis mandato regio congregati Ecclesiam Gallicanam repraesentantes, una cum caeteris ecclesiasticis viris nobiscum deputatis, diligenti tractatu habito haec sancienda et declaranda esse duximus. d

I. Primum beato Petro ejusque successoribus Christi Vicariis ipsique Ecclesiae rerum spiritualium et ad aeternam salutem pertinentium, non autem civilium ac temporalium, a Deo traditam potestatem, dicente Domino, *Regnum meum non est de hoc mundo*, et iterum, *Reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo;* ac proinde stare apostolicum illud: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; Non est enim potestas nisi a Deo. Quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt. Itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Reges ergo et Principes in temporalibus nulli Ecclesiasticae potestati Dei ordinatione subjici, neque auctoritate clavium Ecclesiae directe vel indirecte deponi, aut illorum subditos eximi a fide atque obedientia ac praestito fidelitatis sacramento solvi posse, eamque sententiam publicae tranquillitati necessariam, nec minus Ecclesiae quam imperio utilem, ut verbo Dei, Patrum traditioni, et sanctorum exemplis consonam omnino retinendam.

II. Sic autem inesse apostolicae sedi ac Petri successoribus Christi Vicariis rerum spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant atque immota consistant sanctae oecumenicae Synodi Constantiensis a sede apostolica comprobata, ipsoque Romanorum Pontificum ac totius Ecclesiae usu confirmata, atque ab Ecclesia Gallicana perpetua religione custodita decreta de auctoritate Conciliorum generalium, quae sessione quarta et quinta continentur, nec probari a Gallicana Ecclesia, qui eorum decretorum, quasi dubiae sint auctoritatis ac minus approbata, robur infringant, aut ad solum schismatis tempus Concilii dicta detorqueant.

III. Hinc apostolicae potestatis usum moderandum per canones spiritu Dei conditos et totius mundi reverentia consecratos: valere etiam regulas, mores et instituta a Regno et Ecclesia Gallicana recepta, patrumque terminos manere inconcussos; atque id pertinere ad amplitudinem apostolicae sedis ut statuta et consuetudines tantae sedis et Ecclesiarum consensione firmatae, propriam stabilitatem obtineant.

IV. In fidei quoque quaestionibus praecipuas summi Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes et singulas Ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse judicium nisi Ecclesiae consensus accesserit.

Quae accepta a patribus ad omnes Ecclesias Gallicanas atque Episcopos iis Spiritu sancto auctore praesidentes, mittenda decrevimus; ut idipsum dicamus omnes, simusque in eodem sensu et in eadem sententia.

† *Franciscus* Archiepiscopus Parisiensis, *Praeses.*
† *Carolus Mauritius* Arch. Dux Remensis.
† *Carolus* Ebredunensis Archiepiscopus.
† *Jacobus* Archiepiscopus Dux Cameracensis.
† *Hyacinthus* Archiepiscopus Albiens.
† *Mi. Phelypeaux* P. P. Archiep. Bituricensis.
† *Jacobus Nicolaus Colbert* Archiep. Carthaginensis, Coadjutor Rothomagensis.
† *Ludovicus de Bourlemont* Archiepiscopus Burdegalensis.
† *Gilbertus* Episcopus Tornacensis.
† *Henricus de Laval* Episc. Rupellensis.
† *Nicolaus* Episcopus Regiensis.
† *Daniel de Cosnac* Episc. et Com. Valentinensis et Diensis.
† *Gabriel* Episcopus Eduensis.
† *Guillelmus* Epis. Vasatensis.
† *Gabriel Ph. de Froullay de Tessé* Episc. Abrincensis.
† *Joannes* Episc. Tolonensis.
† *Jacobus Benignus* Episcopus Meldensis.
† *Sebastianus du Guemadeuc* Episc. Macloviensis.
† *L. M. Ar. de Simiane de Gordes* Episc. Dux Lingonensis.
† *Fr. Leo* Episc. Glandatensis.
† *Lucas d'Aquin* Episc. Forojuliensis.
† *J. B. M. Colbert* Ep. et D. Montis Albani.
† *Carolus de Pradel* Episc. Montispessulani.
† *Franciscus Placidus* Episc. Mimatensis.
† *Carolus* Episc. Vaurensis.
† *Andreas* Episc. Antissiod.
† *Franciscus* Episc. Trecensis.
† *Lud. Ant.* Episc. Com. Cathalaunensis.
† *Franc. Ig.* Episc. Com. Trecorensis.
† *Petrus* Episc. Bellicensis.
† *Gabriel* Episc. Conseranensis.
† *Ludovicus Alphonsus* Alectensis Episc.
† *Humbertus* Episc. Tutellensis.
† *J. B. d'Estampes* Massiliensis Episcopus.

[1] S. Leo Epist. 24. ad Theodos. August.
[2] Epist. Synod. Conc. Const. I. ad Conc. Rom.

Paulus Phil. de Lusignan. Ludovicus d'Espinay de Saint Luc. Cocquelin. Lambert. P. de Bermond. A. H. de Fleury. De Viens. F. Feu. De Maupeou. Le Franc de la Grange. De Senaux. Parra Decanus Bellicensis. *De Boche. De Franqueville. M. de Ratabon. Clemens de Poudenx. Bigot. De Gourque. De Villeneuve de Vence. C. Leny de Coadeletz. La Faye. J. F. de l'Escure. Petrus le Roy. De Soupets. A. Argoud* Decanus Viennae. *De Bausset* Praepositus Massiliensis. *G. Bochard de Champigny. De S. Georges* C. Lugdunensis. *Courcier. Cheron. A. Faure. F. Maucroix. Gerbais. De Guenegaud. Fr. de Camps. De la Borey.*
Armandus Bazin de Bessons Cleri Gallicani Agens Generalis.
J. Desmaretz Cleri Gallicani Agens Generalis.

XI.

Edit du Roi sur la Declaration faite par le Clergé de France, de ses sentimens touchant la puissance ecclesiastique.

(Registré en Parlement le 23. Mars 1682.)

Louis par la grace de Dieu Roy de France et de Navarre, à tous presens et à venir, Salut. Bien que l'independance de nostre Couronne de toute autre puissance que de Dieu, soit une verité certaine et incontestable, et établie sur les propres paroles de Jesus-Christ, Nous n'avons pas laissé de recevoir avec plaisir la Declaration que les Deputez du Clergé de France assemblez par nostre permission en nostre bonne Ville de Paris, nous ont presentée, contenant leurs sentimens touchant la puissance ecclesiastique; Et nous avons d'autant plus volontiers écouté la supplication que lesdits Députez nous ont faite de faire publier cette Declaration dans nostre Royaume, qu'étant faite par une Assemblée composée de tant de personnes également recommandables par leur vertu et par leur doctrine, et qui s'employent avec tant de zele à tout ce qui peut estre avantageux à l'Eglise et à nostre service, la sagesse et la moderation avec laquelle ils ont expliqué les sentimens que l'on doit avoir sur ce sujet, peut beaucoup contribuer à confirmer nos sujets dans le respect qu'ils sont tenus comme nous de rendre à l'autorité que Dieu a donnée à l'Eglise, et à oster en même temps aux Ministres de la Religion Pretenduë Reformée le pretexte qu'ils prennent des livres de quelques Auteurs pour rendre odieuse la puissance legitime du Chef visible de l'Eglise, et du centre de l'unité Ecclesiastique. A ces causes et autres bonnes et grandes considerations à ce nous mouvans, aprés avoir fait examiner ladite Declaration en nostre Conseil, Nous par nostre present Edit perpetuel et irrevocable, avons dit, statué, et ordonné, disons, statuons et ordonnons, Voulons et nous plaist, que ladite Declaration des sentimens du Clergé sur la puissance Ecclesiastique cy-attachée sous le contrescel de nostre Chancellerie soit enregistrée dans toutes nos Cours de Parlement, Bailliages, Senéchaussées, Universitez et Facultez de Theologie et de Droit Canon de nostre Royaume, Païs, Terres et Seigneuries de nostre obeissance.

I. Défendons à tous nos sujets, et aux étrangers estans dans nostre Royaume, seculiers et reguliers, de quelque Ordre, Congregation et Societé qu'ils soient, d'enseigner dans leurs Maisons, Colleges et Seminaires, ou d'écrire aucune chose contraire à la doctrine contenuë en icelle.

II. Ordonnons que ceux qui seront dorénavant choisis, pour enseigner la Theologie dans tous les Colleges de chaque Université, soit qu'ils soient seculiers ou reguliers, souscriront ladite Declaration aux Greffes des Facultez de Theologie avant de pouvoir faire cette fonction dans les Colleges ou Maisons seculieres et regulieres; Qu'ils se soûmettront à enseigner la doctrine qui y est expliquée, et que les Syndics des Facultez de Theologie presenteront aux Ordinaires des lieux, et à nos Procureurs Generaux des copies desdites soûmissions signées par les Greffiers desdites Facultez.

III. Que dans tous les Colleges et Maisons desdites Universitez où il y aura plusieurs Professeurs, soit qu'ils soient seculiers ou reguliers, l'un d'eux sera chargé tous les ans d'enseigner la doctrine contenuë en ladite Declaration; et dans les Colleges où il n'y aura qu'un seul Professeur, il sera obligé de l'enseigner l'une des trois années consecutives.

a IV. Enjoignons aux Syndics des Facultez de Theologie de presenter tous les ans avant l'ouverture des leçons aux Archevêques ou Evêques des Villes où elles sont établies, et d'envoyer à nos Procureurs Generaux les noms des Professeurs qui seront chargez d'enseigner ladite doctrine, et ausdits Professeurs de representer ausdits Prelats et à nosdits Procureurs Generaux les Ecrits qu'ils dicteront à leurs Ecoliers, lors qu'ils leur ordonneront de le faire.

V. Voulons qu'aucun Bachelier soit seculier ou regulier, ne puisse estre dorénavant Licentié, tant en Theologie qu'en Droit Canon, ny estre receu Docteur, qu'aprés avoir soûtenu ladite doctrine dans l'une de ses Theses; dont il fera apparoir à ceux qui ont droit de conferer ces Degrez dans les Universitez.

VI. Exhortons, et neanmoins Enjoignons à tous les Archevêques et Evêques de nostre Royaume, Païs, Terres et Seigneuries de nostre obeïssance, d'employer leur autorité pour faire enseigner dans l'étenduë de leurs Dioceses la doctrine contenuë dans ladite Declaration faite par lesdits Deputez du Clergé.

b VII. Ordonnons aux Doyens et Syndics des Facultez de Theologie de tenir la main à l'execution des presentes, à peine d'en répondre en leur propre et privé nom.

Si donnons en mandement à nos amez et feaux les Gens tenans nos Cours de Parlement, que ces presentes nos Lettres en forme d'Edit, ensemble ladite Declaration du Clergé, ils fassent lire, publier et enregistrer aux Greffes de nosdites Cours, et des Bailliages, Senéchaussées et Universitez de leurs ressorts, chacun en droit soy, et ayent à tenir la main à leur observation, sans souffrir qu'il y soit contrevenu directement ny indirectement, et à proceder contre les contrevenans en la maniere qu'ils le jugeront à propos, suivant l'exigence des cas. Car tel est nostre plaisir. Et afin que ce soit chose ferme et stable à toûjours, Nous avons fait mettre nôtre scel à cesdites presentes. Donné à saint Germain en Laye, au mois de Mars l'an de grace 1682. et de nostre Regne le trenteneufviéme. Signé, Louis. *Et plus bas.* Par le Roy, Colbert. *Visa,* Le Tellier. Et scellées du grand Sceau de cire verte.

c Registrées, ouy et ce requerant le Procureur General du Roy, pour estre executées selon leur forme et teneur, suivant l'Arrest de ce jour. A Paris en Parlement le 23. Mars 1682. Signé, ***Dongois.***

XII.

Decretum Alexandri PP. VIII., quo extensio Regaliae et declaratio eccles. potestatis cum quatuor in ea contentis propositionibus nulla et irrita declarantur.

(V. Conc. Benevent. a. 1693. tit. 54. c. 2. p. 89. seqq.)

XIII.

Alexandri VIII. literae ad Ludovicum XIV. a. 1691.

Carissime in Christo Fili noster, salutem etc. Cum in summopere metuendo mortalis hujus vitae confinio constituti, de reddenda judici districto et pulsanti demandatae nobis in Ecclesia Dei supremae administrationis ratione serio cogitemus, d nostrarum esse partium omnino ducimus, irrita atque inania declarare omnia, quae aliquot abhinc annis in isto regno Tuo sive adversus Ecclesiarum ejusdem Regni personarumque et locorum Ecclesiasticorum jura, sive alias adversus Romani Pontificis, Apostolicae Sedis Ecclesiaeque universae auctoritatem acta, gesta et respective pronunciata fuerunt, quaeque inde quomodocumque secuta et secutura sunt, sicuti ex Brevi hac super re edito manifeste apparet. Quia vero nullis concluditur finibus caritas, qua Majestatem Tuam complexi semper sumus et complectimur, susceptam a nobis perquam necessariam hujusmodi deliberationem hisce Tibi significamus: effuso cum paterni cordis affectu etiam atque etiam a Te flagitantes, ut ipsam aequi bonique habeas ac ab universis praedicti Regni tui Ordinibus fideliter servari cures. Sane ubi id praestes, quemadmodum a Filio suo primogenito praefata Sedes et Ecclesia jure merito exspectant, constantem Tibi ab illo, per quem reges regnant, secundorum eventuum faustitatem polliceri procul dubio poteris: dum nos sollicitudinem nostram firma hac in spe non parum

levantes, Majestati Tuae Apostolicam Benedictionem amantissime a impertimur. Datum Romae etc. (30. Jan. 1691.)

XIV.

Episcoporum et praelatorum Galliae retractatio a. 1692.

Beatissime Pater.

Cum in hac tandem exultantis Ecclesiae felicitate ingentes Christiani omnes paternae providentiae Sanctitatis vestrae fructus percipiant, facilemque in sinum Clementiae vestrae aditum experiantur: nihil accidere molestius potuit, quam quod eo nunc loco res nostrae sint, ut aditus in Gratiam Sanctitatis vestrae nobis hactenus interclusus videatur. Cujus quidem rei cum eam fuisse rationem perceperimus, quod nos Cleri Gallicani Comitiis anno 1682. Parisiis habitis interfuerimus: idcirco ad pedes Beatitudinis vestrae provoluti profitemur et declaramus, nos vehementer quidem et supra id, quod dici potest, ex corde dolere de rebus gestis in Comitiis praedictis, quae Sanctitati vestrae ejusque Praedecessoribus summopere displicuerunt. Ac b proinde quidquid de istis Comitiis circa Ecclesiasticam potestatem et Pontificiam auctoritatem decretum censeri potuit, pro non decreto habemus et habendum esse declaramus. Praeterea pro non deliberato habemus illud quod in praejudicium jurium Eccles. deliberatum censeri potuit; mens nempe nostra non fuit quidquam decernere et Ecclesiis praedictis praejudicium inferre: prompti insuper in profundissimi obsequii, quod Sanctitati vestrae profitemur, et demissae reverentiae pignus ita nos gerere, ut de debita nostra, quam ad extremum vitae spiritum Sanctitati vestrae impensissime praestabimus, obedientia et de nostro pro tuendis Ecclesiae juribus zelo nihil unquam possit desiderari. His itaque perlectis nostris Litteris speramus, et Sanctitatem vestram humillime obtestamur, ut nos in gratiam benevolentiamque tandem receptos, Ecclesiis, ad quas Rex noster Christianissimus nos nominaverit, praeficere non dedignetur: quo maturius animarum saluti et Christianae Religionis utilitati, ipsarum Ecclesiarum juribus et dignitati, ut sincere Sanctitati vestrae profitemur, studium omne nostrum et curam impendamus. Interim Beatitudini vestrae tamquam B. Petri Apostolorum Principis Successori, c Christi Domini Vicario totiusque militantis Ecclesiae Capiti, veram et sinceram obedientiam, quam jam promisimus, iterum promittimus, vovemus et juramus, ac multos et felices annos pro bono totius Ecclesiae ex animo precamur.

XV.

Ludovici XIV. literae ad Innocentium XII.

Très-Saint Père,

J'ai toujours beaucoup espéré de l'exaltation de V. Sté au pontificat pour l'avantage de l'Église et l'avancement de notre sainte religion. J'en éprouve maintenant les effets avec bien de la joie dans tout ce que V. Béatde fait de grand et d'avantageux pour le bien de l'une et de l'autre. Cela redouble mon respect filial envers V. Sté, et comme je cherche de lui faire connaître *par les plus fortes preuves que j'en puis donner,* je suis bien aise aussi de faire savoir à V. Sté que *j'ai donné les ordres nécessaires pour que les choses contenues dans mon édit du 22e mars* d *1682, touchant la Déclaration faite par le Clergé de France, à quoi les conjonctures passées m'avaient obligé, ne soient pas observées.* Désirant que non-seulement V. Sté soit informée de mes sentiments, mais aussi que tout le monde connaisse par une marque particulière la vénération que j'ai pour ses grandes et saintes qualités, je ne doute pas que V. Béatde n'y réponde par toutes les preuves et démonstrations envers moi de son affection paternelle, et je prie Dieu cependant qu'il conserve V. Sté plusieurs années et aussi heureuses que le souhaite, Très-Saint-Père, votre dévot fils, *Louis.* A Versailles, le 14 septembre 1693.

XVI.

Conventus Episcoporum Hungariae adversus declarationem cleri Gallicani Tyrnaviae habitus 23. Oct. 1682.

(Car. Péterffy, S. Concilia in Hungaria celebrata. t. II. p. 438. seqq.)

Georgius Szelepchény,

Dei et Apostolicae Sedis Gratia Ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis Archiepiscopus Locique et Comitatus ejusdem supremus ac perpetuus Comes, Primas Regni Hungariae, Legatus natus, Summus et Secretarius Cancellarius, S. C. R. Majestatis Intimus Consiliarius,

Universis et singulis Christi Fidelibus, in Hungariae Regno constitutis, Salutem [1].

Ubi primum Ecclesiae Strigoniensi praefecti fuimus, actutum in eam curam et cogitationem pro adepti muneris officio incumbere coepimus, ut Nationalem Synodum indicere celebrareque possemus: quatenus Dei adjutrice gratia illa in ea inveniretur provisio, per cujus salutiferam executionem eliminarentur errores, evellerentur vitia, corrigerentur excessus, reformarentur mores, plantarentur virtutes, roboraretur Catholica fides, Sacrae Sedis Apostolicae firmaretur Auctoritas.

Cum vero terribiles continuo in Inclyto hocce Hungariae Regno excitarentur tumultus, et gravissimae exarderent seditiones, imo (quod sine maximo animi dolore nec meminisse possumus nec referro) augerentur in dies, adnitente nimirum humani generis hoste aliaque ex aliis impedimenta adhuc etiam objiciente, ut tantum Ecclesiae Hungaricae beneficium vel prorsus auferat vel saltem quam diutissime retardet: eapropter tam pium ac salutare opus a nobis hactenus impleri non valuit.

Clementissimus tamen et misericors Dominus, qui nunquam ita irascitur, ut misericordiae non recordetur, nobis quoque pacem et unanimitatem donare dignabitur, ut praefata Nationalis Synodus suo tempore celebretur.

Non praetermittimus interim (quantum nobis ex alto conceditur) vigili cura commissum nostro regimini gregem in viam mandatorum Domini dirigere, divini Nominis cultum protendere, fidem Catholicam ampliare, ea demum prompto corde et efficaci desiderio inquirere, quibus Orthodoxa Romana Ecclesia exaltetur, falsae doctrinae, perversi errores extirpentur, supremi in terris Christi Vicarii potestas integra inviolataque persistat. Inter caetera autem, quae se nobis corrigenda et eliminanda obtulerunt et moram pati non possunt absque evidenti periculo animarum, non ultimum locum tenent quatuor illae Propositiones, quae Cleri Gallicani nuper Parisiis congregati nomine prodierunt, videlicet:

Primum: Beato Petro etc. [Vide supra p. 831].

Quae quidem propositiones, auribus Christianis absurdae et plane detestabiles, cum per Hungarici quoque Regni Provincias a satanae ministris disseminatae sint eo fortasse consilio, ut perduellioni et caeteris malis intestinis pabulum et fomentum suppeditent, et [in] incautos fidelium animos blanda pietatis specie Schismaticum virus instillent: Nos, omissa in praesens cura eas confutandi, cum perpetua Sanctorum Patrum traditione, Oecumenicorum Conciliorum Decretis et apertis ipsius divini Verbi testimoniis satis explosae confutataeque sint, quamvis nonnulla scripturae loca Auctores propositionum in suam sententiam callida et falsa interpretatione detorqueant, neque desint insignes Theologi, qui has partes strenue exequantur: Praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, qui in hujusmodi casibus unanimi Consilio et Spiritu noxias doctrinas et in fide periculosas proscripserunt, sicut ex variis hujus Apostolici Regni Comitiis et Conciliis, quae variis temporibus et occasionibus habita fuerunt, plane perspicitur, Dei nomine invocato, et praehabito ea meliori forma, qua per temporis et loci difficultatem licuit, diligenti examine et deliberatione matura cum Venerabilibus Fratribus Coepiscopis nostris, Abbatibus, Praepositis, Capitulis aliisque compluribus Theologiae Professoribus et sacrorum canonum sci-

---

[1] * Car. Péterffy nulla hujus conventus acta reperire potuit praeter hoc edictum. Quod a Gallicanis quidem statim censura notatum (D'Argentré III. 147—149), a Synodo autem Colocensi, cui interfuere clarissimi Antistites: *J. Kunszt*, *F. Szaniszló*, *L. Haynald*, *A. Bonnaz*, *J. Nehiba*, a. 1863. solemniter his verbis approbatum est: *Propositiones Cleri Gallicani a. 1682. editas, quas jam p. m. Georgius Szelepcsény Archiep. Strigon. una cum ceteris Hungariae Praesulibus eodem adhuc anno publice proscripsit, itidem rejicimus, proscribimus, atque cunctis Provinciae fidelibus interdicimus, ne eas legere vel tenere, multo minus docere audeant.*

entia praestantibus viris, praefatas quatuor propositiones configimus et proscribimus et universis istius Regni Christi fidelibus interdicimus ac prohibemus, ne eas legere vel tenere, multo minus docere audeant, donec super eis prodierit infallibile Apostolicae Sedis oraculum, ad quam solam Divino immutabili privilegio spectat, de controversiis fidei judicare; cui propterea has nostras literas, declarationes et Decreta humillime submittimus.

Insuper nos omnes, Primas, Sanctae Sedis Legatus, Archiepiscopi, Episcopi, Capitula, Abbates, Praepositi totius Apostolici ArchiRegni, repetere hoc loco voluimus veterem fidei formulam, quam majores nostri occasione Nationalis Synodi profiteri consueverunt; videlicet:

Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem etc.

(„Hic sequitur professio Fidei, per extensum et de verbo ad verbum juxta formam a Pio IV. Pontifice praescriptam et omnibus notam, usque ad verba: *Sic nos Deus adjuvet et haec sancta Dei Evangelia* inclusive; hoc tamen observato, quod, cum Professio haec fuerit plurium simul congregatorum, enuntiata sit numero plurali, ut supra: *Credimus in unum Deum etc.* Continuat Szelepchény cum suis:")

b Item una voce, publice, unanimi omnium Ordinum consensu atque approbatione, sincere profitemur et spondemus: Sanctae Romanae Ecclesiae, quae unica est et sibi perpetuo constans errare non potest, cum omnibus et ex omnibus Ordinibus et Statibus Regni perpetuo adhaesuros, et sine diminutione nunc quoque perstituros, neque ab ejus institutis, totius Orbis consensu approbatis, ubique florentibus et dilatatis, quovis praetextu discessuros, quin eandem Sacro-Sanctam Romanam Ecclesiam ejusque fidem, ex tot falsis opinionibus, per rerum novarum cupidos disseminatis, erutam et a tempore S. Regis Stephani omniumque aliorum divorum quondam Hungariae Regum constitutionibus stabilitam, pro viribus tuituros et defensuros.

Quare nos, motu proprio zeloque impulsi et Regnum hocce Regnum vere Apostolicum commonstraturi, sic deinceps usque ad extremam sanguinis guttam fidelem operam navabimus, ut contra Ecclesiae hostes rem fortiter geramus, et nihil unquam a recto, nihil a debita Romano Pontifici et Sanctae Sedi Apostolicae reverentia deflectamus, uti hoc in Autographo originali ex nostrum omnium subscriptionibus, a nobis suprascripto Primati porrecto, constat. Datum per manus Vicarii nostri Episcopi Vaciensis et causarum spiritualium per Hungariam Auditoris Generalis, Joannis Kéry, in Libera Regiaque Civitate Tyrnaviensi, Typis Academiae Archi-Episcopalis, die 24. Mensis Octobris Anno Domini 1682. c

Ex mandato nostro speciali etc.

Georgius Szelepchény,
Eccles. Metropolit. Strig. Archi-Episcopus,
Primas Hungariae.

XVII.

Breves notae Claudii Fleury de comitiis cleri Gallicani.

(Nouveaux opuscules de Fleury. II. édit. p. 212. et suiv.)

Chancelier Le Tellier et archevêque de Reims[1] avec l'évêque de Meaux en font le projet principalement pour la régale. Roi voulut qu'évêque de Meaux en fût. Personnes d'autorité.

d Question de l'autorité du Pape regardée comme nécessaire à traiter par l'archevêque de Reims[2] et son père; on ne la décidera jamais qu'en temps de division[3]. Evêque de Meaux répugnait. Hors de saison. Evêque de Tournai voulait la décider. Détourné par évêque de Meaux. On augmentera la division que l'on veut éteindre. Beaucoup que le livre de *l'Exposition* ait passé avec approbation. Cardinal du Perron et Richelieu avaient dit le même, mais sans approbation formelle. Laissons mûrir. Gardons notre possession. A l'archevêque de Reims: Vous aurez la gloire de l'affaire de la régale qui obscurcie par ces propositions odieuses.

Archevêque de Paris ordre du roi de traiter cette question. P. de La Chaise joint. Pape nous a poussés, s'en repentira. Evêque de Meaux propose examiner toute la tradition, pour

[1] Archevêque de Reims en parlait au roi. Appuyé par son père. Evêque de Meaux ne paraissait.
[2] Apparemment excité par Faure.
[3] M. Colbert insistait et pressait le roi.

a pouvoir allonger tant que l'on voudrait[1]. Archevêque de Paris dit au roi que durerait trop. Ordre de conclure et décider sur l'autorité du Pape. M. Colbert pressait.

Evêque de Tournai chargé de dresser les propositions. Mal et scolastiquement. Evêque de Meaux les dresse. Assemblées chez l'Archevêque de Paris où examinées. Disputes. On voulait y faire mention des appellations au concile. Evêque de Meaux résista: ont été nommément condamnées par des bulles de Pie II. et Jules II.: engagés à Rome à les condamner. Ne reculent jamais: ne donner prise à condamner nos propositions.

Affaire de Pamiers et Charonne: tort au fond. Mal, blâmer Evêque de Pamiers, louer Archevêque de Toulouse. Procès-verbal de Fromaget et Benjamin faux. Arrêts du Parlement insoutenables.

Illas notas interpretatus est Emery in hunc modum:

M. Fleury nous apprend donc que le chancelier Le Tellier et l'Archevêque de Reims, son fils, de concert avec l'Evêque de Meaux, formèrent le projet d'une assemblée générale du clergé. La régale en était le sujet principal. C'est l'Archevêque de Reims, appuyé par son père, qui en parla au roi. L'Evêque de Meaux ne paraissait pas. Mais pour donner plus de poids à cette assemblée, le roi voulut qu'il fût du nombre. Le chancelier Le Tellier et l'Archevêque de Reims, poussés apparemment, dit M. Fleury, par Faure, crurent nécessaire de traiter la question de l'autorité du Pape. On ne la jugera jamais qu'en temps de division, disait cet Archevêque. L'Evêque de Meaux répugnait à voir cette question traitée; il la croyait hors de saison, et il ramena à son sentiment l'Evêque de Tournai, qui pensait d'abord comme l'Archevêque de Reims. On augmentera, disait-il, la division qu'on veut éteindre: c'est beaucoup que le livre de *l'Exposition de la doctrine catholique* (où cette question est traitée) ait passé avec approbation. Les Cardinaux Duperron et de Richelieu avaient dit le même, mais sans approbation formelle: Laissons mûrir, gardons notre possession, ajoutait Bossuet. Il disait encore à l'Archevêque de Reims: Vous aurez la gloire d'avoir terminé l'affaire de la régale, mais cette gloire sera obscurcie par ces propositions odieuses.

M. Colbert insistait pour qu'on traitât la question de l'autorité du Pape, et pressait le roi. L'Archevêque de Paris, le P. de La Chaise même, agissaient de leur côté dans le même sens. „Le Pape nous a poussés", disait-on, „il s'en repentira." Le roi *donna donc ordre* de traiter la question.

L'Evêque de Meaux proposa qu'avant de la décider on examinerait toute la tradition. Son dessein était de pouvoir prolonger autant qu'on voudrait la discussion; mais l'Archevêque de Paris dit au roi que cela durerait trop longtemps. Il y eut donc *ordre du prince de conclure et de décider promptement* sur l'autorité du Pape. L'Evêque de Tournai, Choiseul-Praslin, fut chargé de dresser les propositions. Mais il l'exécuta mal et scholastiquement. Ce fut M. l'Evêque de Meaux qui les rédigea telles que nous les avons. On tint des assemblées chez M. l'Archevêque de Paris, où elles furent examinées. On disputa beaucoup, on voulait y faire mention des appellations au concile. Mais l'Evêque de Meaux résista. Elles ont été, disait-il, nommément condamnées par des bulles de Pie II. et de Jules II. Rome est engagée à les condamner. Il ne faut pas donner prise à condamner nos propositions.

XVIII.

Ex opere Francisci Fénelon, Archiepiscopi Cameracensis de auctoritate Summorum Pontificum.

(Œuvres de Fénelon. Édition de Versailles t. 2. p. 269. seqq.)

Cap. 7. *Super ea quaestione narratur controversia domini Bossueti, episcopi Meldensis, adversus dominum de Choiseul, episcopum Tornacensem.*

Dominus Bossuetus, Episcopus Meldensis, non ita pridem defunctus, coram testibus fide dignis mihi saepe narravit ea, quae gesta sunt in generalibus Cleri Gallicani comitiis anno 1682. Haec autem habebat ejusmodi narratio.

Dominus de Choiseul, Episcopus Tornacensis, delectus fuerat, ut Cleri Gallicani Declarationem de pontificia auctoritate scriberet. Scripsit, lecta est. Continuo Meldensis restitit in fa-

[1] Comptait de faire durer et finir quand on voudrait.

ciem, eo quod apostolicam sedem juxta ac personas pontificum a haeresim amplecti posse declararet. Atqui nisi id dixeris, ajebat Tornacensis, Romanam infallibilitatem, velis, nolis, adstruas necesse est. Neque tu, instabat Meldensis, negare potes, fidem Petri in sua sede nunquam esse defecturam; id ex promissis aperte constat; id ex traditione universa lucidissime patet. Si res ita sit, ajebat Tornacensis, tribuenda est absolutissima, non homini quidem sedenti, sed sedi infallibilitas, atque adeo fatendum est, singula decreta, quae ab apostolica sede emanant, esse prorsus irreformabilia et infallibili auctoritate firmari. Objectionem ita solvere conabatur Meldensis. Indefectibilis quidem est hujus sedis fides, neque tamen infallibilia sunt illius judicia. Quomodo probas, ajebat Tornacensis, indefectibilem esse hujus sedis fidem? Id probo ex promissis Christi, ajebat Meldensis; quandoquidem Christus expressissime dixit: Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. En haec est fides Petri, in ejus sede nunquam defectura. Si nosses aliquam uspiam gentium ecclesiam, cui promissum esset a Christo, fidem ejus nunquam esse defecturam, nonne crederes juxta promissum, fidem ejus nunquam defecturam esse? Si huic ecclesiae promissum esset, eam b semper fore unam ex ecclesiis catholicis et haeretica labe expertibus, nonne tibi omnino constaret, hanc ecclesiam semper fore catholicam atque adeo indefectibilem in catholica fide? Quanto magis id te credere oportet de sede apostolica, cui promissum est, eam semper fore non solum unam ex catholicis ecclesiis, sed primam omnium catholicarum, ita ut sit aeternum fundamentum, caput atque centrum catholicitatis ad devincendas portas inferi et confirmandos fratres. Dum vero Tornacensis haec singula argute refellere niteretur, acrius urgebat Meldensis: Responde, ajebat peremptoria voce, an sedes apostolica fieri possit haeretica necne; id est, an possit necne haereticum dogma obstinato et contumaci animo contra dissentientes omnes suae communionis Ecclesias tueri ac definire, ita ut alias sibi adversantes excommunicet? Quidquid dixeris, erit contra te. Si dixeris, apostolicam sedem posse fieri haereticam et in tuenda sua haeresi schismaticam: ergo per te fieri potest, ut caput Ecclesiae a corpore divellatur et corpus detruncatum fiat exanime; ergo fieri potest, ut centrum unitatis fidei sit fidei corruptae atque haereseos centrum. At vero, si dixeris, hanc sedem in fide, cujus c centrum est atque caput, deficere non posse: ergo indefectibilis est hujus sedis fides.

Respondebat Tornacensis: Ipse, ipse videris, quid tu tibi ipsi reponere debeas. Tuum est aeque ac meum captiosam hanc objectionem solvere. Ex confesso hoc argumentum nihil probat, quandoquidem nimis probat. Enimvero, si probaret aliquid, certissime et evidentissime probaret infallibilitatem sedis, quam tu mecum negas. Si fides sedis indefectibilis est, necesse est, ut haec sedes nihil unquam contra fidem definiat. Quid enim a vera fide magis deficit, quam haeretica contra fidem definitio? Atqui Transalpini, dum infallibilitatem asserunt, nihil aliud volunt praeter hanc conclusionem, scilicet apostolicam sedem nihil unquam definire posse contra catholicam fidem atque adeo Papam, ex cathedra solemni ritu definientem, nunquam contra fidem errare posse. Cave igitur, ne gladio tuo te jugules et stabilias hoc ipsum, quod confutare hactenus studuisti. Meldensis reponebat: Iterum atque iterum moneo, distinguendam esse ab infallibilitate judiciorum in docenda fide sedis indefectibilitatem in fide tenenda. Porro fides hujus sedis indefectibilis d est, ut ex promissione Christi et traditione Ecclesiae patet; at vero judicia sedis non sunt infallibilia. — O rem prorsus incredibilem! ajebat Tornacensis; quo pacto fieri posse existimas, ut quispiam homo, qui nunquam in fide deficeret, falli posset in declaranda recta sua fide, quae ex hypothesi nunquam esset defectura? Nonne in fide deficeret, si haeresim pro vera fide credendam esse putaret et definitiva sententia pronuntiaret? Quod si haeresim pro vera fide credendam esse nunquam putaret, quomodo circa fidem posset errare? Profecto eo mitiori indefectibilitatis nomine ipsissimam, quam negas, Transalpinorum infallibilitatem nobis insinuas et tibi ipsi periculosissime illudis. Igitur assigna praecise ac nitide, in quo differre possint tua haec indefectibilitas et illa infallibilitas Transalpinorum.

Tum Meldensis dicebat, promissum quidem fuisse apostolicae sedi, eam aeternum fore Ecclesiae catholicae fundamentum, centrum atque caput, atque adeo eam nunquam fore schismaticam aut haereticam, quemadmodum plurimae orientales ecclesiae, quae catholica communione olim gaudentes, in schisma et in haeresim tandem prolapsae sunt. Ex promissis constat (hae sunt Meldensis voces), id nunquam eventurum sedi apostolicae. Enimvero, si sedes illa circa fidem erraret, non erraret pertinaci et obstinato animo, a caeteris ecclesiis ad rectum fidei tramitem cito revocaretur; simul atque sentiret se errare, abdicaret errorem. Unde etiam, si bono animo forsan aliquando erret, attamen schisma et haeresim usque ad consummationem saeculi declinabit. Itaque haec sedes in judicando falli quidem et errare potest circa fidem, sed error ille venialis esset, neque tamen fides Petri in hac sede deficeret, quandoquidem haec sedes constantissime vellet purissimae omnium suae communionis ecclesiarum fidei adhaerere. Non erraret cum pertinacia, nunquam vinculum communionis abrumperet. Animo et affectu semper esset catholica, unde nunquam haeretica esset. Itaque expressissimis promissorum vocibus penitus adhaereo, indefectibilitatem asserens, neque tamen admitto commentitiam hanc Transalpinorum infallibilitatem.

Finita hac inter utrumque antistitem altercatione, Tornacensis a scribendae Declarationis officio sese abdicavit. Meldensis vero, huic muneri obeundo suffectus, quatuor propositiones, uti etiamnum exstant, continuo scripsit. Et haec sunt, quae nonnulli testes fide digni, adhuc superstites, a Meldensi episcopo saepissime narranti mecum audierunt.

XIX.

Quae Bossuetus scribae suo Ledieu de comitiis cleri a. 1682. narravit.

(Journal de Ledieu tom. I. p. 8. et seq.)

Il (Bossuet) partit de Meaux le mardi 19 Janvier 1700. Dans le voyage, on parla de l'assemblée de 1682. Je lui ai demandé qui lui avait inspiré le dessein des propositions du clergé sur la puissance de l'Eglise. Il me dit que M. Colbert, alors ministre et secrétaire d'Etat, en était véritablement l'auteur, et que lui seul y avait déterminé le Roi. M. Colbert prétendait que la division que l'on avait avec Rome sur la régale était la vraie occasion de renouveler la doctrine de France sur l'usage de la puissance des Papes; que, dans un temps de paix et de concorde, le désir de conserver la bonne intelligence et la crainte de paraître être le premier à rompre l'union, empêcherait une telle décision, et qu'il attira le roi à son avis par cette raison, contre M. Le Tellier, aussi ministre et secrétaire d'Etat, qui avait eu, ainsi que l'archevêque de Reims, son fils, les premiers cette pensée, et qui ensuite l'avaient abandonnée, par la crainte des suites et des difficultés. Au reste, feu M. de Paris (Harlay de Champvallon) ne faisait en tout cela que flatter la cour, écouter les ministres et suivre à l'aveugle leurs volontés comme un valet.

„Il remarqua, raconte un de ses auditeurs, que du temps du cardinal du Perron et sous le ministère des cardinaux de Richelieu et Mazarin, on avait été trop favorable à Rome, qu'on s'était comme relâché des maximes de France, et que Duval avait osé y donner atteinte; mais qu'aussitôt que le roi avait pris le gouvernement de son royaume, et *surtout depuis M. Colbert, on avait eu cette politique d'humilier Rome*, et de s'affermir contre elle, et que tout le conseil avait suivi ce dessein. De là la décision de la Faculté de théologie en 1663 et tout ce qui a été fait jusqu'à ce jour."

XX.

Quae Legendre, Fr. de Harlay, Archiepiscopi Parisiensis scriba, de iisdem comitiis scripsit.

(Mémoires de l'abbé Legendre p. 46.)

„La déclaration du Clergé ne fut point d'abord applaudie; loin de là, plusieurs l'attribuèrent à la lâcheté disant que c'était l'effet de l'obéissance servile des évêques pour la volonté de la cour. Ce soulèvement qui était quasi général contre les prélats de l'assemblée, produisit des écrits piquants, où M. de Harlay était le plus maltraité, parcequ'on le regardait comme le premier mobile et quasi comme l'unique auteur de tout ce qui

s'y était fait. Les prélats qui en avaient été, étaient les premiers à le dire, nommément M. le Tellier, archevêque de Reims, et M. Bossuet, évêque de Meaux. C'était par ressentiment de ce que M. de Harlay leur avait, disaient-ils, fait jouer, malgré eux et par jalousie, un rôle important dans l'assemblée.

„Bossuet avait été précepteur du Dauphin, et passait pour être très-savant; et le Pape, soit croyant faire plaisir au roi, soit pour couronner la profonde capacité de M. Bossuet, était fort disposé à le faire Cardinal. M. de Reims, malgré une première tentative inutile, ne désespérait pas de l'être.... Comme c'eût été un grand chagrin pour M. de Harlay de n'être point Cardinal et que ces prélats l'eussent été, on disait que, malicieusement, il avait suggéré au roi que, pour donner un plus grand poids aux résolutions qu'on devait prendre dans l'assemblée, on y avait besoin de deux hommes aussi savants et aussi accrédités que M. de Reims et M. de Meaux; et que ce fut dans cette vue qu'à l'ouverture de l'assemblée, M. de Harlay, qui en était le président, donna à ces deux prélats, sous prétexte de leur faire honneur, à M. de Reims la discussion de la régale, et à M. Bossuet le soin de dresser les quatre articles contre le Pape, afin que par là ils se rendissent si odieux à la cour de Rome qu'elle ne pensât jamais à eux."

XXI.

Quae Boucher, doctor Sorbonicus, clarissimus pro Ecclesiae et Facultatis Parisiensis libertate exul, de comitiis cleri Gallicani narrat.

(Ex codice manuscripto: *Histoire du séminaire d'Angers*, auctore Grandet. Apud Bouix, de Papa I, 636.)

„M. Boucher dit à mon frère cœur à cœur que ce qui avait donné lieu à cette belle déclaration (la déclaration des 4 articles de 1682.) était que M. l'archevêque de Reims, qui voulait se ménager à Rome, voyant que la harangue qu'il avait faite au clergé n'avait pas plu au Pape, s'en trouvant choqué, avait gagné son père, M. le chancelier, qui avait d'abord paru au conseil avoir tant d'égards pour le Saint-Siége, et qu'il l'avait emporté; que *beaucoup d'Evêques, après avoir fait cette belle affaire, lui en avaient paru au désespoir, et lui avaient dit: Monsieur, tirez-nous de là par ce que vous ferez en Sorbonne;* qu'il leur avait répondu, qu'il ne savait pas comment ils lui faisaient leur demande; qu'étant éclairés comme ils étaient, ils n'avaient pas dû s'engager dans un si mauvais pas; qu'au contraire ils devaient représenter fortement leurs raisons. A quoi les Evêques n'avaient pas manqué de répondre, que *d'abord ils s'y étaient opposés;* qu'ils avaient dit toutes leurs raisons; mais qu'on leur avait répondu qu'il y en avait de plus fortes que les leurs qui les obligeaient à faire cette déclaration. Et comme il leur demanda quelles étaient ces raisons plus fortes, ils répondirent *qu'on ne les avait pas dites.* Sur quoi il avait pris la liberté de leur dire, que c'était un grand mal de ce qu'eux, qui devaient soutenir la vérité et l'honneur de l'Eglise, avaient eu la faiblesse de céder et de se soumettre en cette occasion, qui était capable de bouleverser toute l'Eglise et de faire un schisme.... M. Boucher leur répondit: Eh! que voulez-vous que nous fassions, Messeigneurs? Nous qui sommes de simples docteurs, pourrons-nous nous opposer à la déclaration de Nosseigneurs et de tout le clergé? Et que ces seigneurs lui avaient témoigné *qu'ils eussent souhaité que la Sorbonne eût réparé leur faute.*"

XXII.

Memoriales et literae Joannis B. Colbert et Achillis de Harlay, Procuratoris Generalis regii, de Facultate theologica Parisiensi contra cleri Gallici declarationem repugnante.

1. *Mémoire de Colbert pour le Procureur général.*

(Depping, Collection de documents inédits. Correspondance administrative de Louis XIV. t. IV. p. 126.)

L'expédient proposé pour l'enregistrement de la Déclaration du clergé et de l'édit donné en conséquence, de faire retourner

a M. le premier Président et M. le Procureur général pour faire transcrire cet édit dans les registres de la Faculté, fait paraître beaucoup d'autorité et ne remédie pas à l'inconvénient *qu'on a craint de faire connaître à la cour de Rome que les sentiments de ladite Faculté sur le sujet de la Déclaration du clergé ne sont pas conformes à ce qui est contenu dans ladite Déclaration.*

Il paraîtrait plus convenable qu'en conséquence de ce qui a été fait la première fois que le Parlement y a été en corps, M. le Procureur général requît lundi matin que le syndic de la Faculté fût appelé pour apporter le registre dans lequel l'édit et la Déclaration ont dû être transcrits; en suite de quoi, ledit syndic appelé et ayant répondu que l'enregistrement en a été différé à l'assemblée du *prima mensis*, il serait ordonné par arrêt qu'un commissaire du Parlement se transporterait dans ladite assemblée pour voir enregistrer ladite Déclaration en sa présence, *et il serait fait défense par le même arrêt à toutes personnes de délibérer dans ladite assemblée sur cette matière;* attendu qu'il n'est plus question que de l'enregistrement, conformément au premier arrêt donné par le Parlement, ce qui pourrait être forti-
b fié par une lettre de cachet du Roi que le syndic aurait entre les mains, et dont il ne se servirait qu'en cas que quelqu'un, nonobstant la défense du Parlement, entreprît de parler sur cette matière.

2. *Lettre de Colbert au Procureur général.*

(Depping IV, 140.)

A Versailles, le 1er juin 1682.

J'ai rendu compte au Roi de ce que vous avez pris la peine de m'écrire sur ce qui s'est passé dans l'assemblée de la Faculté de Paris, et je commencerai par vous dire que Sa Majesté a reçu en même temps une lettre par laquelle il paraissait que *tout était perdu*, et que la faute qu'on avait faite de n'y point faire aller le Parlement était irréparable. Sa Majesté a eu la pensée de chasser dès demain les sieurs Mazure, Despérier et Blanger, qui paraissent avoir plus de part à ce qui s'est passé dans ladite assemblée, et, quoiqu'elle ait fait réflexion depuis que c'était en quelque sorte manquer au principe qu'on a suivi
c jusqu'à présent, *d'éviter autant qu'il se peut qu'il ne paraisse de la contradiction de la part de la Faculté et de l'autorité de la part de Sa Majesté,* elle n'a pas laissé de m'ordonner de vous demander votre avis sur le sujet de ces trois docteurs, et surtout ce que vous estimez nécessaire de faire dans la conjoncture présente. Je vous dirai même qu'elle m'a ordonné d'écrire la même chose à Mgr l'archevêque de Paris qui fera réponse entre ci et demain matin, et qu'ainsi il serait bien nécessaire, s'il était possible, que vous prissiez la peine de me renvoyer cet extrait pour demain matin à neuf heures.

3. *Ex memoriali A. de Harlay.*

(Bibl. impér., Ms. Harlay 367, V. vol. p. 145.)

De trouver si étrange que la Faculté se plaigne de la forme de l'édit du Roi, et pour la nouvelle soumission et pour le chancelier de l'Eglise de Paris, et enfin pour l'obligation d'enseigner une doctrine, lorsqu'une assemblée du clergé *dont la plupart changeraient demain et de bon cœur, si l'on le leur permettait, [...]*
d cela n'est pas tout à fait sans prétexte; mais enfin aucun n'a manqué de respect à l'édit du Roi et n'a parlé contre la doctrine du clergé; plusieurs ont parlé en faveur de ces sentiments, et s'ils avaient opiné au fond, d'honnêtes gens m'ont assuré qu'il aurait passé pour prendre le bon parti.

Je ne saurais que désirer que l'autorité du Roi n'éclate pas si souvent, lorsque les choses se peuvent faire par d'autres voies, et sur des gens qui se rebutent et s'aigrissent, mais qui ne se conduisent point assurément par ces voies qui leur ont déjà donné tant d'éloignement de certaines personnes. 2 juin 1682.

4. *Lettre du Procureur général au chancelier Le Tellier.*

(Bibl. impér., Ms. Harlay, 165. Gérin p. 359.)

16 Juin 1682.

Monseigneur,

Après avoir évité autant qu'il a dépendu de mes soins d'employer *avec éclat* l'autorité qu'il plaît au Roi de nous donner pour *faire obéir* la Faculté de théologie, dans l'espérance que

j'avais que les docteurs, lesquels y sont en très-grand nombre, très-savants et bien intentionnés, l'emporteraient sur le parti contraire, les commencements qu'eut hier leur délibération, et *l'assurance que l'on avait que le mauvais parti prévaudrait aujourd'hui environ de 15 voix*, ainsi que vous en avez sans doute été informé, m'ayant fait changer d'opinion, je n'ai plus pensé qu'à exécuter *les ordres du Roi, que nous apporta hier au soir* M. de Seignelay. Vous verrez, Monseigneur, par l'arrêt dont je vous envoie copie, aussi bien que du discours que M. le premier président a fait aux docteurs qui sont venus au Parlement, la manière en laquelle nous y avons procédé, avec bien du déplaisir de ma part, qu'avec autant de peine que je suis obligé d'en avoir pour ces affaires, nous apportions des remèdes presque *aussi fâcheux que le mal*, et que nous soyons encore exposés à beaucoup de choses désagréables.

Cependant, Monseigneur, ce serait une grande consolation si l'on voulait profiter de cette extrémité pour le service du Roi, *en travaillant sérieusement à la réforme nécessaire de ce corps, pour le conserver en état de servir*, et les laissant passer le 1er juillet sans avoir permission de s'assembler. La douleur de l'interruption de la tenue de leur tribunal, les projets de réduction du nombre infini des docteurs et même des licenciés, de règlement pour le collége de Sorbonne d'où vient principalement le désordre, d'une bonne réforme des professeurs, de l'exécution de l'édit du Roi à leur égard, afin de faire préparer dès à présent ceux qui devront enseigner l'année prochaine, enfin de la réduction des séminaires et de toutes communautés à certain nombre pour entrer dans les assemblées, *toutes ces choses répandues engageront les docteurs à tâcher de les éviter par quelque démarche de leur part qui pût réparer leur faute auprès du Roi, comme ils firent leurs articles en 1663, par les soins que vous en prîtes après l'interdiction du sieur Grandin*, et à quoi MM. les prélats qui sont de ce corps pourraient travailler utilement. Et si ces réflexions et les offices ne faisaient point rentrer ces docteurs dans leur devoir, on exécuterait tous ces projets de règlements, *sans lesquels ce corps non-seulement ne sera pas utile au Roi, mais même il y deviendra enfin contraire*, si l'on le laisse sans règles, et si l'on continue à le traiter comme on fait depuis quelques années.

Je vous explique, Monseigneur, mes pensées peut-être trop librement. Mais votre bonté me donne cette confiance; et d'ailleurs cette affaire me paraît si importante qu'il me semble que tout le monde doit y travailler avec affection. Je ne doute pas, Monseigneur, que l'on y trouve beaucoup de contradiction; et vous voyez bien mieux que moi d'où elle viendra. Mais si vous en faites connaître l'importance au Roi, l'utilité qu'on en peut tirer pour son service et la nécessité de n'avoir autre considération que le bien, et de ne pas reculer quand on aura avancé, j'espère que le malheur aura un bon succès qui le pourra faire oublier. 16. juin 1682.

5. Ex memoriali A. de Harlay de Sorbonae reformatione.

(Bibl. impér., Mss. fr. 15,728. apud Gérin p. 369.)

Si le collége de Sorbonne et les professeurs peuvent être considérés comme l'unique source de cette cabale, on doit se servir de cette occasion pour y apporter des remèdes si efficaces, qu'on prévienne dans la suite de semblables désordres. *La maison de Sorbonne, excepté six ou sept, est élevée dans des sentiments contraires à la Déclaration. Les Professeurs*, excepté M. le syndic, *y ont une si grande opposition que ceux mêmes qui sont payés par le Roi n'ont pas voulu enseigner aucune des Propositions qui ont été présentées à Sa Majesté en 1663*, quoique dans le collége de Sorbonne et de Navarre il y ait des chaires fondées pour enseigner la controverse.

On ne saurait empêcher le mal que cette cabale a fait dans cette occasion et le bruit qui s'en est répandu partout, mais il faut *prévenir de semblables entreprises et tirer même quelque avantage de ce désastre* pour la Faculté.

Si par un arrêt du Conseil on privait du suffrage et des droits de la Faculté ceux qui ont opiné *avec si peu de respect pour Sa Majesté, pour les arrêts de la cour et pour la Déclaration du clergé*, cette peine permanente qui serait toujours devant les yeux de ceux qui composent ces assemblées, les tiendrait dans le devoir, et la mémoire de cet exemple se conserverait longtemps dans la Faculté et y produirait de très-bons effets. Il faudrait y comprendre *ceux qui sont exilés* et même quelques-uns qui ont opiné *aussi séditieusement* qu'eux, comme Boucher, chanoine de Notre-Dame, Gobelin, curé de Saint-Laurent, Boust, professeur de Sorbonne, etc.

XXIII.

Quae auctor libelli inscripti: „Relation de ce qui s'est passé en Sorbonne au sujet de l'enregistrement de l'édit du Roi sur la déclaration de MM. du clergé de France,“ de relatione declarationis in tabulas Facultatis theologicae Parisiensis narrat.

(Ex codice manuscripto Seminarii S. Sulpitii apud Gérin p. 549.)

Comme on craignit que la plupart des jeunes docteurs ne suivissent ce dernier avis (contre l'enregistrement des 4 Articles), dès le lendemain, sur les six heures du matin, l'huissier Huby vint signifier au doyen de la Faculté un arrêt du Parlement donné le même jour, par lequel, sur ce que le Procureur général avait remontré que les docteurs, au lieu d'enregistrer l'édit ainsi qu'on leur avait ordonné, avaient voulu délibérer sur les Articles du Clergé, bien qu'ils n'eussent aucun droit de le faire et qu'ils n'eussent aucun jugement doctrinal que par tolérance, la cour leur défendait de continuer leurs assemblées, et mandait au doyen et aux six professeurs de Sorbonne, au grand maître et quatre professeurs de Navarre, et à tous ceux que le Procureur général indiquerait, de se trouver au Parlement, au parquet des huissiers, à sept heures du matin.

MM. Chamillard, Blanger, Humblot, etc. furent du nombre des indiqués. La cour ne pouvait avoir été assemblée assez matin pour donner cet arrêt, et l'on dit qu'il avait été résolu le lundi au soir fort tard, entre M. l'archevêque, M. le premier Président, le procureur général et M. le marquis de Seignelay, que le Roi avait chargé de cette affaire, et qui, sur les nouvelles qu'on avait portées à Versailles de ce qui s'était passé à la Faculté, était venu exprès à Paris pour y mettre ordre.

Les docteurs étant entrés, M. le premier Président les traita d'une manière fort sèche et leur dit d'un ton qui faisait paraître que l'on n'était pas content de leur conduite:

„Nous apprenons avec douleur que l'esprit de paix ne règne plus parmi vous et que la cabale empêche la soumission que vous devez aux ordres de la cour. On vous méconnaît parmi ces voix indiscrètes, que le plus grand nombre aurait dû étouffer. Ce n'est plus cette sage conduite qui fit rechercher les avis de vos prédécesseurs et qui leur acquit, *sans aucun titre*, la liberté de s'assembler dans les occasions de doctrine. La cour n'aurait jamais cru *que vous eussiez osé différer l'enregistrement qu'elle vous avait ordonné*. Votre désobéissance lui fait regretter les marques d'estime dont elle vous avait *honorés*. Persuadée *que vous ne méritez plus sa confiance, elle vous défend de vous plus assembler* jusqu'à ce qu'elle vous en ait prescrit la manière; ce qu'elle aura soin de faire avant le 1er juillet.“

Il demanda ensuite si le greffier de la faculté était présent, et comme on l'eut fait approcher et qu'on lui eut demandé s'il avait apporté ses registres, on lui ordonna de passer au greffe et d'y aller faire l'enregistrement de l'édit du Roi, de la Déclaration du clergé et de l'arrêt qui lui serait dicté par le greffier de la cour. Ce qui fut exécuté à l'heure même, et les docteurs s'en retournèrent.

Le lundi suivant, deux valets de pied du Roi allèrent dès le matin chez MM. Boucher, curé de Saint-Nicolas du Chardonnet, et Chamillard, vicaire et supérieur du séminaire de ladite paroisse, leur porter un ordre de Sa Majesté de se retirer incessamment: le premier à Guingamp en Basse Bretagne, et le second à Issoudun en Berry. Mais comme ils ne purent partir le même jour à cause que les carrosses d'Orléans étaient déjà partis, ils furent visités d'une infinité de personnes et partirent avec joie le lendemain, s'estimant honorés de ce traitement qu'ils recevaient pour avoir voulu défendre les intérêts de la Faculté et de l'Église.

Les jours suivants, M. Humblot fut exilé à Lescar en Béarn, M. Joisel à Brioude, M. Paucelier à Bazas, M. Chaillou à Tulle, M. Blanger à Villefranche, M. de Berlise à Fontenay-le-Comte en Poitou.

XXIV.

Literae Duacensis Facultatis ad Ludovicum XIV., anno 1683.

(Bouix, de Papa II, 121. seqq.)

Sire, il y a environ huit mois que le zèle que nous avons pour le service de Votre Majesté nous a obligés de vous représenter, avec tout le respect possible, la grande aversion de tous ses fidèles sujets qui sont dans ce pays réuni à la couronne, de la doctrine contenue dans la déclaration du clergé de France, qui regarde la puissance ecclésiastique. Ils disent *que cette doctrine est inouïe dans ce pays;* qu'on y a toujours tenu pour des opinions erronées celles qui choquent la primauté absolue et l'infaillibilité du Souverain Pontife, pour qui ils ont eu de tout temps tant de respect qu'ils *eussent cru être du nombre des schismatiques*, s'ils eussent douté de la souveraine autorité du vicaire de Jésus-Christ pour définir quelle est la bonne ou mauvaise doctrine; qu'ils ne voient pas comment ils pourront, sans cette croyance, résister dorénavant aux insultes que leur font les Jansénistes, leur reprochant que la doctrine de Jansénius n'a pas été condamnée par un concile général, mais par des Papes sujets à manquer.

Et quoique l'autorité du clergé de France, composé de personnes si illustres en doctrine et vertu, semble suffire pour les mettre en repos, ils disent néanmoins, qu'ils ne doivent rien moins déférer aux sentiments contraires de beaucoup d'Evêques, prélats, docteurs et un nombre presqu'infini d'écrivains très-célèbres dans toute l'Europe, qui ont enseigné la doctrine opposée, et qui même la font passer pour erronée en quelques-uns de ses points. Et comme il est très-difficile de changer l'opinion dans laquelle on a été élevé et nourri comme dans une doctrine indubitable, et qu'il est évident et incontestable que personne ne peut opérer contre sa conscience sans pécher, nous nous trouvons, Sire, dans une grande consternation, voyant les ordres de Sa Majesté touchant ladite déclaration, voulant d'un côté nous y soumettre, et de l'autre satisfaire à notre conscience.

Ayant donc appliqué nos soins pour trouver de quoi satisfaire aux objections qui nous avaient été faites de tout côté par une grande multitude de personnes de toute condition, et ayant pour cela consulté les plus savants auteurs de l'Europe qui ont consacré par de gros volumes leur doctrine à la postérité, afin d'y trouver quelque moyen *pour apaiser nos propres consciences* dans une matière si importante, nous nous trouvâmes, Sire, obligés de nous prosterner aux pieds de Votre Majesté, et de la supplier avec toute la soumission possible, de permettre que son édit touchant ladite déclaration du clergé de France ne fût pas mis à exécution dans ce pays, de sorte que personne ne fût obligé d'enseigner les propositions y contenues, ni de les soutenir.

Et quoique nous espérions, Sire, cette grâce de votre royale bonté, d'autant plus que nous étions entièrement persuadés que par ce moyen Votre Majesté ne conserverait pas seulement la paix des consciences de ses fidèles sujets, mais qu'elle produirait aussi dans leurs coeurs de nouvelles affections et un nouveau zèle pour son service, néanmoins cette très-humble supplication nous a été renvoyée, et on nous a dit que Votre Majesté ne voulait recevoir aucune requête là-dessus avant que son édit touchant ladite déclaration fût enregistré, ce que nous avons fait pour obéir à ses ordres. Et bien que l'on nous avait assuré peu après que l'intention de Votre Majesté n'était pas d'obliger ses fidèles sujets à soutenir les propositions du clergé contre leur conscience, nous n'avons pas cependant laissé d'appliquer de nouveau tous nos soins et nos études à chercher les moyens de pouvoir soutenir et enseigner ladite doctrine. Nous avons même consulté les plus savants théologiens, tant séculiers que réguliers, et *nous n'avons encore pu trouver aucune raison valide pour nous former une conscience* qui nous ait permis d'enseigner lesdites propositions; de sorte que nous nous trouvons
a présentement dans la dernière perplexité par l'intimation que nous a faite M. l'intendant le Peltier de lui envoyer les noms des professeurs, qui doivent avoir été députés pour enseigner cette doctrine, et de lui signifier si l'on a commencé de le faire; d'autant que d'un côté nous ne souhaitons rien tant que d'exécuter les ordres de Votre Majesté, et de l'autre *notre conscience ne nous permet pas d'approuver toutes ces propositions.*

Nous sommes, Sire, trop persuadés de votre bonté et justice pour croire que vous voulussiez nous obliger d'enseigner une doctrine *si contraire à notre conscience.* Mais nous espérons que vous agréerez la très-humble supplication que nous venons faire avec une confiance filiale, puisque vous écoutez vos fidèles sujets non-seulement en souverain monarque, mais aussi en bon père.

Dans cette confiance nous nous prosternons, Sire, à vos pieds et nous supplions Votre Majesté avec toute la soumission possible de nous excuser de soutenir et d'enseigner une doctrine contraire à celle qui a *toujours* été reçue dans ce pays et en-
b seignée dans cette Université, qui est au péril d'être ruinée si l'on l'oblige d'entrer dans tous les sentiments de la dernière assemblée du clergé de France; d'autant que la plupart semble mieux aimer d'abandonner nos écoles, voire même de renoncer à toutes les promotions et dignités, que de se soumettre à des opinions répugnantes à leur conscience. Et l'expérience nous fait voir, que depuis que l'on a enregistré l'édit de Votre Majesté, personne n'a pris aucun degré dans la Faculté de théologie, et que ceux qui étaient venus à ce dessein se sont retirés. En outre les fondations des séminaires dont les revenus sont du district des Espagnols seront sans effet, parce qu'ils retireront leurs séminaristes; ce que nous croyons d'autant plus qu'ils nous insultent déjà (quoique témérairement) *d'avoir perdu la liberté des consciences.* Et ainsi votre Université de Douay, si affectionnée à votre service, si utile à vos Etats et au public, se verra en bref dans une grande décadence. Nous espérons, Sire, que Votre Majesté, ayant un favorable égard à toutes ces raisons, aura la bonté de nous dispenser d'enseigner et de sou-
c tenir lesdites propositions et qu'elle *se contentera d'un silence respectueux.* C'est, Sire, l'espérance de ceux qui font gloire d'être les plus zélés de votre service, et de vivre et mourir — de Votre Majesté — les très-humbles et très-obéissants et fidèles sujets — le recteur et le conseil de l'Université de Douay.

XXV.

Louis XIV. à l'Evêque du Puy. [1]

Monsieur l'Evêque du Puy. La bonne nouvelle que vous m'avez envoyée par votre courier exprès du décret qui a été accordé pour la canonisation du bien-heureux François de Sales, évêque de Genève, m'a d'autant plus surpris et causé de joie, que l'acte de sa béatification, qui ne venait que d'être fait par notre Saint-Père le Pape, ne nous permettait pas d'espérer
d si tôt un si grand avantage, et que cette célérité en une procédure de si grand poids doit faire juger que l'esprit de Sa Sainteté est extraordinairement touché en cette affaire par *celui qui lui donne l'infaillibilité aux choses qui sont à établir dans l'Eglise pour son utilité et pour la plus grande gloire du nom de Dieu.* Cette considération, qui me semble très-juste sur cet incident, me donne lieu de croire que le Saint-Père ne cessera de l'avoir en vue dans l'ouvrage qu'il a déjà si fort avancé et dont les progrès ont été accompagnés de l'applaudissement universel de la chrétienté, jusqu'à ce qu'il y ait mis la dernière main. J'attends cette consolation de sa charité et des pieux soins que vous avez apportés à cette poursuite, selon les ordres que vous en avez reçus de moi qui prie Dieu de vous tenir, monsieur l'Evêque du Puy, en sa sainte garde.

Fait à Paris le 21 mars 1662.

Louis.

[1] * Has literas edidit Dom. Gérin.

* COMMENTARIUS

quo breviter describitur Synodus dioecesana Bahiensis et praecipua ejusdem Constitutionum capita exponuntur.

Innocentii XI. constitutione, die 16. Nov. 1676. scripta in haec verba: „Inter Pastoralis Officii curas", civitas Sancti Salvatoris in Bahia omnium Sanctorum, tunc totius Brasiliae princeps, ad Archiepiscopatus sedisque Metropolitanae dignitatem est evecta. Ejus ab institutione quintus Archiepiscopus et Metropolita fuit Sebastianus Monteiro da Vide, vir et juris canonici peritia et arte gubernandi reique catholicae studio conspicuus [1]. Qui quum die 22. Maji 1702. dioecesim regendam suscepisset, statim coepit animo volvere, quomodo mederetur iis, quae et in judiciis et in animarum gubernatione a multis perperam fieri non sine magno animi dolore animadverterat [2]. Occurrebat imprimis constitutionum et ordinationum cogitatio, quae ad illas rerum conditiones quam maxime accommodatae omnibus certam quandam ac tutam agendi vivendique normam praeberent. Quas enim Constantius Barradas, quartus ejus regionis Episcopus, an. 1605. confecerat, quum typis non essent descriptae, prorsus in desuetudinem venerant. Quare novas condere constitutiones statuit Sebastianus Metropolita, easque ab an. 1702. ad 1707. summa cura elaboravit; quibus quo major conciliaretur vis et auctoritas, quaeque pravo usu invaluisse in visitationibus cognoverat, efficacius corrigeret, optimum duxit, remedium illud adhibere Synodorum provincialium, quas Concilium Tridentinum tantopere commendat; nondum enim illis in regionibus ulla fuerat celebrata. Quare opportunissimam occasionem sibi oblatam ratus illustrissimus Praesul, ut tam salubre institutum in morem induceret, datis ad Episcopos suffraganeos [3] literis encyclicis, Concilium provinciale in diem sacrum Pentecostes, 12. Jun. an. 1707. indixit. Verum quum e quatuor sedibus suffraganeis duae tum vacarent, San-Thomensis et Pernambucensis, neque Episcopus Januariensis advenisset, Metropolita Concilium provinciale in tempus opportunius differre coactus, dioecesanam saltem Synodum eodem festo die celebrare decrevit. Quare omnes dignitates, canonicos totiusque Archiepiscopatus parochos statuto die ad Synodum convenire jussit. Ut vero Dei opem et singulare S. Spiritus subsidium impetraret, jam diu multa pietatis religionisque exercitia et ipse instituit et ab aliis obeunda curavit. Et primum quidem initio quadragesimalis jejunii omnes religiosorum coetuum praesides in urbe literis est adhortatus, ut rem tanti momenti precationibus et sacrificiis Deo etiam atque etiam commendarent. Deinde quum in urbe tum in singulis extra illam ecclesiis parochialibus sollemnes supplicationes tribus dominicis diebus ante Synodum celebrandas indixit. Denique praecepit, ut ultimo ante eandem triduo in aede cathedrali caeterisque urbis parochiis et in omnibus coenobiis, augustissimo altaris Sacramento exposito, preces et supplicationes peragerentur. Ita demum Synodum est exorsus, quam ad Pontificalis Romani normam per tres dies in ecclesia cathedrali celebravit. Ac primo quidem die, sacro Missae sacrificio sollemniter facto, caeterisque secundum Pontificale Romanum absolutis, ex Conc. Trid. sess. 24. de Reform. caput secundum recitatum fuit, quo describitur, quando et a quibus et quem in finem convocandae sint Synodi. Eique subjunctum est Metropolitae decretum, quo provincialem quidem Synodum differri, sed, ut sacri Concilii Tridentini lex, quantum fieri posset, servaretur, Synodum dioecesanam in ea regione primam haberi et constitutiones editum iri declarabat. Tum, lecto ex Trid. sess. 25. de Reform. capite secundo, omnes admonuit: „ut ea omnia et singula, quae ab hac sancta Synodo definita et statuta essent, palam reciperent, nec non veram obedientiam summo Pontifici sponderent etc."

Secutumque alterum ipsius decretum in hanc sententiam, ut statutis omnibus Concilii Tridentini promptissima voluntate obtemperarent. Denique omnes ad eam, quam Pius IV. in Synodis fieri voluit, fidei professionem invitavit. Qua ex ordine facta, ac sollemni precatione peracta, primus solutus est consessus. Huic interfuerunt Ludovicus Simon Brandão, Episcopus Angolanus et Ludovicus Caesar de Menezes, reipublicae gubernator.

Altera sessio die postero, qui erat 13. Junii, est habita. Caerimoniis de more peractis, et oratione praemissa, proposita sunt Concilii Tridentini decreta duo de residentia (sess. 6. de Reform. cp. 1. — sess. 23. de Reform. cp. 1.), additumque Archiepiscopi decretum, quo omnes, ut eadem diligenter observarent, hortabatur. Inde, recitatis Tridentini decretis de examinatoribus in dioecesana Synodo proponendis (sess. 24. de Reform. cp. 18.) et de judicibus a Synodo designandis (sess. 25. de Reform. cp. 10.), continuo judices et examinatores nominati approbatique sunt, ab iisque jusjurandum de more praestitum. Quo facto, aliud promulgatum est Archiepiscopi decretum, ut, si quis in quempiam jure agere vellet, causam deferret ad designatos judices, qui omnes audituri essent amore paterno atque rem ex aequo et bono ad majus Dei obsequium dijudicaturi. Et quum nulla cuiquam actio intenderetur, aliud Archiepiscopi in medium prolatum est decretum, jam id proxime spectans, cujus causa Synodus erat coacta: „habendas esse congregationes, in quibus ea disceptarentur, quae sive ad mores corrigendos salubria viderentur, sive omnino ad rationem disciplinamque ecclesiasticam instaurandam ac promovendam, et ad majus Dei obsequium in omnibus procurandum usui esse possent; quamobrem diligenter perpendendas esse in iis Archiepiscopi constitutiones: quibus tamen consultationibus, quum fieri non posset, ut, quicumque convenissent, omnes interessent — eorum enim absentiam adeo diuturnam damno fore et detrimento parochianis — ex Synodorum more universi cleri suffragiis eligendos esse procuratores, quibus quasi interpretibus ea commendarent, quaecunque nomine ipsorum agi vellent et decerni." Simul praescripta est ejus electionis forma et suffragiorum arbitri designati; quo facto, ejus diei sessioni de more finis est impositus. Tempore autem pomeridiano procuratores electi sunt, duo quidem a capitulo, totidem a clero civitatis Bahiensis et vicorum adjacentium, quatuor vero a reliquis Archiepiscopatus clericis.

---

[1] Juvenis Societati Jesu nomen dare cogitavit, sed mox militiam in bello quod vocant restaurationis amplexus est. Postea, abdicato centurionis munere, ad academiam Conimbricensem se contulit, rebus theologicis et imprimis juri canonico operam daturus: quibus studiis peractis, sacerdotio est initiatus. Obiit die 7. Oct. 1722. Cf. Constituições primeiras do Arcebispado da Bahia feitas e ordenadas pelo illustrissimo e reverendissimo Senhor D. Sebastião Monteiro da Vide. S. Paulo 1853. Prologo XVI.

[2] Cf. ex opere citato append.: Relação da procissão e sessões do synodo diocesano, que se celebrou na Santa Sé Metropolitana da cidade da Bahia . . . ex qua narratione etiam caetera de ipsa synodo deprompsimus.

[3] Erant ii Angolanus, San-Thomensis, Januariensis et Pernambucensis.

In tertia denique Synodi sessione, die 14. Junii habita, sacris ritibus de more peractis, renuntiati sunt procuratores electi; tum ex praescripto Pontificalis Romani nominibus eorum, qui Synodo interesse deberent, recitatis notatisque absentibus, tempus est constitutum, quo procuratores ad constitutiones examinandas convenirent. Atque ita Synodus dioecesana consuetis caerimoniis rite conclusa est.

Tum a die 20. Junii usque ad 8. Julii ejusdem anni 1707. procuratoribus in palatio Archiepiscopali congregatis constitutiones Archiepiscopi propositae sunt, atque omnia „diligentissima deliberatione" agitata atque transacta, adhibitis complurium theologorum et juris utriusque peritorum consiliis, quos disceptationibus interesse voluit Ill. Praesul. Constitutiones vero quum ad normam juris exactas esse et gravissimorum auctorum doctrinis niti ac fulciri cognovissent procuratores, eas consentientibus suffragiis comprobarunt et in usum recipiendas censuerunt.

Quae quum ita essent, Archiepiscopus literis pastoralibus die 21. Julii datis „auctoritate ordinaria et in virtute sanctae obedientiae" praecepit, ut omnes pro suo quisque munere et officio eas executioni mandarent et in sententiis ferendis litibusque dirimendis sequerentur; decessorum vero placita, quae in iis non invenirentur approbata et recepta, abrogata et abolita declaravit, dubia autem, si qua in iis interpretandis orirentur, ad sedem Archiepiscopalem referenda esse edixit.

Ita demum in publicum prodiere lingua Lusitana scriptae Archiepiscopi Bahiensis constitutiones, quibus Ecclesia Brasiliensis annos jam centum et quinquaginta regitur. (cf. Constituições . . . Prologo V. et Elementos de direito ecclesiastico publico e particular pelo Bispo do Rio de Janeiro D. Manoel do Monte Rodrigues d'Araujo, tom. I. pag. 270. et alibi.) Magna autem omnium et approbatione exceptae sunt et admiratione, tum ob genus earum ad omnes ecclesiasticae vitae usus apprime accommodatum, tum ob eruditionis saluberrimaeque doctrinae copiam. Quaecumque enim ecclesiasticae institutionis pars tractanda suscipitur, plurimis et insignibus sacrarum literarum, SS. Patrum et theologorum sententiis ac testimoniis confirmatur; utque exempli causa unum proferam, e theologorum numero frequentissime laudatos reperies S. Thomam, Suarez, Azor, Gonet, Bonacinam, Busembaum, Ledesmam, Henriquez, Navarez, Gregorium a Valencia, Paludanum, Layman, Castro-Palaum, Reginaldum, Sanchez, Emm. Sa, etc. Porro ipsum constitutionum corpus exactum conformatumque est ad normam juris canonici, constitutionum Apostolicarum, Conciliorum generalium et provincialium, imprimis Tridentini, et Synodorum Ulyssiponensis, Aegitaniensis, Portuensis, Lamecensis etc., et quidem ex hisce juris ecclesiastici et catholicae doctrinae fontibus quam plurima in ipsas constitutiones fluxerunt: ut ex toto opere luculenter appareat, quanta non modo pietate ac religione, sed etiam sacrarum disciplinarum scientia ornatus instructusque fuerit ejus auctor Sebastianus Monteiro da Vide. Itaque operae pretium me facturum puto, si egregii operis summam et praecipuas quasdam partes paulo accuratius descripsero.

Constitutiones quinque libris continentur; libri titulis, tituli numeris tamquam articulis distinguuntur.

LIBER I.

Primus liber, titulis 74, numeris 324 constans, credendi normam, Deum sanctosque colendi praecepta, doctrinam de sacramentis complectitur. Expositis enim ab initio summatim breviterque fidei fundamentis, augustissimis SS. Trinitatis et Incarnationis mysteriis, parochi, patres familias, heri graviter admonentur, ut suam quisque familiam doctrinis moribusque christianis instituendam summopere curent. Et quum tantum intersit, ut tenera statim aetas vera doctrina morumque honestate et pietate imbuatur, iis potissimum commendatur educandae et informandae juventutis officium. Neque minus memoria et laude dignum est, quanta sollicitudine et hoc loco et alias saepius misero illi provisum fuerit hominum generi, qui in servitutem perpetuam redacti erant. „Quum enim omnium maxime servi indigeant institutione christiana, nihil omnino negligendum nobis est, quod illis adjumento ac subsidio esse possit. Inter caetera autem id praecipue profuturum videtur, ut peculiaris quaedam doctrinae christianae formula habeatur, quae ad eorum ingenium et sentiendi ac loquendi consuetudinem sit, quantum fieri possit,
a accommodata." Ejusmodi autem formula, qua ad modum colloquii familiaris praecipua fidei morumque doctrinae capita continentur, ipsis constitutionibus inserta (lib. 3. tit. 32. n. 579.) habetur, cujus exempla transscripta parochi distribuere fidelibus jubentur, quo facilius suos quisque servos in fide vitaque christiana erudiant (cf. infra pag. 855). Quae quomodo exsecutioni mandentur, visitatores sedulo inquirant et Archiepiscopo renuntient (tit. 1.—4.). Tribus sequentibus titulis quaedam juris canonici et Conciliorum (Lateranensium et Tridentini) praescripta in memoriam revocantur, velut a quibus et quando professio fidei publice sit et sollemni ritu facienda; evitandas esse laicis de rebus divinis disputationes; denuntiandos haereticos eorumque fautores, neque legendos retinendosve eos libros, qui indicibus vel SS. Pontificum vel Inquisitionis regiae vel Archiepiscopi prohibeantur. Iis autem, qui non obtemperaverint, poenae et censurae jure statutae irrogantur (tit. 4.—7.). Duobus proximis titulis exponitur, qui sit et cui debeatur cultus latriae, hyperduliae, duliae, et qua veneratione reliquiae et imagines sanctorum sint colendae (tit. 7.—9.). Exinde, facto gradu ad ex-
b ponendam sacramentorum doctrinam, breviter primo dicitur de eorum gratia, materia, forma, de intentione ministri (cui poenis simoniacorum propositis gratuita sacramentorum administratio injungitur), de caerimoniis, de iis, qui capaces sint cujusque sacramenti suscipiendi. Tum singula sacramenta accurate sic explicantur, ut variis hominum locorumque conditionibus aptentur ea, quae ad cujusque sacramenti doctrinam, effectus, necessitatem, usum, administrationem spectant. Ita fit, ut constitutiones (magno sane utentium commodo) vices theologiae dogmaticae, moralis, pastoralis supplere videantur (tit. 9.—74.).

Sed interest ex hac rerum copia pauca quaedam notabiliora decerpere. Mulcta proposita interdicitur, ne infantium baptismus ultra diem octavum differatur (tit. 11.); baptismi autem modus ordinarius praescribitur immersio (tit. 12.), nisi forte ob aquae penuriam vel ob morbi periculum aspersio praeferenda videatur (tit. 13.); quare etiam praecipitur, ut omnia templa et sacella instruantur fontibus baptismalibus adeo amplis, ut commode fieri possit immersio (tit. 19.). Etiam atque etiam commendatur, ut magna cura, sollicitudine, patientia tractentur rudes servi, ii
c praesertim, qui e longinquo advenerint; proponitur modus eos docendi et ad baptismum praeparandi; omnesque jubentur diligentissime dare operam, ut captivi infideles ad veritatis notitiam et aeternam salutem perveniant, quibus ut opem ferant, ii cumprimis, additis precibus, monentur, qui scientia et opibus caeteros antecellunt. Caeterum parochorum maxime et vicariorum esse id munus, simulque advigilare, ne quid heri hac in parte vel negligant vel impedimenti afferant. Servorum filios, qui nondum septimum aetatis annum attigerint, baptizandos patre etiam invito, baptizatosque a patris consuetudine sejungendos, ne ejus infidelitate et pravis moribus corrumpantur; qui vero ratione jam utantur, nullo pacto ad baptismum esse cogendos, sed suaviter alliciendos, ut ipsi sponte tantum bonum expetant (tit. 14.). Sacerdotibus injungitur, ut omnibus modum baptismi rite administrandi tradant, ne quis infans baptismatis expers decedat. Quod si parochi culpa negligentiave acciderit, is poena carceris et per complures annos interdictione muneris et beneficii multetur (tit. 16. 17.). Sedulo doceant parochi eos, ad quos spectat, quae sint patrinorum officia et quam cognationem contra-
d hant (tit. 18.). Accurate traditur forma librorum baptismalium (tit. 20. uti postea tit. 22. confirmationis, tit. 56. sacrorum ordinum, tit. 73. matrimonii), in quibus si quid parochus subdole mutaverit vel eraserit aut falso addiderit, excommunicationem majorem ipso facto incurrat aliasque poenas det legibus contra falsarios statutas, neque, si baptismi percepti testimonia conscribenda fuerint (quod tamen sine superiorum venia ne fiat) pecuniam accipiat, nisi forte minimum quid usus et consuetudo permittat. Commendatur, ut pueri, dummodo SS. Eucharistiae dignitatem reverentiamque ei debitam rite intelligere judicentur, jam ante 14. aetatis annum ad sacram mensam admittantur. Heri vero et patres familias, mulcta proposita, jubentur servos mittere ad recipienda sacramenta Paschalia legitimo tempore, quod in majus eorum commodum, prisca consuetudine approbata, initio jejunii quadragesimalis et die Pentecostes definitur. Parochorum item esse ad Eucharistiae participationem efficaciter exhortari eos, qui in aliqua necessitate versentur, ut mulieres praegnantes, vel qui gravi morbo laborent aut longas navigationes suscepturi sint vel in bellum profecturi. Et sicuti fre-

quens Eucharistiae usus summopere laudatur[1], ita ne publicis a peccatoribus concedatur, stricte interdicitur (tit. 24.).

Ipsis autem sacerdotibus, quo majore animi puritate ad tam tremenda mysteria accedant, confessio sacramentalis octavo quoque die peragenda praescribitur (tit. 26. et denuo tit. 35.). Deinde (tit. 27. — 33.) varia praecipiuntur, ut Eucharistia decenter et digne in sacris aedibus asservetur, distribuatur, ad infirmos deferatur; — quod si noctu fieri necesse sit, mulieres ne intersint, sub excommunicationis poena interdicitur. — Exponere autem in templis SS. Sacramentum non conceditur sine Superiorum venia. Admonentur porro parochi, ut et suos ad frequentem peccatorum confessionem alliciant, et ipsi in excipiendis eorum confessionibus sint assidui. Illos vero, qui ne Paschali quidem tempore praecepto communionis satisfecerint, excommunicatos parochus publice pronuntiet, idque tabulis publicis consignet; quare eorum, qui satisfecerint, catalogum forma praescripta conficiat (tit. 36. 37.), idemque prospiciat, ne captivi, aegroti, vagi, peregrini officio suo desint (tit. 38.). Quodsi quis parochi culpa sine confessionis sacramentalis copia e vivis excesserit, ille poenam suspensionis ab officio et beneficio aliasque subibit pro b delicti gravitate infligendas. Qua in re parochos nec pestilentia nec alia quavis morbi contagione excusari, quin etiam severius in eos esse animadvertendum, qui in tali calamitate pastores timidi gregem deseruerint (tit. 39.). De confessionis instituendae necessitate ipsi quoque medici aegrotos commonefaciant; qui nisi confessi fuerint, constitutione S. Pii V. (ann. 1566. edita) eos ultra adire vetantur; neque ullo pacto audeant, ut corpora sanentur, remedia suadere animabus nociva et periculosa, alioquin excommunicationem majorem et mulctam incursuri (tit. 40.). Jam ipsos confessarios, quum ad munus rite obeundum praediti esse debeant virtute, scientia, prudentia, a viris doctis, praesente, si fieri possit, Archiepiscopo, examinandos esse, neque approbandos, nisi theologiae, ss. canonum casuumque conscientiae se praebuerint peritos: approbationem vero ut plurimum in unum annum concedendam, quo praeterito ad examen eos redire debere; ad mulierum autem confessiones excipiendas non esse admittendos, nisi qui 40 vitae annos compleverint. Neque minus, antequam approbentur, in eorum vitam et mores esse inquirendum (tit. 41.). Praebeant se confessarii affabiles et benignos, c neque pecuniam pro eo munere postulent (tit. 42. 43.). Inter casus Archiepiscopo reservatos (praeter homicidium, perjurium in judicio commissum, incendium, abortus procurationem etc.) refertur emtio vel venditio Indianorum, si qui ex libertate in servitutem redigantur aut ad alia quaevis injusta cogantur (tit. 44.). Si quis confessarius quolibet modo sacrum confessionis sigillum violarit, excommunicationem majorem eum ipso facto incursurum, insuper carcere perpetuo et amissione officii et beneficii esse plectendum (tit. 46.). Cavendum esse quam maxime, ne indigni aut imperiti ad sacros ordines unquam admittantur. Quare diligentissimam inquisitionem faciendam de vita, moribus, scientia eorum, qui ad sacros ordines aspirent; vixerintne caste, sintne studiosi gloriae et servitii Dei, alieni ab omni avaritia, soleantne ad poenitentiae et Eucharistiae sacramenta frequenter accedere; et antequam aliquem ordinem suscipiant, de sufficienti latinae linguae cognitione, de scientia rerum theologicarum et moralium, de casuum conscientiae peritia, de officiorum ecclesiasticorum ratione, ex formula praescripta accurate examinentur; pariter prospiciendum, ne quis sine certo titulo d beneficii, pensionis vel patrimonii, paupertatis religiosae, cuius votum sollemne ex ordinatione S. Pii V. requiratur (religiosis tamen Soc. J. a sollemnitate voti exemtis) s. ordinibus initietur, utque in celebranda Missa caerimoniae Missali Romano praescriptae serventur (tit. 49. — 58.) Clerici quoque in minoribus ordinibus constituti, quos servitio alicujus ecclesiae addicere et parochorum adjutores designare ex Tridentini praescripto convenit, ut morum honestate, pietate colendique Dei studio se omnibus probent, admonentur. Cavendumque, ne ullo pacto haec munia adeant ea mente, ut clericorum privilegiis innixi liberius vivant (tit. 59.).

Ultima hujus libri parte de matrimonii sacramento agitur, ut in reliquis, ita maxime hac in re servata Tridentini norma. Ministros Sacramenti esse ipsos contrahentes. Ut sponsalia de futuro (quibus ne intersit parochus) valide fiant, requiri aetatem annorum minimum septem. Si quis, sponsalibus de futuro initis, iisque obligatus, alia contraxerit, aut copulam perfecerit, eum mulcta et carcere esse coercendum; neque ulla ratione permittendum, ut sponsi de futuro eadem in domo habitent soli, vel liberius inter se agant; qua in re et parentes et visitatores Episcopales recto ordini, ut par est, prospiciant (tit. 63.). Ad matrimonium contrahendum maritus saltem 14 annos, femina vero 12 compleverit. Fiant autem sponsorum proclamationes a Tridentino praescriptae (tit. 64.), eaeque repetantur, si matrimonii celebratio ultra duos menses fuerit dilata (tit. 65.). Vetantur parochi, proposita poena excommunicationis majoris ipso facto incurrendae, aliquod impedimentum dissimulare vel occultare; eadem poena plectendos, si qui, proclamationibus non praemissis, matrimonium celebraverint; parochum vero et testes mulctis, suspensione, aliis poenis afficiendos (tit. 66. cf. tit. 69.). Poenae quoque a Tridentino statutae pronuntiantur in eos, qui sine venia proprii parochi dant benedictionem nuptialem, et qui intra gradus prohibitos contrahunt (tit. 69.). Ut vero impedimenta tam dirimentia quam impedientia possint cognosci et indicari, accurate in constitutionibus describuntur; (inter impedimenta dirimentia secundum Tridentinum recensetur 14° et ultimo loco absentia parochi et duorum testium in contractu matrimonii; unde patet, legem Tridentinam illis in regionibus promulgatam esse;) eadem parochi et capellani jubentur bis singulis annis populo legere et explicare (tit. 67). Si quis religiosus aut clericus in sacris constitutus matrimonium attentarit, praeter excommunicationem majorem, etiam haeresis suspectum esse habendum, eoque nomine tribunali sacri Officii tradendum; idemque statuitur de eo, qui stante primo matrimonio alterum attentaverit (tit. 69.). Matrimonium servorum jure divino et humano validum esse declaratur, neque heros aut illud aut ejus usum impedire ullo modo posse; quod si fecerint vel iniqua tractatione vel conjugum separatione, peccare mortaliter, suasque conscientias peccatis servorum onerare: quare, ne tale quid audeant, precibus obsecrantur. Sacerdotes autem admonentur, ut servos matrimonium inire cupientes diligenter et sollicite instituant in doctrina et vita christiana et in hujus conditionis officiis. Servos porro recenter ad fidem conversos, quamvis suspicio sit, eos in patria jam matrimonio ligatos fuisse, secundum bullam Gregorii XIII. (datam 25. Jan. 1585.) a prioris matrimonii vinculo solvi posse (tit. 71.). Causae demum matrimoniales omnes foro ecclesiastico et judicio Episcopali reservantur (tit. 74.), magnaque cura, diligentia, prudentia in iis expediendis vicario generali ex Tridentini praecepto commendatur. — Atque haec fere sunt, quae primo constitutionum libro comprehenduntur.

LIBER II.

Alter constitutionum liber, a numero 325. ad 437., titulos 27 complectitur. Tractatur in eo de sacrosancto Missae sacrificio, de ejus celebratione et auditione, de observatione dierum festorum et jejunii ecclesiastici, denique de officio solvendi decimas, primitias aliasque oblationes.

Ac primum, explicata Missae institutione, fructibus et effectibus (tit. 1.), quam maxima commendatur sacerdotibus diligentia et cura, ut magna animi puritate, pietate, devotione haec mysteria tractent; ante sacrificium recitare jubentur matutinum; praeterea suadetur, ut reliquas orationes in Missali descriptas persolvant (tit. 2.), in toto vero celebrandi modo accurate servent ritus et caerimonias Missalis Romani (tit. 3.) et quae de tempore, hora locoque praecepta sunt, salvis tamen privilegiis bulla Cruciata concessis aliisque, quae religiosis Soc. J. sunt impertita (tit. 4.). Proposita poena suspensionis ab ordine et exilii in Angola vel in insula S. Thomae subeundi, prohibetur, ne quis bis in uno die sacrificet, excepto die nativitatis D. N. (tit. 5.) Sequuntur dein (tit. 6. — 10.) Conciliorum, theologorum, sacrae Congregationis Concilii Tridentini praescripta de eleemosynis pro Missa accipiendis, de modo applicationis, de Missis in perpetuum fundandis, de obligatione Missarum conventualium. Si quis non sacerdos Missam celebrare temeraria simulatione praesumpserit, tribunali sancti Officii judicandus et puniendus tradatur (tit. 10.).

Parochi et verbi divini praedicatores diligenter doceant fideles, quando debeant, et quo modo possint cum fructu interesse

[1] Hoc visum est commemorare, ut intelligatur, quantum a Jansenistis dissentiant catholici transmarini — id quod pluribus aliis harum constitutionum locis observari poterit.

s. Missae sacrificio; patres familias quoque dent operam, ut filii, servi totaque familia Ecclesiae praecepto satisfaciant, et quantum fieri possit, omnes Missae parochiali intersint, quod quo alacrius faciant, 40 dierum indulgentiae conceduntur et fidelibus Missae parochiali assistentibus et sacerdotibus eam celebrantibus. Qui vero praeceptum Missae audiendae neglexerint, eos parochus pecunia mulctet; negligentissimorum vero nomina ad visitatores et vicarios transmittat, ut debitis poenis ad officium adigantur; denique quum tanta sint Missae emolumenta, omnes etiam atque etiam invitantur, ut ei quam saepissime intersint (tit. 11.). Dierum festorum catalogus exhibetur (tit. 12.) secundum constitutionem Urbani VIII. *Universa* d. 13. Sept. 1642., addito pro urbe de Bahia die festo S. Francisci Xaverii, urbis patroni. Qui hisce diebus (venia a superioribus ecclesiasticis non accepta) opera servilia fecerint, mulctis a parocho plectantur; quodsi non resipuerint, ad vicarium generalem deferantur. Hoc loco gravissimis verbis increpatur illorum inhumanitas atque impietas, qui, quum servos suos tota hebdomada laboribus obruant, iis tamen ad victum vestitumque necessaria non praebent; quo fit, ut miseri servi ipsis diebus festis haec sibi proprio labore comparare cogantur, nec proinde sacris interesse ac Dei praeceptum implere possint. „Quare ut pravam hanc consuetudinem, Deo hominibusque tam injuriosam, funditus exstirpemus, omnes curae nostrae commissos exhortamur et per vulnera Domini nostri et Salvatoris rogamus et obsecramus, ut servis suis necessaria ad vitam deinceps provideant, quo ipsi quoque divinis praeceptis obtemperare possint et christiano more vivere. Parochis vero mandamus, ut omni cura et attentione invigilent, sicubi forte tam detestabilis mos remaneat, et si quos hac in re deliquisse invenerint, poenis statutis eos coerceant“ (tit. 13.). Porro „ut deprehendi et puniri possint ii, qui vetita opera diebus festis exercent, singulis annis (in quavis parochia, ubi non aliter fuerit provisum) unus vel duo „„judices vel procuratores ecclesiae““ eligantur, quorum sit, inquirere in eos, qui diebus festis laborant aut ab aliis laborem exigunt eosque ad vicarium generalem vel Archiepiscopum deferre. Et quamvis minime sit penes principes saeculares praecipere, ut dies quidam festivi habeantur, eos tamen, qui ab Ecclesia statutos operibus servilibus violant, punire possunt; id quod quum sit crimen mixti fori, iisdem a s. Pio V. (an. 1566.) fuit injunctum. Quare nos quoque ministros regios hac in re monitos volumus, ut in transgressores hujus mandati animadvertant“ (tit. 14.). Pariter mulcta in judices decernenda prohibentur diebus festis actiones judiciales, quae strepitu et contentione peragantur; si fiant, actus eo ipso irritari (tit. 15).

Expositis dein (tit. 16. 17.) jejunii et abstinentiae (tit. 19.) institutione, utilitate et causis excusantibus, texitur catalogus dierum esurialium; jubentur parochi singulis dominicis populo indicare, si qui dies septimanae subsequentis abstinentia vel jejunio sint observandi (tit. 18.). Poena excommunicationis majoris iis infligitur (tit. 20.), qui tempore Quadragesimae publice carnes praeparant ipsi aut vendunt aut, ut hoc fiat, consentiunt vel permittunt (nisi in aegrotantium levamen id faciant). Sequuntur praescripta de decimis solvendis, quarum triplex genus distinguitur, realium vel praedialium, personalium, mixtarum, eorum scil. fructuum, qui partim natura partim hominum industria comparantur, velut quae venatione et piscatione acquiruntur; eas vero solvendas esse quaestoribus regiis, quum rex, utpote magister et administrator ordinis militiae Christi (Grao Mestre e administrador da Ordem, e Cavallaria de nosso Senhor), Pontificis concessione hoc jure fruatur. Omnes, ne quid defraudent, excommunicatione majore proposita prohibentur; si fecerint, eos furti peccatum committere Archiepiscopo reservatum neque absolvi posse, nisi iis integre solutis, quae de decimis legitimis retinuerint (tit. 21. cf. tit. 26.). Quod ut omnibus innotescat, parochi hanc constitutionem tit. 21. legant publice in ecclesia prima quaque dominica mensium Aprilis, Augusti, Decembris (cf. l. V. tit. 74.), et concionatores idem saepius per annum in memoriam auditorum redigant (tit. 22.). Porro antiqua juris statuta de decimis omnium fructuum, margaritarum, metallorum persolvendis innovantur (tit. 23.) nec non de decimis mixtis (tit. 24.), de personalibus (tit. 25.), de primis fructibus (tit. 27.). Ipsi etiam clerici solvant decimas ex bonis patrimonialibus vel haereditate acceptis, intacta autem remaneant privilegia aliquibus ordinibus religiosis concessa; ordines vero militares, hospitalia, confraternitates hoc onere minime liberantur (tit. 26.). Ultimo

a denique titulo fideles admonentur, ut sponte offerant, quibus ecclesiarum ornamenta augeantur, parochisque praescribitur, quos in usus haec pia dona sint insumenda (tit. 27.).

Atque his secundus constitutionum liber absolvitur.

LIBER III.

In tertio libro, qui titulis 39 a numero 438. ad 638. continetur, varia praescribuntur, quae ad piam et honestam clericorum vitam et ad munia ecclesiastica rite obeunda spectant.

Primo universim gravissimis verbis et rationibus commendatur clericis vitae integritas et perfectio (tit. 1.); abstineant ab omni pompa et fastu in vestimentis, quae sint nigro colore et usque ad pedum articulos defluant; quod qui non servaverint, praeter poenas in jure statutas mulctis aliisque afficiantur (tit. 2.): idem de iis statuitur, qui tonsuram clericalem gerere neglexerint (tit. 3.), vel qui sine superiorum venia, (quae solum in vera defensionis necessitate, eaque scripto et in tempus definitum erit danda,) arma gerunt (tit. 4.), vel noctu extra domum vagantur.
b Clerici autem, qui noctu cum armis vel sine vestitu clericali deprehenduntur, ab ipsis apparitoribus teneri possunt et ad vicarium generalem duci (tit. 5.). Neque decet clericos cauponas frequentare; quod si in itinere necesse erit, minime tamen una cum mulieribus cibum capiant. Clerici in ebrietate saepius deprehensi mulctis et suspensione ab officio et beneficio pro culpae gravitate puniantur (tit. 6.); prohibentur saltationibus et comoediis interesse (tit. 7.), vel chartis aleave ludere, aut, quod pejus est, aleatorium quoddam instituere; quodsi forte animi relaxandi causa ludere velint, ludant domi ludos licitos et honestos (tit. 8.). Tum inculcantur antiqua juris statuta, ne clerici ullo fungantur munere publico aut officio medicorum vel testium in judicio etc.; neve opificia vel opera vilia aut negotiationem aut fenus exerceant (tit. 9. 10. 11.). Jubentur quam maxime vitare mulierum consuetudinem. Si quas habeant rei familiaris administras, eae sint annorum minimum 50, (nisi fuerint primo vel secundo gradu consanguineae) et integrae vitae ac famae. Feminas sine Archiepiscopi venia ne doceant legere, scribere, cantare, neve monialium coenobia adeant nisi rarissime et justa de causa (tit. 12.).
c Hactenus de clericorum vita.

Jam de officiis divinis disseritur, ac primo de sollemnibus supplicationibus. Quae licet plurimum commendentur (tit. 13.), prohibetur tamen, ne novae inducantur inconsulto Archiepiscopo (tit. 14.), quae autem usu receptae sint et approbatae, retineantur, nunquam tamen noctu celebrentur praeter eam, quae feria V. majoris hebdomadis fieri solet, cui quidem (constituta poena excommunicationis ipso facto) mulieres interesse vetantur (tit. 15.). Die festo Corporis Christi supplicatio omni, qua fieri possit, sollemnitate et pompa instituatur, quam clerici omnes (sub poena excommunicationis majoris ipso facto incurrendae) obeant, cives autem vias publicas domosque festive exornent (tit. 16.). Et quo alacrius hunc diem festum agant fideles, parochi publice exponant indulgentias a Summis Pontificibus Urbano IV., Clemente V., Martino V., Eugenio IV. hujus diei celebritati annexas, omnesque ad confessionem et communionem adhortentur. Iis autem, qui sacram pompam comitantur, 40 dierum indulgentiae ab Archiepiscopo impertiuntur (tit. 17.). Tum juris canonici et Conciliorum statuta proponuntur de horis canonicis tum privatim tum
d in choro persolvendis, et solitae poenae: privationes fructuum et beneficiorum, negligentibus infliguntur. „Et quum Ecclesiae inferiores conformare se debeant ad Ecclesiam Romanam, totius christiani orbis caput, quumque hac in re consensio peculiarem quendam afferat Ecclesiae catholicae decorem simulque multis occurrat incommodis, quae ex dispari divini officii ratione nascuntur: praecipimus, ut in omnibus locis nostrae jurisdictioni subjectis officium divinum recitetur ex breviario Romano, restituto a S. Papa Pio V. et auctoritate Clementis VIII. recognito, ita ut alia omnia breviaria aboleantur. Qui secus fecerint, tamquam delinquentes in nostris visitationibus tractabimus.“ (tit. 18. 19.) Ostenditur dein (tit. 20. 21.), qua ratione Tridentini praescripta de verbi divini praedicatione sint exsequenda. Orationes funebres sine Archiepiscopi permissu ne habeantur. Titulis subsequentibus (22.—29.) Tridentini praecepta de electione ad beneficia ecclesiastica eorumque collatione et de vicariorum vel coadjutorum institutione exponuntur et regionis conditionibus accommodantur. „Quum enim omnes Archiepiscopatus ecclesiae jure patronatus pertineant ad ordinem militiae Christi, cujus magister

et administrator perpetuus est ipse rex (ex bulla Leonis X.), Ordinariis proprio jure non relinquitur nisi institutio collativa et confirmatio eorum, quos Regia Majestas praesentaverit. Sed quum rex pro sua pietate summoque religionis studio nobis hujus regii juris usum concedere soleat.... et, sicut in omnibus Tridentini statuta observari cupit, ita ad Episcopos facultatem remittat providendi ecclesiis....: Nos ad Tridentini normam, quam rex inviolabiliter custodiri vult, praecipimus et mandamus, ut, quamprimum ecclesia parochialis vacaverit, edicto publico vocentur, qui volent examinari, ut ex eorum numero parochi fiat electio, iique intra 30 dies se examinatoribus synodalibus sistant... Ex approbatorum numero dignissimum seligemus, cujus tamen dignitas non ex sola doctrina metienda est, verum etiam ex aliis, quae ad ejusmodi munus obeundum necessario requiruntur, eumque regi proponemus" etc. Sequuntur mox praecepta de inquisitione facienda in mores vitamque clericorum ad beneficia eligendorum et de possessione beneficii rite ineunda; describitur, quales esse vicarii et coadjutores, et quale examen subire debeant: semper enim eos de rebus moralibus iisque, quae sive ad sacramentorum administrationem sive ad officium parochi recte implendum spectant, esse examinandos; idque examen tertio quoque anno iterandum; et si quis minus aptum se in eo probaverit, ei tantum ad certum tempus officium committendum, quo praeterito, denuo ad respondendum revocetur. Hinc venitur ad officia parochorum; ac primo, contrariis omnibus abrogatis, residentia graviter praecipitur, ita ut parochus singulis annis non diutius possit abesse quam 30 dies, sacerdote tamen ad animarum curam idoneo relicto; quod si quis non observaverit, mulcta puniatur; tempore vero jejunii quadragesimalis usque ad dominicam boni Pastoris in sua quisque parochia adsit. Jam, grassante pestilentia, quum vel maxime requirantur ministeria sacerdotum, qui debeant, quando opus fuerit, ponere vitam pro ovium salute (quanto enim cum scandalo et damno tunc abessent): severe prohibetur, ne quis parochus audeat in tali tempore, vel ad paucos dies, a sua parochia discedere, sub poena suspensionis ad Archiepiscopi arbitrium incurrenda (tit. 29. 30.). Secundo loco parochis obligatio incumbere dicitur dicendi et applicandi Missam parochialem (tit. 31.) et exponendi fidelibus doctrinam christianam diebus dominicis et festis; quod quo commodius praestent, in ipsis constitutionibus formula doctrinae christianae, symbolum, orationes consuetae, decalogus, Ecclesiae praecepta, virtutes, vitia, sacramenta, octo beatitudines, opera misericordiae, modus contritionis eliciendae, breviter indicantur; accedit in modum colloquii familiaris institutio ad servorum ingenium et indolem magis accommodata (tit. 32.), quam ad verbum latine expressam quasi specimen adjiciendam duximus:

Quaeritur:	Respondetur:
Quis fecit hunc mundum?	Deus.
Quis fecit nos ipsos?	Deus.
Ubi est Deus?	In coelo, in terra et in toto mundo.
Habemusne unum tantum Deum an multos?	Habemus unum tantum Deum.
Quot personas?	Tres.
Dic earum nomina?	Pater, Filius et Spiritus Sanctus.
Quae ex his personis assumpsit nostram carnem?	Filius.
Quae ex his personis mortua est pro nobis?	Filius.
Quomodo vocatur hic Filius?	Jesus Christus.
Quomodo vocatur ejus Mater?	Virgo Maria.
Ubi mortuus est hic Filius?	In cruce.
Postquam mortuus est, quo ivit?	Ivit infra terram, ut quaereret animas bonas.
Et postea, quo ivit?	In coelum.
Venietne iterum?	Utique.
Quid quaeret, quando venerit?	Animas boni cordis.
Quonam eas ducet?	In coelum.
Et animae mali cordis quonam sunt iturae?	In infernum.
Quis est in inferno?	Est ibi diabolus.
Et quis praeterea?	Animae mali cordis.
Et quid faciunt ibi?	Sunt in igne, qui non extinguetur.
Aliquandone inde evadent?	Nunquam.
Cum morimur, num etiam anima moritur?	Non; moritur solum corpus.
a Anima autem, quo vadit?	Si anima est bona, vadit in coelum; si anima non est bona, vadit in infernum.
Corpus autem, quo vadit?	Vadit in terram.
Redibitne vivum ex terra?	Utique.
Quonam vadet corpus, quod habuit anima mali cordis?	In infernum.
Et quo vadet corpus, quod habuit anima boni cordis?	In coelum.
Quis est in coelo cum Deo?	Omnes, qui habuerunt bonas animas.
Redibuntne ex coelo, an erunt ibi semper?	Erunt ibi semper.

Institutio ad confessionem peragendam.

Ad quid est confessio?	Ad lavandam animam a peccatis.
Qui facit confessionem, num abscondit peccata?	Non.
b Qui abscondit peccata, quo vadit?	In infernum.
Qui facit peccata, num denuo plura faciet?	Non.
Quid facit peccatum?	Occidit animam.
Reditne anima post confessionem ad vitam?	Utique.
Num cor tuum redibit ad peccata facienda?	Non.
Ex cujus amore?	Ex amore Dei.

Institutio ad s. communionem.

Tune optas communionem?	Utique.
Ad quid?	Ut ponam in anima Dominum nostrum Jesum Christum.
Et quando adest Dominus noster Jesus Christus in communione?	Quando Pater dicit verba.
Ubi dicit Pater verba?	In Missa.
c Et quando dicit verba?	Quando sumit in manum suam hostiam.
Antequam Pater dicat verba, num jam adest in hostia Dominus noster Jesus Christus?	Non; adest solum panis.
Et quis posuit Dominum nostrum Jesum Christum in hostia?	Ipse, postquam Pater dixit verba.
Et in calice quid adest, quum Pater eum sumit in manum?	Adest vinum, antequam Pater dicat verba.
Et postquam dixit verba, quae res adest in calice?	Adest sanguis Domini nostri Jesu Christi.

Actus contritionis in usum servorum et rudium.

Deus meus, Dominus meus; cor meum te solum vult et amat. Feci peccata multa; et cor meum dolet multum de omnibus, quae feci. Ignosce mihi, mi Domine: in posterum non
d faciam peccata: omnia ejicio ex corde meo et ex anima mea propter amorem Dei.

Pro moribundo.

Creditne cor tuum omnia, quae Deus dixit?	Utique.
Amatne cor tuum solum Deum?	Utique.
Vultne te Deus in coelum ducere?	Utique.
Visne ire eo, ubi Deus est?	Utique.
Visne mori, quia Deus ita vult?	Utique.

Placet adjungere expositionem mysterii SS. Trinitatis, quae ibidem traditur, quo majore facilitate parochi fideles doceant:

„Vera cognitio hujus altissimi mysterii in eo consistit, ut credatur, quod unaquaeque ex tribus personis divinis est Deus, et omnes tres idem Deus: et quod sunt tres personae distinctae, ita ut una persona non sit altera, quia sunt tres distinctae, in quantum personae; quamquam, in quantum Deus, omnes tres sunt idem Deus. Et quod persona Patris non fuit prius quam

persona Filii; neque persona Filii fuit prius quam persona Spiritus Sancti, sed omnes sunt ab aeterno et sine initio; et quod omnes tres personae divinae sunt aequales, ita ut Pater non sit major quam Filius, neque Filius major quam Spiritus Sanctus; sed ita sunt aequales, ut eadem potentia, scientia, idem amor, et quidquid adest in una persona, sit idem, quod adest in omnibus tribus, hoc excepto, quod una persona non sit altera."

„Ex tribus personis persona Filii se fecit hominem, et hic Filius Dei homo factus est Christus, cujus legem profitemur. Christus est Deus et verus homo: in quantum Deus, est Filius Patris Aeterni; in quantum homo, Filius Virginis Mariae, in cujus purissimis visceribus assumpsit carnem humanam. Christus, in quantum Deus, est idem Deus ac Pater et Spiritus Sanctus: in quantum persona divina, est aequalis Patri et Spiritui Sancto; et in quantum homo, est minor Patre et Spiritu Sancto."

Quum porro parochi efficaciter promovere debeant bonum spirituale parochianorum, ne reprehensionibus quidem et poenis, ubi opus fuerit, parcant cum amore paterno atque prudentia. Animadvertant in eos, qui dies festos non observant vel Missam omittunt vel in ecclesiis officia divina turbant vel quavis ratione debitam parocho obedientiam denegant. Contumacioribus, qui mulctis non emendantur, etiam excommunicationem infligere possunt [1], brachio quoque saeculari adhibito. Parochianis tamen semper pateat ad Archiepiscopum recursus, quem parochi nullo modo impedire praesumant (tit. 34.). Nullo pacto sinant nominatim excommunicatos et interdictos sacris interesse, sed etiam brachio saeculari adhibito ex ecclesia ejiciant: qui si non potuerint removeri, officia divina intermittant, causamque ad Vicarium generalem deferant (tit. 35.). Commemoratis deinde officiis canonicorum, thesaurariorum, judicum procuratorumque ecclesiarum (tit. 36. 37.), eremitis quoque vivendi forma praescribitur: seligantur homines probi, habeant veniam Archiepiscopi per literas datam, bene custodiant loca pia suae curae commissa, neque unquam permittant, ut, qui peregrinationis causa ea visitant, ibidem pernoctent vel edant, bibant, ludant (tit. 38.). Ultimo hujus libri titulo continentur Archiepiscopi jura in Bahiense monasterium religiosarum, utpote ejus jurisdictioni subjectum: ad ipsum enim dicitur pertinere, visitationem monasterii instituere, ipsas novicias approbare et examinare, (idque testibus omnibus remotis, ne earum libertati praejudicetur,) invigilare, ut clausura stricte servetur. Religiosis non permittendum ante votorum nuncupationem bonis suis renuntiare; si qua vero paupertatis votum semel nuncupatum violaverit, poenis et censuris jure canonico et ordinis instituto praescriptis subjaceat. Denique additur ex decreto s. Congregationis ab Urbano VIII. approbato, superiores religiosorum posse quater in anno suis permittere, ut religiosas adeant, si quas habeant primo vel secundo gradu sibi cognatas, vel si negotiorum necessitas id postulet (tit. 39.).

LIBER IV.

Initio quarti constitutionum libri, qui titulis 65 a num. 639.—885. absolvitur, clericis et ecclesiis vindicatur immunitas, ut in jure divino fundata et ss. canonibus Conciliisque generalibus ac nuperrime Tridentino sancita. Quapropter nemo, quacunque tandem in dignitate sit constitutus, nisi poenam excommunicationis ipso facto incurrere velit, ecclesiasticam immunitatem, exemtionem, jurisdictionem impediat aut leges contra eam ferat; parique cura clericis suum „fori privilegium" et capitis „Odoardus" privilegium ab omnibus sartum tectumque servetur modis lege ecclesiastica praescriptis. Bona quoque ecclesiastica intacta relinquantur nec vectigalibus onerentur. Clericis debita ab omnibus reverentia praestetur. His accurate et distincte expositis (tit. 1.—16.), varia utilissime praecipiuntur de aedificandis exornandisque ecclesiis, de fundandis monasteriis, de reverentia et pietate, qua tractanda sint, quaecunque ad Dei cultum pertineant (tit. 16.—32.). Dein explicatur, quando et quanam ratione jus asyli locis sacris proprium valeat (tit. 32.—37.). Ex more universali regni totiusque Hispaniae et Galliae, scientibus et consentientibus summis Pontificibus, conceditur clericis, ut testa-

a mento etiam de iis bonis statuant, quae ratione beneficii ecclesiastici acquisierint (tit. 37.). Ipsi autem clerici sub poena excommunicationis majoris aliisque vetantur quemquam vi aut fraudibus in conscribendo testamento circumvenire (tit. 38.). Iis porro declaratis, quae ad testamenta rite facienda, exsequenda, commutanda spectant (tit. 39.—45.), de exsequiis et funeris pompa, de officiis suffragiisque pro defunctis disseritur (tit. 46.—51.), et peculiari cura intestato mortuis, pupillis, servis providetur (tit. 51.). Sepultura ecclesiastica, quae quidem in terra benedicta facienda est et, consentiente parocho, etiam in ecclesiis earumque atriis fieri potest (tit. 52.—57.), iis denegatur, quos ss. canones ab ea excludunt (tit. 57. 58.). Denique mandatur, ut in aede cathedrali et in ecclesiis parochialibus solitae fiant feriis secundis vel diebus dominicis supplicationes precesque pro defunctis (tit. 59.). De piis sodalitatibus, nosocomiis, eleemosynis petendis multa statuuntur eaque utilia ad varia praecavenda tollendave incommoda. Plectuntur excommunicatione majore, quicunque audent falsas indulgentias, dispensationes, absolutiones vendere, ac ne quis literis Apostolicis et facultatibus
b falso praetentis quemquam decipiat, ejusmodi testimoniis nullatenus fides adhibeatur, nisi sigillo Archiepiscopi eorum auctoritas confirmetur (tit. 60.—65.).

LIBER V.

Quinto constitutionum libro, qui a num. 866.—1318. titulos complectitur 74, suae cuique crimini poenae describuntur. Qua in re, sicut in caeteris statutis, ss. canonum et bullarum Pontificum vestigiis quam maxime insistitur. Declarata cujusque criminis gravitate, variae variis hominum generibus poenae decernuntur: excommunicatio, degradatio, suspensio ab officio et beneficio, vincula, deportatio vel exilium in Africa aliisve locis tolerandum, triremes, poenae pecuniariae: neque parcitur poenis corporis aliisque, quae infamiam pudoremque incutere solent, quo efficacius absterreantur homines rudiores a delictis apud eos frequentioribus, cujusmodi sunt superstitio, vana observantia, divinatio, magia, maleficium. Tum ordine pertractantur crimina contra fidem, superstitiones, simoniae species, sacrilegium, per-
c jurium, crimen falsi, usura, peccata carnis, homicidium, injuriae, duellum, furtum, contumacia adversus legitimam potestatem, aleatoria conventicula. Denique etiam „ministris auditorii Archiepiscopalis" poenae constituuntur, si quid in administratione muneris deliquerint (tit. 1.—34.). Sequentes tituli (34.—45.) versantur circa accusationes, delationes, inquisitiones judiciales, poenarum remissiones aut commutationes, quomodo et a quibus sint faciendae. His subjungitur fusior explicatio poenarum spiritualium. Atque excommunicatio quidem, utpote omnium gravissima, solum in causis vere magnis irrogari jubetur: qui sint excommunicati vitandi, exponitur; et „quum excommunicationes bulla Coenae contentae praecipuae sint earum, quae a jure decernuntur, quumque referat, imo necesse sit, eas sciri ab omnibus Christi fidelibus, et parochi in iis probe versati esse debeant, ut animas sibi commissas bene dirigant", idcirco eas excommunicationes lingua Lusitana ad verbum expressas et 20 paragraphis comprehensas R. Praesul suis constitutionibus inseruit. Quo loco illud commemorare liceat, quam acriter Praesul Ecclesiae libertatem et immunitatem vindicet. Jam initio libri IV. idem vidi-
d mus; hoc vero loco tantum abest, ut „placetum"; quod vocant regium, anno 1707. agnoscere videatur vel appellationem ullam a decisionibus summorum Pontificum tolerari posse existimet, ut cum eadem bulla excommunicet et anathematizet „omnes et singulos ab ordinationibus et mandatis Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium appellantes, nec non eos, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit", et pariter „omnes, tam ecclesiasticos quam saeculares . . . qui praetexentes frivolam quandam appellationem a gravamine vel futura executione literarum Apost. etc. ad curias saeculares et laicam potestatem recurrunt et ab ea . . . appellationes hujusmodi admitti ac literas etc. capi et retineri faciunt, quive illa simpliciter vel sine eorum beneplacito et consensu vel examine exsecutioni demandari . . . . impediunt vel prohibent . . . . vel qui alios . . ne gratias ipsas vel literas a Romana Sede impetrent seu impetratis utantur, directe vel indirecte prohibere . . . praesumunt; nec non, qui statuta, ordinationes . . quomodolibet fecerint, ordinaverint et publicaverint, vel factis et ordinatis usi fuerint, unde libertas Ecclesiae tollitur seu in aliquo laeditur vel de-

[1] Textui Constitutionum subjungitur nota haec: „Possunt enim Ordinarii hanc facultatem ferendi censuras delegare, tot. tit. de Officio Ordinar. c. Cum Episcop. 7. de Offic. Ordinar. in 6. Pal. p. 6. tract. 29. de Censur. d. 1. punct. 4. num. 3."

primitur aut alias quovis modo restringitur, seu nostris et dictae a Sedis Romanae juribus quomodolibet praejudicatur.“ Praeclarum sane libertatis ecclesiasticae tuendae exemplum, idque eo fere tempore editum, quo falsae quaedam libertates Ecclesiam verae subjiciebant servituti et Gallicanismus longe lateque serpens illud „placeti“ jus vel potius injuriam contra Romani Pontificis potestatem sibi arrogabat.

Exponitur (tit. 50.) ex eadem bulla, qua ratione possint absolvi excommunicati, adjecto catalogo excommunicationum, quae ex jure communi reservantur summo Pontifici, et earum, quae sine tali reservatione infliguntur, et quae hisce constitutionibus decernuntur (tit. 51.—54.). Agitur deinceps de reliquis poenis spiritualibus, id est, de suspensione, ejusque variis generibus, effectibus, causis; de depositione et degradatione, de interdicto, de cessatione a divinis, cui ob similes effectus subnectitur ecclesiae violatio, et quibus modis committatur (tit. 54.—69.). Ad extremum quatuor titulis (69.—73.) irregularitates explicantur. Atque ita ipsis constitutionibus finis imponitur; quo tamen facilius ab omnibus et cognoscantur et observentur, duobus titulis adjectis (tit. 73. 74.) praecipitur, ut in quavis archidioecesis ecclesia parochiali et curata asservetur exemplum constitutionum, necnon ut illi, qui in officio publico constituti sunt, uti provisor, vicarius generalis, promotor, advocati etc., earundem exemplum habeant. Denique praescribitur, quid et quibus diebus festis et dominicis a parochis populo publice ex constitutionibus sit praelegendum.

Atque haec fere sunt summa capita eorum, quae constitutionibus Sebastiani Monteiro da Vide, Archiepiscopi Bahiensis, comprehenduntur.



*INDICES.

I. Syllabus Conciliorum provincialium et cleri comitiorum,

quae in primo tomo exhibentur, secundum temporum seriem dispositus.

II. Index locorum,

qui ex Corpore juris canonici in hoc tomo laudantur.

Si in hoc aliisque indicibus duo numeri ita simul ponuntur, ut virgula dirimantur, prior paginam, alter notam significat, ubi locus laudatus invenitur.

Decreti Gratiani

P. I.

P. II.

III. Index locorum,

qui ex decretis S. Synodi Tridentinae in hoc tomo laudantur.

[1] In illa pagina falso scriptum est: sess. 4.

[1] In pagina illa falso scriptum est: sess. 24.

IV. Index constitutionum et literarum Apostolicarum,

quae in hoc tomo laudantur vel continentur.

(Quae asterisco * notantur, integre in hoc tomo habentur.)

V. Index personarum.

Litera majuscula ante numerum paginae significat Concilium, cui aliquis interfuit, et quidem A. Avenionense, Al. Albanum, B. Benevent. I. II., Ba. Bahiense, E. Ebredunense, F. Firmanum, G. Gerundense, N. Neapolit., R. Roman., T. Tarraconense. Praeterea nota has abbreviationes: abb. abbas, Card. Cardinalis, Coadj. Coadjutor, decret. decretalista, dep. G. deputatus ad comitia cleri Gallicani S. Germani habita, dep. P. deputatus ad comitia Parisiensia, Ep. Episcopus, hist. historicus, mag. caer. magister caerimoniarum, not. notarius, proc. procurator, proc. Ep. procurator Episcopi, prom. promotor, secr. secretarius, theol. theologus.

VI. Index geographicus.

D. significat *dioecesis*.

VII. Index rerum.

Ne indices nimis multiplicarentur, quae tum in Conciliorum actis et decretis tum in aliis literis, constitutionibus, commentariis notisque reperiuntur, in hunc unum indicem contulimus, Conciliorum vero acta et decreta distinximus, litera majuscula apposita, ita quidem, ut hae majusculae eadem significent, quae supra ante indicem V. indicavimus, Praeterea haec verborum compendia nota: *Ap.* vel *Apostol.* pro *Apostolicus*, *Conc.* pro *Concilium*, *cf.* pro *confer*, *div.* pro *divinus*, *Eccl.* pro *Ecclesia*, *Ep.* pro *Episcopus*, *Epp.* pro *Episcopi*.

V. vel v. significat *Vide* vel *vide*, qua nota lector ad alia vocabula hujus indicis remittitur. Quum vero ad quaedam vocabula notanda fuerint plurima, omnis haec rerum copia in varios quasi articulos numeris distinguitur; id autem, propter quod ex alio indicis loco remissus est lector, italicis seu cursivis, quae dicuntur, literis scribitur, ut etiam in magna sententiarum multitudine, quod quaeritur, facillime possit inveniri. Ad vocabulum v. g. *Abbates* scriptum est: Praeterea v. Benedictio 2., qua nota remittitur lector ad vocabulum *Benedictio*, ubi is sub n. 2. verbum *Abbas* italicis literis scriptum reperiet.

VIII. Index eorum, quae hoc tomo continentur, secundum paginarum seriem dispositus.

NOTA. Promisimus in praefatione, in primis curae nobis fore, ut opus nostrum, quam emendatissime fieri posset, typis describeretur. Ad quod id quoque pertinere visum est, ut locos, quos in Conciliis vel allatos vel indicatos reperissemus, cum libris, unde desumpti essent, conferremus; atque ita locorum notas partim falsas correximus, partim easque longe plurimas accuratius expressimus, ut facile apud ipsos auctores inveniri possent; magnus sane labor ob veterum hac in re incuriam, sed lectoribus, ut arbitramur, non ingratus. Quare nos minime poenitet, quod plus fortasse, quam res poscebat, operae hac in re collocavimus. (V. v. g. pag. 189. not. 4., p. 32. n. 1., p. 76. n. 2., p. 158. n. 1., p. 160. cap. III. n. 1., p. 284. n. 4., p. 285. n. 6., p. 305. n. 1. etc. etc.) At ne sic quidem omnes locos in auctoribus, quorum esse dicebantur, reperire potuimus. Et, quod in tanta multitudine pronum erat, nonnullos locos oblivione praetermisimus. Ita errores aliquot irrepserunt, ex quibus, quotquot iterata inquisitione deprehendimus, hic habes adnotatos:

Pag. 42,b pro: *1675. In una Bituntina* scribe: *1675. in una Bituntina.*

Pag. 44. not. 2. pro *27.* pone *26.*

Pag. 176. not. 9. post *1596* adde *[fortasse 1569.]*

Pag. 179. not. 3. post *cap. 2.* adde: *[?, fortasse cap. 17.].*

Pag. 218. n. 3. pro *cap. 8.* scribe *cap. 7.*

Pag. 220. n. 1. pro *16.* scribe *15.* et not. 2. pro *nulla materia* scribe *nella materia.*

P. 221. n. 4. pro *34.* scribe: *33.*

P. 226. n. 5. pro *Cum Sacrosancta* scribe: *Cum Sacrosanctam*, et n. 8, pro *IV,1.* pone: *III,1.*

P. 240. n. 4. pro *24.* scribe: *25.*

P. 280 c. pro *Tit. 2.* scribe: *Tit. 11.*

P. 314. n. 1. pro *4.* scribe: *24.*

P. 417. 422. 443. inscriptionibus documentor. X., XI., et XXI. adde: Versio Latina.

P. 505. n. 1. post *Sess. 25.* adde: *de invoc. Sanctorum.*

P. 513. n. 1. post *Sess. 22.* adde: *de observ. in celebr. Missae.*

P. 514. n. 1. post *in decreto* adde: *de invoc. Sanctorum.*

P. 550. n. 1. post *cap.* adde: *1.*

P. 564. n. 1: pro *11.* scribe: *9.*

P. 751,d. pro *Cum sacrosancta Dei Ecclesia* scribe *Cum sacrosanctam Dei Ecclesiam.*

Adjicere hic lubet menda in appendice et indicibus reperta, ad quos recognoscendos minus temporis nobis suppetebat.

P. 803. lin. 44. pro *Guimenaei* scribe *Guimenii.*

P. 808. lin. 51. pro *responsum* pone *effectum* et not. 2. pro *imperiterritum* scribe *imperterritum.*

P. 872. pro *Curillus. 147—148 c.* scribe *Cutillus. 140 a.*

Editionis alterius Romanae *Synodici S. Beneventan. Ecclesiae* auctoritate in I. Syn. Benev. tit. XIII. c. 2. (p. 36,c), lectione primae editionis *deligantur* rejecta, scripsimus *deligatur;* nunc melius cognito illius Concilii stilo, pro certo habemus, *deligantur* ab ejus auctoribus fuisse positum.

In Tit. X. c. 3. p. 33,c. ex *postulaverit,* quod aperte mendosum erat in prima editione, faciendum putavimus *postuletur;* melius utique correxit altera Romana editio, quae habet *postulabitur.*

Caeterum sensus in his variantibus idem manet.

Alia diversitas tum in nominibus scribendis, tum in tempore notando, quo epistolae datae sunt, occurrit. V. g. in eodem Concilio Episcopi Sistaricensis nomen modo Lafitau, modo Lafiteau, Aeduensis vero et Bliterswich et Bliterwich scriptum est. Item literae Clementis XI. in Concil. Rom. (pag. 392 d.) die 5. Apr. 1715., in appendice vero ejusdem Synodi (pag. 406 a.) die 2. Apr. datae esse dicuntur. Constitutio autem Innocentii XII. *Inscrutabili* tum 28. Jan., tum 1. Febr. data esse dicitur, quum reapse tertio Cal. Febr. (30. Jan.) data sit. Quod ad *annum* attinet, bullarium Romanum et omnia Concilia, quae eandem commemorant, annum 1693. exhibent. At in Conc. Beneventano a. 1693. Innocentius XII. precibus ejusdem Synodi annuens hanc legem tulisse fertur, quod et Marius Guarnacci (Vit. Pont. Rom. I,44 E) narrat. Itaque constitutio potius a. 1694 data est, et plane congruit annus tertius pontificatus Innocentii XII., quo constitutio edita esse scribitur.

Summa fide decreta sic reddenda statuimus, uti a Conciliorum Patribus exarata fuissent. Ne ipsam quidem antiquam scribendi rationem frequentioremque literarum majuscularum usum, sive in textu Latino, sive in actis Gallicis, Italicis, Hispanicis mutavimus, nisi forte manifesta vitia occurrebant vel magna notabatur inconstantia. Interpunctionem vero non eadem religione servandam et miram virgularum in Synodis superioris saeculi abundantiam, quum sensum obscurare potius quam illustrare videretur, minuendam censuimus, *quod tamen in Synodis nostrae aetatis minime erit necessarium.*

Quum vero in antiquis Conciliorum editionibus magnus mendorum numerus occurreret et ipsae constitutiones tantopere saepe a probata consuetudine sermonis latini recederent: nobis, qui accurate verba ipsa Patrum dare vellemus, difficile interdum fuit discernere, utrum ea, quae minus recte scripta erant, librariis vel typographis, an ipsis auctoribus tribuenda essent. Quod quum accidit, interdum quidem scripturam rariorem, etsi non aperte mendosam, correximus, saepius vero videmur nobis nimia quadam religione eandem, quam in antiquis editionibus invenimus, retinuisse. Itaque nonnulla, quae, re attentius considerata, emendanda nobis videntur, hic adnotabimus, aliorumque, quae fortasse quibusdam displicebunt, rationem adjiciemus:

Coeremonia in locis Conc. Neap. et Aven. muta in *caeremonia.* Etsi enim Neapolitanum constanter *coeremonia* scripsit, et vix ullum est verbum, de cujus scriptione viri docti tam dissentiant, forma tamen illa videtur corrigenda, quum apud antiquos non occurrat.

Pag. 148. lin. 8. pro *regestu* scribe *regesto.* Etsi enim auctor aliis verbis similis formae (suggestu = suggesto, congestu = congesto) in errorem induci potuit, tamen potius typographi quam auctoris mendum esse videtur.

Quamquam ex eo, quod in appendice Conc. Rom. verbum *inoluit* identidem recurrit, colligi possit, id non fuisse typographi mendum, et Priscianus similem formam *adoluit* commemoret: nihilominus *inolevit,* quod alio loco in ejusdem Synodi decretis legitur, ponendum videtur, quemadmodum non dubitavimus in Conc. Neapolitano *populo Christiano docere,* in Syn. Albana *supra vertice* et *supra jugis* et in Conc. Gerundensi *Amplitudinem Tuam prospera precari* corrigere.

Substineri (pro *sustineri*) in quibusdam Congregationum responsis non correximus, utpote in illius temporis actis valde usitatum.

Nec *redditus* (i. e. fructus, proventus) mutavimus, quia jam apud antiquos (v. g. Cassiodorum) invenitur; immo nec formam *zizania, ae*, quia maxima constantia Concilium Albanum eandem semper posuit et semel etiam Concil. Avenionense, neque apud ecclesiasticos scriptores hujusmodi soloecismus est inauditus.

Quum evidentia tantum menda corrigere voluerimus, ubi minima dubitatio poterat suboriri, in notis potius, quae videbantur, correximus vel correctionem indicavimus. Cujus rei ut specimen detur, ex Concilii Rom. decretis quaedam afferemus.

In textu editionis Romanae a nobis correcta sunt haec:

tit. 2. c. 5. *praesedebamus;*
tit. 7. c. 2. *sepellex;*
tit. 9. c. 3. not. 2. *Hellier;*
tit. 15. c. 8. *unicujusque;*
tit. 17. c. 1. *illi . . . praefulgeat;*
tit. 19. c. unic. *ab . . . annos;*
tit. 21. not. 1. *19. Julii* (pro *19. Junii*);
tit. 25. c. 1. *ut . . . . debent.*

Non ipsum emendavimus textum, sed in notis correctionem addidimus:

tit. 17. c. 7. *alias in partibus;*
tit. 32. c. 4. *Poenitentiariae praebenda.*

Quod ad ipsas Conciliorum Constitutiones attinet, in nostra editione, si menda in locorum notationibus supra indicata excipias, nullum prorsus *erratum* reperimus. Nec tamen dubitamus, quin perspicax lector nonnulla animadversurus sit, et pro sua benevolentia non solum hujusmodi lapsus condonaturus nobis, sed etiam indicaturus, quo altera editio, si unquam erit, ut fiat, possit esse emendatior.

Primo collectionis Lacensis tomo jam typis descripto, venit in nostras manus liber, quem D. Loyson ad D. Gérin refutandum scripsit; cujus lectione in iis, quae de comitiis cleri Gallicani edidimus, plurimum sumus confirmati. Etenim non modo fidem eorum, quae ex libro D. Gérin retulimus, non infirmat, verum eadem ipse maxima ex parte commentario suo inseruit. Quantumvis autem Gallicanam vel, ut ipse appellat, veterem Sorbonae doctrinam diligere videatur, de ipsa tamen declaratione cleri Gallicani haec scribere non dubitavit: *Les torts (?) d'Innocent XI. à l'égard de la France et de son épiscopat peuvent expliquer, mais non pas justifier celui d'une assemblée d'évêques proclamant solennellement, au milieu d'un conflit entre la puissance ecclésiastique et la puissance civile, une doctrine dont celle-ci pouvait abuser contre celle-là ..... A ce tort, l'Assemblée en ajouta un autre: elle demanda au roi d'ordonner par un édit l'enregistrement des Quatre Articles dans toutes les cours, et leur enseignement dans toutes les universités du royaume ..... Le roi et les évêques ne paraîtraient-ils pas s'entendre pour ruiner la liberté théologique?* Ad quam quaestionem D. Loyson, quod sibi placeret, responsum non reperit. Neque id miramur; verissima enim illa sunt, nisi quod et regem et Episcopos alii ad declarationem edendam et sanciendam induxerunt, id est, magistratus laici, qui neque scientia theologiae ulla imbuti, neque auctoritate vel missione ulla divina instructi, res sacras, et quidem, quod pejus est, profanis rationibus, maximo cum ecclesiae et reipublicae damno administrare cupiebant. Id Bossuetus candide fassus est, quum, ut declarationis causas earumque vim explicaret, de rege, de Colberto, magistratuum laicorum tum principe, de Archiepiscopo Parisiensi, cleri congregati praeside, verba notissima et a nobis supra (doc. XIX. pag. 840) commemorata protulit.

Sed ut ad librum D. Loyson redeamus, unum de eo commemorandum restat. Quum enim ille tanta fide documenta edere voluerit, ut etiam unius literae ad sensum nihil facientis omissionem Domino Gérin exprobraret: praecipuorum de declaratione Gallicana actorum textum diligenter cum iis, quae edidit, conferendum et, si opus foret, emendandum censuimus. Atque revera in duobus parvis documentis has quatuor variantes reperimus:

Textus vulgatus.	Textus a D. Loyson editus. (*L'Assemblée du Clergé*, p. 350. 380.)
Declar. cleri Gallic.	
II. nec probari a gallicana Ecclesia qui eorum Decretorum ...	nec probari a gallicana Ecclesia *eos* qui eorum Decretorum ...
In fine: Quae ... ad omnes Ecclesias gall. atque *Episcopos* iis .... praesidentes, mittenda decrevimus.	Quae ... ad omnes Ecclesias gallicanas, atque iis ... praesidentes, mittenda decrevimus.
Edit du Roi sur la déclaration du clergé.	
II. dans les Colleges ou Maisons seculieres et regulieres.	dans les Colléges ou *les* Maisons séculières et régulières.
III. soit qu'ils soient *seculiers ou reguliers.*	soit qu'ils soient *réguliers ou séculiers.*

Jam vero hae variantes non sunt ejusmodi, ut auctoritas D. Loyson ad textum vulgatum deserendum inducere nos possit; quinimmo pleraeque earum, quantum pro nostra quidem mediocritate judicare possumus, menda potius quam emendationes esse videntur. Declarationem illam cleri Gallicani et regium edictum secundum editionem principem a. 1682., regia auctoritate factam, typis describenda curavimus. Quamquam autem non tam caece hanc editionem secuti sumus, ut aperta vitia non emendaverimus, tamen locorum indicatorum lectionem vulgatam ei, quam D. Loyson attulit, omnino praeferendam putamus. Neque vero diutius hac in re morandum est, ne indulgentiam, quam ab aliis nobis praestari cupimus, ipsi aliis negare videamur.



